Rejoth

BB FA 11

~~BB-SL-113-III~~
IV-2-II

BIBLIOTECA DE LA ... Mª DE LOS SS. CORAZONES

BEATI
RAYMUNDI
LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS
OPERUM
TOMUS III.

In quo continentur ſequentes Tractatus:

Introductoria Artis Demonſtrativæ.
Ars Demonſtrativa.
Lectura ſuper Figuras Artis Demon.
Liber Chaos.
Compendiũ ſeu Com̃entũ Art. Dem.
Ars inveniendi Particularia in Univ.
Liber Propoſitionum ſecundùm Artem Demonſtrativam.



MISSIONARII SS. CC. STÆ MARIÆ DE REGALI

BIBLIOTECA BALEAR. M.ᵒ DE LOS SS. CORAZONES

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Permiſſu Superiorum.

Anno Salutis Domini M DCC XXII.

MOGUNTIÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MAYERIANA,
Per JOANNEM GEORGIUM HÄFFNER.

Censura Ordinarii.

EN prodit Tomus Tertius secundùm ordinatissimam DEI providentiam & dispositionem temporum ad communem totius Universi utilitatem in publicam lucem, quam præ innumeris libris partìm veris partìm falsis omni potiori jure meretur, nunquam ab ullo quantumvis magno ingenio humano satìs penetrati, laudati aut laudandi & admirandi Universalis & numeris omnibus absolutissimi Operis Lulliani, quod Mentibus grandium parvulorum latissimè patet, & est quasi immensus campus innumera particularia secreta Artium & Scientiarum in & ex paucis generalibus principiis intrà breve tempus sciendi & demonstrandi. Est porrò hic Tomus Tertius verus ac genuinus partus Tertiæ in Trinitate Personæ Spiritûs Sancti, super quâ velut inexpugnabili Petrâ totum hoc Opus divinum contra portas inferi firmissimè fundatum est: (hoc ipsum reliquos Libros de Arte generali agentes esse piè credimus, testante ipsomet B. Authore in pluribus suorum librorum, se hanc Artem divinitùs accepisse, prout in primo Tomo est allegatum): quem verè sanctâ & infinitâ quasi fœcunditate conceptum in forma perfecta ante quinque fermè sæcula mundo effudit, & dilectæ Sponsæ Christi Ecclesiæ ex maxima DEI Bonitate liberaliter suî diffusivâ communicavit B. Raymundus Lullus, per antonomasiam jure meritissimo verè & benè cognominatus *Doctor Illuminatus*, Vir consummatæ Sapientiæ & Sanctitatis, secundùm quod Mundo adversùs omnes calumniatores ejus attestatur Testis publicus & omni exceptione Major, nempe Leo X. quondàm Christi in Terris Vicarius tempore Caroli V. in Commemoratione PP. Franciscanis in Officio Canonico de eo fieri concessâ.

Cùm verò Principia generalia & specialia in hoc præsenti Tomo Tertio prælaudati divini Operis mirè & usque ad supremum gradum & apicem scientificæ perfectionis comprehensa, figurata, demonstrata, elucidata & dilatata, sint eadem omninò & uniformia cum iis, quæ in duobus præcedentibus Tomis jure optimo jam approbatis continentur, & cùm ipsa in primitivis & generalibus Principiis (infrà & suprà quæ ob supremam eorum universalitatem, profunditatem & altitudinem neque datur descensus neque ascensus humani intellectûs) fundatissima doctrina omnium Trium sicut & universi ad stuporem non nisi divinitùs concatenati Operis Lulliani sit omni ex parte bona, vera, sancta, perfecta, potens, efficax, subtilis, sapiens, uno verbo, prorsùs cœlestis ac divina, omnesque errores ac falsitates tam contra Veritates naturales Philosophiæ & omnium Artium ac Scientiarum, quàm Veritates supernaturales revelatas veræ Theologiæ atque Sanctæ Fidei & Religionis ex primis fundamentis evertat, cùm sit ipsissima Veritas & altissima Sapientia à Spiritu Christi crucifixi inspirata, à prudentibus & sapientibus sæculi terreni quidem abscondita, parvulis autem revelata, ab antiquis Sapientibus, SS. Patribus & Ecclesiæ Doctoribus, in quibus conservatur summa Authoritas, eodem spiritu & instinctu cognita, & nobis posteris in libris eorum ex parte tradita, in ipsa S. Scriptura plurimis in locis apertè insinuata & fundata; imò cùm tota Lex perfectissima Evangelica & omnes ejusdem Libri Canonici ex his divinis Principiis (utpote ipsis Attributis DEI) primitùs profluxerint, & in iisdem radicentur & conserventur, ût ad oculum patebit volenti bonâ intentione & simplici amore Veritatis experiri, & quem non pigebit Libros B. Lulli cum Libro DEI conferre,

Propterea firmissimè censeo ex prævìè conglobatis Rationibus gravissimis omni sanâ Ratione & Fide utenti superabundanter satisfacturis, ex proprio & alieno experimento, ex Authoritate maximi momenti ac ponderis, ex Causis in Censuris primi & secundi Tomi adductis, hanc Lullianam, & nullam aliam isti contrariam, esse veram in mundo Scientiam & Artem & Methodum universalem, incredulis ignorantibus & sapientibus ex primis fontibus & locis generalibus intrinsecis & extrinsecis & radicalibus Causis funditùs demonstrandi & eviscerandi omnem Veritatem naturalem æquè ac supernaturalem, atque hanc ipsissimam ab antiquis Sapientibus, veræ & sanæ Philosophiæ, Theologiæ & Juris utriusq; Patribus & præcipuè SS. Ecclesiæ Doctoribus in compilandis Voluminibus suis re ipsa esse ex parte observatam, quamvìs à nullo quàm à B. Raymundo Lullo hunc in finem & ad hoc tam grande opus complendum speciali Lumine cœlitus illustrato tam clarè tam profundè in forma tam artificiosa &, suprà quàm ab expertis dici & ab inexpertis credi possit, omnibus sæculis stupendâ demonstratam: unde ut ad majorem DEI gloriam, Ecclesiæ Ca-

tholicæ & totius Mundi Utilitatem ac Emolumentum abundantius judicium in veritate feram, hanc Artem & Scientiam Lullianam, utpote Methodum unicè veram, unicè perfectam demonſtrandi omnem Veritatem Rationis & Fidei per Rationem & Fidem ſummè neceſſariam & omni acceptione digniſſimam eſſe judico, ut mediante typo ad omnium Eruditorum manus perveniat, quatenus Doctores fideles in agnitione & amore veritatis & ſemet ipſos fortiter confirment, & aliis eam ignorantibus ex charitativo zelo ſalutis Animarum ad majus Incrementum Eccleſiæ Catholicæ indefeſsè demonſtrent. Quem in finem à DEO Patre Luminum & Miſericordiarum, à quo deſcendit omne datum optimum & omne donum perfectum, altefatam Artem, Scientiam ac Sapientiam ad maximam Conſolationem Eccleſiæ cælitùs datam eſſe à meliùs deſuper informatis non ambigitur, quamvis huic Doctrinæ tam veræ tam ſanctæ tanquam novæ ſectæ (cùm ſit Veritas antiquiſſima) ſi non ubique ab omnibus, certè multis in locis à pluribus ſive ex ignorantia & præ-conceptis præjudiciis ſive ex malitia contradicatur. Ego autem his non attentis neque obſtantibus unum & alterum modum docendi & diſcendi ſinè meis meritis per ſolam gratiam DEI (ût palam fateri non erubeſco) expertus breviorem, certiorem & ſecuriorem viam perveniendi ad agnitionem Veritatis Scientiarum ac Fidei, quàm præſentem Artem Demonſtrativam in hoc Tomo elucidatam, invenire non poſſum. Quam proinde præſentium tenore ac robore ex Authoritate Ordinarii omni meliori modo & formâ approbatam & omnibus bonæ voluntatis Amatoribus & Zelatoribus Veritatis & majoris Gloriæ DEI altiſſimi quàm maximè commendatam ardentiſſimè cupio.

Complectitur autem hic tertius Tomus *Primò Præcurſorem* Introductoriæ in Algebram Specioſam Univerſalem vel Artem Magnam Univerſalem ſciendi & demonſtrandi B. Raymundi Lulli à D. Editore Operi præfixum: qui dividitur in duas Diſtinctiones, in prima Diſtinctione traditur Theoria, in ſecunda datur Practica Artis tali methodo, qualis à nemine Commentatorum in B. Authorem hucuſque eſt tradita, utpote quibus Arcana Algebræ Specioſæ Lullianæ erant prorſus incognita.

Secundò ſubſequitur *Introductoria* Artis Demonſtrativæ, diviſa in quadraginta tria Capita, in quibus multa Arcana Artis ſcitu ſummè neceſſaria & utiliſſima revelantur de Poſſibilitate, neceſſitate, Utilitate & Facilitate hujus Artis.

Tertiò: Ars Demonſtrativa diviſa in *quatuor* Diſtinctiones, in quarum *prima* datur Explanatio 12. Figurarum Artis, in *ſecunda* ponuntur Conditiones Figuræ Elementalis & Figuræ Demonſtrativæ, in *tertia* exponitur Intentio ſeu Cauſa finalis hujus Artis: in *quarta* proponuntur Quæſtiones partim ſolutæ partim ſolvendæ per Artem.

Quartò: Lectura Artis Demonſtrativæ, in qua oſtenditur uſus 12. Figurarum hujus Artis.

Quintò: Liber *Chaos*, in quo datur perfectum & integrum Syſtema Arcanæ Philoſophiæ, Syntheſeos & Analyſeos naturalis, tanto artificio demonſtratum, quanto ſe ipſum ſatis diſtinguit à Philoſophia hucuſque cognita.

Sextò: Compendium vel *Commentum Artis Demonſtrativæ*, diviſum in *tres* Diſtinctiones, quarum *prima* eſt de Figuris; *ſecunda* de Regulis; *tertia* de Quæſtionibus: hic Liber poteſt verè nominari Margarita pretioſa Artis inæſtimabilis pretii, ob ſuam ſublimitatem & claritatem, nam omnes præcedentes longè excedere videtur manifeſtatione Secretorum Artis.

Septimò: Ars Inveniendi particularia in Univerſalibus: Libellus mole parvus, ſed ambitu ſuo complectens univerſum ſcibile particulare in uno ternario univerſali, ex quo docet dictum particulare eruere.

Octavò: Liber Propoſitionum ſecundùm Artem Demonſtrativam, præcedenti addendus, habet enim Conditiones vel Maximas univerſales ad praxin Artis neceſſarias.

Qui omnes ac ſinguli continent puriſſimam Veritatem & optimam Methodum ſtudendi, diſcendi, docendi ac demonſtrandi omne intelligibile.

Ita Cenſeo

Moguntiæ. 6. Septembris 1723.

Franciſcus Philippus Wolff, Ss. Theologiæ Baccalaureus, Clericorum Sæcular. in Commu. viv. Sacerdos & Seminar. Elect. Moguntini Subregens, Cenſor Librorum Ordinarius.

PRÆ-

PRÆCURSOR

Introductoriæ in Algebram Specioſam Univerſalem, vel Artem Magnam Univerſalem ſciendi & demonſtrandi B. Raymundi Lulli Doctoris Illuminati & Martyris.

DEUS, qui es Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in tuo Lumine paramus Viam & Introitum in *Artem Magnam Univerſalem ſciendi & demonſtrandi*, Magiſtri noſtri B. Raymundi Lulli Doctoris Illuminati & Martyris, ut per illam te magis recolamus, intelligamus & amemus, ac tibi ferventiùs ſerviamus.

Præfatio Diſcipuli ad Lectorem.

QUàm gratum eſt oculis ſenſualibus poſt perpeſſam noctis caliginem intueri Solem orientem, tam gratum eſt oculis intellectualibus poſt toleratas ignorantiæ tenebras amœniſſimum Ortum Solis Scientiæ & Sapientiæ contemplari, *quia dulce lumen & delectabile eſt oculis videre Solem*, Lib. Eccl. c. 11. v. 7.; non tamen omnibus, ſed ſanis tantùm; nam ſicut *palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis, ita oculis ægris odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis:* unde cùm tibi, Lector benevole, & omnibus illis, qui magis amant veritatem, quàm ſe ipſos, *digito conemur oſtendere, quod alicubi eſt*, & jam erat ante tot ſæcula, ſed tanto tempore latuit ſub umbra trianguli nigri, ideo, quod per gratiam DEI *vidimus & audivimus, annunciamus vobis (non enim hallucinamur, & videre nos fingimus aut ſomniamus, quod non videmus)* ſed quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, hoc teſtamur & annunciamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, *& hæc ſcribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum:* oſtendendo vobis viam planam, facilem, certam & ſecuram ad Artem Magnam ſciendi verum, amandi bonum, & memorandi utrumque; imò hæc *erit vobis* adeò *directa via, ita ut ſtulti non errent per eam*; Iſa. 35. v. 8. dummodo non erubeſcant ſtulti fieri, ut ſint ſapientes, 1. Cor. c. 3. v. 18. nam Sapientia etiam parvulos vocavit, & *inſipientibus locuta eſt*; Prov. 9. v. 4.: non vos abſterreat *ſtylus* (ut ajunt) *barbarus obſcuritáſque in explicando inextricabilis* falsò credita, ſed potiùs attrahat *inſtitutum Lulli admirandum & ingenioſiſſimum*; R. P. Kircher. in Arte Mag. Sci. Lib. 1. cap. 2. conſect. 2. fol. 13.: *nos enim dictæ Artis arcana, tametſi confuſa & veluti caligine quâdam involuta* oculis ægris apparentia *paulo profundiùs rimantes talia non reperimus, qualia iniqui rerum, quas non intelligunt, Cenſores & Ariſtarchi perperàm ſentientes Viro Illuminatiſſimo immeritò jure opponunt*, idem R. P. Kirch. Lib. 3. dictæ Art in Præf. fol. 101.: unde nec *rudem illam & impolitam molem ſub chaotica quadam maſſa mirandis* his arcanis, ceu tenebras luci immixtam *deprehendimus, quæ ex incompoſitâ tenebrarum ruditate in lucem educentes, novam rationem inire, & non Lullianam Methodum hoc loco docere, ſed principiis ab eo mutuatis novam condere multò Lullianâ faciliorem expeditioremque* temerè præſumentes nil aliud ageremus, quàm lumine lucernæ illuminare Solem illuminatiſſimum. Eja igitur chariſſimi, *accedite & illuminamini*; Pſal. 33. v. 6. *nam nox præceſſit, dies autem appropinquavit*; Rom. 13. v. 12. *quia tenebræ tranſierunt*, quas huic divinæ Arti de ſe ipsâ lucidiſſimè reſplendenti partim Librorum & Manuſcriptorum undique diſperſorum inopia, partim Expoſitorum quorundam de ſe nimis præſumentium ſuperfluus & inutilis labor, partim inimicorum machinamenta velut atras nubes Solem obvelantes offuderant, *& verum Lumen jam lucet*, Joan. 1. c. 2. v. 8.: ipſe nimirum Doctor Illuminatus, cujus nunc Principiis & Methodo ad unguem inſiſtentes hortamur vos & obſecramus, ut aquam vivam nobiſcum priùs ex ipſo fonte deguſtetis, illâque os eluatis, ut, ſi qua amaritudo ex priſtina infirmitate organo guſtûs veſtri inhæreret, (volo dicere, ſi qua inordinata præventio, aut obſtinatio, aut ſuperbia veſtræ voluntati adhuc inſideret) dulcedine hujus aquæ detergatur: poſtea oculos veſtros ab amurcâ veterum opinionum, quæ nullâ ſolidâ ratione ſtabilitæ tanquam ſpurii & peregrini colores intellectum veſtrum ſpecificantes, illum ab univerſali habitudine ad inquiſitionem veritatis requiſitâ retrahunt, & certam illius inventionem impediunt, illâ emundetis, hoc eſt, intellectum liberum reddatis, antequam amœniſſimos licèt at intenſiſſimos radios hujus Solis irretorto viſu conſpicere, vel (quod pejus eſſet) maculas oculis veſtris inſertas illi affingere audeatis.

De Diviſione hujus Libri.

DIviditur hic Liber in *duas Diſtinctiones*, quarum *Prima* agit de Theorica Artis, *Secunda* verò de Practica. Prima Diſtinctio dividitur in *tres Partes* vel *Capita*. quorum *Primum* oſtendit, quid ſit Algebra Specioſa Univerſalis ſciendi & demonſtrandi Lulliana. *Secundum* agit de Natura & Proprietatibus Principiorum in genere. *Tertium* de Principiis Artis & eorum ſeptem Proprietatibus in ſpecie. Secunda etiam dividitur in *tres partes*, quarum *Prima* agit de Principiis Univerſalibus Artis, *Secunda* de Conditionibus Univerſalibus, *Tertia* de Demonſtrationibus Univerſalibus.

DISTINCTIO I.

De Theorica Artis.

CAPUT I.

Quid sit Algebra Speciosa Universalis, vel Ars Magna Universalis sciendi & demonstrandi Lulliana, & in quo differat ab Algebra Speciosa usitata in Geometria & Arithmetica?

ALgebra Speciosa Lulliana est Ars & Scientia Universalis, quâ per literas alphabeti tanquam signa universalissima nominibus & rebus universalibus & particularibus per nomina significatis substituta fit investigatio, inventio & demonstratio veritatis in omni Scientia particulari; fuit autem hæc admiranda & nunquam satis deprædicanda Ars & Scientia Illuminato Doctori à DEO supernaturaliter infusa jam ante quadringentos annos (ût Vita ipsius habet, & Acta probant) quam postea in suis Libris tradidit *duplici Modo: primò* explicitè, reducendo Principia universalia suæ Artis ad literas alphabeti, & applicando dictas literas loco Principiorum ad solutiones Quæstionum; & hoc iterum dupliciter; vel ponendo cameras literarum, quæ implicitè continent solutiones Quæstionum, vel dando ipsas solutiones ex literis explicitè formatas: *secundò* implicitè, præponendo quidem singulis principiis Artis literas in Figuris, sed in practica Figurarum adhibendo ipsa principia loco literarum, qui uterque modus in primis quatuor Tomis magni Operis ad sensum patet: prior verò posteriore nobilior & altior nullibi clariùs à Divo Magistro est expositus, quàm in Libro quinto Dist 40. Vol. 3. omnium librorum præstantissimo Contemplationis, sinè cujus libri lectione nunquam Arcanum Artis sufficienter penetrâssem, quamvis in dictis quatuor Tomis partim implicitè partim explicitè millies repetatur.

Sunt autem hæc duo arcana Artis inter se tam firmiter connexa, quòd, cui utrumque est notum, facilè possit transmutare unum in alterum, imò necessariò sic debet esse; nam cùm in posteriori particulari necessariò contineatur prius universale, sinè quo nullum particulare potest subsistere, necessariò debet hoc posterius ultimatò resolvi & abstrahi in prius tanquam supremum universale, ut habeantur principia primitiva, suprema, vera & necessaria, contrahibilia ad quævis particularia specificabilia per illa, quibus particularia regulentur & dirigantur in inventione & demonstratione quæsitæ veritatis.

Unde cùm sinè perfecta cognitione utriusque præfati Arcani nullus Amatorum hujus sacræ Artis & Scientiæ possit pervenire ad centrum & radicem illius, in gratiam dictorum Amatorum veritatis & meorum Condiscipulorum utramque viam demonstrare nunc aggredior, ut utramque exercentes & paulatim notis algebraicis assuescentes discant unam mensurare per alteram, & utramque per methodos hactenùs cognitas & usitatas, & è converso: quod eò libentiùs facio, quia inter omnes, quotquot legi, tam antiquorum Discipulorum Doctoris Illuminati hujus Artis Doctorum, quàm recentiorum, qui Commentariis suis Artem elucidare sunt arbitrati, neminem hactenùs reperi, qui primæ viæ demonstrandi, h. e. per notas algebraicas in scriptis suis ullum vestigium nobis reliquerit, quod tantò magis mirum mihi semper visum est de Doctoribus & Professoribus Inclytæ Universitatis Lullianæ Viris alioquin perspicacissimis, quorum manibus laudatus Liber Contemplationis tot sæculis volvebatur; cujus suffragio & oculari intuitu nisi possem reddere legitimum hunc libellum, nescio, an me posteris non suspectum redderem de Algebra hac noviter à me confictâ, quod abest, tantum decus subtrahere suo Authori, *non enim est Discipulus super Magistrum, sed sufficit Discipulo, ut sit sicut Magister ejus*, Matth. 10. v. 25. 24.; ad quod aspirare facilius est, quàm pervenire.

Differt Algebra speciosa Doctoris Illuminati ab Algebra speciosa præcedenti sæculo inventâ, & per ingeniosissimos illius Cultores Scientiis Mathematicis, præsertim Arithmeticæ & Geometriæ adaptatâ in sequentibus: *Primò*, quòd hæc Lulliana sit absolutè & simpliciter universalis ad omnes Scientias applicabilis & necessaria, altera verò particularis tantùm, scilicet quantitati & numero potissimè mensurandis inserviens: *Secundò*, quòd hæc ratione supremæ altitudinis suorum principiorum, quibus altiora dari non possunt, & ratione modi supremi operandi cum ipsis, alteram non solùm in se concludat, (ût ex præcedenti conjicitur) sed infallibilitate, certitudine & necessitate suarum demonstrationum longè antecellat, quamvis multis Artem hanc ignorantibus hæ Demonstrationes non videantur esse tales, sed tantùm congruitates vel etiam sophismata, quod non aliunde provenit, nisi quia nimis confidentes suæ Scientiæ nolunt informari in principiis hujus, sed potiùs defectum, qui est in ipsis, tribuunt huic Scientiæ (quod patet ex refutatione quorundam insignium Theologorum, quam tertio Tomo præfiximus, qui infeliciter ausi sunt impetere dictas demonstrationes Doctoris Illuminati de existentia Ss. Trinitatis, & nequidem terminorum Artis ullam notitiam habuerunt.)

Unde hortamur & rogamus omnes, qui in particularibus Scientiis aliàs enutriti accedunt ad hanc Artem & Scientiam animo non ficto (qui enim insidiosè aget, scandalizabitur in ea) sed sincero & inveniendæ veritatis unicè cupido, ut, si illis in cursu & practica Artis quædam occurrant, quæ suis prioribus sententiis vel opinionibus videbuntur adversa, & quæ credunt, se facilè posse evertere suis oppositis argumentis, non sibi statim applaudant, sed potiùs ulteriùs in Arte vel Libris Illuminati Doctoris inquirant solutiones suarum objectionum, quas infallibiliter invenient, & postea suam præcedentem ignorantiam ipsimet mirabuntur, & non gravatè agnoscent.

Hanc admonitionem ût summè necessariam nolui hìc deesse, utpote qui idem experimento didici & in me ipso & in multis partim Condiscipulorum partim aliorum literatorum Virorum, quorum aliqua exempla forsan inferiùs in medium adducam; & certè nemo satis enarrare potest, quàm prona sit nostra misera natura peccato corrupta in propriam nostri æstimationem, quæ quantum indebitè attollit nostros proprios conceptus, tantum necessariò inordinatè deprimit oppositos aliorum; & hoc non aliundè provenit, nisi quia, dum libros sapientum Antecessorum nostrorum percurrimus, & in

& in quasdam difficultates impingimus, illi utpote jam vitâ functi lateri nostro adstare, & nostras inanes objectiones exemplò resolvere non ampliùs possunt, hinc mirum non est, quòd (ût sonat proverbum) mortuo leoni lepores insultemus, quod nobis non accideret, si in nobis vigeret genuinus amor potiùs cum humilitate discendi, quàm cum superbia docendi: neque hoc silere me convenit, quàm sagax sit Divina Providentia tum in defendenda veritate & honore suorum fidelium servorum verorum Doctorum, tum in corrigenda nostra vanitate; nam quamvis hi, quos supra memoravi, nequeant redarguere nostram inscitiam, & se ipsos excusare, tamen Spiritus Veritatis excitat de sæculo in sæculum congrua instrumenta, quibus tuetur & à tyrannide liberat hanc & illos; quod apertè patet in nostro Illuminato Doctore, quem per tot sæcula propagatis veluti hæreditario jure dissidiis inimici acerrimè sed in vanum semper sunt insectati, & amici alacerrimè ac cum gloria sunt tutati.

Denique quis ambigat, Sanctos Patres & Viros à DEO Illuminatos, quos in Ecclesia DEI ût Doctores Veritatis veneramur, minùs erroribus obnoxios fuisse, quàm alios doctos Viros hoc privilegio non gaudentes; unde cùm illi, *quibus Libri, Vita & Acta B. Magistri nostri cognita sunt, negare non valeant, Spiritum DEI in multis Raymundum habuisse*, quod singulariter *indicant Scripta ejus de Philosophia Amoris, de Amico & Amato, & magnarum Contemplationum, aliáque multa*, Vasq. Disp. 133. cap. 4. fol. 138.*, deberent utique fateri, majorem fidem habendam Scriptis hujus Divi Authoris utpote minùs fallibilibus, quàm scriptis Doctorum non illuminatorum. At (inquies) demus hoc verum esse, *potuit tamen in aliquibus non ex DEI Spiritu, sed ex proprio cerebro aliqua depromere, quæ licet Catholica essent & vera, durius tamen, quam par erat, ab eo dicerentur & explicarentur*; ibid. Respondeo, potuit hoc ille; sed si ille Illuminatus potuit, & tu non illuminatus magis potes: hinc si tibi duriora videntur, quæ catholica & vera scripsit, visum tuum probè examina primò, an perferendæ hujus luci par sit, nec judices Opus Artis, si ignoras ipsam Artem, à qua Opus profluxit.

Instabis fortè dicendo: *mihi sanè aliquæ hujus Doctoris propositiones duriores visæ sunt, & has demonstrationes nullius roboris esse censeo* (sed quare?) *semper enim assumit Author propositiones, quæ ipsi evidentes esse, mihi autem nec probabilitatis aliquam speciem habere videntur* (hoc facilè admitto; nam sumo Theologo poterit videri nequidem probabile, quòd in triangulo tres anguli simul sumpti sint æquales duobus rectis, quod vel infimo Geometræ est clarissimè demonstratum) *quòd si aliquando assumit propositiones, quas Fide Catholicâ credimus, aut quas secundum Fidem concedere necesse est, non reddit illas evidentes nec magis notas* (hoc gratis asseritur, ût patebit ex solutione objectionum hujus adversarii, quam in calce Libri dabimus) *ejus vero Discipuli id semper nobis objiciunt* (& meritò) *quod eorum principia nondum penetremus* (imò nequidem penetrare cupiatis) *& hanc dicunt esse causam, ob quam nobis demonstrationes non videantur: sed valdè mirandum est, nunquam ipsos vi solâ rationum perspicuas nobis eas reddere, & ad prima Principia, quæ solâ terminorum explicatione statim animo hærent, reducere potuisse* (quin magis mirandum est, quòd, postquam ipsemet Illuminatus Doctor omnes suas rationes in omnibus suis libris contentas ad sua universalia principia reduxit, quæ principia cuivis homini sanâ ratione pollenti sunt longè magis evidentia, (ût statim infrà clariùs exponemus) quàm cygnum esse album, & corvum esse nigrum, nostri Adversarii fuerint adeò incurii in lectione librorum illius, quòd hunc necessarium nexum principiatorum cum principiis aut non attenderint, aut analysin rationum in sua principia facere neglexerint) *quod mihi argumento est, ipsas in se demonstrationes non esse, sed hujus doctrinæ nimiùm addictis adeò placent, ut videre eas sibi videantur*; sic eximius P. Vasquez Disp. 133. cap. 4. fol. 137.: mihi verò argumento est, ipsas in se quidem demonstrationes esse, sed huic doctrinæ nimiùm adversis ideo displicent, quia oculos omni vi comprimunt, & nequidem terminos Artis & definitiones illorum legere dignantur, nam asserunt illos esse barbaros, & nugas vocitant; vid. P. Arriaga, qui cum laudato P. Vasquezio terminum *concordantiæ* mutavit in terminum *concordiæ*, & terminum barbarum *bonificare* in *benefacere*: benè facietis ergò Condiscipuli, si imposterum relictis barbaris terminis vestri Magistri, nempe *bonificare, magnificare, virtuificare, verificare, glorificare, justificare*, dicatis *benefacere, magnefacere, virtefacere, verefacere, glorefacere, justefacere &c.*; hoc enim erit valde ornatum & comptum. Nimius forsan fui in hoc argumento, sed necessitas & utilitas materiæ compulit me plura dicere, non tamen omnia, fortiora enim in finem rejeci, ubi videnda.

CAPUT II.

De Natura & Proprietatibus Principiorum in Genere.

ANtequam Principia exhibeamus, illarúmque Figuras describamus, convenit nos aliqua præmittere de Natura & Proprietatibus illorum, quæ scitu summè erunt necessaria.

Sciendum igitur *primò*, quòd Principia hujus Artis sint *Principia realia, primitiva, substantialia, necessaria, naturalia, absoluta, simplicia, realiter inter se identificata, universalia, summa, intellectualia, infinita, perfecta*, denique *per se nota*: sunt enim *realia*, quia sunt in re ipsa extra nostrum intellectum, nam bonitas, magnitudo, duratio &c. sunt formæ reales, ex quibus ens realiter est constitutum: sunt *primitiva*, quia nulla alia habent ante se, & nulla habent post se, quæ ab his primitivis componantur tanquam partibus illorum: sunt *substantialia* (excepta contrarietate, quæ est accidens) quia constituunt substantiam sinè accidente: sunt *necessaria*, quia habent summam necessitatem sinè ulla contingentia: sunt *naturalia*, quia sunt prima natura, à qua provenit omnis natura posterior: sunt *absoluta*, quia quodlibet habet entitatem revera absolutam, quamvis quædam illorum dicantur relativa, ût *differentia, concordantia, æqualitas* &c.: sunt *simplicia*, quia quodlibet per se est forma summè simplex, sed omnia simul sunt una sola forma simplex sinè ulla compositione: unde statim elucet, quòd sint *realiter inter se identificata*, sinè qua identitate non essent sinè compositione: sunt *universalia*, non quòd non sint ens particulare, sed quia omnia in se comprehendunt, & quia sunt in omnibus particularibus à se productis per essentiam, præsentiam, potentiam, influxum & operationem: sunt *summa*, quia infinitè transcendunt omnia principia creaturarum, exceptâ

creaturâ & contrarietate, majoritate & minoritate, quæ reperiuntur in creatura, & non in DEO: sunt *intellectualia*, quia sunt proprium objectum intellectûs, quod non cadit sub sensum: sunt *infinita*, quia carent omni principio & fine: sunt *perfecta*, quia carent omni defectu: sunt *per se nota*, non tantùm quoad se, sed etiam quoad intellectum creatum, cui plus se revelant, quàm quælibet principia creaturarum intellectualia vel sensualia; sunt enim non solùm magis intelligibilia, quàm hæc, sed etiam habent majorem potestatem & influentiam, quibus se faciant intelligibilia, quàm hæc: quod cùm sit unum ex principalioribus fundamentis, cui insistit totum ædificium hujus Artis & Scientiæ, ad quod suprà provocavimus, oportet illud hìc magis declarare.

Notandum igitur, omnibus Artibus & Scientiis particularibus hoc esse commune, quòd habeant & habere debeant principia per se nota, quæ non indigeant probari (ût ab omnibus tanquam certum supponitur) si enim ipsa principia essent probanda, hoc fieri deberet per alia principia, & sic continuò, donec aut admitteretur processus in infinitum, & sic nunquam haberetur Scientia; aut perveniretur ad aliqua principia, quæ per se omnibus sanum intellectum (vel sensum, si principia sunt sensibilia) possidentibus essent nota; dicitur autem in nostra Schola *per se notum*, quod suo experimento sive sensuali sive intellectuali adeò clarè & infallibiliter certificat potentiam, ut omnem ambiguitatem ab illa auferat: unde si hoc, quod diximus, reperitur in omni Arte & Scientia particulari, maximè convenit reperiri in Arte & Scientia universali vel potiùs universalissima: quod sic patet, quia cùm omnis pluralitas, quæ caret identitate, conveniat cum defectu, & omnis unitas, quæ continet omnem perfectionem, & excludit omnem defectum hujus pluralitatis, conveniat cum perfectione, ideo necesse est, quòd etiam hanc perfectionem habeat in suis principiis, scilicet quòd sint experimento intellectuali summè nota, ad hoc, ut, quando in scientiis particularibus circa illorum principia oritur dubium, possit resolvi per Principia Scientiæ & Artis universalis omnibus aliis Scientiis & Artibus communia & summè nota.

Si quis verò dubitet, talem Scientiam summè universalem vel possibilem vel actu existentem & à Doctore nostro traditam, 'is adeat Comment. in Artem Demonstr. ejúsque Dist. 3. quæst. 1. Fig. Demonstr. fol. 145. Tom. 3., cujus rubrica est: *utrùm hæc Scientia sit cæteris Scientiis generalis?* item legat ibidem quæst. 1. Fig. alphab. quæ sic habet: *utrùm hæc Scientia addat aliquid super alias Scientias?* porrò in Arte Inv. Partic. in Univ. quæ continetur in eodem Tom. 3., inspiciat quæstionem, quæ sic incipit: *utrùm sit aliqua universalis Scientia subjecta omnibus aliis Scientiis, in qua sint certa universalia principia, per quæ possit responderi quæstionibus infinitorum particularium?* legat pariter quæst. sequentem 11. quæ est: *utrùm per principia illius Scientiæ debeant dirigi omnia particularia principia particularium Scientiarum?* in his tot & tam præclaræ demonstrationes illi occurrent, quæ mentem illius plenariè quietam reddent: non enim omnia hoc loco probare possumus, ne compendium libri excrescat in tomum; quod etiam in sequentibus volumus intelligi, ubi, si quid offendant Lectores, quod magìs sibi declaratum cuperent, ipsum magnum Opus consulant, hìc enim non omnia Arcana revelare & demonstrare possumus, quæ Principia Artis, illorum numerum, ordinem & cæteras proprietates & habitudines concernunt, sed ipsam Artem & usum illius, delibantes quandoque extremis (ût ajunt) labris aliquas rationes valde necessarias; qualis est sequens, quâ suprædicta confirmare intendimus tanquam per exemplum, quod de *Principiis sensualibus per se notis* adducemus.

Sensualiter experimur, quòd per se notum & evidens est oculis sanis, quid sit *luciditas*, *diaphanitas*, *albedo & nigredo*, & adeò notum ac evidens, quòd si à rustico videnti quæras, quid sit album vel nigrum, statim digito ostendat unum & alterum, quod vel summus Philosophus cæcus nunquam tam clarè suâ definitione notum redderet sibi ipsi vel rustico videnti, si centies repeteret, quòd color albus sit ille, qui disgregat visum, & color niger, qui congregat; hoc ipsum nec Cartesius suis atomis globulosis, striatis, uncinatis vel hamatis efficeret: multoties miratus sum, unde proveniret, quòd impossibilia & inutilia quæreremus, & possibilia maximè utilia negligeremus; hoc certè non aliunde contingere arbitror, nisi quia ea, quæ sunt omnibus etiam rusticis nota, nobis altùm sapientibus videntur nimis vilia, abjecta & trivialia, qualia sunt hi quatuor nominati colores simplices, qui sunt primitiva, vera, necessaria, naturalia & universalia principia sensualia (h. e. sensu perceptibilia) totius physicæ, h. e. naturæ creatæ corporeæ, & non tantùm principia naturæ, sed totius operis naturæ, tam naturalis tantùm, quàm naturalis & artificialis simul, quibus tanta & tam proficua toti humano generi obvenire possunt tam in demonstrando scientificè causas & effectus omnium rerum naturalium, quàm in operando, h. e. per experimentum sensuale analyticâ naturali resolvendo entia naturalia sensualia in sua principia naturalia sensualia, & è converso per synthesin naturalem ex principiis naturalibus sensualibus res naturales sensuales iterum componendo, ac in meliorem & majorem gradum perfectionis elevando: si abritraris, me nimium promittere, accede, obsecro, lege & intellige Libros Divi Authoris de hac materia tractantes, & invenies, ne dimidiam partem à me tibi fuisse propositam eorum, quæ admiranda & omnem tuam opinionem excedentia in Opere continentur.

Cùm igitur principia sensualia naturalia rerum sensualium naturalium à DEO nobis tantâ claritate & evidentiâ sint expositа, & per illa sinè fallacia possimus pervenire in notitiam omnium rerum sensualium naturalium ab ipsis principiatarum, & omnia hæc non sint nisi significationes principiorum & rerum intellectualium naturalium & supernaturalium, ad quæ tanquam suum finem à DEO sunt ordinata, ut per hæc ad illa, & per illa ad ipsum DEUM, qui est supremus & ultimus noster finis, sinè fallacia possimus pervenire, quis audeat dicere, majorem evidentiam, claritatem & certitudinem à DEO fuisse concessam principiis sensualibus, quàm principiis intellectualibus, nisi dicat, summam perfectionem magìs convenire cum minori perfectione & majori defectu, quàm cum majori perfectione & minori defectu.

Hæ autem proprietates conveniunt tantùm Dignitatibus vel Attributis DEI, quibus Ars nostra utitur tanquam Principiis omnia principia creata transcendentibus, cum quibus omnia tam in DEO quàm

quàm in creatura investigamus, invenimus & demonstramus, & sinè quorum auxilio esset impossibile, ullam perfectam demonstrationem de quacunque veritate efformare, quæ omne dubium tolleret, & omnes falsitates detegeret ac destrueret; ût patebit inferiùs ex praxi.

Sed forsan objicies, quomodo hæc principia omnem intellectum creatum, præsertim viatoris, transcendentia possunt esse lumine naturæ vel per se nota? Respondeo per sequentes metaphoras exponendo hunc modum.

Tu scis, quòd omnia, quæ in hoc mundo videntur, videntur per colores, & omnes differentiæ visibiles rerum videntur per differentias visibiles colorum; sed tota hæc differentia colorum esset invisibilis sinè concordantia luminis universalis, quod se habituat de omnibus his specificis coloribus.

Ulteriùs tu scis, si naturalia non ignoras, quòd color & lumen, quæ sunt propria objecto, non relinquant suum subjectum, ut per aërem ad tuos oculos veniant, sed objectum cum suo intrinseco colore producit ad extrà colorem in aëre, & cum suo intrinseco lumine producit ad extrà lumen in aëre, quæ ambo per medium sic propagantur & generantur usque ad tuos oculos, in quibus celebratur visio; & hoc potes cognoscere ex eo, quia color & lumen in suo subjecto non habent gradus augmenti & decrementi (permanente subjecto) sicut habent extra illud; quò magis enim distant ab objecto, & accedunt ad potentiam, eò magis decrescunt, ût ad sensum patet: hæc est metaphora naturalis tantùm, jam dabo aliam naturalem & artificialem simul.

Tu vides tuam faciem in speculo, & sinè speculo non potes illam videre, & ideo speculum est medium, per quod tibi revelatur figura tuæ faciei; & illa figura, quæ est in speculo, non est eadem numero figura, quæ est in tua facie, nam illa faciem tuam non relinquit, sed producit sibi similem & minùs perfectam in speculo, in qua & per quam vides tuam in facie: & omnis differentia habitûs, situs, dispositionis & ordinis, quæ est in figura tuæ faciei, tibi demonstratur clarè & evidenter per figuram similem, quæ est in speculo; sed si posses videre eam ipsam, quæ est in tua facie, videres adhuc magìs clarè & magìs evidenter, quod probare potes per alia objecta speculo opposita, & à te distincta, comparando visionem, quæ est sinè medio, ad visionem, quæ est cum medio.

Jam effer mentem tuam à visu minùs nobili ad visum magìs nobilem, scilicet à visu sensuali ad visum intellectualem, & considera sequens argumentum à proportione visûs sensualis ad intellectualem desumptum, quòd, sicut DEUS ordinavit, ut omnia, quæ in hoc mundo videntur per visum sensualem, videantur per colores, & omnes differentiæ visibiles rerum videantur per differentias visibiles colorum, sic ordinavit, ut omnia, quæ in hoc mundo videntur per visum intellectualem, videantur per bonitatem, magnitudinem, durationem, potestatem, sapientiam, amorem, & cæteras Dignitates DEI, & omnes differentiæ intelligibiles rerum videantur per differentias intelligibiles harum Dignitatum: & sicut tota hæc differentia colorum esset invisibilis sinè concordantia luminis universalis, sic tota hæc differentia Dignitatum esset inintelligibilis sinè concordantia alicujus luminis universalis intellectualis, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, hoc verò lumen universale habituat & specificat se (metaphoricè loquendo) coloribus omnium aliarum Dignitatum DEI: & quamvis dictum lumen universale transcendat omnem intellectum creatum, sicut & cæteræ Dignitates DEI, cùm sit ipse divinus Intellectus sive sapientia DEI, vocatur tamen naturale, eò quòd præstat communem & generalem influxum in omnem intellectum humanum & in omnem operationem ejus, sinè quo influxu intellectus non potest naturaliter operari, sive habeat habitum fidei naturalem tantùm, sive habeat illum junctum simul cum habitu fidei supernaturalis: cujus utriusque habitûs dispositione ad actum hujus luminis magìs vel minùs recipiendum etiam sunt majores vel minores gradus influentiæ illius in præfatum humanum intellectum, sic tamen, quòd gradus existentes sub habitu fidei naturalis tantùm, se habeant ad gradus existentes sub habitu fidei naturalis & supernaturalis simul, sicut gradus actuum accidentis ad gradus actuum substantiæ: unde patet, quòd, sicut in operatione naturæ gradus primarum qualitatum & alterationes earum sunt dispositio ad generationem substantiæ, sic in operatione intellectûs Gentilium & aliorum existentium extra veram fidem & utentium ratione naturali sub habitu fidei naturalis tantùm, gradus actuum profluentium à naturali habitu potentiæ, objecto & influxu dicti luminis supernaturalis sint dispositio ad productionem habitûs fidei supernaturalis.

Ulteriùs, quemadmodum in secunda Parte primæ Metaphoræ exposuimus, quomodo color & lumen objecti se habeant ad potentiam visûs, & quomodo per medium aëris ad extrà producant suas similitudines usque ad oculos, sic dicimus, quòd Dignitates & lumen Intellectûs & Sapientiæ DEI suas similitudines producant ad extra in suis creaturis, per quas veluti per medium aëris ad intellectum derivatas magìs vel minùs clarè & evidenter cognoscit intellectus suum supremum Objectum, prout dictæ creaturæ & similitudines Dignitatum DEI, quas referunt, minùs vel magìs distant in nobilitate à supremo Objecto, & prout idem intellectus est magìs vel minùs dispositus ad illas recipiendas.

Hæc igitur principia, hoc modo proposita humano intellectui, in Schola Lulliana vocantur *Principia per se nota, vel lumine naturæ cognita*; quia licèt non cognoscantur in se immediatè & primitivè, cognoscuntur tamen mediatè & in suis primitivis similitudinibus, quæ magis necessariò significant ipsa prima principia, quàm similitudines luminis & colorum in aëre productæ ipsum lumen & colores objecti; quia si non, DEUS fecisset meliorem ordinationem inter visum & objectum sensualia, quàm inter visum intellectualem & suum objectum, quod est ipse DEUS; & hoc est impossibile.

Transeamus ad secundam Metaphoram naturalem & artificialem simul, & sicut in illa deduximus visum, speculum & faciem hominis, sic secundùm eandem proportionem compara inter se intellectum humanum, dignitates creaturarum, quæ sunt similitudines Dignitatum DEI, & ipsas Dignitates DEI, & cognosces modum, quantùm in hac vita est cognoscibilis, quo suprema Principia possint esse per se nota, & quo non: nam sicut visus, speculum & facies hominis sufficiunt ad componendam tantam virtutem, quâ clarè & evidenter potest cognosci dicta facies, *sic intellectus & imaginatio cum Objecto æterno, infinito in bonitate, magnitudine &c.*,

quod intellectus capit, sufficiunt ad componendam magis nobilem virtutem, quàm sit illa, quam intellectus habet per se, & imaginativa illi affert; & illa magis nobilis virtus est speculum, in quo supremum Bonum est demonstrabile: & illud speculum est de tribus rebus, quæ sunt virtus Objecti æterni, infiniti &c., & virtus intellectûs & aliarum potentiarum cum illis participantium, & imaginativæ cum virtute aliarum rerum sensualium, quæ pertinent ad suam participationem. Doctor Illum. cap. 27. §. 3. Lib. 2. fol. 50. Mirand. Demonstr., qui habetur Tom. 2.

Hæc sufficere puto, ad dandam Lucem de hoc utilissimo & summè necessario Lapide angulari Principiorum Artis per se notorum, quæ quamvis alicui nimis fusè hoc loco tradita videantur, sciat tamen quàm plurima adhuc tradenda superesse (si compendium hoc permitteret) præsertim quomodo hæc Principia se habeant ad intellectum in secundo gradu, scilicet sub habitu fidei supernaturalis constitutum ratione *per se noti, majoris vel minoris claritatis & evidentiæ*, quæ si quis scire aveat, adeat Tom. 1. cap. 4. de Revel. Secr. Artis, vel ipsos Libros Illum. Doctoris consulat; nil enim de hac materia demonstratum inveniet in aliis Authoribus, cùm tamen sint tanti momenti ad ostendendum & efficaciter probandum, quomodo Mysteria Fidei sint ab homine catholico cognoscibilia & aliis demonstrabilia.

Sciendum *secundo*, quòd à supradictis Principiis supremis, quæ sunt in DEO, convenit nos descendere ad principia, quæ sunt in creatura; nam (sicut ex prædictis patet) quemadmodum sinè supremis Principiis nunquam acquireremus perfectam notitiam inferiorum, quæ dictis supremis Principiis illuminantur, sic nunquam ad illa suprema intellectus conjunctus posset ascendere sinè intermediis gradibus principiorum inferiorum, non enim ob suam naturalem infirmitatem posset perferre tantum lumen, nisi per gradus medios ad illud paulatim redderetur habilis: igitur sciant hujus Artis Alumni, quòd Principia in Figura A. & T. contenta sumantur in Arte non solùm pro Dignitatibus DEI, sed pro dignitatibus omnium & singularum creaturarum sive sensualium sive intellectualium, secundùm proportionem tamen singulis creaturis competentem: quod si non fieret, ipsa Ars & Scientia non esset in tanta universalitate, in quanta potest esse, nec esset possibilis ascensus de infimo gradu ad summum, nec descensus de summo ad infimum, nec perfecta circulatio: igitur literæ A. & T. significant singula individua creata, sed principia, quæ sunt in Figura A., sunt Principia *absoluta* cujuslibet individui, *realia*, *naturalia*, *primitiva*, *substantialia*, *vera*, *necessaria*, *simplicia*, *universalia*, *perfecta*, *finita tamen*, nec identificata, sed *unita tantum*, *per se nota*: & Principia Figuræ T. sunt *absoluta* & *relativa* simul.

CAPUT III.

De Principiis Artis, & eorum septem Proprietatibus in Specie.

JAm diximus suprà, Principia Artis esse in *duplici differentia*, quædam enim sunt *magis universalia* aliis, & hæc sunt literæ alphabeti, scil. A. B. C. D. &c. usque ad Z. inclusivè: unde quicunque nobiscum cupit Artem & Scientiam Illuminati Doctoris addiscere, non erubescat nobiscum accedere scholam parvulorum; quod si detrectat, Artemque vilipendit, sciat se non nobis nec Arti quidquam mali illaturum, sed sibi ipsi: non enim homo alterat Artem, sed Ars hominem. Quædam principia sunt *minùs universalia*, ùt nomina posita è regione literarum alphabeti.

Quare autem literæ alphabeti his terminis sint præfixæ, licèt in antecedentibus jam aliqualiter sit insinuata ratio, hìc tamen illam clariùs allegabimus: quia literæ alphabeti præ nominibus habent has sequentes *septem* singulares *Proprietates*, quarum *Prima* est, quia faciliùs ingrediuntur combinationem, quàm nomina. *Secunda*, quia intellectus celeriùs fertur & movetur de una litera in aliam in mutua illarum comparatione, quàm de una dictione in aliam. *Tertia*, quia breviùs omnia in Arte scribuntur per literas, quàm per nomina. *Quarta*, quia Ars per literas potest manifestari uni, & occultari alteri. *Quinta*, quia sub eadem litera possunt plura nomina simul significari artificialiter sinè confusione, sicut in uno & eodem lapide significantur naturaliter sinè confusione *frigiditas*, *siccitas*, *opacitas*, *ponderositas*, *duritiès &c.*, & hoc Arcanum latuit Correctores & Emendatores Artis Lullianæ, qui imaginariâ confusione absterriti, abjecto mirabili literarum usu substituerunt singulis terminis peculiaria signa, quibus Artem non solùm non emendârunt, sed potiùs totaliter corruperunt. *Sexta*, quia literæ sunt indifferentes ad quævis nomina significanda, non autem termini. *Septima & ultima*, quia in formandis demonstrationibus assumpto quolibet numero literarum, quotus nempe ad demonstrationes faciendas requiritur, quælibet demonstratio particularis mediante systemate universali harum literarum retento est transmutabilis in mille alias particulares, quod unum Arcanum, etsi solum esset, nullo auro æstimari posset: unde videant, quantum damnum Arti intulerint dictas literas abrogando, & alias notas introducendo.

Sicut præcedentes septem Proprietates sunt propriæ literis alphabeti, sic sequentes septem sunt propriæ principiis universalibus per literas significatis, & omnibus principiis particularibus, quæ ingrediuntur hanc Artem, per has enim proprietates fit omnis Operatio & Demonstratio, quæ peragitur in tribus sequentibus Circulis; unde se habent ùt instrumenta & regulæ infallibiliter regulantes intellectum & opus artificis usque ad finem intentum: desumptæ sunt autem hæ septem Proprietates ex cap. 3. Revel. Secr. Artis, quod habetur in Tomo 1., & hìc in compendium redactæ, ut uno quasi intuitu videatur tota constructio organi rationalis cum suis septem Registris.

Primus ternarius septenariorum refertur ad Figuram S., secundus ad Figuram T., tertius ad Figuram A., quamvis quilibet ad quaslibet figuras pertineant; nam sicut ipsæ figuræ habent necessariam connexionem inter se, sic ea, quæ figuris adhærent; sed quia eo ordine, quo ponuntur & secundùm suam naturam specialiter serviunt sub dictis tribus figuris, ideo specialiter ad illas referuntur: de quibus singulis breviter volumus magis necessaria enarrare, reliqua ex Opere magno petenda erunt, quibus ista non sufficiunt.

Pri-

	Primus Ordo. Potentiæ.	*Secundus Ordo.* Virtutes.	*Tertius Ordo.* Dona.
S.	Intellectus Memoria Voluntas	Fides Spes Charitas	Intellectus Scientia Sapientia
S.	Imaginativa Sensitiva Vegetativa Elementativa	Justitia Prudentia Fortitudo Temperant.	Consilium Fortitudo Pietas Timor
T.	Trivium: Gramatica, Logica, Rhetorica — Artes	Connexio Necessitas Multiplicat.	Significatio. Demonstrat. Persuasio
T.	Quadrivium: Arithmetic, Musica, Geometria, Astronomia — Minores	Mensura Scala Proportio Motus	Æquatio Compositio Comparatio Circulatio
A.	Trivium: ArsIntellec., Ars Memor., ArsAmativ. — Artes	Esse Necessitas Privatio	Scientia Potestas Voluntas
A.	Quadrivium: Theologia, Philosophia, Jus, Medicina — Majores	Possibile Impossibile Potentiale Actuale	Esse Perfectio Privatio Defectus

S. Septenarii figuræ S. dividuntur in *tres Ordines vel Gradus.*

1. *Primus Ordo* continet septem Potentias componentes simul unam *potentiam*, quæ est S., quod S. mediante T. & ejus septenariis ùt *instrumento* operatur in suo *objecto*, quod est A., & septenario ordinato ad A. recolendum, intelligendum & amandum: hic primus ordo vel gradus est *naturalis tantùm*, unde est *positivus* respectu duorum subsequentium, in quo erant constituti omnes antiqui gentiles Philosophi, & adhuc subsistunt moderni Pagani, Saraceni, Tartari, Judæi, & omnes extra veram Fidem existentes.

2. *Secundus Ordo* continet septem Virtutes, quæ intellectum humanum uno gradu altiùs elevant ad cognoscendam veritatem: hic secundus ordo vel gradus est *naturalis & supernaturalis* simul, quia includit primum, ùt materiam vel potentiam, cum quo hic secundus tanquam forma vel habitus producit actum de utroque compositum; unde est *comparativus*: in hoc sunt omnes in vera Ecclesia & Fide permanentes, quamvis non omnes possint vel velint uti hoc gradu per modum intelligendi vel demonstrandi, sed tantùm credendi: hic secundus ordo est positus inter primum & tertium tanquam medium extremitatum, & est dispositio ad tertium, ùt primus ad secundum, & quamvis sit supernaturalis secundùm formam, ùt dictum, non tamen supernaturale adhuc multùm dominatur super naturale, præsertim in infimis gradibus hujus ordinis, (subdividitur enim quilibet horum trium ordinum in suos gradus) ex Metaphora sequenti res clarior fiet: Anima rationalis est ens supernaturale, in quantum est per creationem, & corpus est ens naturale, in quantum est per generationem ex quatuor elementis, & anima cum corpore constituit ens compositum ex supernaturali & naturali, quod est homo; unde cùm corpus sit grave, & anima non sit gravis nec levis, sed sit potentia movens corpus ad libitum secundùm omnes sex rectitudines, per unum modum dominatur anima corpori in movendo corpus sursum localiter (quia homo potest se movere sursum per saltum) & per alterum modum dominatur corpus animæ in movendo secum animam deorsum localiter; & quia corpus plùs potest movere animam deorsum, quàm anima corpus sursum (ùt patet in lapsu ex alto) ideo majus est dominium corporis, quàm animæ, per motum & gravitatem; unde actus ab utroque productus denominationem sumit potiùs à naturali, quàm supernaturali; sic est in proposito hujus secundi ordinis.

3. *Tertius Ordo* comprehendit septem dona: hic tertius ordo vel gradus est *supernaturalis tantùm*, non quòd non includat secundum & primum, sed quia per suum excessum superat tantùm secundum & primum, sicut lux solis in meridie lucem candelæ, quæ licèt habeat actum illuminandi, non tamen sensibilem præ actu intenso illuminandi proveniente à luce Solis; unde est *superlativus* respectu præcedentium: ad hunc pauci ex secundo gradu perveniunt, nisi omnes gradus secundi ordinis ritè absolverint, & in schola Magistri, qui linguas infantium facit disertas, singulari gratiâ Lauream Magisterii sint consecuti: in hoc demum gradu creantur Doctores illuminati, quales semper fuerunt, sunt & erunt usque ad finem sæculi in nostra Sancta Matre Ecclesia Catholica & Apostolica Romana, licèt pauci; inter quos non infimum locum tenere Beatum Raymundum Magistrum nostrum piè credimus, & ad hoc credendum per divina ipsius Opera inducimur: hic gradus est finis Artis & Scientiæ Universalis Doctoris Illuminati, ad quem divina gratia dignetur illos perducere, qui se dignè præparabunt ad illum: de quo plura dicere poterit Illumin. Doctor noster per proprium experimentum, ad quem Condiscipulos remitto; hâc paculâ comparatione, quam de corpore & spiritu dedi in gradu comparativo, finiens hunc paragraphum: Legimus in Actis Sanctorum, quòd, quando per contemplationem rapiebantur in extasin, Spiritus Divini Amati quandoque tanta vi ad se trahebat spiritum amici, quòd corpus amici cum spiritu elevatum fuerit in aëra, & illic aliquoties per integras horas quasi omni pondere liberum steterit: sic Intellectus divinus elevat intellectum creatum supra se & potentias sibi unitas inferiores, quæ sinè pondere, h. e. actu in hoc ascensu sequuntur intellectum.

Reprehendit Leibnüzius in sua Arte Combin. Lipsiæ impressa 1666. pag. 33. Doctorem Illuminatum, quòd principiis Artis annumeraverit *Vitia & Virtutes* ad Scientiam generalem prorsùs impertinentes, (ùt putabat) sed quia hic Author in mathematicis Scientiis perspicax, in Arte verò Lulliana nullum fundamentum penetrans, causas ac naturas, numeros, ordines &c. principiorum illius penitùs ignoravit, non est mirum, quòd impertinens judicium de illa tulerit: si legisset librum de Gentili & tribus Sapientibus, qui habetur Tom. 2. magni Operis, ubi non solùm per Virtutes, sed etiam per Vitia formantur Demonstra-

ſtrationes de altiſſimis Myſteriis Fidei, forſan ipſi fuiſſet ſuborta lux: fateor tamen, habitus vitiorum in anima eſſe prorſus impertinentes ad ſcientiam compatandam, (*quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia*, Sap. c. 1. v. 4.) non autem habitus virtutum, ſinè quibus fruſtra quis quærit poſſidere veram & perfectam ſcientiam vel ſapientiam, ût ſinè transparentia oculorum videre colores.

T. Septenarii Figuræ T. etiam dividuntur in *tres Ordines.*

1. *Primus Ordo* repræſentat ſeptem Artes minores, quæ ſunt *trivium & quadrivium* ab antiquis Sapientibus & B. Magiſtro noſtro ſic nominatum; ſunt autem hæ ſeptem Artes poſitæ in Arte univerſali tanquam media inſtrumentalia, per quæ potentia rationalis exercet ſuos actus intelligendo in ſuo objecto & ſubjecto, & potentia vegetativa ſimiliter ſuos operando: unde cùm Figura T. ſit medium & inſtrumentum univerſale intelligendi & operandi, hæc ſeptem meritò ſtant ſub illo tanquam particulare ſub ſuo univerſali: porrò dignentur optimè ſibi imprimere Diſcipuli hujus Artis, ne has ſeptem Artes (quas vocant liberales) in eo ſenſu ſumant in Schola Lulliana, quo ſumuntur vulgariter, ſic enim caperent hominem pictum pro homine vero, vel corticem pro nucleo: differentiam harum & illarum multis quidem dedimus *in Revel. Secr. Artis*, quæ præcedit Artem Comp. Tom. 1., ſed ne centeſimam partem exponere licuit ob amplitudinem materiæ; unde & hìc & in ſequentibus nova & ignota veteribus notis addere libet, quæ ſi non ſufficiant, neceſſe eſt, ut Amatores percurrant Opus majus: repetendo itaque paucis, quæ citato loco dicta ſunt de his ſeptem inſtrumentis, dicimus, quòd addendo terminum *naturæ* ſingulis his Artibus habetur primaria acceptio horum ſeptem terminorum vel Artium; v. g. Grammatica naturalis, Logica naturalis, Rhetorica naturalis &c., & poſtponendo eundem terminum *naturæ* ſingulis terminis in tertio ordine locatis, eliciuntur facilè ſeptem definitiones principales; v. g. Grammatica naturalis eſt Ars ſignificandi naturaliter, Logica naturalis eſt Ars demonſtrandi naturaliter, Rhetorica naturalis eſt Ars perſuadendi naturaliter &c.: & quia natura eſt prior Arte, & Ars debet imitari naturam, ideo mutando *naturale* in *artificiale*, & *naturaliter* in *artificialiter* prodibunt totidem artes & definitiones artium, quas ſuprà vocavimus *corticem*, ſicut priores *nucleum.*

Sed quæres, quid eſt Grammatica naturalis? & quid eſt Ars ſignificandi naturaliter? Reſpondeo, quòd eſt Ars, quæ ſignificat principia naturalia totius naturæ creatæ ex ſuis principiatis, & principiata ex ſuis principiis, & connexionem principiorum inter ſe, & principiatorum inter ſe, & horum cum illis, & è converſo: hoc idem applica ad ſex reliquas Artes, & ſcies, quid ſint.

2. *Secundus Ordo* eſt medium inter primum & tertium, & oritur ex primo tanquam ſuo naturali principio, & terminatur & quieſcit in tertio tanquam in ſuo naturali fine; *connexio* enim naturalis inter unum principium & alterum eſt medium, per quod Grammatica naturalis ſignificat unum per alterum; v g. in lapide (de quo ſuprà dedimus exemplum) ſentit *ſenſitiva gravitatem* & *durtiem* & *opacitatem*, & *frigiditatem* & *ſiccitatem*, & *colorem nigrum* vel *album* &c., & *imaginativa* illa omnia imaginatur, & per ſenſitivam & imaginativam intellectus illa intelligit: & quia omnes illæ qualitates ſenſibiles naturales ſunt inter ſe naturaliter connexæ & cum ſuis ſubjectis in uno lapide, & illam connexionem intellectus intelligit ſupra ſenſum & imaginationem, ideo hæ qualitates ſignificant intellectui principia naturalia lapidis accidentalia, & per illa & eorum connexionem cùm principiis ſubſtantialibus ſignificant intellectui principia ſubſtantialia, & unum accidentale per alterum, & unum ſubſtantiale per alterum, & unum ſenſuale per alterum, & unum intellectuale per alterum, & è converſo: nolumus dare exemplum, cùm ſit facile & per ſe clarum; qui autem adhuc cæcutit, legat *Librum de Aſcenſu & Deſcenſu Intellectûs* & *Artem Intellectivam* Doctoris Illuminati.

Eundem modum procedendi ſubaudiat de ſequentibus ſex terminis hujus ſecundi ordinis, ſcilicet de *Neceſſitate*, *Multiplicatione &c.* de quibus plura & clariora dabit ſequens

3. *Tertius Ordo:* hic continet ſeptem primaria & abſolutè neceſſaria inſtrumenta, ſinè quibus Ars generalis ſciendi non poteſt ſubſiſtere nec operari; unde cùm omnium & ſingularum ſit perpetuus uſus in formandis Demonſtrationibus, nec ulla Demonſtratio poſſit eſſe *perfecta*, quin omnes hæ ſeptem formæ demonſtrandi ſimul influant in illam vel explicitè vel implicitè, de ſingulis ſecundùm ordinem clariùs, quantum eſt poſſibile, eſt tractandum.

B. *Significatio*, de qua ſuprà, ſecundùm ordinem eſt prima, hæc enim ſubminiſtrat materiam *Demonſtrationi:* ejus objectum ſunt qualitates, quæ ſunt *quatuor*, ſcilicet *ſenſuales*, *intellectuales*, *eſſentiales*, *accidentales:* ſenſuales ſunt, ût *color*, *odor*, *ſapor*, *ſonus* &c.: intellectuales, ût *fides*, *ſpes*, *charitas*, *cogitatio*, *perceptio*, *conſcientia* &c.: eſſentiales ſunt, ût *bonitas*, *magnitudo*, *duratio* &c., *igneitas*, *aëreitas*, *aqueitas*, *terreitas* &c.: accidentales, ût *bonitas magnitudinis*, *magnitudo bonitatis* in creatura &c., *caliditas*, *frigiditas*, *humiditas*, *ſiccitas*, *levitas*, *gravitas* &c.; harum qualitatum ſubjecta ſunt quatuor, videlicet *efficiens*, *materia*, *forma*, *finis*; quodlibet horum ſubdividitur in quatuor, ſcilicet in *ſenſuale propinquum*, *ſenſuale remotum*, *intellectuale propinquum*, *intellectuale remotum.* Quot ſunt ſpecies qualitatum, tot ſunt ſpecies ſignificationum; nempe ſignificatio ſenſualis, intellectualis, eſſentialis, accidentalis, quæ ulteriùs ſubdividitur in *quatuor*, videlicet in ſignificationem *qualitatis de qualitate*, *qualitatis de ſubſtantia & ſubſtantiæ de qualitate*, *qualitatis de veritate & falſitate*, *qualitatis de ordinatione & inordinatione*; & hoc iterum *quatuor* modis; *mutuò*, *non mutuò*, *unius de pluribus*, *plurium de una*, per *perfectionem*, *defectum*, *eſſe*, *privationem.*

In hoc inſtrumento eſt ſcala, per quam intellectus aſcendit per quinque gradus de ſignificatione ſenſuali inferiori ad ſuperiorem, & de ſignificatione ſenſuali ſuperiori ad intellectualem inferiorem, quæ eſt ſuperior ſenſuali ſuperiori, & de intellectuali inferiori ad intellectualem ſuperiorem, & de hac ad ſupremam; v. g. de accidente ſenſuali ad ſubſtantiam ſenſualem, de ſubſtantia ſenſuali ad accidens intellectuale, de accidente intellectuali ad ſubſtantiam intellectualem, & de hac ad ſubſtantiam intellectualem ſupremam, quæ caret omni accidente: hæc ſcala eſt inexplicabilis utilitatis, quia in illa qualitates creaturarum aſcendendo de gradu in gradum abſtrahuntur à defectu, & appropinquant perfectioni, donec ſignificent perfectionem ſinè

ſinè defectu: unde cùm nulla qualitas ſit in creatura, quæ non ingrediatur hanc ſcalam, nulla poteſt eſſe, quæ non ducat intellectum per ſuam ſignificationem in notitiam ſupremæ Perfectionis: per eosdem gradus deſcendit intellectus à perfectione ad defectum, & à ſuprema perfectione uſque ad nihil, quod convenit cum ſupremo defectu.

In hoc inſtrumento eſt Rota, per quam intellectus girat de una ſignificatione differente in alteram per concordantiam utriuſque, quæ eſt naturalis connexio ambarum.

Quicunque cupit multum proficere in hac prima Claſſe Trivii Sapientum, nec vult quieſcere in ſola *Demonſtratione Speculativa* veritatis naturalis, ſed cupit deſcendere uſque ad *Demonſtrationem practicam* ejusdem, conetur omni ſtudio ſibi familiares reddere Libros arcanæ Philoſophiæ Illuminati Doctoris, *ut primò ſit bene fundatus in naturalibus*; hoc ipſemet Magiſter noſter exigit *parte 13. ſuæ Artis Generalis ultimæ*; non enim firmum conſtruet ædificium ſinè firmo fundamento: nam quia inviſibilia DEI per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ideo intellectualia ſignificantur per ſenſualia, & vera Theologia per veram Philoſophiam: unde Illuminatus Doctor nihil unquam in ſuis Libris Theologicis demonſtrat, cui non applicet parallelas ſignificationes ex ſua vera Philoſophia deſumptas ad normam ipſius ſupremi Magiſtri, qui tam in veteri quàm in novo Teſtamento perpetuò eandem methodum adhibuit, utpote tam doctis quàm indoctis accomodam: in hac palæſtra aliquantum exercitati perluſtrent Volumina Sanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ, præſertim SS. Auguſtini, Gregorii, Ambroſii, Hieronymi, quibus hæc Ars ſignificandi fuit adeò familiaris, ut vix uno paſſu progrediaris, quin in ſimiles ſignificationes incurras, quas, Arte ſemel cognitâ, non ampliùs ût meras congruentias aſpicies, ſed ût veras & propriè dictas Demonſtrationes veneraberis, accedente tamen ſequenti inſtrumento, quod eſt

C. *Demonſtratio*, hæc enim ſemper concurrit cum ſignificatione, aut implicitè aut explicitè, nam quia *connexio* naturalis, quæ eſt fundamentum ſignificationis, ſemper ſecum trahit aliquam ſpeciem *neceſſitatis*, quæ eſt fundamentum demonſtrationis, ſicut ſe habet connexio ad ſignificationem, ſic ſe habet neceſſitas ad demonſtrationem; & alternè, ſicut ſe habet connexio ad neceſſitatem, ſic ſe habet ſignificatio ad demonſtrationem: unde ex multiplicatione ſignificationum roboratur demonſtratio, ſicut ex multiplicatione Demonſtrationum intenditur perſuaſio; ex quo elicies, quòd in Trivio Grammatica ſit principium, Logica medium, & Rhetorica finis.

Recenſebimus hìc maximè neceſſarias & ad praxin facillimè reducibiles ſpecies Demonſtrationis, quæ ſunt *tres*, prima à *minoritate*, ſecunda à *majoritate*, tertia ab *æqualitate*, primam vocant communiter *ab effectu ad cauſam*, ſecundam *à cauſa ad effectum*, tertiam primus invenit & his duabus addidit Doctor Illuminatus, quam nominavit *ab æquiparantia*; de quibus ſingulis infrà in tertio Circulo fuſiùs, ubi illarum Practica monſtrabitur. Habent ſe autem hæ tres ſpecies Demonſtrationis velut tres gradus, nam prima eſt gradus poſitivi, ſecunda comparativi, tertia ſuperlativi.

Item notandum, quòd, quidquid diximus de ſignificatione in præcedenti paragrapho, hoc à proportione debeat intelligi de Demonſtratione & quinque ſequentibus Inſtrumentis; & è converſo, quidquid de his dicemus, ſuo modo applicandum eſt Demonſtrationi & Significationi: unde ne actum agamus, nolumus ſingula repetere, ſed potius in ſingulis Inſtrumentis nova & differentia proponere, ut paucis multa complectamur.

Hi tres Gradus Demonſtrationis habent ſub ſe *quatuor Modos*, quorum *primus* eſt, quando res ſenſualis demonſtrat intellectui rem ſenſualem, ût opacitas terram: *ſecundus*, quando res ſenſualis demonſtrat intellectui rem intellectualem, ût elementum compoſitum elementum ſimplex, figura formam: *tertius*, quando res intellectualis demonſtrat intellectui rem ſenſualem, ût vita motum, theorica practicam, contrarietas elementorum generationem & corruptionem &c.: *quartus*, quando res intellectualis demonſtrat intellectui rem intellectualem, ût bonitas magnitudinem, virtus veritatem, unitas perfectionem, operatio ad extra operationem ad intra &c., Doctor Illum. *Lib. Mir. Dem. in prol. T. 2.*

Ex his quatuor Modis emergunt alii *tres Gradus* Demonſtrationis; primus: *Demonſtratio ſenſualis*; ſecundus: *Demonſtratio intellectualis de re finita*; tertius: *Demonſtratio intellectualis de re infinita*: ſecundus gradus eſt *de majori neceſſitate*, quàm primus, & tertius, quàm ſecundus. Hi tres gradus correſpondent tribus gradibus ſuperioribus, & ſicut primi inſinuant gradus formarum demonſtrandi tantùm, ſic hi tres ultimi oſtendunt gradus formarum & materiarum demonſtrandi ſimul, unde ſunt nobiliores illis. Tres gradus neceſſitatis, qui ſunt connexi cum his tribus gradibus demonſtrationis, exhibet ſequens exemplum: ponatur axioma notum: *totum eſt plus, quàm ſua pars:* huic applicentur in primo gradu duo termini *corruptibile*, *incorruptibile*, & reſultabunt *duæ ſpecies*, ſcilicet quòd totum corruptibile ſit plus, quàm pars corruptibilis, & totum incorruptibile ſit plus, quàm pars incorruptibilis, quia totum incorruptibile eſt plus, quàm totum corruptibile: hoc idem fit in ſecundo & tertio gradu, nam totum intellectuale eſt plus, quàm totum ſenſuale, & totum intellectuale infinitum, quod non habet partes, eſt plus, quàm totum intellectuale & ſenſuale finitum, quod habet partes. „Et quia veritas & demonſtratio meliùs convenient in intellectuali, quàm in ſenſuali, idcirco de„monſtratio intellectualis eſt de majori neceſſitate, „quàm ſenſualis; ſed quia demonſtratio ſenſualis „faciliùs fit, quàm intellectualis, per hoc, quia „fit ipſis ſenſibus ſenſualibus ſinè medio, & de„monſtratio intellectualis fit cum majori obſcuritate, per hoc, quia tranſit per media, hoc eſt, per „res ſenſuales, ideo videtur in phantaſia, quòd de„monſtratio ſenſualis ſit de majori neceſſitate, „quàm intellectualis: *& ideo homines, qui non habent ſubtilem intellectum, magis amant demonſtrationes, quæ ſiunt de una ſenſualitate cum altera, quàm quæ ſiunt de una intellectualitate cum altera; & ideo faciliùs poſſunt decipi, quàm illi, qui magis amant demonſtrationes intellectuales; qui non eſſent magis certificati, quàm amatores demonſtrationum ſenſualium, ſi demonſtrationes ſenſuales eſſent de tam magna neceſſitate, ſicut intellectuales*, Doctor Illum. Lib. 2. Mir. Dem. cap. 13. Tom. 2.

Ridebunt forſan Geometriæ periti, legentes, quòd totum incorruptibile ſit plus, quàm totum corruptibile, & dicent, quid facit *to* eſſe corruptibile vel incorruptibile ad eſſe plus vel minùs? nun-

quid si habuero decem nummos aureos, habebo plus in numero, quàm si habuero decem nummos cupreos vel argenteos, per hoc, quia cuprum & argentum sunt magis corruptibilia, quàm aurum? Respondeo, objicientes cum sua phantasia hærere in Arithmetica & Geometria sensuali imaginativa & particulari, hanc priùs exuant, ut possint ascendere ad Arithmeticam & Geometriam intellectualem & universalem, tunc percipient solutionem suæ objectionis; quod illis eò fortiùs inculco, quia in omnibus eorum libris expertus sum, illos sensui & imaginationi tam naturâ quàm consuetudine adeò tenaciter agglutinatos, quòd etiam de *infinito* agentes illa nequeant deponere, unde tanta & tam multiplicia absurda proveniunt, scilicet, quòd infinitum nesciant sibi aliter præfigurare, nisi in re creatâ, sensui & imaginationi subdita, illudque contra suam naturam faciant servire suis indivisibilibus punctis, lineis, superficiebus, numeris &c.; à quibus omnibus creaturam comitantibus Geometria & Arithmetica infinitorum penitus abhorret: legant Condiscipuli *cap. 28. Lib. 2. Miran. Demonstrat.*, qui habetur *Tom. 2.*, quod huic paragrapho lucem dabit.

Ratio, quare multis Demonstrationes Lullianæ non videantur tales, inter alias hæc non est minima, quia magis attendunt ad evidentiam sensualem & imaginabilem & ad facilitatē, quàm ad necessitatem & certitudinem intellectualem; unde illis accidit, quod homini assueto semper ambulare in planitie: *nam sicut, quando ascendit in altum montem, fortiùs defatigatur, quàm quando ascendit in colles, qui sunt depressi, sic intellectus gravius recipit demonstrationes, quæ fiunt de rebus infinitis, quàm illas, quæ fiunt de rebus finitis: & ideo in Phantasia videtur, quòd intellectus non tantum intelligat, nec de tam magna necessitate, in demonstratione, quæ fit per tertium gradum, in quo plus intelligit, quam per demonstrationem, quæ fit per primum & per secundum, in quibus tantum non intelligit; quia si in illis tantum intelligeret, sequeretur, quòd tertius gradus non daret majorem & magis necessariam demonstrationem, quàm primus & secundus.*

D. *Persuasio* est centrum Rhetoricæ, ad quod omnes Significationes Grammaticæ, & omnes Demonstrationes Logicæ confluunt tanquam omnes lineæ in circulo ad centrum; unde sicut in foco speculi caustici vel vitri ustorii radii solis multiplicant & intendunt virtutem & actionem comburendi, sic in hoc centro Rhetoricæ significationes & demonstrationes multiplicant & intendunt virtutem & actionem persuadendi.

Est porrò aliud centrum Rhetoricæ, quod vocatur Metaphora, & est principium, ex quo sequitur superiùs dictum tanquam finis; hujus centri usus est valde mirabilis & utilis; nam necessaria connexio, quam omnes radii habent in illo, format tantam universalitatem in visu intellectuali, quantam in nulla alia duarum præcedentium Artium particulariter sumptâ licet invenire, hæc enim Ars Rhetoricæ non solùm multiplicat significationes & demonstrationes reliquarum duarum per sibi appropriatas formas specificas illarum existentes extra se, hoc est, extra Rhetoricam, quas formas specificas suprà enumeravimus, sed etiam per suas proprias formas specificas (quas postea referemus) simul unitas cum appropriatis: ex quo provenit, quòd dictus visus intellectualis in Magistro & Doctore hujus Artis residens in centro Rhetoricæ uno intuitu fertur in omnes radios quaversum ad circumferentiam excurrentes: hoc clarè monstrat Doctor Illum. *in Introd. cap. 29. n. 2. & n. 12., & cap. 33. n. 4., & cap. 34. n. 1. & 2., & cap. 35. n. 7. & 8., & cap. 37. circa finem.* Item *in Arte Dem. Dist. 1. de secun. Fig. elem. n. 1. f. 6.* Item *in Lib. Propos. Art. Dem. Dist. 1, p. 9. de Fig. elem* §. *Sicut prædictum est f. 7. Tom. 3.* Item *in Lib. Princ. Med. Dist. 1. cap. 5.* §. *de Metaph. &* §. *Præterea, &* §. *Unde de gradu f. 5. & 6. & ibid. Dist. 10. per totum, Tom. 1.* & alibi pluries.

Ex dicto secundo usu facilè eruitur tertius, qui est motus potentiæ visivæ intellectualis de differentia cujuslibet radii ad alium per concordantiam hujus centri, h. e. de qualibet Scientia in quamlibet, & de quolibet particulari unius Scientiæ in quodlibet alterius, & de quolibet particulari unius Scientiæ ad quodlibet ejusdem, quod adversariis hujus Scientiæ semper visum est impossibile.

Forma universalis Rhetoricæ, quam suprà in secundo usu Metaphoram diximus, dividitur in alias *quatuor* particulares, quæ sunt *sensus literalis, tropologicus, allegoricus & anagogicus*; hi quatuor sensus non sumuntur in acceptione vulgari, sed respondent gradibus in Grammatica & Rhetorica descriptis, nam Significationes & Metaphoræ ferè semper pari passu ambulant, & in una eadem scala simul ascendunt & descendunt: ne autem memoriâ excidat, quod statim in introitu Trivii & Quadrivii signanter fuit expressum, reitero, primam & principalem intentionem Rhetoricæ Lullianæ versari circa metaphoram naturalem, hæc enim ingreditur formam demonstrandi, nempe *necessitatem*, metaphora verò artificialis non, nisi in quantum assimilatur naturali, vel fit secundùm eandem proportionem: unde esset ridicula argumentatio fundata super metaphoram, si diceres: *prata rident, sed risus est proprietas hominis, ergò prata habent proprietatem hominis:* sed sequens metaphora fundat veram demonstrationem: *pœna, quam parvuli naturaliter sentiunt in suo corpore, est metaphora, quæ intellectui humano significat & demonstrat peccatum originale:* item sequens: *major duratio in lapidibus & metallis, quàm in homine*, hoc idem significat & demonstrat: ex his & similibus metaphoris naturalibus facilè fiunt syllogismi demonstrativi in forma legitima, quam infrà in tertio circulo dabimus.

Scripsit Illuminatus Doctor integra Volumina & Tractatus, qui pleni sunt demonstrationibus in metaphora fundatis, tales sunt *Liber Felix* sive *de Mirabilibus Orbis*, *Blanquerna Magnus*, *Arbor Exemplificalis*, *Liber Proverbiorum* &c.: hæc methodus scribendi est propria antiquorum Sapientum, sub hac enim commodissimè potuerunt occultare sua Arcana indignis, ignorantibus Artem Rhetoricæ naturalis; imò ipsa Sacra Scriptura nonnè plena est his quatuor sensibus sub metaphora conclusis? *non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas*, Deut. 25. v. 4. *nunquid de bobus cura est DEO?* ait Apost. 1. Cor. 9. v. 9. *an propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt*, v. 10. & seq.; quis autem sub hac litera hanc metaphoram quæsisset, nisi Apostolo revelante? cui quantum fuerit nota hæc Rhetorica, in ipsius excellentissima forma demonstrandi per metaphoram suo loco & tempore patebit, quando *Logicam Christi & Sanctorum*, DEO gratiam largiente, in lucem dabimus, adducendo Demonstrationes & Argumenta ex Epistolis D. Pauli petita, quæ docebimus per Analysin reducere ad Principia Artis Lullianæ, & per Synthesin ex illis elicere.

No-

Notandum denique, quòd Sapientes *tribus diversis Modis* usi sint Metaphorâ in suis Libris; aut enim posuerunt literam explicitè, & metaphoram implicitè (ût patuit suprà de bove triturante) aut metaphoram explicitè, & literam implicitè (ût passim *in Arbore Exemplificali*, quæ habetur in *Arbore Scientiarum* Doctoris Illum.): Solutio horum duorum modorum est difficilis, & sinè Arte vix non impossibilis: aut utramque explicitè: & sicut solutio hujus modi per se patet, sic Sanctis Patribus fuit regula investigandi & inveniendi solutionem reliquorum duorum: videatur de hoc tertio modo pulcherrimum exemplum, quod dat S. Gregorius Hom. 15. in Ev. in cap. 8. Lucæ Domin. Sexag. ubi ait, quòd illam metaphoram de seminante semen suum *idem Dominus per semet ipsum dignatus sit exponere, ut sciamus rerum significationes quærere in iis etiam, quæ per semet ipsum noluit explanare.*

E. *Æquatio* est instrumentum & principium valde nobile demonstrandi, nam sicut persuasio in Rhetorica est centrum, ad quod omnes Demonstrationes reducuntur, sic Æquatio in Arithmetica Lulliana est centrum, ad quod omnes demonstrationes ultimatò necessariò reducuntur, nulla enim demonstratio potest attingere finem suæ perfectionis, nisi per æquationem; & hoc verificatur tam in Scientia Universali, quàm in singulis Scientiis particularibus: unde quemadmodum in Geometria omne theorema solvitur per æquationem, scilicet tamdiu æquando inæqualia, donec resultet æqualitas, quæ cognita revelat postea inæqualia ignota primò assumpta, sic in hac Arte Universali solvitur quælibet quæstio per æquationem, scilicet terminos in quæstione contentos tamdiu comparando cum uno vel pluribus principiis hujus Artis æqualibus, donec prodeat terminorum primo assumptorum æqualitas.

Multùm sanè excellit hæc Æquatio universalis illam particularem suprà dictam, *primò*, quia hæc illam geometricam & omnes aliarum Scientiarum hactenus ignotas includit, & non è converso: *secundò*, quia hæc ratione summitatis suorum principiorum & modi operandi tribuit illis omnem certitudinem, & non recipit ab illis.

Dividitur verò in *duas species*, quarum prima est *Æquatio per necessarium*, & fit, quando duo æqualia comparantur ad idem vel ad æqualia; per talem æquationem semper demonstratur *veritas*: secunda est *Æquatio per impossibile*, & fit, quando duo inæqualia comparantur ad idem vel ad æqualia; per talem æquationem semper demonstratur *falsitas*.

His duabus speciebus serviunt *quatuor* aliæ velut instrumenta illarum, quæ sunt *additio, subtractio, multiplicatio, divisio:* & quia Principia universalissima hujus Artis sunt *Esse* & *Privatio*, ad quæ reducuntur omnia alia Principia Artis, ût *perfectio, defectus, bonitas, malitia, virtus, vitium &c., concordantia, contrarietas, majoritas, minoritas, affirmatio, negatio &c.*, ideo omnes dictæ quatuor species exercent suos actus in duabus sequentibus, scilicet in *positione* & *privatione*, quæ à Geometris exprimuntur per hæc signa †. —.

Per sex antedicta Principia peragitur tota Practica hujus Artis, tam realis, quàm intentionalis, tam naturalis, quàm artificialis; hæc enim Principia subministrant *Regulas* infallibiles operandi, quas infrà in primo circulo ponemus: unde qui in Analytica & Synthetica naturali & in Philosophia reali Doctoris Illuminati desiderant demonstrationes non tantùm intellectuales, sed etiam sensuales, addiscant hæc dicta sex *Principia naturalia* non nominetenus, sed realiter, tam theoricæ quàm practicæ, & hanc lectionem toties repetant, donec illam perfectè assequantur; nec sinant se vinci suâ ignaviâ, si uno vel altero anno patiantur repulsam: multùm delectat Geometras æquatio elementorum Geometriæ, nec terret illos ingens labor multorum annorum, quem uni Theoremati enodando quandoque frustra impendunt, & vos arcanæ Philosophiæ Candidatos non delectet æquatio elementorum Physicæ? quæ vos creat Doctores & Magistros non nominales tantùm, sed reales, verbo & opere potentes, veros Artifices, legitimos naturæ Discipulos, & propriæ fortunæ arbitros, quæ ideò à multis quæritur, à paucis invenitur, quia illa paucos invenit, qui illam multùm & dignè quærant.

F. *Compositio* est terminus communiter usurpatus à Musurgis, hic autem sumitur ût transcendens, sicut cæteri antecedentes; compositio hoc modo accepta est naturalis quædam combinatio Principiorum universalium in scala Artis universalis positorum secundùm regulas & leges Artis componendi ad producendam concordantiam vel harmoniam veritatis: concordantia vel harmonia habet duplicem significationem; *generalem*; & sic significat ipsum finem Compositionis, scilicet harmoniam, quæ intenditur per Compositionem, ex variis principiis inter se concordantibus & contrariis compositam, sicut harmonia in Musica componitur ex variis consonantiis & dissonantiis: *specialem*; & sic significat ipsa principia, quæ tendunt per medium ad dictum finem; hæc autem concordantia cum contrarietate secundùm suprà dictas regulas combinata producit concordantiam illam generalem, quam sibi Musurgus ab initio præfixit tanquam suum finem.

Hæc Compositio dividitur in *simplicem & compositam: simplex* est illa, quâ simplicia & universalia Principia in primo & simplici determinato numero componuntur, ac per motum naturalem simplicem in Scala moventur *sursum & deorsum*, vel in Rota moventur *circulariter:* hæc compositio simplex subdividitur in *perfectam & imperfectam*: *perfecta* est illa, in qua omnia principia, *imperfecta*, in qua aliqua & ad minus duo ingrediuntur compositionem.

Sed quæres *primò*, quot numero principia debeant concurrere ad perfectam compositionem simplicem? Respondeo, *quatuor*, nec pauciora, nec plura; quod sic probatur, quia natura suum opus perfectum simplex necessariò peragit cum quatuor principiis simplicibus naturalibus, h. e. elementis: unde cùm Ars debeat imitari naturam, & modus intelligendi modum operandi, tot debent esse principia in modo intelligendi, quot in modo operandi; quod ex Illum. Doctore satis probavi *in Revel. Secret. Art. Tom. 1.*, & hoc significant quatuor species in Figura S., quæ sunt E. I. N. R., quæ respondent quatuor elementis in Figura Elementali

Quæres *secundò*, cur numerus ternarius non assumatur pro primo numero Compositionis perfectæ simplicis, cùm sit magis perfectus, quàm quaternarius? Respondeo, quia numerus quaternarius est numerus proprius creaturæ, & numerus ternarius est numerus proprius DEI; unde cùm numerus quaternarius necessariò sit constitutus ex differentia, concordantia, contrarietate & inæqua-

litate, numerus verò ternarius ex differentia, concordantia & æqualitate sinè contrarietate & inæqualitate, ideo numerus quaternarius est numerus motûs,& ternarius numerus quietis; & ideo quaternarius naturaliter movetur ad ternarium, ût creatura ad DEUM, in quo quiescit, & non ampliùs movetur; & hoc mirificè demonstrat Doctor Illum. *in Lib. 3. Mir. Dem. cap. 46. n. 3. fol. 56. Tom. 2.*

Composita est illa, quæ constituitur ex pluribus simplicibus tam perfectis quàm imperfectis, ût ad sensum patet in toto Libro 5. Contemplationis, ex quo duo exempla mutuavi, quæ habentur *cap. 5. Revel. Secret. Art. Tom. 1.*: utramque in tribus sequentibus circulis exhibebimus, quarum innumera exempla per totum Tomum 1 & 2. magni Operis tam theoricè quàm practicè proponuntur.

G. *Comparatio* est principium necessarium in Arte demonstrandi, quia sinè illo nulla demonstratio est perfecta, sicut nec sinè *Proportione*, quæ est fundamentum Comparationis; per Comparationem enim & Proportionem Artifex inquirit *majoritatem & minoritatem finis*, per quam determinatur conclusio in omni demonstratione: est autem Majoritas finis id, quod est melius, & quod oportet necessariò esse melius, & consistit *duobus Modis*, scilicet secundùm Proportionem & secundùm Comparationem.

Majoritas finis secundùm *Proportionem* est id, quod est *prima Intentio*, ad quam quælibet res ordinatur, & ad quam quælibet res naturaliter tendit; & est etiam *secunda Intentio* directa ad primam: Minoritas finis secundùm *Proportionem* est deviatio prædictæ ordinationis in Proportione.

Majoritas finis secundùm *Comparationem* est prima Intentio cujuslibet rei: Minoritas finis secundùm *Comparationem* est secunda Intentio se habens ad primam: ex quo patet differentia, quæ est inter majoritatem finis in Proportione, & inter majoritatem finis in Comparatione.

Sed quia imperito in hac Scientia majoritas finis multoties est in apparentia, & non in existentia, & è converso, ideo advertandam apparentiam sine existentia in majoritate finis recipiat contrarium hujus, quod conclusit in majoritate finis, & discurrat cum eo per Regulas, Definitiones & Conditiones; & si non potest stare in majoritate finis, sed in minoritate, verè conclusum fuit in majoritate finis; si autem stat in majoritate finis per ipsas, falsè conclusum fuit in majoritate finis ratione alicujus apparentiæ contrariantis ipsi existentiæ; quare necessario oppositum contradictorie concludendum est in majoritate finis: vid. Doct. Illum. in Art. Comp. Modo 8. 9. 10. 15. & 16. Tom. 1. Item *in Arte Invent. Dist. 3. Reg. 9. Tom. 4.*, ubi fusè explicat hanc materiam adducendo exempla.

Sed quia loco citato Doctor Illuminatus primariò agit de majoritate finis, & non de Proportione & Comparatione, & cùm hæc duo Principia sint *Bases formarum demonstrandi*, paulò ampliùs illa elucidabo, quantum necessitas exigit, & compendium permittit, dando definitiones utriusque, & dividendo utramque in suas species.

Proportio est naturalis & ordinata habitudo unius ad alterum, *vel* est principium naturale proportionandi: prima Definitio exponit suam essentiam, secunda suum actum; dicitur *naturalis* habitudo, ut distinguatur à proportione mathematica vel geometrica vulgari, quæ est *artificialis*; & quamvis multoties hæc posterior involvat priorem, non tamen quâ talis à Geometris cognoscitur & applicatur.

Dicitur *ordinata*, quia omnis inordinata habitudo, quæ est in natura, non est secundùm proportionem naturalem, sed contra naturam, quamvis natura universalis creata componatur ex naturis particularibus ordinatis & inordinatis, sicut suprà dictum est de consonantia & dissonantia in Musica: hìc verò indigemus proportione ût uno ex septem particularibus instrumentis ad dirigendas formas particulares Demonstrationum, licet sit universale respectu suorum particularium.

Dividitur in Proportionem *arithmeticam* & *geometricam*, vel in Proportionem *æqualitatis* & *majoritatis* & *minoritatis*. *Proportio arithmetica* est illa, in qua prima & simplicia Principia se habent ad invicem, sicut puncta in circumferentia circuli; talia sunt, quæ ponuntur in Figura A., & omnia alia, quæ collocantur in circulis inferioribus ab hoc supremo circulo productis, sive sint principia sive principiata.

Proportio geometrica est illa, in qua prima & simplicia principia se habent ad invicem, sicut puncta in radio vel semidiametro circuli; talia sunt, quæ ponuntur in Figura T., & omnia alia, quæ situantur in radiis inferioribus ab hoc radio supremo productis, sive sint principia, sive principiata.

Habent insuper hæ duæ Proportiones necessariam & essentialem connexionem ad invicem, & principia unius cum principiis alterius, & motus principiorum unius cum motu principiorum alterius, quam connexionem Doctor Illum. sat clarè detexit per Figuram tertiam ex prima & secunda compositam *in Arte Generali ultima:* unde Figuram, in qua formatur Proportio arithmetica, vocavi *Rotam* in Revel. Secret. Art. Tom. 1., & Figuram, in qua formatur Proportio geometrica, nominavi *Scalam*; quia sicut in priori Natura & Intellectus moventur in orbem, sic in posteriori ascendunt & descendunt: & quia hæ duæ Figuræ A. & T. comprehendunt omnia, quæ possunt cadere in humanum intellectum (quia continent DEUM & Creaturam & Opus utriusque) & omnia principia, quæ in his duabus Figuris sunt posita, & omnia alia ad hæc reducibilia, necessariò incidunt in unam harum duarum proportionum, vel utramque, manifestum est, quòd omne argumentum & omnis demonstratio ex his principiis elicita fiat semper à proportione; & cùm methodus argumentandi à proportione sit verè & propriè demonstrativa, utpote geometrica, multò magis hæc Methodus Universalis Lulliana erit verè & propriè demonstrativa, quia est à proportione naturali inexistenti ipsis Principiis naturaliter & necessariò, imò ipsis supremis Principiis summè naturaliter & summè necessariò; hinc magis necessaria est hæc Demonstratio: *sicut se habet ens finitum per distinctionem finitam ad suam operationem finitam, sic se habet Ens infinitum per distinctionem infinitam ad suam Operationem infinitam*, quam hæc: sicut se habent 2. ad 4., sic se habent 3. ad 6.: & hæc est magis necessaria: *sicut se habet forma particularis ad materiam particularem, sic se habet forma universalis ad materiam universalem*, quàm hæc: sicut se habet totum ad suas partes, sic se habet duplum totius ad duplum suarum partium. (Cogor dare exempla vulgaria, ut ab omnibus etiam Geometriæ ignaris intelligantur, quibus hæc Ars debet esse communis) si enim prima demonstratio esset falsa, scilicet, quòd Ens infinitum per distinctionem infinitam non haberet operationem infinitam, cessaret omnis realis relatio & proportio infe-

rior creaturæ, quia cessaret omnis realis relatio & proportio suprema DEI, quæ est causa & principium inferioris; hinc 2. ad 4. nullo modo se haberent ût 3. ad 6.: iterum, si materia prima vel universalis esset sinè forma universali, esset *positio* relationis inter materias particulares & materiam universalem, & esset *privatio* relationis inter formas particulares & formam universalem, & sic destrueretur totum universum creatum corporeum & omnes partes illius, & per consequens cessaret omnis realis relatio & proportio totius ad partes, & dupli totius ad duplum partium.

Notandum hìc singulare occurrit, quod multiplici experientiâ comprobavi, nimirum argumenta à proportione facta, quamvis sint omnium fortissima & maximè stringentia, plerumque ab aliquibus ore rotundo negari, sed imprudenter, ne dicam impudenter; hoc autem inde provenit, quia similes literati aut non sunt fundati in naturalibus, aut sunt omninò rudes in Disciplinis mathematicis; unde ignorantes, quid sit proportio, vel quid sit proportionatum, quando urgentur argumento à proportione, cui nequeunt satisfacere, facilè se expedire putant, negando *paritatem* (sic enim alterum membrum analogiæ intitulant) quòd si argumentans non acquiescat, provocans ad proportionem, illum risu explodunt; hoc idem agunt illorum Discipuli arridentes suis Magistris; & sic clauditur argumentum per animal magis risibile, quàm rationale: unde iterum atque iterum rogo Viros doctos, præsertim Ecclesiasticos & Religiosos, ut magis intendant Gloriæ DEI & Veritatis, nam DEUS est veritas, quàm suæ propriæ falsæ gloriæ & honori, nec erubescant discere, quod ignorant. Nonnè dolendum est, jam per tot sæcula in rebus etiam infimis & in omnibus studiis, quæ Fidei regulâ non ligantur, nos adeò dubiis & discrepantibus sententiis invicem litigare, ut ne hoc quidem sit nobis certum & indubium, an Logica sit purè speculativa vel practica vel utrumque: sed en commune effugium, has disceptationes esse perutiles & necessarias (ajunt) ad exercenda & acuenda ingenia; egregiè quidem, quasi verò cultri acies redderetur valde acuta, si tamdiu in cote sursum & deorsum duceretur, donec in fine nil omninò scinderet: etiam in Schola Lulliana non deest materia acuendi ingenia per argumenta opposita, ût videre est *in Commento super Art. Dem. ejusque Dist. 3. usque ad finem Tom. 3.*, item *in Lib. Quæst. super quatuor Lib. Sent. Petri Lomb.*: item in Libris, quos scripsit contra Saracenos & Averroistas & pluribus aliis; sed in fine argumenta contraria tali modo resolvuntur, ut Discipuli sint certi de conclusione, quid nempe tenendum sit tanquam verum & demonstratum.

Quapropter cùm neminem fore arbitrer, qui negare ausit, totam naturam creatam & omnes partes illius, cùm sit opus DEI, esse proportionatam, utpote conditam in numero, pondere & mensura, totam quæstionem in eo versari æstimo, ut nobis constet Ars & infallibilis regula inveniendi proportiones rerum; quæ Ars est hæc ipsa Doctoris Illum., nam hæc per sua septem Instrumenta, Figuras, Regulas, Definitiones & Conditiones omnia investigat, invenit & demonstrat; quod, quâ ratione fiat, inferiùs per exempla in practica deducetur: hoc solum hìc in antecessum adverto, quòd tota natura corporea sensualis à DEO fabricata ex nihilo sit constituta in una quadam linea seu semidiametro vel Radio diviso in meras partes geometricè proportionales, cujus radii duæ extremitates sunt *nihil* & *DEUS*, h. e. summum *privativum* & summum *positivum*; hunc radium vocavi *Scalam*, in qua tot sunt gradus, quot sunt differentiæ creaturarum secundùm sub & supra; qui tamen gradus adhuc dividuntur in simplices & compositos, sicut in Scala musica simplicia intervalla, quæ vocantur commata, distinguuntur ab intervallis compositis, quæ intervalla composita formant Scalam musicam *ex septem gradibus* constituram, quâ Musurgi immediatè utuntur tam in pulsando organo, quàm in componenda harmonia, assumendo *quatuor sonos simplices* & *tres concordantias*, quibus in dicta Scala ascendunt & descendunt & moventur in circulum, & sic producunt omnia sua particularia: sic, & non aliter, secundùm omnem supradictam proportionem, exactè facit natura in suo opere, quam humanus intellectus intuens imitatur & imitari debet in suo, de quo plura *in Revelatione Secret. Artis Tom. 1.*

Et quia homo, cùm sit pars universi, etiam est positus in hac linea vel scala, secundùm se totum, & secundùm omnes suas partes, quæ sunt tot gradus, qui gradus *ad intrà* respondent totidem gradibus *ad extrà*, ideo habet principia intrinseca innata & proportionata, quibus potest cognoscere & demonstrare principia extrinseca rerum naturalium; quæ principia extrinseca sunt suprà recensita in Systemate Figuræ S., scil. *Elementativa, Vegetativa, Sensitiva, Imaginativa, Intellectiva &c.*; horum verò principiorum situs secundùm sub & supra causat in homine *puncta transcendentia*, quæ sunt adeò necessaria ad omnem scientiam, quòd sinè illis nulla vera scientia potest subsistere; quorum doctrina cùm sit nimis ampla, eam hoc compendio non possum claudere, sed compellor Lectorem remittere vel ad Tomum 1. de Revel. Secret. Art., vel ad Tom. 4. sequentem ejusque Artem Inventivam, in cujus Dist. 3. Reg. 8. Arcana illorum mirificè revelantur: Definitionem illorum saltem hìc non omittam, ut sciant Artis Filii, quid sint.

Igitur *Punctus transcendens est excessus, quem una potentiarum hominis habet supra aliam, aut aliquando supra se ipsam* (ût intellectus intelligens, se naturaliter non posse attingere supernaturalia & infinitum, cùm ipse sit finitus, ideo habituat se de Fide) quia hæ potentiæ, cùm sint unitæ & inæquales, confluentes ad idem objectum, inæqualiter attingunt realitatem ejus: unde cùm potentia inferior non possit attingere ultrà suos terminos, naturaliter negat, quod superior ratione sui excessûs naturaliter affirmat; ideo convenit, quòd, quamvis intellectus ratione unionis, quam habet cum inferioribus potentiis, naturaliter inclinetur ad negandum vel affirmandum ea, quæ suæ inferiores potentiæ negant vel affirmant; excessus tamen, quem habet super illas, illum compellit multoties negare, quod affirmant, vel affirmare, quod negant, ût dicto loco per centena exempla confirmat Doctor Illum.

Quàm multis erroribus sit obnoxius humanus intellectus ob defectum notitiæ horum punctorum transcendentium, non est, quòd singillatim enarrem adducendò exempla; faciant sibi Condiscipuli notam hanc Doctrinam de Punctis transcendentibus, postea perlustrent Libros eorum, quibus defuit hæc notitia, &, quod dixi, nimis verum invenient: tota Philosophia Cartesiana meritò par-

tus ignorantiæ Punctorum transcendentium nominari potest, quia vix unquam transcendit Imaginativam.

Comparatio est finis Proportionis, nam est naturalis & ordinata relatio illius habitudinis, quam unum habet ad alterum, vel est principium naturale comparandi; per hoc enim, quòd natura proportionavit unum ad alterum, h. e. reddidit aptum & habile ad alterum, comparat hoc ad illud per actionem & passionem essentialem & accidentalem mediante Figurâ T. & S., scilicet per triangulos & quadrangulos naturales: unde hoc ipsum facit intellectus conjunctus artificialiter secundùm eandem proportionem.

Comparatio dividitur in *duas species*, videlicet in eam, quæ fit secundùm proportionem arithmeticam, & in eam, quæ fit secundùm proportionem geometricam; *prima* est inter Principia in Circulo Figuræ A. posita, videlicet inter bonitatem, magnitudinem, durationem &c., & inter bonum, magnum, durans &c., & inter *tivum*, *bile* & *are* suprema; *secunda* est inter Principia in Radio Figuræ T. locata, videlicet inter bonitatem sensualem, animalem, intellectualem, & sic de cæteris dignitatibus, & inter illorum concreta, & inter differentiam, concordantiam, contrarietatem, principium, medium, finem, majoritatem, æqualitatem, minoritatem &c. horum Principiorum; præsertim verò inter *positivum*, *comparativum* & *superlativum* illorum, qui propriè pertinet ad Comparationem, & ostendit gradus in scala geometrica: plerumque hæ duæ species simul concurrunt, v. g. *sicut se habet sensitivum ad sensibile*, *sic intellectivum ad intelligibile*; vel sic: *sicut se habet bonificativum ad bonificabile*, *sic se habet majus bonificativum ad majus bonificabile &c.*

H. *Circulatio* est motus in circulo de principio per medium ad finem, qui est ipsum principium, vel, circulatio est forma circulandi; & quia in hac Arte Circulatio est principium universale naturale, quod est forma universalis naturalis omnibus aliis circulationibus particularibus naturalibus, & omnibus circulationibus universalibus & particularibus artificialibus & intentionalibus, ideo hoc loco de hac universali & naturali primò agendum erit; nam ex cognitione hujus facilè acquiretur cognitio aliarum, mutando tantùm terminos generales in speciales, *secundum Artem conversionis Definitionum*, quæ infrà sequetur.

Cùm hoc principium circulationis sit septimum & ultimum Instrumentum Naturæ & Artis, meritò sex reliqua finem suæ perfectionis in illo consequuntur; nam sicut natura & ars per motum ascensûs & descensûs, rarefactionis & condensationis, ingrossationis & subtiliationis materiam & formam omnium suarum virtutum tamdiu præparat & proportionat, donec comparando unam cum altera reddat habiles, ut per circulationem ex multis discretis & inter se distinctis faciat unam continuam, & ex multis remissis unam intensam, & ex multis particularibus unam universalem, sic intellectus in suo opere imitando opus naturæ & Artis per sex præcedentia instrumenta suas Virtutes, Dignitates, Formas (sic Doctor Illum. vocat suaPrincipia universalia) per motum ascensûs & descensûs in scala intellectuali tamdiu præparat & proportionat, donec majoritatem & minoritatem materiæ & formæ harum Virtutum vel Dignitatum comparando ad invicem reducat ad æqualitatem aptam circulationi intellectuali, ut ex multis discretis & inter se distinctis veritatibus & demonstrationibus faciat unam continuam, & ex multis remissis unam intensam, & ex multis particularibus unam universalem.

Secundùm quòd sunt in hac Arte Universali *tres Circuli universales*, sunt etiam *tres Circulationes universales*, quarum

Prima est magna, & est *Circulatio Principiorum* & Definitionum illarum: cùm enim Principia hujus Artis sint summa, simplicissima & perfectissima, necessariò inter se identificantur, unde ratione suæ identitatis quodlibet necessariò essentialiter connectitur cum altero, & ratione hujus necessariæ *connexionis* intellectus ex cognitione unius necessariò movetur ad cognitionem alterius per mutuam utriusque *Significationem*, & *necessitas* connexionis dat mutuam utriusque *Demonstrationem*, quæ per motum à principio ad medium & à medio ad finem continuata & *multiplicata* producit *persuasionem*: manifestum est autem, hunc motum fieri non posse sinè *circulatione*, & hanc sinè *æquatione*, *compositione* vel concordantia & *comparatione* ac *proportione*, quemadmodum infrà in primo Circulo per experimentum patebit.

In hac prima Circulatione detegitur Modus universalis demonstrandi quamcunque veritatem particularem *per Principia universalia & Definitiones eorum*; in hac quoque Circulatione fundatur sequens secunda tanquam particulare in suo universali; unde hæc prima se habet per modum *Alphabeti rationalis & naturalis*, in quo se primò diligenter exerceant, qui in secunda & tertia Circulatione profectum desiderant: nam sicut parvuli negligentes sibi firmiter imprimere formas literarum nunquam erunt expediti in formandis syllabis, sic parvuli in Schola Lulliana negligentes vel incurii in comparanda exquisita notitia harum literarum universalium rationalium & modi circulandi per ipsas nunquam erunt prompti ad formandas syllabas universales rationales in sequenti Circulo.

Hoc monitum iis singulariter præbeo, qui in Palæstra aliarũ Scientiarum jam exercitati ad hanc divertunt, curiositate novitatis allecti vel spe magni progressûs in scientia modico tempore faciendi, cui nimiùm inhiantes velociter percurrunt Principia Artis, illísque non bene ruminatis ad colligendos fructus immaturos properant, quos dum non statim sibi cernunt obvios, nauseâ moventur, & desipit ipsis hoc simplex manna semper idem, maluntque remeare in Ægyptum, quàm pede firmo emetiri hoc desertum mollibus plantis invium, quod illos rectà perduceret ad terram lacte & melle manantem.

Secunda est major, & est *Circulatio Conditionum*, quæ formantur ex Principiis & Definitionibus Principiorum.

In hac secunda Circulatione revelatur modus universalis demonstrandi quamlibet veritatem particularem per dictas Conditiones vel Maximas fundatas in primis universalissimis Principiis: ex hac Circulatione constituitur sequens tertia: unde hæc secunda est composita ex *meris syllabis rationalibus & naturalibus*; & quia est major numerus syllabarum quàm literarum, hic Circulus magnitudine primum longè superat; & sicut primus per unum modum est magis universalis, quàm hic secundus, quia sub paucis Principiis omnia comprehendit implicitè, sic hic secundus per alterum modum est magis universalis, quàm primus, quia sub multis Principiis ad pauca reducibilibus omnia comprehendit explicitè; hic igitur Circulus est medium extremitatum primi & tertii, & est medium conjunctionis utriusque; per hunc paulatim disponitur intellectui via ad potissimum modum demonstrandi: habet tamen hic secundus Circulus suum proprium modum demonstrandi per Conditiones simplices, sicut primus per Principia simplicia.

Quapropter sciant Amatores veritatis, quòd, quantum quisque profecerit in hoc secundo Circulo, tantum infallibiliter inveniet se dispositum ad tertium, nec plus nec minus; nam sicut parvuli in syllabizando palpitantes nunquam expriment verba, prout decet, sic in hoc Circulo cespitantes nunquam assequentur perfectam lecturam verborum rationalium, volo dicere, Demonstrationum: ne itaque molestum accidat Filiis Artis hic moram trahere, nam tædium, quod paucis diebus vel septimanis (pro cujusvis nempe capacitate & industria) ipsis in hoc exercitio est perferendum, centena & millena delectatio compensabit; quid enim magis delectabile, quàm exiguo hoc labore sibi comparare tantum & tam facilem habitum expeditè demonstrandi in omni materia per hæc Principia universalia, quantum habitum legendi in omni libro sibi comparant pueri per 24. literas alphabeti.

Tertia est maxima, & est Circulatio Demonstrationum ex Principiis & Conditionibus resultantium; est autem hæc Circulatio nihil aliud, quàm Compositio quædam *Verborum rationalium & naturalium*, quæ vocamus Demonstrationes; nam sicut verbum junctum verbo dat integram periodum, sic demonstratio juncta demonstrationi per ordinem in Circulum dat persuasionem de quolibet particulari quæsito: unde per se elucet magnitudo hujus Circuli super cæteros duos antecedentes; nam sicut verborum ferè nullus est numerus, licèt sint tantùm 24. literæ alphabeti, & syllabæ non adeò numerosæ, quamvis plures quàm literæ, sic in hac divina Arte & Scientia Demonstrationum universalium ex dictis Principiis & Conditionibus contextarum est tanta multitudo, quæ multùm excedit numerum verborum & nominum ex literis alphabeti ac syllabis compositorum.

Quid igitur charissimi Condiscipuli, vestra vota ampliùs exigant à nostro Illuminato Doctore, nescio, nisi hoc unum, scilicet ut vos doceat *Artem descendendi* ab his universalibus Principiis ad particularia Principia, & ab his universalibus Conditionibus ad particulares Conditiones, & ab his universalibus Demonstrationibus ad particulares Demonstrationes in omnibus particularibus Scientiis, & è converso *Artem ascendendi* à dictis particularibus ad universales, in quibus duabus Artibus consistit perfecta & integra *Ars Synthetica & Analitica* Scientiarum, quam in sequenti Distinctione per omnes tres Circulos secundum ordinem sole meridiano clariùs exponemus.

Absoluto primo Septenario, qui pertinet ad potentiam, & secundo, qui pertinet ad instrumentum, cum quo agit potentia, superest aliqua dicere de *tertio*, qui convenit objecto, videlicet de *Trivio & Quadrivio majori*, cui servit *Trivium & Quadrivium minus:* & quia hic Septenarius dividitur etiam in suos tres Ordines, sicut duo præcedentes, ideo ordinatè sequatur unus alterum.

1. *Primus Ordo* componitur ex tribus Artibus & quatuor Scientiis constituentibus unum A., hoc est, unam Artem & Scientiam universalissimam, de qua unitate convenit hìc revelare aliquod Arcanum scitu dignissimum & valde necessarium, quod paucis etiam inter insignes Lullistas fuit perfectè cognitum, aliis verò Viris doctis occasionem præbuit ad ferendum erroneum judicium de hac Arte.

Sciant ergò Filii Artis, non dari re ipsâ nisi unam solam Artem & Scientiam in universo, quæ est hæc ipsa nostri Doctoris Illum., sed hæc *Unitas* debet accipi *dupliciter*, videlicet *in Concordantia* & *in Differentia*.

Primam Unitatem, quæ est *in Concordantia*, sic intelligant: omnes Scientiæ particulares habent aliqua particularia principia, ex quibus eliciuntur omnia particularia illarum Scientiarum, quarum dicta principia sunt tanquam universalia horum particularium; hæc omnia principia cum omnibus suis subordinatis principiatis & omni illorum *differentia* sunt reducibilia ad *concordantiam* Principiorum & principiatorum hujus Artis & Scientiæ universalis, ad producendam supradictam *unitatem*, & hoc necessariò; quia si non, esset aliqua multitudo sinè unitate, & quælibet perfectio cujuslibet Scientiæ particularis non esset sinè defectu, quia careret perfectione alterius Scientiæ particularis, quam acquirit, quando dicta differentia per concordantiam reducitur ad unitatem: unde cùm per se sit clarum, quòd omnis multitudo perfectionum, quæ est extra unitatem, conveniat cum defectu, & quæ est in unitate, conveniat cum perfectione, manifestum est, quòd Scientiæ particulares nunquam attingerent suum finem, nisi possent reduci ad unitatem; nam unitas, finis & perfectio conveniunt, & hoc significant prima Principia hujus Artis, quæ sunt *Unitas*, *Sapientia*, *Perfectio*, *Gloria*.

Veruntamen quia differentia particularium Scientiarum & suorum principiorum &c. in hac concordantia est in potentia & habitu, & non in actu (cùm debeat elici per Artem) ideo hæc *prima Unitas* denominatur potiùs à *concordantia*, quàm à *differentia:* & sub hac unitate concordantiæ Doctor Illuminatus publicæ luci exposuit suam Artem, quam in quatuor Tomos distributam in hoc Compendio exhibemus per tres Circulos *Principiorum*, *Conditionum & Demonstrationum universalium*.

Secundam Unitatem, quæ est *in differentia*, sic accipiant: quemadmodum scientiæ particulares cum suis partibus intrant Scientiam universalem, retinendo suam differentiam in occulto, sic possunt & debent illam intrare retinendo suam differentiam in manifesto: unde sicut præcedens unitas revelavit concordantiam, & occultavit differentiam, sic hæc unitas revelat differentiam, & occultat concordantiam hoc modo: sicut in priori sunt tres Circuli, scilicet Principiorum universalium, Conditionum universalium, Demonstrationum universalium, sic in hac posteriori sunt tres Circuli, scilicet *Principiorum particularium*, *Conditionum particularium*, *Demonstrationum particularium*; nam hæc omnia in Arte apparent in suis propriis differentiis: Arcanum hujus secundæ Unitatis in variis quidem locis suorum Librorum aperuit B. Magister tam theoricè quàm practicè, præsertim *in Arte Universali sive Lect. super Art. Comp. Dist. 3. per totum, Tom. 1., & in Lib. Mir. Dem. Lib. 2. 3. & 4.*, in quibus tribus Libris Practicam utriusque dicti modi mirabiliter exhibet distinctè & apertè, ita, ut in quolibet dictorum trium Librorum semper incipiat Demonstrationes per duodecim Principia, quæ sunt ex prima unitate; his absolutis continuat usque in finem Libri per Principia, quæ sunt ex secunda uni-

unitate; sed theoriam ibi omisit, quam cum ipsa practica jam præmiserat in Tomo 1. loco citato in Arte Universali: nihilominus hâc tantâ luce non puto, me visurum fuisse magnum hoc Secretum, nisi accessissem repetita lectio Commenti super Artem Demon., quod est in Tomo 3., cujus quæstio suprà allegata tandem omne velum removit ab oculis.

Ex dictis *duabus Unitatibus simplicibus* duarum Artium & Scientiarum, quarum unam dixi *universalem*, alteram *particularem*, necessariò prodeunt *duæ Unitates compositæ*, quarum

Prima componitur *ex Arte universali* & *ex Arte particulari æqualibus*: ad quod meliùs exponendum dabo sequens exemplum: Ars Intellectiva, Memorativa & Amativa sunt *Artes universales*, sed Theologia, Philosophia, Jus & Medicina sunt Scientiæ particulares; hoc idem subaudi de Grammatica, Logica, Rhetorica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia & cæteris Artibus hìc non nominatis, quæ omnes sunt *Artes particulares* in sensu sequenti, scilicet, quòd eâdem ratione, quâ in definitione genus contractum ad differentiam contrahitur ad speciem, sic concordantia Principiorum, quæ sunt in supradictis Artibus universalibus, contrahitur ad differentiam Principiorum, quæ sunt in supradictis Scientiis & Artibus particularibus, & è converso: ex quo sequitur, quòd, quamvìs unum se habeat per modum universalis, & alterum per modum particularis, non tamen unum sit inferius altero, sed ambo sint *æqualia*, h. e. *æqualiter universalia & particularia*, quod non fit in specificatione generis per differentiam, nam genus est superius, & differentia inferius: unde in hac prima compositione nulla scientia est inferior alterâ, sed particulares inferiores per abstractionem tamdiu ascendunt ad universalem supremam, donec illi fiant æquales, & ita cum illa constituant & componant unam Scientiam magis universalem, quàm erant universalis simplex & particularis simplex.

Hinc tanquam corollarium infertur *primò*, quòd quælibet Scientia vel Ars in Schola Illum. Doctoris sit universalis & particularis, v. g. Gramatica universalis & particularis, Logica universalis & particularis, Rhetorica universalis & particularis, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia universalis & particularis &c., quod patet ad sensum in libris harum Scientiarum & Artium à Doctore Illuminato editis: unde Liber Principiorum Juris, qui habetur Tomo 1., est de Jure universali, non particulari, complectens in se Jura particularia, videlicet Jus Canonicum, Civile &c.

Infertur *secundo*, quòd septem nominatæ Artes instrumentales sint partes unius Artis universalis; sed dupliciter, aut quando ingrediuntur primam Compositionem antedictam, aut quando secundam sequentem.

Secunda componitur ex Arte universali majori, & ex Arte particulari minori; in hac compositione Artes particulares stant sub Arte universali, ût inferius sub suo superiori; unde sicut præcedens compositio causat Circulum sive Rotam toties nominatam, sic hæc sequens causat Radium sive Scalam, in qua Artes & Scientiæ & septenarii Artium & Scientiarum sunt velut gradus, per quos intellectus ascendit de particulari ad universale, & è converso descendit de universali ad particulare, sicut in præcedenti sunt totidem gradus Artium & Scientiarum, per quos intellectus movetur in Circulum, videlicet de quovis universali ad quodvis universale, & de quovis particulari ad quodvis particulare, & de quovis universali ad quodvis particulare, & è converso, quod Arcanum omnium sæculorum Sapientes summis laudibus deprædicabunt, & nunquam satis admirari poterunt: est autem hoc ipsum, quod Doctor Illuminatus nullibi tam manifestè reduxit in practicam, quàm in Libro aliquoties laudato & semper laudabili Mirandarum Demonstrationum, in quo pariter suprædictæ duæ Compositiones tanto artificio inter se miscentur, quòd modò una modò altera sit à prædominio, quandoque æqualiter concurrant.

Sunt ergò in universum *sex Unitates* vel *sex Scientiæ & Artes*, videlicet *quatuor simplices*, & *duæ compositæ*, quæ simul unitæ dant *septimam* ex omni parte perfectam, quæ est ipsa Ars & Scientia Doctoris Illuminati, quam hìc in Compendio tradimus: hic septenarius est naturalis & artificialis simul, quia ad legem Naturæ & Artis est ordinatus, quod patet, si comparetur ad septenarium Physicæ & Analiticæ Lullianæ; cujus septenarii usus cùm sit perpetuus ad discernendas sex partes Artis universalis, per quas moventur omnes Demonstrationes particulares & universales, ideo illum in brevi Schemate sub notis algebraicis subjungemus, ut videant Condiscipuli, quàm paucis possint multa complecti adhibendo literas loco nominum vel dictionum:

b	univers.
c	particu.
d	simplex.
e	comp. of.
f	majus.
g	æquale.
h	minus.

4. igitur *simplices* dant duas compositas.

bdg † cdg = bgecg
bdf † cdh = bfech

quæ simul additæ dant

bdg † cdg † bdf † cdh † bgecg † bfech = a.

Finiam primum ordinem ipsius A. confirmando dicta per Authoritatem Viri toto orbe famosissimi, cujus Tomo 1. in prima Classe Virorum Illustrium & Discipulorum Illum. Doctoris jam mentionem cum laude feci, videlicet Adm. R. D. Doct. Joannis Aubrii Abbatis nostræ Dominæ de Assumptione, Consiliarii & Medici ordinarii Ludovici 14. Regis Galliæ; huic inter insignes Lullistas, quos ibi recensui, meritò locus secundus competit, nam fermè summum gradum attigit Artis & Scientiæ Lullianæ, de quo fidem faciunt Libri ab ipso editi & Acta totius Europæ applausu comprobata; non enim tantùm assecutus est per studium Librorum Doctoris Illuminati intimam notitiam Artis & Scientiæ universalis, quam suprà inter sex ultimam per literas [bfech] præfiguravi, sed etiam adeptus est *practicam* hujus gloriosæ Scientiæ per Libros philosophicos, alchimicos & medicos ejusdem Illuminati Doctoris, quos citat, præsertim verò per Librum inæstimabilis pretii de Quinta Essentia (quem Librum typis quidem editum, sed plus quàm dimidiâ parte mutilum, Figuris & Tabulis partim vitiatis partim deficientibus & necessariis coloribus destitutis, nec non millenis aliis mendis scatentem per manuscripta undique collecta & inter se collata expurgatum, integrum ac pristino nitori restitutum DEO dante in lucem dabo) nam anno 1658. 15. Sept. pervenit ad Quintam Essentiam simplicem post studium & laborem 18. annorum, ût notatur *in Consult. post Triumph. Arch. fol. 134. & fol. 267.* editionis quartæ, de cujus Quintæ Essentiæ Authore sic ait fol. 31. in Triumpho sui Archæi: *Author hujus Quintæ Essentiæ simplicis est magnus Magister S. Raymun-*

mundus Lullus Martyr, de qua composuit Librum cognitum per Rupescissam Presbyterum & Religiosum S. Francisci &c. Quinta Essentia (scilicet ista simplex) *fuit etiam nota Paracelso, cui voluit dare nomen Alkahest &c.*, cum hac simplici quinta Essentia & Elixiriis particularibus fecit innumeras curas omnis generis infirmitatum: postea perfecit quatuor Arcana, quæ superant Elixiria Anno 1659., quorum additione altiùs exaltavit quintam Essentiam simplicem; sed eo tempore nondum adhibuit Medicinam Universalem, nam nondum perfecerat *Quintam Essentiam Magnam*, quæ est millies altior ipso Alkahest vel quintâ Essentiâ simplici, ût testatur Author *in præf. dicti Triumph. Arch.* ad publicum: hanc quintam Essentiam dicit esse *partem cœlestem Medicinæ Universalis*, incomparabiliter magis admirabilem, Paracelso & Helmontio nullatenus cognitam: denique assecutus est, quod tanto tempore & labore quæsierat, ût ipsemet indicat *in præf. Hist. suæ Vitæ*, quam scripsit septennio post editionem Triumphi Archæi his verbis: *demum perveni ad cognitionem magnæ & incorruptibilis Quintæ Essentiæ, quam S. Raymundus Lullus satis obscure publicavit pro eadem intentione conversionis Infidelium, quam perfeci hoc tempore post laborem 10. annorum, quæ curat omnis generis infirmitates provenientes à causis naturalibus &c.*, quam non omnibus administro ob longitudinem suæ præparationis: hanc quintam Essentiam complevit anno 1664. ût habet *fol. 7. Comp. Ord. adm.* Itaque ex dicta quinta Essentia & Azoth perfectissimo composuit magnam illam *Medicinam Universalem*, quam tradit *cap. 6. dicti Triumph. Arch. fol. 171.*, fingendo innumera ingredientia, ut fatuos decipiat, ejus tamen theoriam & praxin Filiis Doctrinæ clarè per totum Librum exponit, præsertim *fol. 23. in Apologia* his verbis: *Medicina Universalis habet novem columnas* (quarum duas posui in Revelatione Secret. Art.) *in sua theoria, & corpus & animam universales in sua practica, ex quibus componit Archæum, qui continet materiam & formam universalem omnium rerum*; hunc passim singulariter notandum Condiscipulis hìc expressi, ut observent basin realem totius arcanæ Philosophiæ Lullianæ, videlicet *formam & materiam universalem* physicam, quæ sunt entia realia sensibilia & manu tangibilia, quibus tota Analytica & Synthetica Naturæ subjacet, & quæ sunt principia universalia totius Scientiæ & Artis medicæ, sinè quorum cognitione tàm theorica quàm practica nulla unquam habebitur certitudo, perfecta demonstratio & perfectus finis in dictis duabus Scientiis, nec per consequens perfectum medium ad assequendas alias scientias cum his duabus connexas: per has duas Medicinas, videlicet *particularem & universalem*, asserit, se curâsse plus quàm ter centum millia hominum in diversis Regionibus, Regnis, Provinciis omnis ætatis, sexûs & conditionis de omni genere infirmitatum, ût refert *fol. 4. præf. suæ Vitæ*, & fama curarum per totam Europam publicatarum persuadet, quarum insigniores in fine triumphi Archæi referuntur.

Hæc omnia, quamvìs à meo proposito videantur aliena, ex professo addidi, ob tres causas: *primò*, ut sequentem allegationem Authoritate tanti Lullistæ fide digniorem faciam; *secundò*, ut innocua ingenia, quæ cavillationibus & futilibus argumentis contra hanc Artem & Scientiam ejúsque Artifices & Doctores passim emissis ab eadem abstrerentur, à sinistra impressione liberem; *tertiò*, ut ostendendo universale & particulare reale & naturale sensuale tantâ necessitate connexum cum universali & particulari intentionali, artificiali & intellectuali videant Amatores veræ Scientiæ, quantâ soliditate fundetur hæc divina Scientia & Ars, utpote quæ utramque partem hominis, videlicet animam & corpus, intellectuale & sensuale, adeóque totum hominem perficit: ex quibus dictis conficiam unum argumentum, quo solo Condiscipuli omnia folia sophismatum ab adversariis contra hanc Artem scripta tantâ facilitate in auras abigent, ût folium, quod vento rapitur: illa Ars & Scientia inter omnes Artes & Scientias est homini melior, utilior, perfectior & magis necessaria, quæ *scit & potest* & *amat* totum bonum hominis & omnium partium illius, sed hoc facit sola Ars & Scientia Doctoris Illuminati, ergò: *funiculus triplex difficilè rumpitur*, unde majorem nemo sapienter negabit; minorem probant authoritas, ratio & experimentum, quod sufficit sanæ menti.

Jam audiamus, quale testimonium proferat hic insignis Discipulus de Unitate Scientiæ sui Magistri: *fol. 3. Comp. Ord. adm.* sic habet Aubrius, cujus verba ex gallico in latinum fideliter transtuli, post commendationem Sanctitatis & Miraculorum transit ad Scientiam B. Raymundi, *& suas cognitiones (quæ erant vilipensæ per ignorantes malitiosos, qui nihil horum intelligebant, quæ modò desiderantur per suos maximos inimicos & per maximos Viros totius orbis; quia quamvis sua alta lumina non nisi in septem rebus consistant, h. e. in* Sapientia, Intelligentia, Doctrina, Scientia, Rationali, Eruditione & Eloquentia, *quæ comprehendunt totum (existentibus tantùm quatuor Personis in Europa, quæ habent sua vera lumina & suam clavem, & uno peregrino, quem inveni Romæ) nihilominus ut parumper se accomodaret ignorantiæ, & ne subitò videretur adeò singularis & extraordinarius, simulavit se scribere de quadam Scientia Universali, quamvis non possit esse nisi* una sola (*prout ipsemet affirmat*) *quæ est causa, quòd maxima pars hominum, qui non possunt comprehendere ipsius mysteria occulta sub cortice terminorum valde simplicium, se detinuerit in Rhetorica Lulliana &c., quæ cùm sit valde modica brancha Doctrinæ, hæ quatuor Personæ, quæ possident veram Clavem, se firmant* in Sapientia, *quæ est cognitio causarum universalium omnium rerum*; in Intelligentia, *quæ tractat de Principiis naturalibus totius, quod est in mundo*; in Doctrina, *quæ continet Principia artificialia omnium rerum (in qua reperitur ex parte hoc, quod ignorantes appellant Encyclopediam Scientiarum) cum ordine septuaginta duarum linguarum universi*; in Scientia, *quæ est resolutio certa & infallibilis quæstionum & dubiorum, quæ possunt fieri in omnibus rebus naturalibus vel artificialibus, existens regula purè naturalis & libra omnis generis veritatum &c., cùm sit certum, quòd hic thesaurus occultus quondam manifestabitur, quando placebit Amato, quod sui faciant, illum cognosci (quod erit quæsitum per totum mundum)*; in Rationali, *quæ continet probas infallibiles hujus, quod Scientia resolvit, imponendo silentium contradicentibus per probam ducentarum demonstrationum consecutive, certarum infallibilium & necessariarum, quibus nemo potest contradicere*; in Eruditione, *quæ sequens ordinem Rationalis refert, quidquid omnes Authores scripserunt de omnibus rebus &c.*; *denique* in Eloquentia, *quæ est sequela Eruditionis per discursus maximè mirabiles.*

Hactenus Abbas Aubrius; similia repetit *cap. 3. Triumphi sui Archæi fol. 110. 111. & seq.*, item *in 2. parte dicti Libri fol. 9. in prol. ante Consult.* ubi B. Ray-

mundum vocat *Magistrum Sapientiæ, Principem Intelligentiæ, Inventorem Doctrinæ, Fundatorem Scientiæ, & Monarcham omnis generis Philosophorũ & Doctorũ*: si proin Doctor Illumin. & Magister noster tantus omni jure visus est huic eximio Discipulo, qui (quantum ex suis Libris & supradicto textu desumere potui) sextam & ultimam partem tantùm Artis Lullianæ attigit, & quintam magis nobilem multò minùs septimam omnes sex includentem ipsi fuisse notam, nullum nobis reliquit vestigium, quis me de peccato arguet, quòd altiùs efferam Laudes maximi hujus Doctoris? qui quantum in singulo genere scibilis, scilicet tam naturalis quàm supernaturalis, singulos Doctores transcendit, tantum per omnes Artes & Scientias simul in uno homine in altissimo gradu adunatas omnibus supereminet.

Secundus Ordo exhibet primum ternarium & quaternarium, qui est universalissimum *objectum* intellectûs humani, & simul universalissimum *instrumentum*, quo intellectus metitur dictum objectum ad acquirendam cognitionem & demonstrationem veritatis: hunc septenarium commodavit mihi Illuminatus Doctor ex prima Arbore quarti Libri Contemplationis, quæ Arbor est basis non modò totius Libri Contemplationis, sed totius Artis & Scientiæ: unde cùm hujus quoque Compendii tota practica dicto ternario & quaternario sit superstructa tanquam petræ nullis adversis viribus loco movendæ, de utroque, quantum necessitas postulat, hìc agam theoricè, & in secunda Distinctione practicè: sit ergò primò

Ternarius, videlicet *Esse*, *Necessitas*, *Privatio*: manifestum est, quòd primum & universalissimum concretum omnium, quæ possunt cadere in humanum intellectum, est *Ens*, & primum & universalissimum abstractum est *Essentia*, quæ est forma Entis (hæc duo significat dicta Arbor & A. positum in medio Figuræ A.) unde cùm *primus actus* Entis vel Essentiæ sit *Esse*, & primum oppositum hujus Actûs sit *Privatio*, & hoc *necessariò*, & cùm prima operatio, quam intellectus elicit, sit circa investigationem ipsius Esse vel Privationis cujuslibet Entis vel Essentiæ, ideo hæc tria reliquis omnibus Principiis præponuntur: *Necessitas* autem ponitur in medio utriusque, quia cùm inter Esse & Privationem, vel inter Esse & non Esse nullum sit medium, quandocunque demonstratur, quòd Esse vel Essentia sit in uno horum oppositorum, etiam demonstratur, quòd necessariò non sit in altero oppositorum, ût infrà patebit in Practica per exemplum Demonstrationis de Existentia DEI.

Quanta sit universalitas usûs horum trium Principiorum, excedit omnem imaginationem, quia nulla penitus Demonstratio fieri potest de quacunque re, quin hæc tria Principia illam ingrediantur aut implicitè aut explicitè; quapropter cùm ipsa principia omnibus Scholis jam sint notissima, nihil novi de his traditur in Schola Lulliana, nisi tantùm usus & applicatio perpetua ad faciendas omnes Demonstrationes, quibus hactenus carebant reliquæ Scholæ.

Quaternarius, scilicet *Possibile*, *impossibile*, *Potentiale*, *Actuale* est velut minister ternarii, nam *Esse* cujuslibet Entis vel Essentiæ subit quadruplam comparationem, scilicet ad possibile vel impossibile, potentiale vel actuale; hoc idem intelligendum de reliquis duobus Principiis, scilicet de *Necessitate* & *Privatione*.

Tertius Ordo: licèt sit generalis, est tamen magis specialis, quàm secundus, nam ternarius illius est totus specialis respectu præcedentis; quaternarius verò est compositus ex generali & speciali, scilicet ex Esse & Privatione, quæ sunt generalia, & ex perfectione & defectu, quæ sunt specialia.

Ternarius, videlicet *Scientia*, *Potestas*, *Voluntas*, est extractus ex Figura X., quæ habetur *in Arte Comp. Inv. Verit. & in Arte Univ. Tom. 1.*, sicut & sequens Quaternarius, & ponitur hoc loco universaliter & particulariter, videlicet ad significandum se ipsum & alios ternarios sibi æquales, ût Musa in prima declinatione; ex hoc ternario cum ternario præcedenti in secundo ordine, vel cum quaternario sequenti formantur quaternarii; v.g. *scientia*, *potestas*, *voluntas*, *esse*: *ignorantia*, *potestas*, *voluntas*, *privatio*, vel sic: *scientia*, *potestas*, *voluntas*, *perfectio*, *ignorantia*, *potestas*, *voluntas*, *defectus* &c.; quorum usus apparebit in Distinctione secunda.

Quaternarius, videlicet *Esse*, *Perfectio*, *Privatio*, *Defectus*, ostendit, quomodo triangulitranseunt in quadrangulos per quaternarium secundi ordinis, & quomodo universale applicatur ad particulare, & quomodo universale semper manet, & unum particulare mutatur in alterum; v.g. *Esse* & *Privatio* semper manent, quibus applicantur *Perfectio* & *Defectus*; & quia scientia & Perfectio concordant, ignorantia verò & defectus, habentur duo trianguli, quorum media sunt Perfectio & Defectus, quibus mediis mutatis de actu in potentiam fit novus quadrangulus, scilicet Esse, Privatio, scientia, ignorantia, & sic in infinitum.

Hunc ultimum Quaternarium intitulavi Quadrangulum Logicæ *in Revel. Secret. Art.*, cujus quatuor termini in Arte Demonstrativa vel Algebra Speciosa Lulliana se habent, ût quatuor soni simplices in Scala musica, videlicet unisonus, tertia, quinta & octava; nam sicut in compositione Musurgi per motum regulatum horum quatuor sonorum in Scala musica producunt omne particulare musicum, sic in hac compositione algebraica Filii Artis per motum regulatum horum quatuor terminorum in Scala Figuræ T. vel in Rota Figuræ A. producunt omne particulare algebraicum, quod nunc in sequenti secunda Distinctione practicè demonstrare conabor, DEO adjuvante, & Illuminato Magistro materiam & formam subministrante.

DISTINCTIO II.

De Practica Artis.

CAPUT I.

De Principiis Universalibus Artis.

QUoniam in hoc compendio non est possibile ponere omnes Figuras Artis, quas Doctor Illuminatus posuit in primo & tertio Tomo, ideo ex omnibus selegi tres principales & præcipuas, quæ in se tenent omnia Principia ad Practicam Artis necessaria, ad quas Figuras & Principia reliquæ Figuræ & illarum Principia facilè reducuntur, quia in ipsis jam implicitè continentur; sunt autem hæ tres Figuræ sufficientes ad omnem practicam, quia con-

continent in se *tres primas formas simplices*, quibus humanus intellectus indiget ad operandum & ratiocinandum, quæ tres formæ sunt *Quadrangulus*, *Triangulus & Circulus*; omnis enim dispositio Principiorum ad formandas Demonstrationes necessariorum semper fit secundùm Quadrangulum, Triangulum & Circulum, ex quibus simplicibus formis inter se mixtis producuntur *formæ compositæ*, quales sunt v.g. septenarius, duodenarius vel quicunque alius major numerus Principiorum in integro contextu vel integra serie demonstrationum adhibitus, ût apparet in Tabulis particularibus, quæ præponuntur singulis Capitibus & Rubricis eorum Lib. 5. Contempl., & in duobus exemplis, quæ exinde sumpsi & posui Cap. 5. Revel. Secr. Artis Tom. 1.

Ut autem demonstretur necessitas harum trium Formarum Universalium, scilicet *Unitatis*, *Trinitatis & Quaternitatis*, sinè quibus nullus discursus, demonstratio vel operatio naturalis fieri posset, sciendum,

Quòd *Unitas* sit primò necessaria, quia quidquid principiatur ordinatè & naturaliter in Synthesi vel Analysi, necessariò principiatur ab uno; unde sive fiat motus ab universali ad particulare, sive à particulari ad universale, semper initium sit ab uno, quod unum se habet per modum Circuli, cujus forma est unitas.

Post unitatem *Trinitas* est necessaria, quia sicut Unitas convenit cum prima *concordantia*, sic Trinitas cum prima *differentia* vel *distinctione*, quod patet in Circulo & Triangulo; nam sicut tota superficies Circuli terminatur unâ lineâ curvâ realiter indistinctâ, sic tota superficies Trianguli terminatur tribus lineis realiter inter se distinctis; per hanc metaphoram objectam sensui & imaginationi in Figura A. & T. revelavit nobis Doctor Illuminatus grande hoc Arcanum primorum & summorum duorum Principiorum *Essendi & Operandi* realiter & intentionaliter, quæ sunt *Unitas & Trinitas*, quæ unitas in Schola Doctoris Illuminati est quælibet *Essentia* vel quodlibet *Ens*, v. g. bonitas, magnitudo, duratio, differentia, concordantia, æqualitas &c. DEUS, creatura, operatio &c., & quæ Trinitas est *tivum*, *bile & are*, h. e. bonificativum, bonificabile, bonificare, magnificativum, magnificabile, magnificare &c., Deificativum, Deificabile, Deificare &c., sinè qua prima & summa Trinitate tanquam primo & summo principio Trinitatis, quæ est in creatura, & sinè qua prima & summa differentia tanquam primo & summo principio differentiæ, quæ est in creatura, abesset omnis multitudo & distinctio à creatura, & omnes creaturæ essent unum ens indistinctum, & sic in intellectu non esset operatio intelligendi, quia in illo non esset intellectivum, intelligibile & intelligere; his duabus formis propriè & primariò pertinentibus ad summum Ens, h. e. DEUM, & appropriatè ac secundariò ad inferiùs Ens, h. e. creaturam, absolvitur objectum humani intellectûs; sed quia DEUS convenit cum perfectione sinè defectu, cum qua perfectione sinè defectu conveniunt etiam unitas & trinitas, & creatura convenit cum perfectione per unitatem & trinitatem, & cum defectu per quaternitatem, ideo

Quaternitas est necessaria creaturæ, hoc est, naturæ & intellectui, ut per operationem de defectu moveantur ad perfectionem, h. e. de quaternitate ad trinitatem & unitatem; per hanc metaphoram, quam visus videt, & imaginatio imaginatur in Figura S., manifestavit nobis Doctor Illuminatus magnum Arcanum operis naturalis & intellectualis, quod postea per totam hanc secundam Distinctionem monstrabitur in praxi, ostendendo, quomodo *potentia*, quam exhibet Figura S., operetur in suum *objectum & subjectum* per quadrangulum, triangulum & circulum.

Postquàm diximus de Figuris & earum necessitate in genere, nunc singularum ordinem & dispositionem exponemus in specie, & primò agemus

De Figura Potentiæ vel Agentis, quæ est S.

Figura S. vocatur figura Animæ Rationalis, & est *Figura circularis* ratione suæ unitatis, ratione cujus est *genus*; dividitur in *quatuor quadrangulos*, qui quadranguli sunt *quatuor species* ipsius S., videlicet E. I. N. R., quæ componunt *duodecim individua*, quæ sunt B. C. D., F. G. H., K. L. M., O. P. Q., ex quo patet, quòd Figura S. sit media inter Figuram T. & A., quia per genus tangit A., & per individua tangit T., & hoc necessariò sic est, quia S. est productum ad similitudinem T. & A., & cum utroque necessariò connexum: sunt ergò in Figura S. unus circulus, quatuor quadranguli & quatuor trianguli, ut ad sensum patet: primus Quadrangulus est *lividus* sive *carneus*, secundus est *niger*, tertius est *rubeus*, quartus est *viridis*, & sic deberent ad sensum exhiberi, propter finem in primo Tomo revelatum, hinc quia in magno Opere jam suis coloribus distinguuntur, hìc omittuntur; consulo tamen Amatoribus Artis, ut quilibet vel per se, si potest, vel per alios curet depingi has tres figuras suis debitis coloribus, nam præter usum occultum, serviet memoriæ per sensum & imaginationem.

Figura S. vocatur figura Objectorum, quia per illam & in illa recipiuntur omnia objecta, unde cùm S. tantò magis nobilitetur in sua operatione, quantò nobilius sumit objectum, ideo ipsi datur A. pro objecto, & post A. ipsum T., „ & ideo principia „ magis necessaria ipsi S. sunt primò A. & postea T., *quia secundùm quòd gradus superiores sunt majores, ita demonstrationes sunt magis necessariæ.* Doctor Illuminatus in Regul. Art. Comp. de Figur. S. Tom. 1. fol. 41.

Ante lapsum primi Parentis in Figura S. erat solus quadrangulus E., quia memoria perfectè recolebat, intellectus perfectè intelligebat, & voluntas perfectè diligebat, & ex omnibus tribus actibus simplicibus perfectis resultabat unus actus compositus æqualis perfectus, qui significatur per E., sed post lapsum supervenerunt reliqui tres quadranguli concordantes cum defectu; unde quia homo propter ignorantiam veritatis debet illam inquirere & investigare, hoc facit cum tribus reliquis quadrangulis, qui sunt I. N. R., incipiendo ab R. per dubitare, & transeundo per medium N., h. e. per supponere & credere ad F. G., quæ sunt in I. investigantia Y. & Z., hoc est, veritatem, quæ convenit cum E., & falsitatem, quæ convenit cum I.

Per Figuram S. investigantur & inveniuntur genera, species & individua entium particularium admovendo illa ad S., nam genus universale revelat genus particulare, & species universalis speciem particularem, & individuum universale individuum particulare; unde sicut in opere naturæ per agens universale comparantur & cognoscuntur agentia particularia, & tria supradicta, quæ continentur in

illis, sic in opere intellectûs per agens universale ipsius S. comparantur & cognoscuntur agentia particularia, & tria, quæ continentur in illis, scilicet genus, species & individua.

Ex priùs dictis infertur, quòd in Figura S. etiam fiat *ascensus & descensus*, videlicet à genere ad speciem & individuum, & è converso, nam S. movetur in E. I. N. R., & ab his in B. C. D., F. G. H. &c., & è converso.

E. I. N. R. ipsius S. habent se ad invicem in sua natura & operatione ût quatuor elementa in composito naturali, *quia sicut elementa operantur naturaliter, ita S. per simile in illis accipit demonstrationem in Figuris istius Artis, loquendo metaphoricè.* Doctor Illum. in Art. Comp. de Reg. Fig. T. fol. 42., per hanc figuram *cognoscuntur opera naturalia, quando F. G. moventur per A. T.*, nam *sicut per Elementalem Figuram inquirunt significationes ipsius S. & motus suarum specierum & suorum individuorum, sic cum motu ipsius S. inquirunt motus camerarum figuræ elementalis*, Doct. Illum. ibid. Dist. 3. p. 2. fol. 39.: qui cupit nosse omnes motus & operationes harum quatuor specierum, scilicet quomodo una convertatur in alteram, quomodo fiat generatio, corruptio, mortificatio, vivificatio unius per alteram, quomodo intrent in R., & ex illo exeant, uno verbo, quicunque arcanum modum operandi realiter in natura perfectè scire avet, adeat dictam Artem Comp. Tom. 1. cæteráque cum ipsa connexas, & singulariter notet ea, quæ cursivo charactere distinximus, tunc mirabitur, & dilatabitur cor ipsius ob profunditatem tantæ Scientiæ, quam Doctor Illuminatus vel in hac sola Figura S. satìs prodit, dum sub una & eadem figura duo tam præstantia opera, videlicet totum opus naturæ creatæ corporeæ & totum opus animæ rationalis cum omnibus suis partibus tanto artificio delineat, primum opus in occulto, secundum in manifesto, utrumque autem indissolubili nexu simul jungendo, ut uno cognito alterum latere non valeat, quod textus citati abundè probant, & plures alii loco allegato videndi corroborant: *igitur cùm ita sit, hæc Figura S. super omnia diligatur, nam in ea & in generali Figurâ de A. T. compositâ hæc Ars tota consistit*, Doct. Illum. in Arte univ. Dist. 1. fol. 4.

De Figura Principiorum & Significationum, quæ est T.

T. in hac Arte est *Figura Principiorum vel significationum*, & habet *quinque species*, quæ sunt quinque Trianguli, quælibet autem species habet *tria individua*, ût patet in figura, unde ipsum T. omnium illorum apparet esse genus: primus Triangulus debet esse *lividus vel caruleus:* secundus *viridis:* tertius *rubeus:* quartus *croceus:* quintus *niger*, & sic in practica semper citantur, nempe per suos colores, ob brevitatem.

T. est *instrumentum & materia* ipsi S., quando formatur in cameris ipsius T., secundùm quòd S. intrat in A.; *nam sicut aqua recipit colorem à vase, in quo continetur, sic S. assumit formam secundum cameras ipsius T.*, Doctor Illum. in Art. Comp. Dist. 1. p. 1. fol. 3.

Nota primò, quòd, sicut S. est *Figura communis* in hac Arte, sic similiter T. est *Figura communis* eidem Arti; quoniam S. non potest inquirere nec tractare de Arte sinè T., nec T. potest significare de A. Y. Z. sinè S.; quare ista Ars præcipit, quòd homo sciat concordare S. T. in significando & inquirendo A. Y. Z., Doctor illum. ibid.

Descensus universalium rerum ad particulares, & ascensus particularium ad universales fit mediante T., & hoc sic, scilicet ponendo triangulum viridem inter particulares & universales, discurrentibus F. G. per angulos T. & per cameras A., ut S. possit cum C. ascendere ad universalia, & cum ipso descendere ad particularia: per eundem triangulum datur universale particulari, & è converso, Doct. Illum. in Art. Comp. de Reg. fol. 42.

Nota secundò, quòd, sicut proprium est Figuræ S. dare in Arte quadrangulos vel quaternarios, sic proprium est Figuræ T. dare in Arte triangulos vel ternarios: hinc moneo iterum (ne semper tenear repetere) ut discentes caveant, ne formis particularibus, quæ continentur in his duabus figuris, inducantur in errorem, putantes, has esse in summa universalitate, in qua non sunt, quousque reducantur ad unum summum triangulum & quadrangulum, quem suprà assignavimus, qui duo sunt universalissimæ formæ, secundùm quas formantur omnes particulares formæ quadrangulorum & triangulorum: unde si dicta non capiant, repetant lectionem hujus libelli, & unus locus elucidabit alterum.

Titulus hujus Figuræ per se indicat, quòd primum ex septem instrumentis, videlicet *Ars significandi* secundùm ordinem cætera sex antecedat; unde quia omnia septem in Figura T. continentur, singula per ordinem educuntur ex illa, & ad practicam applicantur.

De Figura A.

A. est Figura significans DEUM: ût superiùs jam dictum, & per totum est coloris lividi sive cærulei, & quamvis hæc Figura in Arte serviat etiam omnibus inferioribus Entibus, exigit tamen perfectio Artis, quòd omnes Demonstrationes, quæ fiunt per Artem, finaliter terminentur in Principiis & ad Principia, quæ sunt Dignitates hujus summi A.

Hæc Principia sive sumantur seorsim sive in compositione cum aliis, vocantur *Cameræ*, ob faciliorem usum Artis, hoc idem intelligatur de aliis duabus figuris, vel de Principiis unius figuræ mixtis cum Principiis alterius figuræ, vel de ipsis literis Principiorum, vel de literis Figurarum, v. g. B. C., B. D. &c. vel S. T., S. A., T. A., quæ cameræ sunt magìs universales quàm præcedentes.

Lineæ, quæ ducuntur in Figura A. de quolibet Principio ad quodlibet, significant necessariam connexionem cujuslibet cum quolibet, unde qui tangit unum, necessariò tangit omnia reliqua: hæc connexio essentialis & necessaria est fundamentum Circulationis intellectualis, seu formandi demonstrationes in circulum; v. g. data quævis quæstio subjecta huic Scientiæ & suis Principiis resolvitur in hæc principia per Analysin, sicut resolvuntur nomina in literas Alphabeti, quo facto per hanc figuram monstratur modus producendi solutionem dictæ quæstionis per infallibilem demonstrationem, & illam solutionem vel demonstrationem confirmandi per innumeras alias demonstrationes ex aliis Principiis, quæ per ordinem succedunt principiis in quæstione positis, donec fiat reditus ad Principia primò assumpta; omnes Libri Doctoris Illum. sunt pleni hâc methodo circulandi, præsertim verò Tom. 2. *in Lib. de Gentili, in Lib. Mir. Dem. & in Lib. de 14. Artic.*, & Tom. 3. *in Comment. Art. Dem., & in Lib. Artis Inv. partic. in univers.* & Tom. 4. *in Arte Invent.*

Invent. per tot.: sed quia hæc methodus circulandi includit *tres circulos*, quorum secundus est major primo, & tertius major secundo, ideo *Ars circulandi in tertio Circulo est ultimum omnium Secretorum Artis, excedens omnia reliqua*, quod Doctor Illuminatus tantâ largitate revelavit, & ad oculum demonstravit in ipsa praxi per librum verè mirandûm Demonstrationum, quem toties nominavi; *in hoc enim Libro* (quod optimè notent, qui hoc Secretum penetrare desiderant) *quodlibet particulare per necessariam connexionem, quam habet cum quolibet altero particulari mediantibus primitivis & supremis Principiis inducit in cognitionem & demonstrationem certam & infallibilem cujuslibet quæsiti particularis*; v. g. per verbum *Prædicatio* demonstrat Doctor Illum. *Incarnationem* dicto Lib. 4. c. 47. fol. 238.: eandem *Incarnationem* demonstrat per verbum *Secretum* Lib. 4. c. 41. fol. 230.: eandem probat dicto libro per *singulas quatuor causas* & per singulas *septem Virtutes*, singulis causis & virtutibus destinando unum Caput, ad quæ masticanda remitto Lectorem: si quis verò has demonstrationes & tantum artificium, à quo emanârunt, contemnere non erubescit, proferat nobis similes in suis libris vel aliorum Scholasticorum hanc Artem ignorantium, tunc apparebit, quis alterum superet acie, an cos an culter: & quia omnia supradicta eruuntur ex prima connexione, quam habent ipsa summa Principia tam inter se quàm cum suis similitudinibus, quæ sunt in creaturis, ideo, ad firmiùs imprimendam memoriæ radicem hujus arcani, addo sequentia duo notamina, quæ Doctor Illum. dat in Fig. A. Art. Comp. Dist. 1. p. 1. fol. 2. Tom. 1, quorum

Primum est, quòd ille, qui cum una aut pluribus cameris ipsius A. concordat, cum omnibus concordet; & qui uni aut pluribus est contrarius, omnibus sit contrarius, quia omnes cameræ sunt absque aliqua contrarietate in valde excellenti concordantia.

Secundum; quòd cum cameris ipsius A. habeatur cognitio de ipso A., & cum A. habeatur cognitio de suis cameris; & cum A. & suis cameris habeatur cognitio *per necessarias rationes* de S. T. &c. & eorum cameris, & cum S. T. & eorum cameris cognoscat homo *per necessarias rationes* ipsum A. & suas cameras. Ex his

Infertur primò, quòd nulla significatio possit esse in Y., quæ est contra unam vel plures ex cameris ipsius A., nec aliqua significatio possit esse in Z, quæ est concordans cum una aut pluribus cameris ipsius A., omnis autem significatio est in Y., quæ contrariatur ipsi Z., quod Z. abscondit & velat cameras ipsius A., Doct. Illum. ibid.: hæc sola regula sufficeret ad omnia argumenta mensuranda, etiamsi nulla alia superesset.

Infertur secundò, quòd *discursus & ordinatio, quos accipit S. in hac figura, omni discursui, ordinationi & consequenti hujus Artis & omnium aliarum sit principium & antecedens*, Doct. Illum. in Lect. Dist. 1. fol. 9. Tom. 1.: unde Figuram A. vocavi Dominam & Imperatricem omnium Figurarum.

De universalibus & particularibus Principiis Figurarum.

Postquam actum est de Figuris in genere, & de *centris* figurarum in specie, nunc agendum est de circumferentia harum trium figurarum, videlicet de *Principiis universalibus & particularibus*, quæ ponuntur in circumferentia: & quoniam accedimus ad practicam Primi Circuli, nunc tempus est præparare *materiam & formam* illi necessariam tam *universalem* quàm *particularem*; & primò ministremus materiam colligendo Principia omnium trium Figurarum velut *particulare* sub unum Alphabetum velut *universale*.

S.	T.	A.
B Memoria recol.	B DEUS	B Bonitas
G Intell. Intellig.	C Creatura	C Magnitud.
D Volunt. dilig.	D Operatio	D Æt. v Dur.
E Actus B. C. D.	E Differentia	E Potestas
F Memoria recol.	F Concordat.	F Sapientia
G Intell. Intellig.	G Contrariet.	G Voluntas
H Volunt. Odiens	H Principiû	H Virtus
I Actus F. G. H.	I Medium	I Veritas
K Memoria obliv.	K Finis	K Gloria
L Intellect. ignor.	L Majoritas	L Perfectio
M Volun. dilig. vel od.	M Æqualitas	M Justitia
N Actus K. L. M.	N Minoritas	N Largitas
O Actus B. F. K.	O Affirmatio	O Misericor.
P Actus C. G. L.	P Dubitatio	P Humilitas
Q Actus D. H. M.	Q Negatio	Q Dominiû
R Actus E. I. N.		R Patientia

Desunt ergò quatuor literæ ad complendum totum Alphabetum Artis, quæ sunt: V. X. Y. Z., quarum significationes sunt sequentes: V. est duplex, lividum & rubeum, V. lividum significat Virtutes, V. verò rubeum Vitia; sed quando sumitur in genere, significat utrumque: X. denotat opposita: Y. Veritatem: Z. falsitatem.

Sub particulari *explicito* trium figurarum S. T. A. comprehenditur & significatur omne aliud particulare *implicitum*; v. g. in Figura A. non reperitur explicitè *vita, simplicitas, necessitas* &c.; sed quia hæ tres formæ in perfectione sunt æquales aliis 16. scriptis explicitè, & ex illis inter se combinatis possunt demonstrari ob essentialem connexionem explicitorum cum implicitis, ideo hæ & quæcunque aliæ his æquales reducuntur ad illas; & hæc est ratio, quare sedecim Dictiones Figuræ A. vocentur *particulare*, quibus respondent totidem literæ alphabeti ût *universale*, quod semper manet, licèt totidem novæ Dictiones loco priorum substituantur.

Sufficiunt autem hæ sedecim Dignitates (quas ratione suæ summitatis vocavi *universale*, ratione verò suæ singularitatis vocavi *particulare*) ad producendas omnes *formas universales* demonstrandi, quibus formis universalibus semper conservatis, & materiis particularibus explicitis harum formarum in se mutuò vel in materias implicitas transmutatis, semper prodeunt novæ demonstrationes particulares in infinitum; in quo consistit inexplicabilis fructus & utilitas hujus Artis, quia tantâ facilitate & tam brevi tempore acquiritur certa & infallibilis cognitio innumerarum veritatum, quarum notitia per alias vias toto vitæ tempore non posset comparari: per exemplares clarior fiet infrà.

Quod dictum de Figura A., hoc idem intelligendum de figuris T. S. & Principiis illarum; & quod dictum de *materia particulari* horum Principiorum, hoc idem est notandum de *forma particulari* illorum, videlicet de *circulo, triangulo & quadrangulo particularibus*, quibus Principia particularia informantur, quando usum Artis ingrediuntur; v. g. quando *Bonitas* assumitur loco *centri* ipsius Circuli, h. e. quando quæstiò versatur circa *Bonitatem*

DEI vel alterius Entis, ad quam bonitatem tanquam *centrum* ordinantur omnia reliqua Principia in quæstione posita, quæ ad solutionem quæstionis exiguntur, ût passim per totum Lib. Contempl. ostendit Doctor Illum., nam singula capita Libri habent præfixum aliquod tale Principium, ad quod ordinantur semper 30. paragraphi demonstrantes hoc centrum: quod stupendum Artificium in nullo libro alterius Authoris reperitur.

De Definitionibus Principiorum.

Datis Principiis convenit dare Definitiones Principiorum, ut per Definitiones magis declarentur Principia, & habeantur significationes Principiorum; & primò ponantur

Definitiones Principiorum Figuræ T.

1. DEUS est illud Ens, in quo Bonitas, Magnitudo, Æternitas & aliæ Dignitates DEI convertuntur in eodem numero.
2. Creatura est illud Ens, quod habet esse post non esse.
3. Operatio est illud Ens, per quod Operans operatur operatum.
4. Differentia est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. sunt Rationes inconfusæ sive claræ.
5. Concordantia est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. in uno & in pluribus concordant.
6. Contrarietas est quorundam mutua resistentia propter diversos fines.
7. Principium est id, quod est ante omnia ratione alicujus prioritatis.
8. Medium est subjectum, per quod Finis influit Principio suam similitudinem, & Principium illam refluit Fini, sapiens naturam utriusque.
9. Finis est id, in quo Principia quiescunt.
10. Majoritas est Imago Immensitatis, Bonitatis, Magnitudinis, Æternitatis & aliarum Dignitatum DEI.
11. Æqualitas est subjectum, in quo quiescit Finis concordantiæ Bonitatis, Magnitudinis &c.
12. Minoritas est Ens propè non esse.
13. Affirmatio est Ens indicans esse.
14. Dubitatio est actus confusus Affirmationis & Negationis.
15. Negatio est Ens indicans non esse.

Definitiones Principiorum Figuræ A.

1. Bonitas est Ens, ratione cujus bonum agit bonum, & ideo bonum est esse, & malum est non esse.
2. Magnitudo est Ens, per quod Bonitas, Potestas, Duratio &c. sunt magnæ, ambiens omnes extremitates essendi.
3. Æternitas vel Duratio est id, per quod Bonitas, Magnitudo, Potestas &c. durant.
4. Potestas est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. possunt existere & agere.
5. Sapientia est Proprietas, per quam Sapiens intelligit.
6. Voluntas sive Amor est id, per quod Bonitas, Magnitudo &c. sunt amabiles & desiderabiles.
7. Virtus est origo unionis Veritatis, Bonitatis, Magnitudinis & aliorum principiorum subjecti.
8. Veritas est id, quod est Verum de Bonitate, Magnitudine &c.
9. Gloria est illa delectatio, in qua Bonitas, Magnitudo & alia Principia quiescunt.
10. Perfectio est id, in quo completur finalis Intentio agentis.
11. Justitia est Virtus, quæ dat unicuique, quod suum est.
12. Largitas est illa Proprietas, per quam propriè competit largiri.
13. Misericordia est Virtus, per quam indulgentur culpæ, & dantur dona.
14. Humilitas est Virtus, quæ facit inclinare res nobiliores ad minùs nobiles.
15. Dominium est Proprietas, per quam Dominus est Dominus & habet Dominium.
16. Patientia est Virtus, cum qua patiens patienter agit.

Dicto de materia & forma particulari, jam dicendum restat de materia & forma universali.

Materia universalis hujus totius Artis est ipsum jam aliquoties nominatum *Alphabetum*, constans viginti tribus literis, ût suprà patet.

Forma universalis est dictus *Circulus*, *Triangulus & Quadrangulus*, in quibus literæ ponuntur, ût tres figuræ sequentes indicant.



Hæ tres formæ sunt *formæ simplices*, ex quibus inter se compositis per Artem producuntur omnes *formæ compositæ*, unde cùm hæ abundè sufficiant, plures ab aliis Authoribus inventæ & additæ sunt superfluæ.

Ex his *tribus formis simplicibus universalibus*, videlicet *Unitate*, *Ternario & Quaternario* cum suis *materiis simplicibus universalibus* ulteriùs componuntur *Systemata simplicia universalia*, quibus applicantur *formæ & materiæ particulares*, ût videre est in sequenti Systemate.

Universale	A	DEUS	Particulare
	B	Differentia	
	C	Concordantia	
	D	Æqualitas	
	E	Bonitas	
	F	Magnitudo	
	G	Potestas	
	H	Perfectio	

In hoc Systemate *septem literæ* alphabeti semper manent, sed nomina è regione literarum posita mutantur in alia quævis; v. g. loco *DEUS* ponitur *Cœlum* vel *lapis* vel *generatio* vel quodlibet *Ens* vel *Essentia:* & loco *Differentiæ*, *Concordantiæ & Æqualitatis* ponitur quilibet alius *ternarius*, necessarius ad faciendas demonstrationes de assumpta *unitate*, v. g. *tivum*, *bile & are*, *Esse*, *Necessitas*, *Privatio*, vel *Possibile*, *Impossibile*, *Necessarium* &c.; & loco Bonitatis, Magnitudinis &c. ponitur quilibet alius *quaternarius* serviens proposito, v. g. *Esse*, *Privatio*, *Perfectio*, *Defectus:* vel *Possibile*, *Impossibile*, *Potentiale*, *Actuale:* vel *majoritas*, *minoritas*, *affirmatio*, *negatio:* *additio*, *subtractio*, *multiplicatio*, *divisio:* *Positio*, *Privatio*, *Absentia*, *Præsentia* &c.: hi autem ternarii & quaternarii semper debent esse in aliqua *proportione* & *habitudine* suorum terminorum ad invicem, ut possint fieri *comparationes* unius principii ad aliud respectu ipsius A. primò positi, de quo agit

agit demonstratio, quæ proportio facillimè habetur, quia cùm omne particulare sit reducibile vel ad Figuram A. vel ad Figuram T., & omnia Principia Figuræ A. sint in *proportione arithmetica*, h. e. *æqualitatis*, & omnia Principia Figuræ T. sint in *proportione geometrica*, h. e. *majoritatis & minoritatis*, si termini cadunt in Figuram A, semper erunt in proportione æqualitatis: si verò cadunt in Figuram T., semper erunt in proportione majoritatis & minoritatis; si autem incidunt in utramque figuram simul, participabunt simul de utraque: quæ omnia fient clariora per exempla.

Factâ collocatione terminorum in proportione fit *comparatio* unius termini cum altero; ideo *comparatio* est *primum* instrumentum in executione, quamvis sit *sextum* in ordine: huic comparationi serviunt *quatuor triangula* Figuræ T., scilicet *croceus*, *viridis*, *rubeus & niger*, nam omnis comparatio termini ad terminum fit secundùm majus, minus, æquale; differentiam, concordantiam, contrarietatem, principium, medium, finem, affirmationem, dubitationem, negationem.

Comparationi succedit *Æquatio* cum suis subordinatis principiis, quæ sunt *positio privatio*, *additio subtractio*, *multiplicatio divisio &c.*; tamdiu enim termini ducuntur per dicta sex principia, donec in fine proveniat æquatio aut per impossibile aut per necessarium, quâ obtentâ habetur unus passus harmonicus in compositione, h. e. una Demonstratio de particulari quæsito, quæ Demonstratio in Lib. Contempl. semper dat primum Paragraphum ex triginta, quibus absolvitur una Circulatio circa centrum, h. e. A. sive principale subjectum & objectum in Rubrica Capitis propositum.

Simili modo proceditur ad formandum secundum passum, videlicet secundam Demonstrationem vel §. connexum cum primo, & tertium cum secundo: & sic fit *Compositio*, componendo scilicet unam Demonstrationem cum altera, donec tandem perficitur tota *Circulatio*, si placet.

Unde conjicies, quòd quatuor hæc inferiora Instrumenta, videlicet comparatio, æquatio, compositio & circulatio serviant tribus superioribus, nempe Significationi, Demonstrationi & Persuasioni; nam per totam comparationem, æquationem & compositionem simul currunt *Significatio* & *Demonstratio*, donec in fine *Circulationis* generetur *Persuasio*.

Observa tamen, quòd (licèt hic sit ordo & successio septem Instrumentorum in movendo se secundùm tres species motûs, qui requiruntur ad integram compositionem, videlicet *sursum*, *deorsum* & in *circulum*) quando unum horum septem instrumentorum est in actione, reliqua debeant illud juvare secundùm suam indigentiam, aut omnia simul, aut aliqua, prout materia postulat, cùm omnia habeant mutuam connexionem.

Sed quia Doctrina hactenus tradita difficulter intelligetur ab omnibus, & adhuc difficiliùs redigetur in praxin, nisi per exempla elucidetur, ideo in sequenti primo Circulo de singulis septem dabo singula exempla, per ordinem incipiendo à primo, postea contraham omnia septem in unum exemplum, & sic finem imponam *primo Circulo* de Principiis Artis & Modo demonstrandi per ipsa, sit igitur

Primus Circulus.

Ad danda Exempla de *Comparatione* convenit paratam habere Tabulam proportionalium, quam dedimus in fine Geometriæ *in Revel. Secret. Art. Tom. 1. fol. 142.*, cujus hìc dimidiam partem tantùm ponimus, quia altera dimidia pars facilè elicitur invertendo quamlibet proportionem datam, v. g. a, b. c. d. in d. c. b. a. &c.

Tabula Proportionalium.

Rectæ.

Ordinatæ	recta recta	1	a	b	c	d
	recta inversa	2	a	b	d	c
	inversa recta	3	b	a	c	d
	inversa inversa	4	b	a	d	c
Alternæ	recta recta	5	a	c	b	d
	recta inversa	6	a	c	d	b
	inversa recta	7	c	a	b	d
	inversa inversa	8	c	a	d	b
Transpos.	recta recta	9	a	d	b	c
	recta inversa	10	a	d	c	b
	inversa recta	11	d	a	b	c
	inversa inversa	12	d	a	c	b

Æqualitatis

Ordin.	recta recta	1	a	b	c	d
	inversa inversa	2	b	a	d	c
Altern.	recta recta	3	a	c	b	d
	inversa inversa	4	c	a	d	b

Major. & Minor.

Exempla de *Comparatione* docebunt usum præcedentis tabulæ proportionalium: dentur vel sumantur quatuor termini ex tribus Figuris extracti vel ad illas reducibiles, & ponantur è regione literarum a. b. c. d.; manifestum est ex dictis suprà, quòd cadent in aliquam duarum proportionum, vel *in proportionem æqualitatis*, vel *majoritatis & minoritatis* (si sunt proportionales in *simplicibus* proportionibus) vel in *utramque* (si sunt proportionales *compositæ* de utraque): secundùm hanc ergò relationem *tria Exempla* Comparationis sunt possibilia, *quæ erunt Regulæ infinitarum similium faciendarum:* ad meliùs intelligendam proportionem æqualitatis inspiciatur priùs sequens Figura, in qua patet ad oculum, quòd A. ad B. sit, ût C. ad D., & è converso: & A. ad C., ût B. ad D., & è converso: sit ergò



Primum Exemplum de proportionalibus in *proportione æqualitatis*, sumantur quicunque tres vel quatuor termini ex Figura A., v. g. A. *Sapientia infinita*, B. *Amor infinitus*, C. *Operatio infinita sapientiæ*, D. *Operatio infinita amoris*, & ponantur juxta Artem in Tabula proportionalium, sic:

A	Sapientia infinita
B	Amor infinitus
C	Operatio infinita sapientiæ
D	Operatio infinita amoris.

Manifestum est *per triangulum croceum*, quòd hi quatuor termini sint *æquales*, cùm unum infinitum non possit esse majus altero infinito; ergò comparando illos inter se, necessariò sequitur, quòd, sicut sapientia infinita se habet ad amorem infinitum, sic operatio infinita sapientiæ se habeat ad operationem infinitam amoris: vel breviùs per methodum algebraicam Lullianam, sicut se habet A. ad B., sic C. ad D.: unde statim patet numerus possibilis

sibilis comparationum horum quatuor terminorum, videlicet 24., quem expeditè percurres, si sequaris ordinem Tabulæ præcedentis.

Quæres, quis sit usus dictarum comparationum? Respondeo:

Usus primi Exempli est iste: educendo ex his quatuor proportionalibus *Demonstrationem Trinitatis*: sit

A	supremum Bonum
B	inferius Bonum
C	Bonum
D	Malum.
E	Sapientia infinita
F	Amor infinitus
G	Operatio infinita sapientiæ
H	Operatio infinita amoris.

Sic præparatum erit Systema; ad abbreviandam verò Demonstrationem utar methodo algebraicâ, ut Condiscipuli alliciantur ad usum notatum algebraicarum, cùm sit facilis, delectabilis & facilè transmutabilis ab universali in particulare.

Necessarium est, quòd E. sciat omne C. & D., quod est in B., quia si non sciret, E. non esset in A.: necessarium est, quòd F. amet omne C., quod est in B., & non amet omne D.; quia si amaret omne D., amaret peccatum; & si amaret peccatum, F. non esset in A.: unde si in A. non essent G. H. cum aliqua distinctione, necessarium esset, vel quòd E. nesciret omne B., vel quòd F. amaret peccatum in B., vel quòd E. esset majus quàm F. in B.; & si E. esset majus quàm F. in B., E. ipsius A. esset majus, quàm F. ipsius A.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd necessariò sit opus in A., ut E. F. in A. sint æqualiter supra B., & ut sint æqualiter in A., hoc autem opus necessariò *significat & demonstrat* Trinitatem: vid. Doct. Illum. *Lib. 3. Mir. Dem. c. 5. n. 7. fol. 96. Tom. 2.*, ubi habetur integra Demonstratio.

Dedimus unum Exemplum per quatuor terminos explicitos figuræ A., addemus alterum exemplum per duos terminos explicitos & duos implicitos ejusdem figuræ: sit A. *Unitas*. B. *Trinitas*. C. *Intellectus*. D. *Voluntas*: his quatuor terminis positis in Tabula proportionis, manifestum est per *Triangulum croceum*, quòd A. B. sint æqualia, & C. D. similiter; unde sicut se habet A. ad C., sic B. ad D. per *proportionem alternam*, & sicut se habet A. ad D., sic B. ad C. per *proportionem transpositam*, ergò sicut se habet A. ad C., sic B. ad C., & sicut se habet A. ad D., sic B. ad D.: hoc posito sequitur

Usus Exempli: eliciendo ex his quatuor proportionalibus *Demonstrationem æqualis possibilitatis demonstrandi in hac vita Mysterium S. Trinitatis & Unitatis*; sit

A	DEUS.
B	Unitas
C	Trinitas
D	Intellectus
E	Voluntas.

Intellectualiter intelligimus, esse certum, quòd D. ipsius A. æqualiter intelligit B. C., & E. ipsius A. æqualiter amat B. C., quia secundùm supradictas ultimas proportionales, B. C. æqualiter se habent ad D. E.: unde si B. C. D. E. essent inter se æquales in A., & non produxissent similitudines inter se æquales in creatura, h. e. animâ rationali, sequeretur, quòd B. C. D. E. ipsius A. per se essent concordantes, & per suam creaturam essent sibi contrariæ, quia una esset major alterâ in producendo; & si sic, non esset perfecta proportio & comparatio inter A. & creaturam, & inter B. C. D. E. ipsius A., & B. C. D. E. ipsius creaturæ; & hoc est impossibile.

Si B. C. D. E. ipsius S., hoc est, animæ rationalis sunt æquales, ût probatum, ergò sicut se habet B. C. de A. ad D. de A., sic se habebit B. C. de S. ad D. de S.; & sicut se habet B. C. de A. ad E. de A., sic se habebit B. C. de S. ad E. de S., ergò D. E. de S. possunt æqualiter attingere B. C. de A. *per medium* B. C. de S., quod attingere est in speculo & ænigmate demonstrare B. C. de A., quod erat demonstrandum.

Secundum Exemplum de proportionalibus in *proportione majoritatis & minoritatis*.

Sicut in Geometria rarissimus & vix ullus est usus antecedentis proportionis ab æqualitate quatuor proportionalium, sic sequentis proportionis à majoritate & minoritate est frequentissimus & perpetuus, quem in subjecta Figura ob oculos ponimus, ut eò facilius per imaginationem intellectus elevetur à Geometria inferiori ad superiorem.



In hac figura patet ad sensum, quòd sicut se habet A. ad B., sic C. ad D.: sed quia non omnes intelligunt Geometriam, dabo exemplum per Arithmeticam; v. g. sicut se habent 3. ad 6., sic se habent 4. ad 8.: igitur secundùm similem proportionem erit sequens Exemplum.

Accipe quatuor terminos ex Figura T., quia huic figuræ propriè competunt proportionales in proportione geometrica, hoc est, majoritatis & minoritatis; v. g. sit A. *intellectuale*. B. *sensuale*. C. *majoritas*. D. *minoritas*: qui positi in Tabulam minorem proportionalium monstrant, quòd A. ad B. sit, sicut C. ad D., vel *alternè* A. ad C., sicut B. ad D.; & quia suprà dixi, quòd quodlibet septem Instrumentorum debeat juvare alterum, quamvis unum sit à prædominio, hìc monstrabo, quomodo *Compositio* juvet *Comparationem*, *ut hoc Exemplum sit Regula generalis faciendi infinita similia*.

Duobus terminis A. B., qui sunt in Figura T. *explicitè*, addatur unus, qui in Figura T. est *implicitè*; v. g. *visus*, quia reducitur ad *sensuale*: duobus verò terminis C. D., qui sunt in figura T. *explicitè*, addatur unus, qui in Figura T. est *implicitè*, scilicet in termino *Dignitates*, & in Figura A. est explicitè, scilicet *perfectio*, quia perfectio est Dignitas A., quo facto prodibit sequens *proportio composita*, & sic manebit eadem proportio invariata, quæ priùs; nam A. erit ad C., ût B. ad D., & è converso.

A	Visus intellectualis
B	Visus sensualis
C	Major perfectio
D	Minor perfectio.

Usus secundi Exempli: cùm DEUS ordinaverit, ut *per unam Demonstrationem intelligatur altera*, ideo per Demonstrationem sensualem significamus *possibilitatem, quam intellectus habet, intelligendi Articulos Fidei per necessarias Rationes*: sit

A	Gratia DEI
B	Magis necessarium
C	Minùs necessarium
D	Finis perfectionis
E	Visus intellectualis
F	Visus sensualis
G	Major perfectio
H	Minor perfectio

Quia F. convenit cum H., & tamen pervenit ad suum D., etiam E., quod convenit cum G., debet posse pervenire ad suum majus D. per A.; quia si non, sequeretur, quòd F. conveniret cum G., & E. cum H.; & hoc est impossibile, & contra datam proportionem: per quam impossibilitatem significatur, quòd sicut F. habet dispositionem, per quam se movet ad suum D., quod illi est B. & C., sic E. per ordinatam dispositionem habeat aptitudinem, ut se moveat ad D. B., hoc est, Articulos, & etiam ad D. C., quod erat demonstrandum. *Doct. Illum. Lib. 1. Mir. Dem. cap. 50. fol. 18. Tom. 2.*

Tertium Exemplum de proportionalibus in *proportione æqualitatis, majoritatis & minoritatis simul*, hæc proportio repræsentatur intellectui per visum & imaginationem in hac figura, in qua est ût A. ad B., sic C. ad D., & è converso.



Accipe jam quatuor terminos, qui sint in data proportione; v. g. cape duos, A. *suprema Justitia*, B. *suprema Misericordia*, qui sunt explicitè in figura A., & duos alios, C. *Culpa*, D. *Pœna*, qui sunt implicitè in figura T., nam *Triangulus lividus* significat, quòd culpa & pœna conveniant cum *Creatura*, & hoc idem significat *Triangulus viridis* per *contrarietatem*, quæ est inter justitiam & injuriam creaturæ; idipsum confirmant reliqui tres Trianguli.

Præterea probatur, quòd C. D. sint *æquales*, quia si non, in A. esset defectus de A. vel per majus C. & minus D., vel per majus D. & minus C.; quod est impossibile: A. B. verò esse inter se *æquales*, de se patet, cùm sint ex figura A.

Unde comparando illas inter se, sicut se habet A. ad C., sic B. ad C.; & sicut se habet A. ad D., sic B. ad D.; & sicut se habent A. B. ratione *æqualitatis, differentiæ & pluralitatis* ad unum C. vel D., sic C. D. se habent ratione æqualitatis, differentiæ & pluralitatis ad unum A. vel B.

Usus tertii Exempli: per hoc exemplum *significatur Sancta Gloriosa Trinitas, quæ nobis est speculum & demonstratio, quomodo inveniamus vias, per quas S. Incarnatio Filii DEI, quam nos inquirimus, sit reperibilis per rationes necessarias*. Doct. Illum. Lib. 4. Mir. Dem. c. 9. n. 5. fol. 182.: sit ergò

A	Supremum Bonum.
B	Inferius Bonũ v. hum. Species
C	Finalis Intentio
D	Injuria & Culpa
E	Suprema Justitia
F	Suprema Misericordia
G	Venia
H	Pœna.

Majus D. est, quòd B. sit contra A.; quia si non, A. non esset suprà B., & hoc est impossibile: per quod demonstratur, quòd A. puniat majus D.; quia si non puniret, A. non esset E.; & hoc est impossibile: per quod demonstratur, quòd, si A. non punit totum D., D. esset majus, & E. minus; & hoc est *impossibile*: quia si esset *possibile*, B. esset majus per D., quàm A. per E.; & hoc est impossibile.

Si totum B. fuisset punitum, non sequeretur C., propter quod A. creavit B, quod C. est, ut A. cognoscatur & ametur; & si non sequeretur C., sequeretur, quòd in A. esset privatio bonitatis, sapientiæ & E.; & hoc est impossibile.

Si A. non posset plus condonare, quàm B. peccare, sequeretur, quòd D. esset majus, quàm F.; & hoc est *impossibile*: quia si esset *possibile*, D. esset majus, quàm E., cùm E. & F. sint unum & idem in A.: per quam unitatem demonstratur, quòd sicut E. potest punire totum D., quia E. est majus quàm D., ita F. possit condonare totum D.; quia F. est majus, quàm D.; & si F. potest remittere ipsi B. totum D., quod habuit in Adam, & non remittit, sequitur, quòd E., quod potuit punire & punit totum D., sit majus, quàm F., vel quòd E. F. sint contraria in A.; & hoc est impossibile.

Cùm B. sit unum, & E. F. sint etiam unum in A., est contradictio, quod E. puniat, & F. condonet totum eidem, si in A. non est distinctio; sed quia E. F. sunt idem in Patre, & sunt idem in Filio, quem Pater generat, ideo E. F., quæ sunt Pater, sunt distincta ab E. F. quæ sunt Filius (relativè & personaliter, non essentialiter); & quia E., quod est Pater, est majus, quàm totum D. ipsius B., ideo punit totum B.; & quia F., quod est Filius, est majus, quàm totum D. ipsius B., ideo condonat toti B., & quia Pater est F., & Filius est E., ideo E. F. differunt & concordant in puniendo & condonando B.; & ideo cessat omnis contradictio.

Si Filius DEI est incarnatus, in B. est F. æquale ipsi E., quod est in A., & in B. est E. æquale ipsi F., quod est in A., & ex hac æqualitate procedit æqualitas ipsorum G. H. in B., quod erat demonstrandum. Doct. Illum. *loco suprà citato*.

Quemadmodum Proportio & Comparatio fuerunt nobis utile instrumentum ad danda exempla in *Theologia*, secundùm quorum normam infinita alia in eadem scientiâ possunt & debent fieri, sic eadem proportio & comparatio sunt utile & necessarium instrumentum ad danda exempla in *Philosophia, Geometria, Arithmetica, Musica* & omni alia Scientia, prout ex parte jam fuit ostensum *in Revel. Secret. Artis in Tom. 1.*, ubi c. 3. *in Arithm.* fol. 113. demonstravi genesin Universalis Scalæ naturalis figuræ T. & graduum illius in proportione geometrica naturali simplici existentium, & ejus divisionem practicam docui in *Musica* ibidem, tam musicam quàm geometricam *naturalem* NB. fol 125. §. *antequam finiamus*; sed ne mihi contingat, quod Illum. meo Magistro circa suum modum quadrandi Circulum, hìc aperiam, quod ibi reticui, videlicet, quòd inter datas duas lineas in proportione dupla existentes non sit quærenda media proportionalis *artificialis* vulgo nota, sed *naturalis*, quod Sapientes satis potuissent colligere ex numeris ibi positis, scilicet 1. 2. 4. 8. 16., nam *prima* quæsita media proportionalis naturalis est ipsa 16. *secunda* 8. *Tertia* 4. *quarta* 2. *quinta* 1. quæ simul sumpta dant 31., quod nunquam fieret, si sumeretur primò pro-

portionalis geometrica artificialis communis, quia per illam in infinitum subdivisam nunquam perveniretur ad *primam unitatem*, quæ est *principium* omnium proportionalium in proportione geometrica naturali simplici.

Exempla de Æquatione: duas species esse æquationis, dixi suprà Dist. 1. c. 3. f. 11. col. 1., in quibus danda sunt Exempla, scilicet *æquatio per necessarium*, & *æquatio per impossibile:* unde cùm tota practica tam realis quàm intentionalis in his duabus speciebus peragatur per *sex Principia* ibi nominata, videlicet per *Positionem*, *Privationem*, *Additionem*, *Subtractionem*, *Multiplicationem* & *Divisionem*, & per *Regulas* ex illis deductas, has Regulas hoc loco ponere convenit, sinè quibus practicam exercere non valemus.

Regulæ.

De Additione.

Si additur	1 Positivum positivo	Provenit	1 *Summa* positiva.
	2 Privativum privativo		2 *Summa* privativa.
	3 Positivum privativo *æquali*		3 *Nihil.*
	4 Positivum privativo *majori*		4 *Differentia* privativa.
	5 Positivum privativo *minori*		5 *Differentia* positiva.

De Subtractione.

Si subtrahitur	1	Positivum à positivo, vel Privativum à privativo	*æquali*	Remanet	1 *Nihil*
	2	Positivum à positivo	*majore* / *minore*		2 *Differentia* positiva. / privativa.
	3	Privativum à privativo	*majore* / *minore*		3 *Differentia* privativa. / positiva.
	4	Positivum à privativo			4 *Summa* privativa
	5	Privativum à positivo.			5 *Summa* positiva

De Multiplicatione.

Si multiplicatur	1	Positivum cum positivo, v. privativum cum privativo	productũ est positivum.
	2	Positivũ cum privativo, v. privativum cum positivo	productũ est privativum.

De Divisione.

Si dividitur	1	Positivum cum positivo, vel privativum cum privativo	quotus est positivus.
	2	Positivum cum privativo, v. privativum cum positivo	quotus est privativus.

Exempla.

De Additione. 1. + + 2. − − 3. ± 0 4. − − 5. ± +

De Subtractione. 1. ± vel ∓ 0 2. ± + & ∓ − 3. ∓ − & ∓ + 4. ± −

De Multiplicatione & Divisione. 1. ± vel ∓ + 2. ± vel ∓ −

Notandum *primò* circa præcedentes Regulas, illas non solùm inservire Arithmeticæ & Geometriæ, sed omni scientiæ, præsertim verò Analyticæ naturali & Philosophiæ: ex quo patet, illas esse generaliores in Arte Lulliana, quàm in dictis duabus scientiis, ût jam suprà Dist. 1. fuit notatum: ad hoc autem, ut usus illarum sit generalior, requiritur, ut A.B.C.D.E.F., quæ sunt in his Regulis, misceantur cum principiis, quæ ponuntur in reliquis quadrangulis & uno triangulo hìc subjectis.

A	Realis	N	Intensio
B	Intentionalis	O	Remissio
C	Naturalis	P	Simplicitas
D	Artificialis	Q	Compositio
E	E Aër	R	Generatio accidentalis
F	I Terra	S	Corruptio accidentalis
G	N Ignis	T	Generatio substantialis
H	R Aqua	V	Corruptio substantialis
I	Virtus	X	Finitum
K	Materia	Y	Infinitum
L	Actio	Z	Utrumque.
M	Passio.		

Si præcedentes Regulæ, adhibeantur ad supradictum alphabetum, unum quaternarium comparando ad alterum, ût in Exemplis antecedentibus & sequentibus patet, prodibunt infinita particularia, h. e. Demonstrationes intellectuales & sensuales.

Notandum *secundò*, Regulas modò dictas esse ordinatas ad X. & Z. supradicti alphabeti, & non ad Y., quia Y. realiter non recipit additionem, subtractionem, multiplicationem & divisionem nec privationem, sed quia Y. cadit in intellectum humanum intentionaliter, per unum modum sub ratione Y., & per alterum modum sub ratione X., ideo sub ratione Z. tam intentionaliter quàm realiter potest cadere in dictas Regulas, de quo alibi plura, quando monstrabitur, quomodo infinitum sit applicabile ad demonstrationes formandas de *quanto* & *numero* & *quali* & reliquis rebus creatis, quod excedit limites hujus compendii. Exemplum primum de *Z. reali* patet in Christo, de quo multæ Quæstiones in Theologia solvendæ per *finitum* & *infinitum*. Exemplum secundum de *Z. intentionali* patet de *Circulo* & *Triangulo inscripto* æquatis inter se in quanto per Y., salvâ utriusque differentiâ.

Primum Exemplum de Æquatione per necessarium: præter supradictas Regulas necessariæ sunt *tres Conditiones*, quæ regulant ipsas Regulas in practica æquationis, quarum *prima* est *communis* duabus speciebus, *secunda* est *propria* primæ speciei, *tertia* est *propria* secundæ speciei.

Prima Conditio: quia omnis æquatio fit circa duo Principia Trianguli crocei, scilicet circa *Majoritatem* & *Minoritatem*, ad illa applicando *sex* antedicta principia, ideo si vis æqualificare majoritatem cum minoritate, inclina majoritatem ad minoritatem, & eleva minoritatem ad majoritatem per sex dicta principia tamdiu, donec producas æqualitatem, vel eleva minoritatem usque ad majoritatem, vel inclina majoritatem usque ad minoritatem, vel utramque eleva ad infinitum, vel utramque inclina ad nihil, & habebis æqualitatem.

Secunda Conditio: comparando æqualia ad idem vel ad æqualia æquatio est necessaria.

Tertia Conditio: comparando inæqualia ad idem vel ad æqualia æquatio est impossibilis.

Usus

Usus primi Exempli: per hoc universale volumus demonstrare tria particularia simul, duo in Theologia, & unum in Philosophia. Sit ergò

A	Supremum Bonum
B	Inferius Bonum
C	Infinitum
D	Finitum
E	Majoritas
F	Æqualitas
G	Minoritas.

Qui à B. subtraheret E. F. G. privaret totum B., & qui ad A. adderet E. F. G., privaret totum A.; & qui ad G., quod est in B., adderet C., elevaret G. sursum, & inclinaret E. deorsum, & qui ad E. G. adderet C C., elevaret E. G. sursum, & faceret majus F., quàm sit F., quod est de B. D., & remaneret E. G.; & qui minori F. adderet C C., remaneret F., & privaretur E. G.: & si in B. privaretur E. G. per additionem de C C. ad E. F. G., hoc, quod est B., esset A.; quia si non, sequeretur, quòd hoc, quod est B., non esset B. per hoc, quia habet E. F. G. D.; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd B. habens D. in E. F. G. posset esse A.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in A. sit F. de C C. sinè E. G.; quia si non, B. non posset converti in A. per additionem de C C. ad sua D D.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur C. F., Dict. Illum. *Lib. 3. Mir. Dem. c. 16. n. 1. fol. 115.*

Secundum Exemplum de Æquatione per impossibile: in hoc Exemplo apparebit applicatio tertiæ Conditionis, & dabitur experimentum *Punctorum Transcendentium*, de quibus dictum Dist. 1. c. 3. fol. 13. col. 2.: sit ergò

Usus secundi Exempli: in quo ponatur

A	DEUS
B	Æternitas
C	Mundus
D	Suprema superficies
E	Intellectus
F	Imaginatio
G	Magis nobile
H	Minùs nobile.

Manifestum est, quòd F. potest imaginari, C. esse æternum, per hoc, quia D. de C. est incorruptibile; sed non potest imaginari B. extra C.: unde si B. nullibi esset, nisi in C., & A. nihil esset, sequeretur, quòd E. non transcenderet F.; & si non transcenderet, E. per intelligere non esset G., quàm F. per imaginari; & hoc est impossibile, cùm E. possit intelligere B. in A., & F. possit tantùm imaginari B. in C.: & si E. transcendit F., quando intelligit B. in A., & A. nihil est, tunc E. non intelligit, sed ignorat, & E. F in intelligere & imaginari B. in A. sunt æqualia; quod est impossibile, per 3. Condit.

Si dicis, quòd E. vincat F. per intelligere Fidem, Spem, Charitatem &c., & quòd non vincat F. per B., non est verum, quia si vinceret per virtutes, & non per B., cùm virtutes sint H., & B. sit G., E. vinceret F. per H., & non vinceret F. per G., ergò E. F. per H. essent inæqualia, & per G. æqualia; & hoc est impossibile.

Certum est, quòd F. non possit imaginari aliquid ultra D., quia si posset, C. non haberet D.; & si non haberet, A. & C. in magnitudine essent æqualia; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, A. non esset G, & C. non esset H. per magnitudinem; & hoc est impossibile: unde si F. non potest imaginari ultra D., & E. non potest intelligere ultra D., sequitur, quòd E. F. in D. sint æqualia; & hoc est impossibile: ût patet per Condit. 3., Doct. Illum. *Lib. 2. Mir. Dem. c. 28. n. 4 fol. 52.*

Exempla de Compositione: Compositionem Dist. 1. c. 3. f. 11. col. 2. dixi esse *duplicem, generalem & specialem: generalem* vocavi, quæ est ex omnibus demonstrationibus *simplicibus* componentibus unam demonstrationem *compositam*, velut integram harmoniam in Musica: *specialem* vocavi, quæ est ex principiis ingredientibus unam demonstrationem simplicem; de qua ultima primò exempla dabo, cùm hæc sit principium Compositionis generalis.

Exempla de Compositione speciali: incipiendo itaque à quatuor Principiis, quæ requiruntur ad perfectam simplicem compositionem, quæ signentur per signa generalia literarum (ût moris est in Arte) videlicet per A. B. C. D., quibus positis sumantur sequentia Principia E. *universale*, F. *particulare*; G. *differens* & *concordans*, H. *differens* & *contrarium*; I. *æquale*; K. *majus*; L. *minus:* nam per hæc octo Principia inter se combinata (ût hæc Tabella indicat) formantur omnes differentiæ compositionum, tam *simplicium* quàm *compositarum*. Sint ergò

E G I	F G I	E H I	F H I
E G K	F G K	E H K	F H K
E G L	F G L	E H L	F H L

Exempla de simplicibus: componantur cameræ in prima Columna Tabellæ secundùm ordinem cum A. B. C. D., & habebis quatuor quaternarios simplices. v. g.

1.	A. E G I	Bonitas	
	B. E G I	Amor	
	C. E G I	Veritas	
	D. E G I	Sapientia	
2.	A. E G K	DEUS	
	B. E G L	Creatura	
	C. E G K	Operatio DEI	
	D. E G L	Operatio Creaturæ	
3.	A. E H I	Malitia	
	B. E H I	Odium	
	C. E H I	Falsitas	
	D. E H I	Stultitia	
4.	A. E H K	Ignorantia DEI	
	B. E H L	Ignorantia Creaturæ	
	C. E H K	Odium DEI	
	D. E H L	Odium Creaturæ.	

Hi quatuor quaternarii sunt quatuor formulæ generales ad faciendos infinitos alios quaternarios similes, mutando tantùm terminos literis affixos in alios terminos, dummodo se habeant in eadem proportione; v. g. primus quaternarius est transmutabilis in hunc *Justitia, Misericordia, actus Justitiæ, actus Misericordiæ:* vel *libertas, necessitas, actus libertatis, actus necessitatis*; ex quibus ultimis terminis formari potest pulchra demonstratio in Theologia.

Cameræ horum quatuor quaternariorum possunt iterum componi inter se; v. g. sumendo duos ex primo quaternario, & duos ex tertio; ût A. E. G. I., B. E. G. I., A. E. H. I., B. E. H. I.; vel sumen-

mendo duos ex secundo quaternario, & duos ex quarto: ût A.E.G.K., B.E.G.L., A.E.H.K., B.E.H.L., & hæ omnes compositiones positæ in Tabula proportionalium possunt subire multas variationes.

Ulteriùs componendo secundam columnam Tabellæ cum quatuor literis A.B.C.D. fient alii quatuor quaternarii, v.g. A.F.G.I., *summa forma*, B.F.G.I. *summa pluralitas*, C.F.G.I. *summa demonstratio*, D.F.G.I. *summa distinctio*, & sic de cæteris tribus, qui iterum possunt componi inter se, ût præcedentes.

Præterea possunt componi inter se quaternarii primæ columnæ, cum quaternariis secundæ columnæ; v.g. A.E.G.K. *Virtus*, B.E.H.L. *Vitium*, C.F.G.K. *humilitas*, D.F.H.L. *superbia*: & hæ omnes formæ componendi sunt tantùm *simplices*, quòd si compositas ex his vellemus recensere, (præterquam quòd esset superfluus labor; cùm facilè à quovis pro exigentia materiæ ex tempore singulæ compositæ perfici queant), augeretur numerus ferè sinè numero.

Exempla & Usus Exemplorum de Compositione speciali & generali simul: ad demonstrandum usum de *Compositione generali* constitutâ ex multis *compositionibus specialibus*, selegi solutionem Quæstionis cujusdam insignis: *Quomodo DEUS ordinaverit hominem inter duos motus?* quam affert Doctor Illum. *Lib. 2. Dist. 11. cap. 46. de Contempl*; & quia idem specimen cum *Compositione* junctam habet *Circulationem*, ideo ad abbreviationem Artis

Exemplum & Usum de *Circulatione* in hoc specimine pariter indicabo. Sit

A	DEUS	M	Amor
B	Ordinatio DEI	N	Odium
C	Homo	O	Perfectio
D	Esse	P	Defectus
E	Privatio	Q	Duratio
F	Primus Motus	R	Privatio durationis
G	Secundus Motus	S	Virtus
H	Bonitas	T	Vitium
I	Malitia	V	Sapientia
K	Veritas	X	Stultitia
L	Falsitas	Y	Justitia
		Z	Injuria.

Nota 1., quòd in hoc Systemate particulari sint *decem binarii*, quorum primus D.E. est *universalis*, reliqui novem respectu primi sunt *particulares*: ex his decem binariis componuntur *novem quaternarii*, ût postea videbitur in praxi; jungendo enim D.E. cum F.G. fit primus, & D.E. cum H.I. fit secundus, & sic ulteriùs.

Nota 2., quòd ex dictis est evidens, totum inferius specimen esse generaliter eductum ex *duabus columnis* superioris Tabellæ, nam primus binarius D.E. est E.G.K.: E.G.L., & omnes reliqui novem binarii sunt F.G.K., F.G.L.; unde primus quaternarius secundùm Artem sic stat.

A.	E G K	Esse
B.	E G L	Privatio
C.	F G K	Primus Motus
D.	F G L	Secundus Motus

Nota 3., quòd D.E. non moventur, cùm sint *universalissima*, sed F.G.H.I. &c. moventur, cùm sint *particularia*.

Nota 4., quòd in hoc consistat *Compositio generalis & Circulatio*, quia D.E. se moventia à prima demonstratione ad secundam assumendo unum binarium, & relinquendo alterum, percurrunt successivè totum Circulum alphabeti.

Nota denique 5., quomodo in hoc exemplo (quod ideo inter cætera facilius & magis intelligibile elegi) applicentur Dignitates Dei ad elicienda ex illis particularia in Creaturis.

A.B.C. D.E.F.G. Igitur vide & considera: intellectualiter intelligimus, esse B. ipsius A., quòd sit concordantia inter D. & F., & inter E & G.; & quia A. posuit C. inter D.E., posuit ipsum inter F.G.: unde quia F. venit à D., quoties C. se movet per F., toties se movet ad agendum H., & quia G. venit ab E. quoties C. se movet per G., toties se movet ad agendum I.; & hoc B. est ideo, quia C. venit de E. in D.; unde cùm D. sit H. ipsi C., quoties C. agit H., movet se per F., quod est propinquum ipsi D.C., & est remotum ab E.C., & cùm E. in se sit I., quoties C. agit I., movet se per G., quod est propinquum ipsi E., & remotum à D.

D.E.H.I. Est B. ipsius A., quòd in C. priùs sit D.H, quàm D.I., quia in C. priùs fuit D., quod est H., quàm peccatum, quod est I & est E. ipsius H.: idcirco priùs fuit H. in C., quàm I.; & hinc est rationabile, quòd H. vocetur F., & I. vocetur G.

D.E.K.L. Quemadmodum A. honoravit K. super L., sic fecit B., ut honoretur F. super G.; quia sicut L. est in D., ut cognoscatur K., sic G. est in D., ut cognoscatur H. ipsius F.

Sicut A. fecit B. in quatuor elementis, quod duo ascendant per *levitatem*, & alia duo descendant per *gravitatem*, sic fecit B., quòd C. ascendat ad A. per F., & descendat ad abyssum per G., & sicut duo elementa levia ascendunt ratione suæ naturæ, sic C., qui per F. ascendit ad A., ascendit per *gratiam* A., quam A. posuit in F., quæ gratia convenit cum D. & M.

D.E.M.N. Sicut duo elementa gravia descendunt ratione suæ naturæ, sic C., qui descendit in infernum, descendit ratione G., quod est in E. gratiæ ipsius A. in hoc, quod G. est de natura E. & N.

D.E.O.P. A. sapienter fecit B., quòd quoties C. se movet cum F., se moveat secundùm motum essentialem, qui participat de O. gratiæ unito cum D., & quoties se movet cum G., se moveat secundùm motum accidentalem, qui participat de P. gratiæ unito cum E.

Cur F. sit motus *naturalis* ipsius C., est, quia C. est creatum ad operandum D. ipsius H; & cur G sit motus *contra naturam*, est, quia C. agens I. operatur id, quod non est de natura D. ipsius C., sed est de natura E., propter quod E. homo non venit in D.

D.E.Q.R. Quia A. in C. fecit B. liberæ voluntatis inter F.G., quando C. se movet per G., se movet ad E.Q., quod est R; quia G. & E. sunt similia in natura; & quando C. se movet per F., se movet ad Q., quia F. & D. sunt similia in natura.

D.E.S.T. Quamvis in C. cadat T., non tamen sequitur, quòd T. sit ab A. nec per A., nam quamvis G. sit T. & I, & C. fit subjectum ipsi T., per hoc tamen T. non cadit in C. per operationem A., sed per E: quod est radix, à quo oritur G. in C. accidentaliter, ideo causa, quare C. se movet ad T., non est D., quod A. dedit ipsi C., sed est E., à quo C. venit in D.

Bonum,

D.E.U.X. Bonum est B. ipsius A., quod posuit C. inter F.G.; quia quando C. se movet per G. sinè U., damnatur ab A. cum U.

D.E.Y.Z. Et quando C., quod est in Y., se movet per F. cum U., salvatur ab A. cum U.: unde benedictum sit B. & U. ipsius A., quod tam sapienter ordinavit, quòd, quidquid C. faciat in hoc mundo, si agat sinè U., eat per G. & X., quæ sunt similia ipsis Z. & E.; si verò agat cum U., eat per F. & U., quæ sunt similia ipsis Y. & D.

Si cupis dupliciter proficere ex dato exemplo, accipe principia Alphabeti, quod positum est post *Regulas*, post *notandum primò*, & cum illis principiis operationem instituas secundùm exemplum, quod tibi monstratum est, hâc enim ratione in Physica & Analytica elicies innumeras *Demonstrationes* non nudè *speculativas*, sed tales, quæ te infallibiliter perducent ad totidem *demonstrationes practicas & experimentales* utilissimas; v.g. si scire cupis, quomodo fiat intensio & remissio qualitatum in elementis, item quot sint gradus intensionis & remissionis, quo ordine situentur in subjecto, quo ordine qualitates agant & patiantur in alteratione, generatione & corruptione, si (inquam) ista non opinari sed scire & infallibiliter cognoscere desideras usque ad manuale experimentum intellectu intelligibile & sensu perceptibile, applica dictos terminos secundùm Artem tibi traditam, & productas demonstrationes speculativas metire experimentis, non mechanicis sed physicis, quibus acquisitis ridebis inanes horum altercationes, & tacebis.

Exempla de Significatione: cùm tot sint species significationum, quot sunt species qualitatum, ût habetur *Dist. 1. cap. 3. lit. B. fol. 8. c. 2.*, & species qualitatum sint *quatuor*, tot erunt species significationum, ut quælibet qualitas habeat suam propriam significationem; unde ad abbrevianda exempla, quæ de significatione sunt adducenda, convenit uti *notis algebraicis*, ût sequitur.

A	Qualitates
B	Significationes
C	Sensuales
D	Intellectuales
E	Accidentales
F	Essentiales.

A C	B C
A D	B D
A E	B E
A F	B F

A. dant de se ipsis B. *quatuor* modis: *primus*, quando unum A. significat alterum, sed non vicissim ab illo significatur; e.g. *frigus* significat *passionem*, sed passio non significat frigus, quia sinè frigore potest esse passio in homine: *secundus*, quando duo A. se significant mutuò; e.g. *prædicatum* significat *subjectum*, & è converso: *tertius*, quando unum A. significat duo, tria vel plura; e.g. *forma corporea* significat *longitudinem, latitudinem & profunditatem*: *quartus*, quando duo, tria vel plura A. simul significant unum A.; e.g. *memoria, intellectus & voluntas* significant *unam formam intellectualem*.

Si hi quatuor modi ducantur in quatuor species significationum, videlicet in B C. B D. B E. B F., conficient sedecim.

Sicut *quatuor species* significationum stant sub uno *genere Qualitatum*, sic sunt *quatuor genera*, de quibus singulæ quatuor species significant: videlicet 1. *Qualitas de Qualitate*: 2. *Qualitas de substantia, & è converso*; 3. *Qualitas de veritate & falsitate*: 4. *Qualitas de Ordinatione & inordinatione*, ût suprà Dist. 1. c. 3. fol. 8. col. 2. dictum: & quia de primo genere, scilicet de A.A. jam dictum, de reliquis tribus per ordinem etiam est dicendum.

Significetur *Substantia* per literam G. *Quinque* sunt *Modi*, quibus A. significat G.; *primus*, quando unum A. significat G. cum significatione alterius A.; *secundus*, quando A. significat G. cum sua propria significatione; *tertius*, quando A. in G. significat aliud A.; *quartus*, quando unum, duo, tria vel plura A. simul significant G.; *quintus*, quando G. significat unum, duo, tria vel plura A. simul.

Unde cùm sint *tria* G., scilicet G C., G D. creatum, & G D. increatum, convenit inquirere B A. in tribus G., quia sicut sunt diversa A G., sic convenit esse diversa B.: si igitur supradicti quinque modi applicentur dictis tribus G., producent *quindecim* modos significandi, de quibus singulis exempla dare non finit hoc Compendium: relictis ergò primo & secundo G., quæ sunt *Creaturæ*, & sunt de Figura T., aliqua exempla dabo de tertio G., quod est de DEO & Figura A., nam per A.B. Dei revelantur omnia A.B. Creaturarum; in quibus exemplis semper tamen observandum, quòd sermo hominis convenit cum C., & intellectus cum D., & B.A.G. Dei sunt D., ideo meliùs exprimuntur per D. quàm per C. hominis.

Sed antequam proferam ipsa exempla, convenit absolvere modos reliquorum duorum generum, scilicet H., h.e. *veritatis & falsitatis*, & I., h.e. *ordinationis & inordinationis*.

Quatuor sunt Modi, quibus A. dat B. de H.; *primus*, quando res sensuales & intellectuales sunt ordinatæ ad significandam veritatem; *secundus*, quando res sensuales sunt ordinatæ & intellectuales sunt inordinatæ ad significandam veritatem; *tertius*, quando res intellectuales sunt ordinatæ & sensuales sunt inordinatæ ad significandam veritatem; *quartus*, quando res sensuales & intellectuales sunt inordinatæ ad significandam veritatem. *Quatuor* denique sunt modi, quibus A. dat B. de I., 1. per *perfectionem*, 2. per *defectum*, 3. per *esse*, 4. per *privationem*.

Quia *Significationes sensuales, intellectuales, essentiales, accidentales*, quas qualitates creatæ dant de Creaturis, non significant & demonstrant perfectè *ordinationem & inordinationem*, ideo per significationes *intellectuales & essentiales* qualitatum Dei inquiremus ordinationem & inordinationem in Creaturis, & cum qualitatibus Creaturarum inquiremus significationes, quæ demonstrent illas ordinatas vel inordinatas; nam qualitates Dei & Creaturarum illas significant & demonstrant; sed qualitates Dei demonstrant *perfectè*, qualitates Creaturarum *imperfectè*: cujus nunc accipe

Usum in Exemplo: sit

A	DEUS
B	Opera Dei
C	Potestas
D	Sapientia
E	Voluntas
F	Creatura
G	Ordinatio
H	Inordinatio
I	Significatio & Demonstratio
K	Perfectio
L	Defectus
M	Esse
N	Privatio.

Cùm A. habeat K C. K D. K E., ideo omnia B. dant I. de G. in F.; quia si B. darent I. in F. de H., significaretur, quòd C D E. ipsius A. essent in L.: unde cùm sit verum, quòd Qualitates A. habeant omne K., ideo dant I. de G., sicut C D E., in quibus est L., dant I. de H.: quia sicut H. in F. non potest esse, nisi per L. de C D E., sic convenit, quòd I. de G. sit in F. per K., quod est in C D E. ipsius A.

Sed quia F. nescit cognoscere I. de G., quod G. dat I. per K C D E A., & nescit cognoscere I. de H., quod H. dat I. per L C D E F., ideo nescit tribuere G. ipsis C D E. de A., & H. ipsis C D E. ipsius F.

Exempla de Demonstratione: ex præcedenti exemplo apparet, quomodo *Significatio* & *Demonstratio* uniantur in applicatione Principiorum Figuræ A., quia quidquid infertur ex his Principiis connectendo Principium cum Principio, *necessario* infertur, cùm connexio Principiorum sit summè necessaria ratione identitatis illorum: unde hæc *identitas realis*, quæ reperitur in solo Deo, est longè nobilius fundamentum demonstrandi in Arte Lulliana, quàm identitas nominalis, quam intellectus fingit in Creatura.

Tres esse gradus vel species demonstrationis docet Doctor Illum. in *Arte Demonstrativa* Tom. 3., quarum *prima* & præstantissima est per *Æquiparantiam* vel *æqualitatem*, quando nimirum demonstratio fit per æqualia; e. g. quando demonstratur, quòd Deus non possit peccare, quia *Potestas* Dei identificatur cum *Justitia*, *Bonitate*, *Virtute* &c., quæ æqualiter contrariantur peccato, quod concordat cum *injuria*, *malitia*, *vitio* &c.: *secundam* & *tertiam* utpote minùs perfectas jam suprà recolui *Dist. 1. c. 3. fol. 9. col. 1.*

Et quia subjectum istius Artis est Circulatio *Principiorum primitivorum necessariorum & verorum, cum quibus investigamus objecta Summa, quæ significantur per ipsa*, scilicet Divinam Trinitatem & Incarnationem, *quæ cum gradu superlativo inquirimus*, ideo hæ tres species demonstrationis constituunt tres gradus, *quarum prima est posita in superlativo gradu, quia est de* Circulatione *Principiorum primitivorum & verorum in superlativo gradu: secunda est per causas* (quæ sunt eadem Principia, quatenus referuntur ad Creaturam tanquam ad suum effectum, & quandoque sunt Principia Creaturæ, ùt causæ inferiorum Principiorum) *& ista tribuitur gradui comparativo, tertia verò est per effectus* (& sunt eadem Principia, prout sunt in Creatura, ùt effectus summorum Principiorum) *& ista tribuitur gradui positivo.* Doct. Illum. in Prol. Art. Mixt. Th. & Phil.

In singulis his tribus gradibus fit Circulatio Principiorum; sunt ergò tres Circulationes respondentes tribus gradibus, sed prima Circulatio est fundamentum secundæ, & prima & secunda tertiæ: *& hæc est ratio, quare hanc primam Circulationem vocamus Artem, quia per istam in superlativo gradu artificialiter inquirimus verum DEUM; ideo est causa aliis Artibus, quæ deducuntur per comparativum & positivum, cognoscendo effectus per suas causas. Ista Ars est valde utilis, licèt brevis, quare promittimus, quod plus docetur de scientia scientificè in Theologia cum hac Arte in duobus mensibus, quàm per alias in duobus annis, & sumus parati dare Experientiam de promisso, confidendo in Sancto Spiritu.* Doctor Illum. in Prologo Art. Mixt. Theol. & Phil.

Circulatio dicitur deductio cujuslibet Principii per quodlibet, demonstrando Principium cum Principio, & recipiendo significationes Circulationis ad eruendum particulare quæsitum; v.g. Trinitatem, Incarnationem vel similia, quæ de Deo vel Creatura investigantur.

Quælibet harum trium Circulationum seorsim accepta est in figura A., ùt ex dictis facilè percipies, omnes tres verò simul sumptæ situantur in figura T., cùm una sit superior alterâ.

Quomodo has tres Circulationes peragat Demonstratio, in fine hujus primi Circuli nunc paucis indicabo, revelando magnum Arcanum Artis, videlicet methodum adeò facilem & expeditam demonstrandi quamcunque *particularem* veritatem per *universalissima ista Principia in Circulum*, ut eam (non quidem pueri decennes & impuberes) sed matura & nobili talento dotata ingenia vel bimestri tempore assequi & in praxin redigere valeant, *quam jam dudum Lullistas plenis buccinis in suis monumentis deprædicâsse quidam Antilullista asserit, quam itaque ille methodum forsan nunquam, non dicam, docuit, sed neque in mentem illi venit*, ùt satis produnt illius scripta, hoc loco tradere statui, ne nostris adversariis supersit locus traducendi *veros imitatores Lulli, ceu simias*, quasi *multa ad Artis dignitatem & excellentiam contestandam confixerint potius, quàm quod revera ea ita se habeat:* igitur

Audite, quoniam de rebus magnis locuturus sum, Prov. 8. v. 6. à *quaternario*, quem hucusque movi de Principio hujus primi Circuli per medium ferè usque ad finem, ad *ternarium* pervéni, de quibus digna scitu aperui *Dist. 1. cap. 3. fol. 11. col. 2.*, in quo summo ternario omnis creatura perfectam quietem assequitur: hinc etiam hic *ternarius Personarum DEI est signatus per altius & generalius signum, ut signum sit ei proportionatum, quod signum est ternarius creatus in omnibus creaturis* &c.; *ideo veritas, quæ magis elucescit intellectui, est per syllogismum, in quo sunt duæ propositiones, & una conclusio.* Doctor Illum. in Arte Dei Dist. 20.

Ad formandum itaque syllogismum verè demonstrativum de quacunque materia particulari requiritur in Arte Lulliana aliqua *Materia & Forma universalis* constituentes unum *Syllogismum universalem*, in qua materia & forma universalibus *acta implicitè* contineantur & comprehendantur *omnes materiæ & formæ particulares syllogismorum particularium*, & per consequens in dicto *syllogismo universali* omnes *syllogismi particulares*, qui per *Artem inveniendi Particularia in Universalibus*, quæ habetur Tomo 3. Lib. penult. & per exempla hactenus data facilè eruuntur. Sit igitur

A	DEUS	N	Bonum
B	Creatura	O	Amabile
C	Operatio	P	Verum
		Q	Intelligibile
D	Tivum		
E	Bile	R	Bonitas
F	Are	S	Amor
		T	Veritas
G	Magnum	V	Sapientia
H	Majus		
I	Maximum	X	Differentia
		Y	Concordantia
K	Magnè	Z	Æqualitas
L	Magis		
M	Maximè		

Primus Triangulus A. B. C., & ultimus X. Y. Z., continent *Materiam & Formam universalissimam* desideratas; quicunque enim termini assumantur ad con-

ficiendum syllogismum, vel erunt ex A. vel B. vel C., vel ex A B. A C. B C., ùt patet ex triangulis & quadrangulis hunc primum sequentibus: & *nullus syllogismus perfectè demonstrativus, quem venamur, potest fieri sine ultimis tribus terminis primitivis, veris, necessariis & realibus, scilicet sine Differentia, Concordantia & Æqualitate*; ùt docet Doctor Illum. *Dist. 11. in Arte DEI*; nam *Subjectum* & *Prædicatum* necessariò debent inter se *differre* & *concordare*, unde *concordantia* est *medium* inter subjectum & prædicatum, quæ sunt *principium* & *finis*, & sunt in *differentia*; e. g. hæc propositio: A. est I. N., reducitur ad hanc: inter A. & I N. est Y., vel hæc I N. est I O., reducitur ad hanc: inter I N. & I O. est Y.; & quia A., I N., I O. sunt in Z., manifestum est, quòd inter A., I N., I O. sit X. Y. Z.

Quod dictum est de subjecto & prædicato in propositione, hoc idem intelligendum de propositione majori & minori in syllogismo, nam major & minor inter se debent concordare & differre, & esse in æqualitate, ut perfectus syllogismus prodeat: quem nunc præbet

Exemplum syllogismi in superlativo gradu, h.e. *perfectissimi & perfectissimè* demonstrativi: A. est I N., I N. est I O., ergò A. est I O.: vel I P. est I N., I N. est I O., ergò I P. est I O., vel sic: I N. est I P., I P. est I Q., ergò I N. est I Q.

Hic syllogismus vel hi syllogismi multùm differunt à syllogismis factis secundùm figuras & modos Aristotelis; v. g. à sequenti syllogismo facto in *barbara*: omne animal est sensitivum, omnis homo est animal, ergò omnis homo est sensitivus; nam in hoc ultimo syllogismo termini non sunt *convertibiles*, non sunt *æquales*, non sunt in *differentia* & *concordantia realibus*, sed merè intentionalibus, non omnes termini sunt *substantiales*, non sunt *primitivi* nec *supremi*, non sunt *summè necessarii* &c., quæ omnia reperiuntur in supradicto syllogismo Divino; quapropter hic syllogismus, qui est in *superlativo*, est *suprema Regula* dirigens omnes alios syllogismos, qui sunt in *comparativo* & *positivo*:

Exemplum syllogismorum in comparativo & positivo: hinc legitimè infertur sic: quia A. est I N., & I N. est I O., ideo H B. est H N., & H N. est H O., ergò quia A. est I O., etiam H B. est H O.: ulteriùs, quia H B. est H N., & H N. est H O., ideo G B. est G N., & G N. est G O., ergò quia H B. est H O. etiam G B. est G O.; omnes enim termini & propositiones sunt regulati secundùm *proportionem arithmeticam* & *geometricam*: ergò necessariò concludunt.

Qui plures alias differentes formas syllogismorum desiderat, componat & comparet alios triangulos vel quadrangulos in suprapositio alphabeto secundùm superius exemplar; v. g. accipiat abstracta R. S. T. V. loco concretorum N. O. P. Q., vel capiat D. E. F. jungendo cum N. O. P. Q., quibus unitis cum G. H. I. provenient aliæ formæ & alii tres gradus comparativi, semper tamen reducibiles ad præcedentes.

Usus primus Exemplorum trium Graduum Syllogisticorum: manifestum est, quòd intellectui in Figura T. per hos tres gradus paretur scala *ascensûs* & *descensûs* in demonstrando ab infimo usque ad summum, & è converso; & quia in supremo gradu N. O. P. Q. R. S. T. U. sunt ex figura A., clarum est, quòd tres *Circulationes* sint possibiles in dictis *tribus gradibus*.

Usus secundus Exemplorum, in quo consistit *Arcanum* suprà promissum, nimirum methodus facillima demonstrandi quamcunque veritatem particularem per veritates universalissimas, in syllogismis supremis & universalissimis suprà datis significatas.

Forma *majorem propositionem* ex *terminis universalibus* figuræ A.; v. g. ex concretis, quos habet quadrangulus N. O. P. Q., adde *minorem propositionem* ex *terminis particularibus*, quarum veritatem inquiris; v. g. *an in DEO sit Productio?* vel *an sit Incarnatio, Resurrectio &c.? an Anima vegetativa & rationalis realiter distinguantur in homine? an Generatio habeat gradus, per quos possit realiter elongari à corruptione?* & millena alia, & statim elicies conclusionem per syllogismum verè & propriè demonstrativum;

Nota tamen, quòd assumpti termini particulares *implicitè* contineantur sub universalibus, & è converso, & proportionentur ad illos, ùt in antecedentibus exemplis ostensum est, quæ priùs coneris capere, si capere cupis hoc arcanum.

Usus tertius Exemplorum: quòd, si in supradictis syllogismis perfectis negetur major vel minor, hæ possint demonstrari per alios syllogismos insequentes ordinem principiorum vel ad libitum acceptis principiis universalibus, vel particularibus ex his elicitis, in infinitum, nam *medius terminus* necessariò semper est in promptu ob dictam summè necessariam connexionem terminorum, ad quam probationem prosequendam inventa est dicta *triplex Circulatio* ab Illum. Doctore, quæ argumentantem nunquam destituit: & hoc est *alterum Arcanum* nullo auro & lapide pretioso commutabile, nisi illi, cui veritas auro venalis est.

Nota: quòd possint fieri aliæ *formæ universales syllogismorum*, quas ingreditur *contrarietas* & *privatio* vel *non esse*, sed quia hæ non sunt perfectæ sicut præcedentes, & ex dictis per *conversionem* prodeunt, ideo non est operæ pretium de his hoc loco speciale exemplum exhibere.

De Exemplis Persuasionis: cùm *Metaphora realis & naturalis* sit origo unionis omnium significationum & demonstrationum, quæ fiunt tribus potentiis animæ in *tribus gradibus*, quos nunc proponemus per metaphoram, ideo in his exemplis de Persuasione omnia reliqua sex instrumenta summam habent *virtutem* summè intensam & summè operativam, unde etiam consequuntur summum effectum, qui est ipsa dicta *Persuasio*, si æqualiter operantur in suo subjecto, scilicet in tribus potentiis animæ: igitur in

Exemplo sequentis *metaphoræ* monstrabo, quomodo *Memoria*, *Intellectus* & *Voluntas* debeant applicari dictis *tribus gradibus*.

In *Memoria* ædifica per tuam Imaginationem *tres Cameras*, in *prima Camera* colloca *Creaturas* & *Significationes* ac *Demonstrationes*, quas Creaturæ de se mutuò dant, & quas dant de *Dignitatibus* Dei: ad hoc autem efficiendum & perfectè adimplendum requiruntur *duo*, scilicet perfecta *cognitio* & *possessio Philosophiæ* & *Medicinæ*, h.e. *Analyticæ* Doctoris Illum., quam tradidit Tom. 1. & innumeris aliis suis Libris: in *secunda Camera* statue *Dignitates DEI*, & Significationes ac Demonstrationes, quas de se mutuò dant & de Deo & Creaturis: ad hoc perfectè attingendum necessaria sunt *duo*, scilicet perfecta *cognitio* & *possessio Theologiæ* & *Juris* Doctoris Illum., quam pariter invenies Tom. 1. & centenis aliis suis Libris: sufficient tamen supradicti, si cæteris te carere contingeret; miraberis cur Jure indigeas in hac Arte, sed scito, quòd Jus (de quo hic loquimur) est *practica*

ctica Theologiæ, & *Theologia* est *Theorica Juris*, sicut *Medicina* vel *Analytica* est *practica Philosophiæ*, & è converso Philosophia est *Theorica* Medicinæ: itaque justè vivere te disponet ad benè intelligere Theologiam, & benè intelligere te disponet ad justè vivere, sicut justè operari in Medicina & Analytica te certificabit in intelligere Philosophiæ, & benè intelligere te certificabit in operari: in *tertia Camera* colloca ipsum *DEUM*.

Eandem ordinationem, quam fecisti in Memoria, fac in *Intellectu*; in quo per tuam imaginationem forma *tres Oculos*; *primo oculo* inspice primam cameram, *secundo oculo* secundam, *tertio oculo* tertiam, & nihil tuum visum latère potest hoc summo lumine te illuminante.

Simili modo ordina tuam *voluntatem*, imaginando in illa *tres Pedes*, quorum *primum* pone in prima camera, *secundum* in secunda, *tertium* in tertia, & non ambulabis in tenebris, quia à tenebris creaturarum ascendisti ad supremam lucem, quæ esset inaccessibilis, nisi ipsamet viam illuminaret, quâ itur ad illam.

Explevimus *majorem* septenarium *Artium* & *Scientiarum* (scilicet majus Trivium & Quadrivium antiquorum Sapientum) uniendo illum cum *minori* in Centro Rhetoricæ, in quo confluunt omnes lineæ hactenus recensitæ, h. e. omnes dictæ Artes & omnia particularia enumerata Artium: unde in hoc ultimo Instrumento non est necesse dare exempla particularia, sed *unum Exemplum* omnia particularia in se complectens, quod promisimus suprà fol. 23. c. 1. sit ergò

Exemplum ultimum universale contrahens ad se omnia septem Instrumenta particularia, in quo dabitur solutio *Quæstionis universalissimæ de Existentia DEI*, demonstrando illam in *Circulum* per omnes sedecim Dignitates in Figura A. contentas; in hac verò demonstratione involvitur implicitè *forma universalis demonstrandi Existentiam cujuslibet Entis inferioris*, quod per intellectum est ponibile in scala proportionis geometricæ incipiendo à *nihil* usque ad ipsum *supremum Ens*, cujus existentiam hìc demonstramus.

Pro formatione sequentium *sedecim* Demonstrationum accipimus sedecim Dignitates, quæ per ordinem ponuntur in Figura A., omissis literis in ipsa praxi, ut gratiores sint demonstrationes legentibus & nondum asuetis praxi literariæ.

Adduntur tamen sequentes literæ combinandæ cum literis Figuræ A., ut, sicut in præcedentibus exemplis datus est modus reducendi *universale* ad *particulare*, sic in hoc ultimo exemplo habeatur modus, in quo se exerceant, reducendo *particulare* ad *universale*, *s.* Abstractum. *t.* Concretum. *u.* Adjectivum. *x.* Adverbium. *y.* oppositum. *z.* summum. per has enim literas termini figuræ A. significabunt suam acceptionem; v. g. *s* B. significat *bonitatem*, *t* B. *bonum*, *u* B. *bonus*. a. um. *x* B. *bene*. *y* B. *malum*. *z s* B. *summam bonitatem*. *z t* B. *summum bonum* &c.

Ulteriùs observentur sequentes *duæ Conditiones*.

Prima Conditio: quòd omnes termini A. inter se concordent, & nullus alteri contrarietur.

Secunda Conditio: quòd omne illud sit verum, per quod termini magis inter se concordant, & omne illud sit falsum, per quod termini minùs inter se concordant. Doct. Illum. in Prol. Lib. de 14. Art.; per has duas Conditiones regulantur omnes sedecim Demonstrationes, & infinitæ aliæ hìc non positæ. Nota, quòd literæ interpositæ Demonstrationibus indicent ût infrà.

b. Significationem, *c.* Demonstrationem, *d.* Persuasionem, *e.* Æquationem, *f.* Compositionem, *g.* Comparationem, *h.* Circulationem.

1. B. Si summum Bonum est *(f)*, summum malum non est, & si summum malum est, summum bonum non est, *(e)* quia duo & maximè quæ sunt contraria, non possunt esse summa simpliciter, nam, eò quòd ponuntur esse duo summa, sequitur, quòd neutrum est summum simpliciter: si etiam ponatur, summum bonum non esse, sequitur, quòd *suaprivatio* sit summè mala, *(e)* quia sicut *positio* summi boni est summè bona, sic *privatio* summi boni est summè mala: his præmissis ostensivè syllogizamus sic: omne illud, cujus *præsentia* est summè bona *(g)* & cujus *absentia* est summè mala, est necessarium, cùm *(g) bonum* & *esse* conveniant, & *malum* & *non esse* (aliàs *non esse* & *privatio* essent actualiora, meliora & perfectiora ipso *esse*, *positione & actu*, quod est contradictio), & per consequens *(g) summum bonum* & *summum esse*, & *summum malum* & *summum non esse*, aliàs quodcunque bonum non summum esset melius summo bono, *(e)* vel saltem æquale: sed *præsentia* summi boni est *summum bonum*, cùm *ponat* summum bonum, *(h)* & *privet* summum malum, sua enim *absentia* est summè mala, cùm *privet* summum bonum, & *ponat* summum malum, ût probatum est; ergò summum bonum esse est necessarium: imò si ratio subtiliter consideretur, sequitur, quòd solùm, summum bonum esse, sit necessarium, cùm solum summum bonum & summum esse conveniant, & solum summum bonum sit simpliciter & unicè necessarium, aliàs non esset summum; nec aliquod esse est summum, nisi sit necessarium: tale autem summum Bonum dicimus Deum, *ergò DEUM esse est necessarium*. Doctor Illum. in Lib. Art. Fidei.

In hac prima Demonstratione implicantur ferè omnia *septem* Instrumenta: nam *(f)* singificat *Compositionem*, *(e)* *Æquationem per impossibile*, *(e)* usum *Regularum æquationis*, *(g)* *Proportionem* & *Comparationem* inter universale & particulare, concordans & contrarium, *(g)* hoc idem significat, nam sicut se habet *bonum* ad *esse*, & *malum* ad *non esse*, sic se habet *summum bonum* ad *summum esse*, & *summum malum* ad *summum non esse*, ubi etiam apparet *Compositio* item *Conversio* & *Perversio* (*h.*) vel *Circulatio*, quam significat *Modus* 13. Art. Comp. in Tom. 1., omnes autem dictæ literæ notant *(b)* *significationem*, nam *bonum* significat *esse*, & è converso, & *malum* significat *non esse*, & è converso, cùm sint necessariò connexa, & sic de aliis; tota verò *Compositio* horum principiorum est *(c)* *Demonstratio*, ût per se patet: idem significant literæ in sequentibus Demonstrationibus implicatæ.

Si per supradictam primam *Demonstrationem universalem* contractam ad *particulare Existentiæ DEI* cupis demonstrare innumera alia particularia, applica dictis *universalibus principiis particularia principia* proportionata in proportione geometrica, & prodibunt novæ Demonstrationes veritatum secretarum & antè incognitarum; at forsan modum ignoras, admove ergò aurem Capnioni, & capies.

2. C. In *magnitudine*, in qua *Bonitas* est *magna* sinè *parvitate* perfectæ virtutis, convenit esse *supremam* Bonitatem; & quia in omnibus rebus mundi non est *magnitudo* bonitatis sinè *parvitate* virtutis, idcircò convenit, esse aliquam aliam *supremam* Bonitatem sinè *parvitate* perfectæ virtutis, quæ sit *suprema* super omnes alias Bonitates; sed si *suprema* Bo-

Bonitas *magna* sinè *parvitate* perfectæ virtutis nihil est, convenit, esse aliquam *magnitudinem* malitiæ, in qua sit *parvitas* imperfectæ virtutis, quæ malitia contradicat ipsi esse supremæ Bonitatis; & convenit, quòd in malitia imperfectionis virtutis sit *major magnitudo*, quàm magnitudo, quæ convenit cum bonitate, perfectione, virtute; & hoc est impossibile, cùm *esse & magnitudo* bonitatis, perfectionis &c. concordent, *privatio* verò & *magnitudo* malitiæ &c. conveniant.

3. D. Intrà *æternitatem* est major magnitudo *bonitatis* quàm extra, ut *æternitas* sit in majori virtute in suamet bonitate, quàm in bonitate, quæ non est de sua essentia; si verò hujus est contrarium, sequitur, quòd malitia habeat majorem concordantiam cum virtute, quæ convenit cum *æternitate*, quàm bonitas; & hoc est impossibile: per quod demonstratur, supremam bonitatem esse.

4. E. Si *potestas* non posset esse in *bonitate* sinè imperfectione, bonitas haberet majorem *potestatem* in *potestate* humanæ considerationis, quæ *potest* considerare, supremam bonitatem esse sinè imperfectione *potestatis*, quàm in essentia bonitatis & *potestatis*; & disconveniret cum esse reali, & conveniret tantùm cum humano intellectu & voluntate contra justitiam intelligendi & volendi; sed quia *potestas* & justitia fortiùs conveniunt cum esse in magnitudine bonitatis, quàm in parvitate bonitatis, ergò suprema bonitas & esse fortiùs conveniunt sinè imperfectione potestatis in esse reali extrà humanam considerationem, quàm in illâ; quæ concordantia bonitatis & perfectæ potestatis in esse reali manifestè demonstrat, esse unum Ens, quod est suprema bonitas.

5. F. Si *sapientia* scit in infinita magnitudine unam *bonitatem*, in qua non sit parvitas Sapientiæ, convenit, illam bonitatem esse magnam super omnem aliam bonitatem, si verò illa tam magna bonitas *nihil* est, est impossibile, quòd sapientia possit eam scire; & si illam non scit, omnis sapientia ignorat suam bonitatem esse infinitam in magnitudine, in qua sapientia scit *ignorantiam*, quæ convenit cum *privatione* bonitatis, & scit, majorem ignorantiam esse in majori magnitudine, quàm sit sua magnitudo, & scit *malitiam*, quæ concordat cum *ignorantia*, esse majorem, quàm sit *bonitas*, quæ concordat cum *sapientia:* & quia *esse*, magnitudo & bonitas concordant, *privatio* autem & parvitas bonitatis, per hoc probatur, supremam bonitatem esse.

6. G. Si non est specialis *amor*, qui diligit *bonitatem*, per quam æternitas est sinè principio & fine, convenit, quòd amor, qui est in æternitate, non sit idem cum æterna bonitate; & si non est idem, bonitas est æterna absque speciali amore; & si est, bonitas convenit cum majori *imperfectione* quàm cum *perfectione*, & magis cum *injuria* quàm cum *justitia*; & hoc est impossibile: per quod demonstratur, quòd propter magnam magnitudinem bonitatis, quæ est in amore & æternitate, de necessitate conveniat, aliquod ens esse in tanta perfectione amoris, justitiæ & æternitatis, quòd sit suprema Bonitas.

7. H. In *Virtute*, in qua *bonitas est* magis *remota* à *malitia*, est major magnitudo æternitatis & bonitatis, quàm in virtute, in qua bonitas *non est* tam *remota* à *malitia*; si autem DEUS *nihil est*, in nulla Virtute *privatur* malitia, nec est aliqua virtus, per quam bonitas est magis remota à malitia in *magnitudine* virtutis quàm in *parvitate*, & est in *esse* major magnitudo *malitiæ* quàm *bonitatis:* per quam majorem malitiam bonitas esset magis remota à malitia in *minoritate* Virtutis quàm in *majoritate*; sed hoc est impossibile: unde demonstratur, supremam bonitatem esse, in qua nulla est malitia.

8. I. Convenit, quòd in *Veritate* principietur omnis *bonitas*, quæ habet *principium*; & convenit, quòd in veritate sit *medium*, per quod bonitas tendit ad *finalem* intentionem; & ideo convenit, quòd *finis* sit in veritate: si autem DEUS nihil est, finalis intentio, in qua bonitas habet majorem magnitudinem *perfectionis*, ad quam finalem intentionem bonitas tendit per majorem magnitudinem principii & medii, est in majori *falsitate* & inutilitate, quàm finalis intentio, ad quam bonitas tendit cum minoritate principii & medii; & hoc est impossibile, ne nobilior & vilior finis, veritas & falsitas, bonitas & malitia sint in magnitudine, & ne bonitas & veritas & nobilior finis sint in parvitate.

9. K. *Gloria* & *bonitas* non contradicunt ipsi *esse*, *pœna* verò & *malitia* contradicunt illi, in quantum per corruptionem & injuriam ipsum inclinant ad *privationem:* sed si DEUS nihil est, non est alia gloria præter gloriam hujus mundi, in qua gloria nemo potest vivere sinè pœna & malo; & major pœna & majus malum est, hominem considerare, se post mortem nihil esse, quàm sit gloria & prosperitas, quas ipse possidet in hoc mundo: & sic *justitia* convenit cum *minoritate* & *privatione*, & *injuria* cum *majoritate* & *esse*, & ita æternitas convenit cum successione gloriæ absque æterno glorioso, cum quo conveniat magnitudo bonitatis, potestatis, æternitatis & justitiæ; & hoc est impossibile.

10. L. *Perfectio* & *esse* conveniunt, *imperfectio* autem & *privatio*, & ideo *bonitas*, quæ convenit cum *perfectione*, convenit cum *esse*; & *malitia*, quæ convenit cum *imperfectione*, convenit cum *privatione:* & ideo *esse* contradicit *privationi* cum *bonitate* & *perfectione*, *privatio* verò contradicit ipsi *esse* cum *malitia* & *imperfectione:* unde si *suprema Bonitas*, in qua nulla imperfectio est, *nihil* est, *supremum Esse* est in *privatione*, & *suprema imperfectio* mali est in *esse*, & sic sequitur, quòd *privatio* fortiùs contradiceret ipsi *esse* bonitatis & perfectionis cum imperfectione & malo, quàm ipsum *esse* contradiceret *privationi* cum perfectione & bono; & hoc est impossibile.

11. M. In *Justitia*, in qua est major *possibilitas bonitatis*, & major *impossibilitas malitiæ*, est major magnitudo actûs Justitiæ, quàm in justitia, in qua non est tanta magnitudo possibilitatis bonitatis, & impossibilitatis malitiæ: unde si suprema Bonitas, in qua non est possibile, esse malitiam & privationem bonitatis, nihil est, sequitur, quòd *major impossibilitas*, quæ possit esse, sit, quòd sit *major possibilitas* bonitatis, & quòd *major possibilitas justitiæ* sit in *privatione*, & *major possibilitas injuriæ* sit in *esse*; & hoc est impossibile: unde demonstratur, supremam Bonitatem esse, in qua est impossibile esse injuriam, quæ convenit cum malitia.

12. N. Si suprema *Bonitas* nihil est, in *Largitate* non est largitor largiens donum sinè imperfectione bonitatis, & per hoc sequitur, quòd *avaritia* habeat majorem magnitudinem in *malitia*, quàm *largitas* in *bonitate*; & hoc est impossibile & contra magnitudinem bonitatis; quæ *magnitudo* magis convenit cum *majoritate largitatis*, quàm *avaritia*

cum *magnitudine malitiæ*: unde significatur & probatur, esse supremam Bonitatem sinè minoritate Largitatis.

13. O. Nullum ens est in *bonitate misericordiæ*, si DEUS nihil est, sed omne ens est *malitia* participans cum *bonitate*, & in illo est major magnitudo *crudelitatis* quàm *Misericordiæ*, & omnia principia æterna habent se magis ad *crudelitatem* quàm ad *misericordiam* in comparatione misericordis & crudelis; & hoc est impossibile & contra perfectionem justitiæ & bonitatis, veritatis & misericordiæ, magnitudinis & æternitatis: per quam impossibilitatem probatur, quòd sit suprema Bonitas misericors sinè aliqua crudelitate.

14. P. Nulla *humilitas bonitatis* potest esse suprema super omnem aliam humilitatem, si in se contineat aliquam *superbiam*, quæ conveniat cum *malitia*: unde si ens, quod est suprema humilitas, in se habet ullam superbiam per *privationem* bonitatis, magnitudinis &c., hæc superbia est major in ejus entitate quàm humilitas; per quam majorem superbiam est injuria, si illud ens est supremum in humilitate: unde cùm de necessitate conveniat, quòd quoddam ens sit cum majori humilitate in bonitate magnitudine &c., convenit, quòd illud per justitiam habeat tantam magnitudinem bonitatis in omnibus suis dignitatibus, quòd sit impossibile, superbiam & malitiam magnitudinis, æternitatis &c. esse contra bonitatem, quæ convenit cum humilitate contra malitiam & superbiam.

15. Q. *Dominium* est magis desiderabile in *magnitudine*, quàm in *parvitate*: unde si suprema *Bonitas* nihil est, desiderium dominii potest esse majus in *falsitate*, quàm in *veritate*; & sic sequitur, quòd *bonitas* & *dominium* habeant majorem concordantiam in *minoritate*, quàm in *majoritate*; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd *suprema bonitas* sit in *supremo dominio*, quod supremum dominium nihil est, si DEUS nihil est, nam omne dominium haberet principium & finem; & illud dominium, quod per *justitiam* esset magis desiderabile, per *injuriam* esset in privatione, & justitia haberet concordantiam cum *privatione*, & injuria cum *esse*: per quam concordantiam *injuria* esset *suprema* in magnitudine potestatis, virtutis, veritatis & bonitatis, & *justitia* esset *inferior*; & hoc est impossibile.

16. R. *Patientia* facit, hominem *patientem* appropinquare *gloriæ*, & hominem *impatientem pœnæ*, si DEUS est; sed si DEUS nihil est, gloria, *bonitas* & patientia non habent, in quo conveniant, pœna verò, *malitia* & impatientia habent, in quo conveniant contra sua contraria, in quibus privant concordantiam: unde si hoc ita est, sequitur, quòd *esse* conveniat per pœnam cum malitia & impatientia, & sit remotum à gloria, patientia & bonitate, concordando cum *privatione*, quæ convenit cum pœna, impatientia & malitia; & hoc est impossibile. Doctor Illum. in Lib. de 14. Art. fol. 3. & seqq. Tom. 2.

Observationes generales in præcedentes sedecim Demonstrationes; quarum *prima*, quòd omnes dictæ Demonstrationes componantur ex Principio *Bonitatis* combinato per ordinem cum reliquis quindecim Principiis: *secunda*, quòd omnes ac singulæ sint fundatæ in quadrangulo *Esse*, *Privationis* vel *non esse*, *Perfectionis* & *Defectûs* vel *Imperfectionis*: *tertia*, quòd retento *binario universali* ipsius *Esse* & *non esse*, & ablato *binario particulari Perfectionis* & *Defectûs* semper componantur novi quadranguli additione novorum *binariorum particularium*: v. g. *bonitatis*, *malitiæ*; *sapientiæ*, *ignorantiæ* &c.: *quarta*, quòd singulæ hæ sedecim *Demonstrationes universales* sint *convertibiles* ratione identitatis, concordantiæ & æqualitatis: *quinta*, quòd etiam sint convertibiles in infinitas *Demonstrationes particulares*, ût jam suprà de prima dictum: *sexta*, quòd, sicut singulas partes harum sedecim Demonstrationum ingrediuntur *septem Instrumenta* per *b.c.d.e.f.g.h.* signata, sic singulas Demonstrationes adinvicem relatas eædem literæ informent, nam quælibet Demonstratio *significat* alteram, & quælibet *demonstrat* alteram, & omnes simul sumptæ *persuadent*, & quævis est *æqualis* alteri; & *componitur* cum altera, & *comparatur* ad illam, denique quævis est convertibilis in alteram per *circulum*.

CAPUT II.

De Conditionibus Universalibus Artis.

CONditio est regulatus & ordinatus Processus, fundatus super proprietates rerum, per se apparens, significans naturas rerum & ipsarum definitiones, Doctor Illum. in *Arte Amativa Dist. 4. de Condit.*: formantur autem Conditiones miscendo unum Principium hujus Artis cum alio secundùm mixtionem, quæ apparet in *quarta Figura Artis Inv.* in Tab. Gen. & in Arte Gen. ult.: dicta figura constat tribus circulis ex eodem centro ductis, quibus singulis inscribuntur omnes literæ figuræ A.; debent tamen duo interiores esse volubiles, ut possit fieri combinatio literarum, taliter, ut semper *tres literæ* forment *unam Conditionem*:

Ex quo cognosces, quòd, sicut *tria Principia* componunt *unam Conditionem*, sic *tres Conditiones producant unam Demonstrationem*, *particularem* vel *universalem*, vel *mixtam* ex ambabus, prout Principia & Conditiones erunt particularia vel universalia vel mixta ex ambobus.

Quælibet Conditio ex Principiis universalibus elicita est *universale*, in quo possunt inveniri multa imò innumera *particularia*, concludendo de illis tali modo affirmando vel negando, quòd semper particularia concordent cum suo universali, quod est per se apparens, & quod fortificatur per sua Principia, ex quibus est compositum, quæ Principia sunt de hac Arte; & secundùm quòd definiuntur & explanantur in primo Capite hujus Artis, est Conditio per se existens & apparens: unde si particulare contradicat Conditionibus affirmando vel negando, convenit assumere suum oppositum in conclusione; *& hæc est Regula generalis in omni particularitate hujus Artis.* Doct. Illum. in Arte Amat. Dist. 4.: ex quibus dictis ulteriùs.

Infertur *primò*, quòd, sicut Conditiones ex Principiis universalibus componuntur, sic per Principia & illorum Definitiones demonstrantur, si quæstio fiat de Conditionum certitudine, unde Definitiones vocantur *Conditiones simplices*, à Doctore Illum. *in Arte DEI Dist. 1.*: si verò quis negaret ipsa prima Principia & Definitiones eorum, cùm hæc probari non possint per magis universalia Principia (aliàs non essent summa) possunt tamen probari & demonstrari unum per alterum ob mutuam summam & essentialem connexionem; quòd si quis ex petulantia vel etiam ad tentandam Artis efficaciam negaret omnia Principia, adhuc superest modus illa demonstrandi, scilicet per *Principia sensualia inferiora* sensibus per se notâ, & proportionata Principiis dictis intellectualibus, quæ sensualia Principia si nondum convincerent opponentem, talis indigeret sensu & ratione, cum quo non est ratiocinandum.

Infertur *secundò*: quidquid in prima Distinctione de septem Instrumentis theoricè, & in secunda Dist. primo capite & *primo Circulo* practicè traditum est, etiam in hoc secundo Capite & secundo Circulo de Conditionibus & cum Conditionibus peragendum esse; nam sicut se habet Principium ad Principium, sic Conditio ad Conditionem: itaque ad evitandam prolixitatem nolui exempla repetere, sed singulorum industriæ & exercitationi formationem illorum committo.

Infertur *tertiò*: quòd Principia suam *connexionem* & *necessitatem* communicent Conditionibus ab illis productis, unde patet infallibilitas Demonstrationum secundi Circuli: præterea patet, eundem *triplicem motum Ascensûs*, *Descensûs* & *Circulationis* esse in *secundo Circulo*, qui est in primo, hâc tamen differentiâ, quòd hic secundus Circulus sit incomparabiliter major primo, cùm numerus Conditionum multùm excedat numerum Principiorum, ût infrà apparet ad sensum.

Dicto de Conditionibus in genere dicenda sunt etiam ea, quæ ad praxin sunt maximè necessaria in specie, videlicet, quomodo fiat *Conversio* & *Compositio* Conditionum; hæc enim duo Instrumenta in usu sunt frequentiora cæteris: quod autem de Conditionibus compositis hic dicetur, necessariò quoque intelligendum de *Conditionibus simplicibus*, h. e. de *Definitionibus* in primo Capite datis: igitur notandum, quòd

Conversio est *triplex*, *prima* de proposito in propositum, *secunda* de oppositio in oppositum, *tertia* de proposito in oppositum, & è converso:

Exemplum de *prima*: sumatur quævis Conditio Figuræ A.; v. g. 25. quæ sic sonat: *majus Opus largitatis convenit cum majoritate, & minus cum minoritate*: quia *Largitas* & *Potestas* sunt æqualia Principia, ergò convertendo Conditionem Largitatis in Conditionem Potestatis, necessariò inferetur, quòd *majus opus potestatis conveniat cum majoritate, & minus cum minoritate.*

Exemplum de *secunda*: sumatur oppositum *largitatis*, quod est *avaritia*, cujus Conditio est hæc: *majus opus avaritiæ convenit cum majori minoritate, & minus cum minori minoritate*; hæc conditio convertitur in hanc de *impotentia*: *majus opus impotentiæ convenit cum majori minoritate, & minus cum minori minoritate &c.*

Exemplum de *tertia*: ex præcedentibus duobus exemplis per se clarum est, quòd dicta duo exempla implicent tertium, nam *secunda* Conditio est nil aliud, quàm *conversio de proposito in oppositum*, & *prima* nil aliud, quàm *conversio de oppositio in propositum*: hoc idem agendum est de aliis Conditionibus tam figuræ A. quàm aliarum figurarum.

Compositio est *triplex*, sicut & conversio; *prima*, quando componitur universale cum universali, *secunda*, quando componitur particulare cum particulari, *tertia*, quando componitur universale cum particulari, & è converso.

Exemplum de *prima*: capiatur *nona Conditio* Figuræ T., quæ sic habet: *DEUS est major omni creaturâ, quamvis in DEO non sit majoritas nec minoritas*: componatur hæc Conditio universalis cum sequenti *decima quinta* universali: *est impossibile, quòd DEUS & creatura possint esse æquales in Essentia vel Operatione*, nam hæc manifestè sequitur ex priori.

Exemplum de *secunda*: seligatur *tertia Conditio* Figuræ A. (nam omnes Conditiones Figuræ A. sunt particulares respectu Trianguli lividi Figuræ T., quia continentur implicitè in tribus Principiis particularibus, quæ sunt suprà Principium universale *Deus*, videlicet in *Unitate*, *Essentia*, *Dignitatibus*) quæ est: *Bonitas & Potestas sunt in majori differentia, concordantia & æqualitate in A., quàm in creatura*: quæ Conditio particularis per secundam Conditionem universalem præcedentis Exempli convertatur in secundam Conditionem particularem sic: *est impossibile, quòd bonitas & potestas DEI & creaturæ possint esse in æquali differentia, concordantia & æqualitate Essentiæ vel Operationis*: hæc Conditio manifestè infertur ex dictis prioribus universali & particulari, ex qua Conditione statim poteris eruere sequens particulare, *quòd mundus non possit esse ab æterno*, nam convertendo principium *potestatis* in principium *durationis* resultat subitò nova Conditio revelans impossibilitatem dicti particularis: quam demonstrationem confirmare licèt per prædictâ Conditionem & innumeras alias; si enim duratio DEI & duratio mundi possent esse æquales, etiam bonitas, potestas &c. DEI & mundi possent esse æquales, sed hoc est impossibile.

Exemplum de *tertia*: Exemplum tertium de *Conversione* revelat Exemplum tertium de *Compositione*: ût ad oculum patet: præterea ex Exemplis datis de Compositione perspicies, quâ ratione *Conversio* & *Compositio* se mutuò adjuvent.

Secundùm quòd sunt tres Figuræ, sunt etiam tria genera Conditionum, videlicet Conditiones Figuræ S., Conditiones Figuræ T., & Conditiones Figuræ A.; unde secundùm ordinem Figurarum ordinabimus etiam Conditiones, cùm hic ordo non sit inventus ad placitum, sed Natura & Ars sic exigat.

De Conditionibus Figuræ S.

Multas quidem Conditiones nobis reliquit Doctor Illum. *in Arte universali* & ejus *Dist. 2. Tom. 1.* componendo quatuor species Figuræ S., videlicet E. I. N. R. cum quatuor Figuris A. T. V. X.; hoc idem præstitit in *Arte Demonstr. Dist. 2. par. 2. Tom. 3.* magno artificio, jungendo tantùm literas centrales dictarum Figurarum cum quatuor nominatis speciebus, ut insinuaret suis Discipulis arcanum reducendi *multitudinem* differentium conditionum in circumferentia Circuli positarum in *unitatem* unius conditionis in centro existentis, & concordantis cum omnibus: quod arcanum ex continuata & sæpiùs reiterata lectione voluminum Sapientissimi Magistri collatis inter se multis locis per gratiam DEI inventum & gratis acceptum nunc gratis communico, ita tamen, ut ipsam Conditionem universalissimam universalissimè concordantem cum omnibus infrà referendis Conditionibus differentibus particularibus Figurarum T. & A. sim daturus apertè & sinè involucro, usum verò & applicationem, scilicet quomodo omnes dictæ Conditiones particulares *resolvantur* in hanc, & *componantur* ex hac, sim commissurus sagacitati Condiscipulorum: tum ut utilem materiam ministrem amicis, in quo acuant sua ingenia, tum ut inimicos (si illis dabitur invenire hoc secretum) convertam ab odio ad amorem Artis, vel (si contemnant inquirere) avertam ab Arte.

Literæ quaternariis præfixæ sunt communes omnibus tribus.

E. c.	Affirmatio	Veritas	Aër
I. f.	Negatio	Falsitas	Terra
N. g.	Esse	Perfectio	Ignis
R. h.	Privatio	Defectus	Aqua

In hac Tabella *primus* & *tertius* quaternarius sunt ipsius Figuræ S. significantes se invicem per *literam* & *metaphoram*, in primo enim continetur *opus artificiale* & *intentionale*, in ultimo verò *opus naturale* & *reale*: *secundus* quaternarius est ex Figura A. specificans primum: Triangulus viridis Figuræ T. interpositus his tribus quaternariis dat ipsam Conditionem promissam, quæ est hæc

Conditio Universalissima Figuræ S.

e. g. & f. h. inter se concordant, e. f. & g. h. inter se contrariantur: idem dic de literis E. I. N. R., nam E. N. & I. R. inter se concordant, E. I. verò & N. R. inter se contrariantur: intelligitur autem ista concordantia & contrarietas *sinè medio*, nam quod concordat cum altero *sinè medio*, potest contrariari alteri *cum medio*, & quod contrariatur alteri *sinè medio*, potest concordare cum altero *cum medio*.

Conditiones Figuræ T.

DEUS.

1. B. C. DEUS est principium & finis creaturæ, & hic mundus est medium, per quod animal rationale movetur de principio ad finem.

2. B. D. Opus intrinsecum Dei convenit cum majoritate, & opus extrinsecum, quod Deus habet in creatura, convenit cum minoritate.

3. B. E. Quia in Deo est una Essentia tantùm, in Essentia Dei non est differentia, sed quia in Deo est major operatio, quàm in creatura, in Deo est differentia.

4. B. F. Quia in Deo differentia est in majoritate, in Deo est concordantia.

5. B. G. In Deo non est contrarietas, quia in ipso est infinita concordantia.

6. B. H. Deus est principium & prima causa creaturæ & operis creaturæ per influentiam sui operis intrinseci & extrinseci.

7. B. I. Si non est majus medium inter Deum & creaturam, perfectiones Dei non significantur nec demonstrantur creaturæ majori significatione & demonstratione.

8. B. K. Quia Deus est principium & finis omnium finium creaturæ, Deus est perfectio omnium finium creaturæ.

9. B. L. Deus est major omni creaturâ, quamvis in Deo non sit majoritas nec minoritas.

10. B. M. Quia æqualitas convenit cum perfectione, & majoritas & minoritas conveniunt cum defectu, & Deus est perfectio sinè defectu, ideo in Deo est æqualitas sinè majoritate & minoritate.

11. B. N. Cùm in Deo non sit minoritas, & Deus dederit principium creaturæ, ut memoria, intellectus & voluntas creaturæ habeant Deum & dignitates ejus pro objecto, ideo homo debet affirmare omne id, per quod possit habere majorem memoriam, intellectum & voluntatem in Deo & dignitatibus ejus, & majorem concordantiam cum virtute & veritate, & majorem contrarietatem contra vitium & falsitatem.

12. B. O. In Deo necessariò est affirmanda perfectio absentiâ privationis & defectûs.

13. B. P. Dubitatio convenit cum minoritate & privatione, unde cùm sit contraria dignitatibus & operationi intrinsecæ Dei & extrinsecæ, quam Deus habet in creaturis, ideo in Deo non est dubitatio.

14. B. Q. Negare in Deo majorem concordantiam & differentiam possibilitatis & impossibilitatis est negare in Deo majorem operationem intrinsecam, ergò est affirmare in Deo defectum, quod est inconveniens.

Creatura.

15. C. D. Est impossibile, quòd Deus & creatura possint esse æquales in essentia vel operatione.

16. C. E. Illa creatura est major, unde potest intellectui formari major differentia & concordantia convenientes cum esse in aliquo subjecto contra minorem differentiam & concordantiam convenientes cum privatione.

17. C. F. Inter creaturam & creaturam est concordantia secundùm genus & speciem & opus, intentione, quâ ipsi animæ rationali Deus & ejus dignitates dentur pro objecto.

18. C. G. Deus per viridem & rubeum est contrarius creaturæ, & ideo potest facere opus contrarium cursui naturali, cùm ipsius opus sit majus, & extra triangulum rubeum; præterea creatura majoritati operis Dei non potest esse contraria.

19. C. H. Cùm Deus per omnem modum suarum dignitatum sit major creaturâ, convenit, quòd creatura in omnibus angulis rubei terminetur.

20. C. I. Quoniam æqualitas est medium, & majoritas ac minoritas sunt ejus extremitates, ideo omnis creatura naturaliter tendit ab extremitatibus ad medium, cùm omnis creatura habeat naturalem appetitum ad suam perfectionem.

21. C. K. Quia omnis creatura naturaliter appetit finem suæ perfectionis, & Deus est suprema perfectio, ideo creatura in suo opere debet obedire Deo secundùm finem, ad quem Deus ipsam creavit.

22. C. L. Creatura per majorem operationem meliùs significat Deum & dignitates ipsius, quàm per minorem: & omne id, per quod creatura foret major se ipsâ convenit esse in Deo & dignitatibus ejus.

23. C. M. In creatura debet esse æqualitas secundùm proportionem, quâ æqualitate demonstretur æqualitas existens in Deo & ejus dignitatibus, ad quam movetur æqualitas creata ad concordandum cum V. Y. contra V. Z.

24. C. N. Major est minoritas creaturæ, quæ est extra Deum, quàm quæ est intra Deum: & minoritas, quam creatura habet per V. Z., non est à Deo; præterea in creaturam, opus & potentiam ejus cadit differentia majoritatis & minoritatis.

25. C. O. Creatura debet affirmare majorem possibilitatem in Deo & dignitatibus ejus per angulos C. D. E. F. G. H. I. K. L. M., & majorem impossibilitatem creaturæ contra Deum & dignitates ejus.

26. C. P. Dubitatio convenit cum privatione & medio, sed affirmatio, negatio & demonstratio cum esse, perfectione & fine; unde cùm nulla creatura possit habere quietem extra finem, quando est in dubitatione, tamdiu discurrat per conditiones hujus Artis, donec dubitatio de esse convertatur in privationem, & demonstratio de privatione in

esse, affirmatione concordante cum A. V. Y., & negatione cum V. Z.

27. C. Q. Negatio, quæ convenit cum majoritate Dei, & minoritate creaturæ, concordat cum majoritate Y. & esse, ipsius autem oppositum cum minoritate Z. & privatione.

Operatio.

28. D. E. Omnes trianguli Figuræ T. taliter ordinantur, quòd significent infinitam differentiam & concordantiam operis intrinseci in Deo & ejus dignitatibus, quod opus intrinsecum Dei sit inalterabile ab opere, quod Deus habet in creaturis, & creaturæ in se ipsis.

29. D. F. Quia in Deo est æqualis operatio, & major quàm in creatura, ex hoc opere concordante in creatura descendunt omnia opera concordantia cum rubeo.

30. D. G. Major est operatio contrarietatis in anima, cùm amat V. Z., & odit A. V. Y.; & in viridi inter intellectuale & intellectuale, quàm inter sensuale & sensuale; & in croceo inter substantiam & substantiam, quàm inter accidens & accidens; & in nigro inter affirmationem & negationem contraria Deo.

31. D. H. Opus intrinsecum Dei est principium operi, quod est in creatura, quo creatura dirigitur ad significandum intellectui creato opus, quod est in Deo & ejus dignitatibus, ad formandum has cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]

32. D. I. Majus, minus & æquale medium possunt affirmari in operatione, nam majus medium operationis, videlicet V. Y. datur ipsi E., minus verò, videlicet V. Z. ipsi H., sed medium inter hæc duo datur creaturæ.

33. D. K. Opus, quod est in A., est finis omnibus finibus, qui sunt in creatura, mediante quodam opere creato, quod est finis omnibus aliis finibus creatis, qui non possent recipere influentiam operis intrinseci, quod est in A., nisi mediante quodam fine creato unito cum aliquo supposito operis infiniti.

34. D. L. Majus opus, quod est extra triangulum rubeum, revelatur in A. per opus intrinsecum infinitum differens concordans & æquale; sed majus opus, quod est extra A. intra rubeum, & extra rubeum intrà A., est unio ipsius A. & creaturæ: per quæ duo regulantur omnia reliqua inferiora.

35. D. M. Per differentiam & concordantiam in A. intelligit intellectus majorem æqualitatem operis in A., quàm sit omnis alia æqualitas operis, quæ est in triangulo rubeo: sub dicto opere est aliud opus, quod est in majori æqualitate, quàm omnia alia opera, quæ sunt in triangulo rubeo.

36. D. N. Minus opus, quod est in viridi, rubeo, croceo, nigro, aperitur in sequentibus cameris [E. V. Z.] [I. A. V. Y.] [M. A. V. Z. Y.] [R. A. V. Z. Y.] & minus opus in elementali figura est secundùm quartum, tertium, secundum & primum gradum caloris, humiditatis, frigoris & siccitatis, & est minus in terra quàm in aqua, & in aqua quàm in aëre, & in aëre quàm in igne; & minor operatio est in secunda intentione quàm in prima, unde minor est in metallis quàm vegetabilibus, & in vegetabilibus quàm in animalibus, & in irrationalibus quàm rationalibus; & minor operatio est in corporibus supracœlestibus in intentione, major verò in dominatione.

37. D. O. Secundùm proportionem lividi, viridis & crocei debet affirmari major operatio diversorum concordantium suppositorum in A. quàm in creatura, & affirmari omne id, per quod fortiùs possint formari istæ cameræ [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] in majoritate operis contra minoritatem.

38. D. P. N. debet dubitare eâ intentione, quâ F. G. magis habeant occasionem ad investigationem in figuris, nam quantò major est dubitatio, tantò major operatio est in discursu ad formandum cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [N. A. V. Y.]

39. D. Q. Negatio negans in A. id, quod est in A., habet operationem contra majorem affirmationem, quàm cùm negat id, quod est in creatura, quia major negatio in Z. est opposita majori affirmationi convenienti cum esse perfectione & Y.

Differentia.

40. E. F. Major concordantia est in majori differentia, & minor in minori.

41. E. G. Quia differentes res privantur in contrarietate, contrarietas convenit cum privatione & defectu, & non potest esse in differentia ipsius A.

42. E. H. Majoritas non potest tam fortiter haberi per unum solum principium, sicut per differentia principia diversorum concordantium: per quod revelatur, quòd per differentia principia, quæ sint unum suppositum ex eo, quod est extra triangulum rubeum, & ex eo, quod est majus in rubeo, habetur major differentia, concordantia & principium istis cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.]

43. E. I. Differentia & medium sunt in majoritate, quando unum suppositum componitur ex eo, quod est majus in triangulo rubeo, & ex eo, quod est extra triangulum rubeum, quod medium est in finali intentione, propter quam A. creavit creaturam.

44. E. K. Prout res sunt differentes, tendunt ad differentes fines, & prout concordant in croceo, tendunt ad unum finem, & unus finis potest referri ad alium per totum lividum, viridem, rubeum, croceum & nigrum.

45. E. L. Major differentia in majori concordantia & æqualitate convenit cum majoritate, esse & perfectione, major autem differentia in majori contrarietate convenit cum minoritate, privatione & defectu.

46. E. M. Ex rebus minoribus in differentia formatur minor æqualitas, & ex majoribus in differentia formatur major æqualitas, & major concordantia vel major contrarietas.

47. E. N. Si major differentia negatur in A., minor concordantia & minor æqualitas affirmatur in A.: unde ab ipso A. fit major concordantia inter creaturam & unam Personarum, ut intellectus intelligat, quòd major concordantia & æqualitas potest formari ex majori differentia.

48. E. O. Affirmatio affirmans intrinsecam differentiam in A., affirmat, concordantiam, operationem & æqualitatem esse in A., & per hoc affirmatio concordat cum majoritate, esse, operatione & perfectione.

49. E. P. Quia in dubitatione dubitante de differentia est confusio ipsorum E. I. N. in R., ideo talis dubitatio convenit cum privatione, Z. & defectu: ubi autem intelligitur major concordantia in majori differentia, plus demonstratur concordantia ipsorum E. I. N. in confusione ipsius R.

50. E. Q. Negatio negans differentiam in Per-

sonis ipsius A. est major negatio contra majus Y. esse & perfectionem, quàm negans differentiam in omnibus creatis: negatio autem negans differentiam in Essentia ipsius A. concordat cum majori Y. esse & perfectione: quod si non esset, sequeretur, quòd ipsum E. non posset de negatione in differentia formare majorem contradictionem per A. & cameras ejus; quod est impossibile.

Concordantia.

51. F.G. Quia nulla contrarietas est in A., intelligitur in A. concordantia, sinè qua A. non esset magis remotum à contrarietate quàm creatura, in qua est differens opus concordãs sinè contrarietate.

52. F.H. In triangulo livido A. est principium creaturæ, & operatio ipsius A. est principium operationi creaturæ; & ideo sunt differentia principia concordantia secundùm primam & secundam intentionem.

53. F.I. Omnis concordantia habet esse per aliquod medium, ideoque est indaganda per tres species medii, (quæ sunt in Figura T.) & major concordantia est affirmabilis contra majorem contrarietatem.

54. F.K. Cùm quædam species sint nobiliores aliis, unus finis est nobilior altero; nobilior autem finis est in majori concordantia, quàm minùs nobilis.

55. F.L. Concordantia rerum majorum in differentia, nobilitate & dignitate concordat cum majoritate, perfectione & esse; concordantia autem, quæ est in majoribus contrarietatibus, quæ concordant ad invicem, ut contrarientur majoribus concordantiis, convenit cum minoritate, defectu & privatione.

56. F.M. Æqualis concordantia suppositorum in A. absentiâ contrarietatis concordat cum majoritate, & æqualis concordantia in creatura concordat cum minoritate, quia in creatura potest esse æqualitas cum contrarietate.

57. F.N. Majus esse & perfectio sunt magis propinqua concordantiæ, quæ est in A., & minor concordantia est magis remota à concordantia ipsius A.

58. F.O. Affirmatio in triangulo rubeo & viridi concordat cum majoritate contra negationem, quæ significat minoritatem harum camerarum [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M A.V.Y.]

59. F.P. Si dubitatio est, ut affirmatio concordet cum Y., & negatio contrarietur ipsi Z., concordat cum esse, majoritate & perfectione in N. se movente ad has cameras [E.Y.] [I.Z.]

60. F.Q. Negatio negans id, quod non est in A., concordat cum affirmatione affirmante id, quod est in A., ac propterea concordat cum majori perfectione quàm alia negatio.

Contrarietas.

61. G.H. Nullum principium ita contrariatur esse, perfectioni & majoritati, sicut principium harum camerarum: [E.V.Z.] [I.A V.Y.] [M.A.V. Z.Y.] quæ contrariantur sequentibus cameris [E.A. V.Y.] [I.V.Z] [M A.V.Y.Z.]

62. G.I. Principium & finis non possunt esse in concordantia, ubi medium est in contrarietate.

63. G.K. Quando medium est in contrarietate, deviat finis à principio, & principium à fine.

64. G.L. Major contrarietas est secundùm istas cameras: [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.Z.] [E.V.Z.] [I.A.V.Y.] [M.A.V.Z.Y.] nam si hæc non esset major contrarietas, sequeretur, majorem concordantiam posse intelligi in sensualibus quàm in intellectualibus: quod est impossibile.

65. G.M. Si B.C.D. sunt æqualia contra V.Z., æqualitas ipsorum est magis contraria ipsis V.Z, quàm si B.C.D. non essent æqualia in capiendo objecta.

66. G.N. Omne illud, in quo est contrarietas, convenit cum minoritate.

67. G.O. Affirmatio, ex qua sequitur aliquid contrarium ordinationi triangulorum, necessariò contrariatur ipsi esse, perfectioni & majoritati.

68. G.P. Imaginativa imperfectè offert species intellectui, & ideo in intellectu oritur contrarietas & dubitatio conveniens cum Z. & minoritate.

69. G.Q. Negatio, quæ servit ipsi Y. contra negationem servientem ipsi Z., concordat cum ordinatione triangulorum in Figuris Artis.

Principium.

70 H.I. Principium & medium, quæ concordant cum intentione finali, propter quam principium recipit medium, non deviant à fine.

71. H.K. Ut à principio transeatur ad finem, necesse est transire per medium secundùm ordinationem triangulorum in Figuris.

72. H.L. Cùm A. & ejus cameræ magis concordent cum majori perfectione in creatura, quam cum minori, ideo illud, quod est majus principium istis cameris [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] [M.A.V.Y.] concordat cum Y. esse & perfectione.

73. H.M. Principium & æqualitas habent se ad majoritatem in A., & ideo si ex differentibus concordantibus finitis suppositis possunt esse æqualia principia, sequitur, quòd ex differentibus concordantibus infinitis suppositis opus æqualiũ possit æquari.

74. H.N. Minus principium est in secunda intentione, & majus in prima, unde demonstratur, V.Z. esse minora principia & magis remota ab esse: & sensualia principia minora quàm intellectualia: & principium unius creaturæ ad aliam minus quàm principium, quod A. est creaturæ: & principium, quod A. est creaturæ, minus quàm illud, quod est in A. unius suppositi æterni & infiniti ad aliud.

75. H.O. Principium demonstrationis habetur in suppositione, quâ incipit N. affirmare, esse possibile, quòd id, quod N. ignorat, ad notitiam ipsorum E.I. perducatur.

76. H.P. Dubitatio in R., quod est species confusa per inordinationem imaginationis & ipsorum E.I.N. in irregulatis triangulis, est principium ipsi N., ut N. convertatur in E. vel in I.

77. H.Q. Ex privatione ipsorum G.C. & ex habitu istarum camerarum [E.V.Z.] [I.V.Y.] accipit N. principium negandi A. & cameras ejus.

Medium.

78. I.K. Illud medium magis concordat cum esse & perfectione, quod est in majoritate principii & finis.

79. I.L. Majus medium inter A. & creaturam est medium increatum & creatum, æquale ipsi A. & minus ipso A. & majus quàm alia creatura.

80. I.M. Illud medium debet affirmari, per quod E. habet majorem æqualitatem in operatione ipsorum B.C.D. capientium A.V.Y. pro objecto.

81. I.N. Medium, quod formatur ex minori principio & fine, convenit cum minoritate.

82. I.O. Affirmatio contradictionis inter prædestinationem & liberum arbitrium tollitur per medium perfectæ sapientiæ & perfectæ justitiæ.

83. I.P. Dubitatio est medium æqualiter existens inter negationem & affirmationem: unde per illud particulare, quod est medium & causa, ut dubitatio possit removeri à medio, & magis declinare ad unam quàm ad alteram extremitatem, habetur revelatio ipsorum Y. & Z.

84. I.Q. Negans principium & finem negat medium, & negans medium negat principium & finem.

Finis.

85. K.L. Major finis, propter quem A. creavit creaturam, est, ut ipsum A. sit objectum ipsi E. Christi: & major finis, qui una creatura sit alteri, est Christus humanæ speciei: & major finis, ad quem moventur elementa, est corpus glorificatum.

86. K.M. Ex majoribus differentibus & concordantibus finibus formatur major æqualitas, quàm ex minoribus finibus rerum magis inæqualium in differentia & concordantia: unde summa æqualitas est in Personis divinis, & post hanc æqualitas ipsius A. & creaturæ in JESU Christo.

87. K.N. Inter tres species finis duæ sunt minores quàm tertia, quæ est causa finalis: ideo illa Fides est melior, quæ concordat cum majori fine contradictoriè opposito minoribus finibus.

88. K.O. Cùm affirmatio sit major & melior, quæ affirmat A. & cameras ejus & operationes, intelligitur, quòd major concordantia est inter majorem causam finalem & affirmationem.

89. K.P. Principalior finis, propter quem est dubitatio, est, ut E.I. habeant affirmationem vel negationem secundùm has cameras [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] nam major operatio est in E.I. per affirmationem vel negationem, quàm in N. per dubitationem.

90. K.Q. Quantò nobiliori & magis necessario fini servit negatio, tantò magis concordat cum majoritate contra suam contradictoriam affirmationẽ.

Majoritas.

91. L.M. Ex majoribus differentibus rebus concordantibus ad majorem finem, & derivatis ex majoribus principiis, & transeuntibus ad finem per majora media formatur intellectui major æqualitas: ex quo intelligitur, quòd major æqualitas sit in A., quàm in creatura.

92. L.N. Per diversa concordantia in esse unum suppositum conjunctum ex majori, quod sit increatum, & majori, quod sit creatum, majus & minus habentur secundùm comparationem majoritatis & minoritatis ipsius A. & creaturæ tantùm.

93. L.O. Major affirmatio, quæ sit possibilis, est affirmare, esse A. & cameras ejus, & intrinsecam operationem distinctorum concordantium & æqualium suppositorum per omnes cameras ipsius A.; de creatura verò non potest affirmari majus opus, quàm est conjunctio creaturæ & ipsius A. in esse unum suppositum.

94. L.P. Quantò majorem operationem habet C. in hac camera [E.A.V.Y.] tantò longiùs removetur à majori dubitatione: & quantò propinquiora sunt E.I.N. ipsi R., ad tantò majorem dubitationem feruntur.

95. L.Q. Major negatio formatur in E. quàm in N., quia B C.D. conveniunt cum majoritate, & K.L. cum minoritate: & major negatio formatur de E. quàm de I., quia E. est per primam & I. per secundam intentionem: & major negatio formatur per N. quàm per R., quia R., est propinquius dubitationi quàm N.: & quia A. convenit cum majoritate, & creatura cum minoritate, major negatio est de A. quàm de creatura.

Æqualitas.

96. M.N. B.C.D. habent majorem æqualitatem ratione majoris operationis in magis nobilibus distinctis & concordantibus objectis, quàm ratione minoris & minùs nobilibus & minùs distinctis & concordantibus.

97. M.O. Ex majoribus distinctis æqualibus & concordantibus suppositis formatur magis æqualis affirmatio: nam major æqualitas datur ipsi E. pro objecto ex majoribus æqualibus concordantibus suppositis.

98. M.P. Secundùm quòd objecta se habent æqualiter ad esse visibilia vel invisibilia, vel ad esse in amore vel odio, possunt haberi æquales dubitationes, dum potentiæ ipsius S. æquantur in formando ipsum R.

99. M.Q. Negatio negans intrinsecam operationem in A. est æqualis negationi neganti, esse A. & suas cameras: & negatio negans prædestinationem est æqualis negationi neganti liberum arbitrium: & si negatur, quòd mundus habeat principium, fiunt duæ negationes æquales, videlicet negatur majus in æternitate infinita, & negatur minus in terminata & finita quantitate.

Minoritas.

100. N.O. Affirmatio affirmans, mundum esse æternum, est minor, quàm affirmans, mundum habere principium; quod si non esset, sequeretur, quòd in A. opus intrinsecum non meliùs concordet cum æternitate quàm opus extrinsecum, quod A. habet in mundo: & hoc est impossibile. Præterea Judæi & Saraceni faciunt minorem affirmationem in operatione in- & extrinseca ipsius A. & in cameris ejus, quàm Christiani, cujus si esset contrarium, sequeretur, quòd ex majoribus differentibus æqualibus & concordantibus non formaretur majus opus, quàm ex minoribus: quod est impossibile.

101. N.P. Certum est, triangulum rubeum esse majorem in S. quàm in corpore, & ideo potest minor dubitatio haberi ipsius corporis, quàm ipsius S., cùm dubitatio possit discurrere per medium, quod est inter principium & finem.

102. N.Q. Quando N. negat Y., format minorem negationem, quàm E.I. negantia ipsum Y., quia minor culpa formatur in N. quàm in E.I.

Affirmatio.

103. O.P. Dubitatio & opinio habent minorem differentiam & concordantiam, affirmatio autem & demonstratio majorem, & propterea E.N. non exaltantur in dubitatione, sicut in affirmatione.

104. O.Q. Affirmatio & negatio sunt differentes & concordantes, quando per concordantiam principii & medii se habent ad unum finem: privatur autem concordantia earum, dum una se habet ad unum finem, alia verò ad alium per principium & medium contraria.

Dubitatio, Negatio.

105. P.Q. Sicut medium est in medio principii &

& finîs, ſic dubitatio ponitur in medio affirmationis & negationis: differunt autem in hoc, quòd medium principiatum eſt, ut finis exiſtat, dubitatio verò eſt in medio, ut E. I. N. perveniant ad affirmationem vel negationem, quæ concordat cum Y., vel ad affirmationem & negationem, ex quibus formatur concordantia affirmans Y., vel negans Z.

Conditiones Figuræ A.

Bonitas.

1. B.C. Bonitas & magnitudo ſunt dignitates habentes majorem concordantiam & æqualitatem & magìs contrariantes privationi in digna majoritate, quàm in minoritate: cùm igitur bonitas & magnitudo non poſſint eſſe in ſubjecto creato in majoritate ſinè privatione, neceſſarium eſt, quòd ſit una eſſentia increata, in qua bonitas & magnitudo ſint concordantes & æquales in majoritate ſinè privatione.

2. B.D. Si æternitas non eſſet, triangulus rubeus non eſſet, quia triangulus rubeus non poteſt eſſe per ſe ipſum: & quia æternitas habet majorem concordantiam in majoritate bonitatis, quàm duratio trianguli rubei, neceſſariò eſt bonitas æterna in eſſentia, in qua non eſt triangulus rubeus.

3. B.E. Bonitas & poteſtas ſunt in majori differentia, æqualitate & concordantia in A. quàm in creatura, propterea intelligit E., quòd bona poteſtas in A. diſtinguat, æqualificet & concordet de ſe aliud ſuppoſitum, ut camera in A. ſit in majori dignitate, & habeat infinitum opus majus quàm finitum opus, quod A. habet in creatura.

4. B.F. Bonitas & Sapientia habent ſe ad majorem dignitatem in majoritate & æqualitate, quàm in minoritate & inæqualitate: unde ſi Bonum Sapiens increatum & bonum ſapiens creatum ſint una perſona, ſequitur, quòd operatio ipſius A. concordet cum majori operatione in creatura in majori æqualitate.

5. B.G. Majoritas amoris concordat cum majoritate bonitatis in opere intrinſeco in A. & in opere extrinſeco ipſius A. in creatura.

6. B.H. Bonitas & Virtus poſſunt meliùs differentiari, concordari & æqualificari in majoritate quàm in minoritate: quod ſi non eſſet, vitium & privatio bonitatis, vel vitium & bonitas, vel virtus & privatio bonitatis haberent majorem proportionem cum majori dignitate, quàm cum minori.

7. B.I. Bonitas habet ſe ad majoritatem in veritate, & veritas ad majoritatem in bonitate, ubi eſt opus bonorum & verorum concordantium, æqualium & differentium.

8. B.K. In majoritate infinita neceſſarium eſt eſſe æqualitatem differentium bonorum concordantium in gloria per omnes cameras ipſius A.; aliàs enim bonitas & gloria meliùs concordarent in creatura in minoritate, inæqualitate & contrarietate bonorum gloriam habentium.

9. B.L. Bonitas & perfectio in majoritate magìs concordant cum eſſe, & contrariantur privationi, quàm in minoritate.

10. B.M. Bonitas & juſtitia ſunt majores in eſſentia infinita, quàm in eſſentia finita, in qua actualiter vel potentialiter eſt injuria & privatio bonitatis.

11. B.N. Si opus bonitatis & largitatis concordat & differentiat in majoritate, bonitas & largitas longiùs removentur à malitia & avaritia.

12. B.O. Neceſſarium eſt, in A. eſſe diſtinctionem bonitatis & miſericordiæ, ut ſit concordantia & æqualitas differentium bonorum & miſericordium in majoritate infinita.

13. B.P. Ut demonſtretur ipſi E. concordantia bonitatis & humilitatis in majoritate increata contra ſuperbiam, voluit Filius Dei humiliare ſe ipſum ad eſſe unam perſonam cum ente creato.

14. B.Q. Si bonum infinitum generat bonum infinitum, & ab utroq; bonum infinitũ procedit, quæ ſint bonitas & dominium, habebunt concordantiam, æqualitatem & differentiâ in majoritate ſinè minoritate, & longiùs removebuntur à malitia & ſervitute.

15. B.R. Major concordantia & æqualitas debet eſſe in bonitate & patientiâ infinitis quàm finitis.

Magnitudo.

16. C.D. Æternum magnum operans per infinitam magnitudinem opus infinitum æternum concordans & æquale cum ſuo opere per infinitum opus æternum neceſſariò eſt ſinè rubeo.

17. C.E. Neceſſarium eſt, quòd poteſtas operans opus per infinitam magnitudinem ſit infinita, & opus ejus ſit infinitum.

18. C.F. Magnitudo & Sapientia ſunt majores in majoritate operis diſtincti concordantis & æqualis, quàm in minoritate.

19. C.G. Amor & magnitudo conveniunt in opere, in quo eſt minoritas, contrarietas & inæqualitas, quantò magìs igitur concordant in opere infinito, in quo eſt majoritas, concordantia & æqualitas?

20. C.H. Magnitudo & Virtus ſinè diſtinctione operis ſibi æqualis non poſſent aſcendere ſuper magnitudinem & virtutem creatam, in qua eſt diſtinctio operis in minoritate & virtute.

21. C.I. Magnitudo & veritas concordant cum majoritate & eſſe, falſitas verò & minoritas cum privatione.

22. C.K. Eſt impoſſibile, quòd magnitudo & eſſe æqualiter concordent cum gloria & pœna.

23. C.L. Opus, majoritas, perfectio & magnitudo conveniunt cum eſſe, ſed opus, minoritas, perfectio & magnitudo cum privatione: unde ſi opus magnitudinis & perfectionis eſt in ente minori, quantò magis eſt in ente majori, in quo non eſt triangulus rubeus?

24. C.M. Quia juſtitia & eſſe, injuria verò & privatio conveniunt, magnitudo & juſtitia habent majorem actionem, quàm magnitudo & injuria.

25. C.N. Majus opus largitatis convenit cum majoritate, & minus cum minoritate: cùm igitur opus largitatis ſit in ente finito, quantò magis convenit, illud eſſe in Ente infinito.

26. C.O. Miſericordia eſt ita magna in æternitate, quòd neceſſariò exiſtat ante culpam.

27. C.P. Si magnitudo ipſius A. conveniret cum minoritate, quia aſſumpſit carnem, ſequeretur, quòd humilitas haberet majorem concordantiam cum minoritate quàm cum majoritate.

28. C.Q. Magnitudo & dominiũ concordant in majoritate, cùm ſervitus conveniat cum minoritate.

29. C.R. Quia magnitudo & patientia habent majorem concordantiam in majoritate quàm in minoritate, ideo eſt neceſſe, eſſe aliquod magnum patiens ſinè paſſione, quæ convenit cum privatione, culpa & minoritate.

Æternitas.

30. D.E. Si A. nihil eſſet, & mundus haberet poteſtatem, quòd eſſet æternus, poteſtas & æternitas concordarent in minoritate, & contrariarentur majoritati.

31. D.F. Si æternus ſapiens æternaliter operatur ſciendo & amando ſe ipſum, & inde non ſequitur utilitas, ut generetur alius ipſi æqualis in dignitate & ab ipſo diſtinctus, æternus Sapiens & opus ejus conveniet cum minoritate contra majoritatem.

32. D.G. Si æternus Amatus ſibi conjunxit principiatum amatum, hic Amatus concordat cum majoritate ad amandum æternum amatum.

33. D.H. Per odire vitium generatur virtus in rubeo, quantò magìs ergò per virtuoſum generatur virtuoſus in æternitate.

34. D.I. Si ex æterno vero & principiato vero unitur quoddam ſuppoſitum verum, neceſſariò illud verum fortiùs convenit cum majoritate, quàm omne aliud principiatum verum.

35. D.K. Si in creatura principium ſe habet ad principiandum, quantò magìs in gloria increata æternitas habet ſe ad æternificandum, & æqualitas ad æqualificandum; quod ſi non eſſet, potentia & actus in creatura haberent ſe in majoritate, & in æternitate in minoritate.

36. D.L. Æternitas habet majorem concordantiam cum perfectione intrà ſe quàm extra ſe, & ideo poteſt dare majorem perfectionem in ſe ipſa, quàm in alio extra ſe ipſam.

37. D.M. Si juſtitia æquaret ipſi A. mundum in æternitate, faceret æqualitatem majoritatis & minoritatis, deprimens ipſum A. ad minoritatem, & elevans mundum ad majoritatem.

38. D.N. Si A. poteſt dare eſſe in rubeo, quantò magis poteſt dare eſſe ſinè rubeo in æternitate; alioqui camera non conveniret cum majoritate, & non eſſet major largitas majorum donorum quàm minorum.

39. D.O. Si miſericordia non poſſet convenire cum æternitate ſinè creatura, creatura eſſet materia & ſubjectum, per quod miſericordia concordaret cum æternitate in minoritate ſecundùm actum & potentiam.

40. D.P. Si humilitas non conveniret cum æternitate ſinè creatura, æternitas concordaret cum majoritate, & humilitas cum minoritate.

41. D.Q. Si æternitas & dominium ſolùm concordarent in rubeo, æternitas & dominium convenirent in A. accidentaliter, actu & potentiâ.

42. D.R. Si æternitas & patientia non conveniunt ſinè creatura, ſequitur, quòd æternitas creavit creaturam, quia ipsâ caruit & indiguit.

Poteſtas.

43. E.F. Cùm in re finita poteſtas & ſapientia conveniant cum majoritate in actualitate ipſius C. & in privatione ipſius L., quantò magìs habent concordantiam in Eſſentia infinita, in qua ignorantia non ſit in actu nec in potentia.

44. E.G. Si poteſtas non poſſet præbere voluntatem ad amandum aliam ſinè creatura, poteſtas & voluntas convenirent cum majoritate, & opus ipſarum cum minoritate.

45. E.H. Poteſtas creaturæ operatur cum virtute finita opus finitum, quantò magìs ergò poteſtas ipſius A. operatur cum virtute infinita opus infinitũ.

46. E.I. Poteſtas & veritas ſunt remotiores à Z., ſi poteſtas poteſt generare veritatẽ, quàm ſi non poteſt.

47. E.K. Homo habet majorem poteſtatem habendi gloriam in majoritate, ſi eſt conjunctus cum poteſtate & gloria ipſius A., quàm ſinè hac conjunctione.

48. E.L. Poteſtas & perfectio habent majorem concordantiam in majoritate quàm in minoritate, adeoque majorem in infinita magnitudine quàm in finita.

49. E.M. Potens & juſtus habent concordantiam diſtinctam æqualem in majoritate, ut actio & actualitas & eſſe potentis juſti non accipiant principium in principio creaturæ concordantis cum minoritate.

50. E.N. Poteſtas & largitas magìs elongantur à privatione poteſtatis & avaritiâ per operationem majoritatis in infinito, quàm minoritatis in finito.

51. E.O. Poteſtas poteſt convenire cum miſericordia in majoritate ſinè minoritate, & ideo ſinè creatura.

52. E.P. Quantò majorem humilitatem poteſtas poteſt generare, tantò fortiùs poteſtas & humilitas poſſunt convenire cum majoritate & æqualitate.

53. E.Q. Si poteſtas non poteſt generare dominium antequam creatura exiſtit, poteſtas & dominium ſunt minùs remota à ſervitute.

54. E.R. Per majorem concordantiam poteſtatis & patientiæ in creatura per has cameras [E.A. V.Y.] [I.V.Z.] ſignificatur major concordantia poteſtatis & patientiæ in A.

Sapientia.

55. F.G. Si Sapiens ſcit ſibi æqualem in ſapientia & amore ſinè rubeo, & ſcit ſe ſcitum & amatum per illum, magìs ſcit & magìs amat, quàm ſi talem neſciret; & eſt remotior ab hoc, quòd ignoretur & odiatur.

56. F.H. Si Sapiens ſciens ſuam Virtutem generat ſibi ipſi æqualem in ſapientia & virtute ſinè rubeo, concordat cum majoritate in ſapientia & virtute.

57. F.I. A. ſcit plus ipſius Y. in eo, in quo exiſtit plus de Y.; unde illud debet eſſe in Y., per quod ſapientia & veritas habent majorem operationem in creatura, & viciſſim.

58. F.K. Si exiſtit ſapiens glorioſus, qui ſubjicitur inſipientiæ & pœnæ, quantò magis exiſtit ſapiens glorioſus ſinè inſipientia & pœna.

59. F.L. Si ſapientia & perfectio, quæ generant ſapientiam & perfectionem, non eſſent majores, quàm quæ non generant ſapientiam & perfectionem, ſequeretur, quòd ſapientia & perfectio haberent majorem convenientiam in minoritate quàm in majoritate.

60. F.M. Sapiens juſtus in juſto infinito convenit cum majoritate, in juſto finito cum minoritate.

61. F.N. Si ſapiens largus infinitus non largiretur ſe ſapienti infinito & ſapienti finito, ſapiens & largus infinitus eſſet contrarius ſuæ ſapientiæ & largitati & operi earum.

62. F.O. In eſſentia, in qua æqualiter & diſtinctè eſt concordantia ſapientiæ & miſericordiæ in juſtitia, opus concordantiæ eſt magìs remotum à minoritate & contrarietate.

63. F.P. Sapientia, humilitas & concordantia infinitæ neceſſariò ſunt remotæ à privatione & contrarietate.

64. F.Q. Si Sapiens dominus neſciret ſe dominum, antequàm mundus exiſteret, ſciret ſuum dominium magìs propinquum minoritati.

65. F.R. Conveniens eſt, A. eſſe hominem patien-

patientem, ut homo sciat majus conveniens, quo possit meliùs concordari cum patientia contra impatientiam.

Amor.

66. G.H. Majoritas operis amoris & virtutis est magis remota à privatione, quàm minoritas contraria majoritati.

67. G.I. Opus amoris & veritatis extra rubeum est remotius ab odio & falsitate, quàm opus amoris & veritatis in rubeo.

68. G.K. Æqualis concordantia amoris & gloriæ per amantes glorioſos amatos glorificatos concordat cũ majoritate, & est remota ab odio & pœna.

69. G.L. Opus amoris potest majus esse in subjecto, in quo perfectio magis remota est ab imperfectione.

70. G.M. Justitia nihil esset in rubeo, si justus non amaret justum & justitiam, quantò magis ergò convenit, quòd extra rubeum in justo sit amor justi & justitiæ.

71. G.N. Si amor & largitas habent concordantiam sinè rubeo, conveniunt in majoritate & æqualitate, per quam convenientiam demonstratur distinctio & pluralitas.

72. G.O. Amor & misericordia meliùs potitur suâ majoritate in creatura ad fortiùs significandum & demonstrandum majoritatem amoris & misericordiæ in A., si Incarnatio est.

73. G.P. Major amor & humilitas habetur ex creatura conjuncta cum A., quàm ex omni alia creatura.

74. G.Q. Illud est affirmandum, per quod meliùs demonstratur majoritas amoris dominii.

75. G.R. Impossibile est, quòd A. sit oppositum majoritati amoris & patientiæ in creatura.

Virtus.

76. H.I. Virtus & veritas sunt remotiores à minoritate in subjecto, in quo oppositum earum nec est actualiter nec potentialiter.

77. H.K. Illud convenit cum Y., per quod multiplicatur virtus in his cameris [E.A.V.Y.] [I.V.Z.] ut E. possit habere majorem gloriam in camera Virtutis & gloriæ.

78. H.L. Virtus, quæ est extra rubeum, potest dare majorem virtutem & perfectionem in rubeo in se ipsa, quàm extra se ipsam.

79. H.M. Quòd habet majorem virtutem ad movendum E. ad justitiam, & H. ad injuriam, non potest esse in Z.

80. H.N. Ignis est largus aëri, eò quòd ipsi præbeat suam virtutem, scilicet calorem, quantò magis igitur in A. est largus, qui præbeat alteri suam virtutem.

81. H.O. Virtus ipsius A. inclinat creatam virtutem ad suam naturam, ut inde creatura multiplicetur in virtute, & virtus & misericordia meliùs concordent in his cameris [E.A.V.Y.] [I.V.Z.]

82. H.P. Si virtus ipsius A. sibi conjungit creatam virtutem, superbia in creatura est magis remota ab humilitate, quæ magis exaltatur ad fortiùs demonstrandum virtutem & humilitatem ipsius A.

83. H.Q. Quantò majorem concordantiam virtus & dominium ipsius A. habent cum creata virtute & servitute, tantò meliùs virtus & dominium demonstrantur in creatura, & creatura inde habet majorem & magis sublimatã virtutem in dignitate.

84. H.R. Illud debet affirmari, per quod H. habet majorem virtutem contra impatientiam, & D. majorem convenientiam cum patientia.

Veritas

85. I.K. Illud convenit eum esse, per quod veritas & gloria magis elongantur à falsitate & pœnâ.

86. I.L. Veritas & perfectio increata habent majorem concordantiam in creatura, si Incarnatio est.

87. I.M. Veritas & falsitas, justitia & injuria non possunt æternaliter & æqualiter convenire cum esse.

88. I.N. Si veritas largitur de intellectu, meliùs convenit cum largitate, quàm si Dominus largitur de suis denariis.

89. I.O. A. facit majorem misericordiam ipsi C., cùm ipsi dat Y. pro objecto in se ipso, quàm cùm dat Y. in creatura.

90. I.P. Veritas & humilitas habent majorem convenientiam in majori nobilitate nobilium hominum quàm in minori.

91. I.Q. E. in differentia ipsorum B.C.D. habet concordantiam sinè contrarietate, unde veritas & dominium multiplicatur contra suum oppositum.

92. I.R. Veritas & patientia sunt magis remotæ à suo opposito in majoribus in dignitate, quàm in minoribus.

Gloria.

93. K.L. Gloria & perfectio meliùs conveniunt cum majoritate in ultimo fine, quàm in principio & medio illius finis.

94. K.M. Si gloria & justitia habet in se ipsa suppositum justum glorioſum generans aliud suppositum justum glorioſum, & ab ambobus aliud justum glorioſum procedat, & omnia tria sint gloria & justitia, sequitur, quòd tali opere gloria & justitia longiùs removetur à suo opposito.

95. K.N. Quando Y. habet in se gloriam & largitatem generantes gloriam & largitatem, quæ sunt Y., & ex ambobus Y. procedunt gloria & largitas, quæ sunt Y., tunc Y. demonstratur magis distinctum & contrarium ipsi Z.

96. K.O. Ex gloria infinita in duratione intelligitur misericordia infinita, & ex pœna infinita in duratione intelligitur justitia infinita, quæ est in A.

97. K.P. Gloria & humilitas habent majorem concordantiam cum æqualitate in absentia majoritatis & minoritatis, quàm cum majoritate, quæ non potest esse sinè minoritate.

98. K.Q. Gloria & dominium habent majorem concordantiam in rebus majoribus quàm in minoribus & minùs nobilibus, & ideo E. potest habere majorem gloriam & dominium in D. quàm I. in H.

99. K.R. Quia gloria & patientia magis conveniunt in majoritate quàm in minoritate, propterea I. potest esse subjectum majori patientiæ, quàm N.

Perfectio.

100. L.M. Perfectio & justitia habent majorem propinquitatem & convenientiam cum majoritate extra quàm intra rubeum.

101. L.N. Largitas est in majori perfectione in donis majoribus, quàm in donis minoribus.

102. L.O. A. habet eò majorem misericordiam, si largitur illud, quo medium à perfectione magis remotum possit dirigi, ut sit in via veniendi ad finẽ.

103. L.P. Sicut natura ducit formas de imperfectione ad perfectionem de potentia in actum, ita per influentiam perfectæ humilitatis, quæ est in A., reducitur perfectio & humilitas creaturæ ad ipsam, quæ est in A.

104. L.Q. Si increata perfectio est, cujus virtute sit generatus dominus perfectionis, quâ sit perfectio dominatis creatæ perfectioni, inde sequitur, perfectionem & dominium esse nobiliora in A. & in creatura.

105. L.R. Perfectio concordat cum opere patientis, & imperfectio cum opere impatientis: ideo oportet, in creatura esse suppositum in tanta perfectione & patientia, quòd imperfectio & impatientia in ipso neque sint actuales neque potentiales, ut patiens perfectus in A. habeat potestatem in creatura, quâ multiplicet perfectionem & patientiam suprà potentiam & actualitatem imperfectionis & impatientiæ.

Justitia.

106. M.N. Est inconveniens, quòd justitia non judicet, se ipsam & largitatem esse priùs, quàm sua opposita.

107. M.O. Si justitia non concordaret cum misericordia in eo, in quo misericordia potest major esse, esset injuriosa misericordiæ, & conveniret cum injuria.

108. M.P. Si justitia & humilitas non haberent majorem concordantiam extra rubeum, haberent æqualem convenientiam contra suum oppositum existens in rubeo, cùm eâ, quæ convenit eis extra rubeum.

109. M.Q. Si justitia & dominium, quæ non possunt convenire absentiâ operis in rubeo, possent concordare absentiâ operis extra rubeum, concordarent in rubeo cum majoritate, & extra rubeum cum minoritate.

110. M.R. Si justitia judicat, in se ipsa esse generantem justum patientem extra rubeum, & per hanc generationem & per Incarnationem judicat fortius rubeum ad justitiam & patientiam, sequitur major concordantia inter justitiam & patientiam intra & extra rubeum.

Largitas.

111. N.O. Largitas & misericordia conveniunt in rubeo, unde multò magis convenit, quòd conveniant extra rubeum.

112. N.P. Largitas & humilitas sunt propinquiores & magis concordes in æqualitate in se ipsis subjectâ, quàm in majoritate & minoritate extra se ipsas.

113. N.Q. Largitas concordat magis cum Domino quàm cum subdito; unde si largitas in A. concordat cum rubeo, in quantum se dat pro objecto ipsis E.N., quantò magis A. habet in se ipso, qui se det pro objecto æquali sibi ipsi; quod si non esset, sequeretur, quòd rubeus esset causa, quâ camera esset in A.

114. N.R. Si largitas in A. generat largum patientem, quem largiatur in rubeo, magis repugnat avaritiæ & impatientiæ.

Misericordia.

115. O.P. Si misericordia & humilitas generat una aliam, & sunt unum & idem, habent majorem concordantiam contra suum oppositum, quàm si una generaret aliam absque eo, quòd essent idem, vel si essent idem absque eo, quòd una generaret aliam.

116. O.Q. Si in misericordia & dominio non esset differentia & concordantia sinè contrarietate, non essent magis remota à privatione & contrarietate, quàm quatuor elementa.

117. O.R. Misericordia & patientia habent se ad majorem differentiam & concordantiam in rebus magis nobilibus, quàm minùs nobilibus.

Humilitas.

118. P.Q. Humilitas & dominium extra rubeum habent in concordantia virtutem, quâ conveniant meliùs in majoribus & magis nobilibus in rubeo, quàm in minoribus & minùs nobilibus.

119. P.R. Illud, in quo humilitas & patientia sunt in majori concordantia, est remotius ab opposito humilitatis & patientiæ.

Dominium, Patientia.

120. Q.R. Quia dominium & patientia concordant cum esse, perfectione & nobilitate contra ipsorum opposita, quæ conveniunt cum privatione, ideo necessariò existunt extrà rubeum, ut antè subsistant in duratione, quàm eorum opposita.

Secundus Circulus.

Ad exercendam Practicam in hoc secundo Circulo per Conditiones, extrahendo ex illis Demonstrationes, peragenda sunt omnia circa *Conditiones*, quæ peracta sunt in primo Circulo circa *Principia*, nam usus septem Instrumentorum universalium non minùs est necessarius in Conditionibus quàm in Principiis; quod suprà fuit monstratum in introitu Conditionum, quandò fuit sermo de *Conversione* & *Compositione* dictarum Conditionum.

Supposità ergò tali prævià præparatione & habitu in Artifice, si illi proponatur aliqua quæstio, quam cupit resolvere per Demonstrationes rotantes in hoc secundo Circulo, *primò* inspiciat terminos quæstionis, ut ex illis eliciat Principia universalia hujus Artis (ùt in ante habitis jam dictum). *Secundò* extractis Principiis Conditiones Principiorum aut habentur *actu* in Conditionibus Figurarum T. & A., aut *potentiâ* in illis continentur, & per Artem septem Instrumentorum educuntur de potentia in actum, scilicet per *Conversionem*, *Compositionem*, *Significationem*, *Æquationem*, *Comparationem* &c.: unde cùm in Conditionibus lateant solutiones quæstionum, nulla erit difficultas efformandi quæstitam Demonstrationem:

Exemplo rem declarabo: quæritur, *utrum detur Universale à parte rei extra humanum intellectum?* hanc nobilem quæstionem, & in praxi arcanæ Philosophiæ, ultrà quam credunt hujus Philosophiæ ignari, utilem resolvit Doctor Illum. Quæst. 12. Artis inven. Part. in Univ., quæ habetur Tom. 3. per quindecim Demonstrationes ex Conditionibus factas.

Ad resolvendam hanc Quæstionem convenit illam primò resolvere in sua principia, hoc modo: manifestum est, quòd *Universale* sit terminus principalis in quæstione positus, de quo quæritur, an *sit?* h. e. de ipsius *Esse*, vel *non Esse*, à parte rei extrà humanum intellectum, vult dicere de ipsius *Esse reali*, & non *intentionali* producto per *operationem* intellectûs *affirmantis* illud esse: oppositus terminus *Universalis* est *particulare*: habemus ergò omnia Principia, in quæ quæstio potest resolvi, partim *universalia*, partim *particularia*, partim *explicita*, par-

partim *implicita:* videlicet *universale*, *particulare*, *reale*, *intentionale*, *Esse*, *non Esse*, *affirmatio*, *operatio: majoritas*, *minoritas:* priora quatuor principia sunt *particularia*, posteriora sex sunt *universalia* ex Figura T. desumpta; acquisitis principiis applicetur illis *Comparatio* cum reliquis quatuor triangulis Figuræ T. instrumentalis, ût suprà Dist. 2. cap. 1. fol. 23. dictum : & subitò comparebunt habitudines Principiorum.

Sed ut modus comparandi tibi manifestiùs pateat, semper statue ex uno latere duos terminos universalissimos, scilicet *Esse*, *non Esse*, quibus è regione loca alios duos oppositos vel universales vel particulares, vel ex his mixtos, vel simplices vel compositos, quoties poteris: ût in sequenti schemate vides.

Esse	Universal.	Reale	Majorit.	Affirm.
Nõ Esse	Particul.	Intention.	Minorit.	Negat.

Hi omnes sunt *binarii simplices*, universales vel particulares, quos poteris comparare ad *Esse* vel *non Esse:* vel ad *Esse* & *non Esse* secundùm dictos quatuor triangulos Figuræ T.

Binarii compositi sunt sequentes:

Universale reale	Particulare reale
Universale intentionale	Particulare intentio.

Major affirmatio	Major operat.	Operat. realis.
Minor affirmatio	Minor operat.	Operat. intent.
Operatio natural.	&c.	
Operat. artificial.		

Ex his binariis tam simplicibus quàm compositis ulteriùs inter se *comparatis* & *compositis* resultant *Conditiones*, per quas data Quæstio resolvitur & demonstratur; quæ Conditiones sunt in triplici differentia; ût suprà ante Conditiones notatum; aut enim sunt *universales tantùm*, quando fiunt ex principiis universalibus tantùm, aut *particulares tantum*, quando fiunt ex principiis particularibus tantùm, aut sunt compositæ ex utrisque, si constent ex utroque genere principiorum; v. g. in dato Exemplo produces sequentes *Conditiones universales: Major operatio naturalis est affirmabilis, affirmatio & majoritas secundùm operationem sunt propè concordantiam, sed negatio & minoritas ab ea longè distant: Affirmatio habet majorem operationem per majoritatem, quàm per minoritatem, nisi in illa majoritate contradicat DEO.*

Item sequentes *Conditiones* sunt *particulares: sicut se habet particulare intentionale ad universale intentionale, sic se habet particulare reale ad universale reale*; & *alternè, sicut se habet particulare intentionale ad particulare reale, sic universale intentionale ad universale reale.*

Item sequentes *Conditiones* sunt *mixtæ*, *particulare reale convenit cum majori esse, quàm particulare intentionale:* unde cùm sit eadem proportio inter universale reale & intentionale, quæ est inter particulare reale & intentionale, clarè infertur, *quòd universale reale conveniat cum majori esse, quàm universale intentionale*, si igitur universale reale nihil esset, manifestè dicta proportio nihil esset, igitur proportio naturalis conveniret cum non esse, & improportio cum esse, & major operatio naturalis esset negabilis, & minor affirmabilis, quod est contra primam Conditionem universalem: hanc Demonstrationem confirmare poteris innumeris aliis ex datis Principiis & Conditionibus educendis: continua igitur Demonstrationes per ordinem Conditionum sibi succedentium secundùm ordinem principiorum, & absolves secundam Circulationem, quàm hìc digito monstrare sed non absolvere licuit.

CAPUT III.

De Demonstrationibus Universalibus.

CUm duo præcedentia Capita, & Circuli huic tertio Capiti & Circulo congregaverint materiam amplam & copiosam, & insuper illam disposuerint ac præparaverint, ut nil supersit Artifici, nisi illam subdere formæ hujus tertii Circuli, in quo recipiat complementum Artis demonstrandi, quæ propriè tendit in hunc finem, ut in hoc tertio Circulo Conditiones secundi Circuli inter se connectantur ad producenda *verba rationalia*, quæ vocamus *Demonstrationes*, nolui reiterare ea, quæ in duobus Capitibus jam sunt tractata, & huic Capiti pariter sunt communia, sed solùm in uno Exemplo integri Circuli dare *Analysin* insignis cujusdam Demonstrationis ab ipsomet nostro Illuminato Doctore ex dictis Principiis & Conditionibus universalibus per *Synthesin* efformatæ in Lib. suprà citato *Artis inveniendi particularia in universalibus*, hoc enim Exemplum erit valde sufficiens ad infinita alia similia aut per synthesin ex primis Principiis & Conditionibus componendi, aut jam composita per Analysin resolvendi in suas Conditiones & Principia universalia: sit igitur

Tertius Circulus.

In quo proponatur *decima Quæstio* dicti Libri, ût sequitur: quæritur: *utrùm sit aliqua universalis scientia subjecta omnibus aliis scientiis; in qua sint certa universalia Principia, per quæ possit responderi quæstionibus infinitorum particularium? & teneo, quod sic.*

Ad hanc quæstionem solvendam recurratur ad Figuram T., ut ex illa eliciantur Principia universalia, quæ implicitè sunt in quæstione, secundùm Artem in fine præcedentis Circuli traditam, & prodibunt sequentia tria: *Finis*, *Medium*, *Principium:* si enim est talis Scientia universalis, erit utique *medium* subjectum omnibus scientiis, & compositum ex universalibus *Principiis*, per quod medium erit assequibilis hic *finis*, scilicet demonstrativa solutio infinitarum quæstionum.

Ex his *tribus* Principiis efficit Doctor Illum. *primam cameram*, quam vocat *Figuram substantialem*, quia hi primi tres termini debent manere invariati in omnibus sequentibus quatuordecim Demonstrationibus, & debent in singulis reperiri; huic primæ Cameræ jungit alios tres terminos Figuræ T., qui secundùm ordinem prædictos insequuntur, & sunt, *Majoritas*, *Finis*, *Medium*, quos vocat *secundam Cameram*, & *figuram accidentalem*, quia serviunt tantùm primæ Demonstrationi, & in secunda mutantur in alios tres terminos sequentes per ordinem, & sic usque ad finem, ût ipsum Exemplum docet: sed quoniam hæc quæstio est ex *universalibus* & *particularibus*, ideo respondendum est ei per specialia principia, quæ sunt ex specialibus scientiis, scilicet ex *Theologia*, *Philosophia*, *Logica*, *Jure* & *Medicina*, non vulgaribus sed Doctoris Illuminati; unde ad propositum eligenda sunt in his quinque scientiis specialia principia, ad solvendam quæstionem, declarando Doctrinam & Regulam hujus Artis: & ideò de *Principiis Theologiæ* sumuntur *Essentia*, *Dignitates* & *Actus DEI:* de *Principiis Philosophiæ* sumuntur *Mixtio*, *Digestio*, *Compositio:* de *Principiis Logices* sumuntur *Propositio major*, *minor*, & *Conclusio:* de *Jure*, *Forma* & *Materia:* de *Medicina* autem *Causa*, *Accidens*, *Ægritudo:* per hæc *quatuordecim Principia* panditur Doctrina & Regula, quomodo quæstiones, quæ diversis aliis scientiis conveniunt, secundùm earum Principia debeant indagari.

Prima Demonstratio.

Majoritas, Finis, Medium.

Textus. Essentia (*a*) DEI est universale *Principium* omnibus essentiis, & *Finis* omnium creatorum, (*b*) & quoniam ipsa Essentia DEI habet concordantiam cum *majoritate*, omnes verò aliæ essentiæ cum minoritate, (*c*) ergò *majoritas* est *medium*, per quod creantur & sustentantur cæteræ essentiæ, (*d*) hoc autem *medium* est universale *principium*, in quo possunt reperiri omnia particularia, quæ per essentiam diriguntur ad recipiendum influentiam à summa Essentia, quæ est Principium earum: (*e*) in quo *Principio* esset minoritas *finis* & *medii*, si particulare, quod ab ipso influentiam recipit, deficeret reperiri; sed quoniam hæc minoritas est impossibilis, ergò manifestum est (*f*), si sit quædam scientia, in qua omnia principia aliarum scientiarum misceantur, quòd de necessitate sequitur, in ea reperiendum esse particulare substans universalibus illius scientiæ.

Analysis: Prima Conditio Fig. T. est hæc: *DEUS est Principium & finis creaturæ*, ex qua *universali* educitur superior *particularis* (*a*) Essentia DEI est universale Principium omnibus essentiis, nam quia Essentia DEI est *DEUS*, & omnes aliæ essentiæ sunt *Creaturæ*, necessariò sequitur, quòd sicut Deus se habet ad creaturam, sic Essentia Dei ad essentiam creaturæ: unde sicut Deus est universale Principium omnium creaturarum particularium, sic Essentia Dei est universale Principium omnium Essentiarum particularium creaturarum.

Nona Conditio est hæc: *Deus est major omni creatura*; ex qua manifestè elicitur hæc: *(b) Essentia Dei habet concordantiam cum majoritate, omnes verò aliæ essentiæ cum minoritate:* & quia *illud medium magis concordat cum esse & perfectione, quod est in majoritate principii & finis* (ût sonat 78. Conditio) ergò (*c*) *majoritas est medium, per quod creantur & sustentantur cæteræ Essentiæ.*

Majus medium est majus Principium, in quo potest reperiri major finis: hæc Conditio est *universalis*, & implicita in Conditionibus Figuræ T., ex qua conficies *particularem* (*d*) universale medium est majus medium, quàm particulare medium, sed universale medium est universale principium, ergò majus medium est universale principium; unde cùm per unum particulare medium possit inveniri unus particularis finis, per unum universale medium potest inveniri unus universalis finis, & multi particulares fines; quia si non, sequeretur, quòd universalis finis non esset in particularibus finibus; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Deus non esset universale Principium & finis creaturæ, & hoc est contra primam Conditionem Figuræ T.

In illo principio est minoritas finis, in quo non continetur omnis finis, hæc *Conditio universalis* est *convertibilis* in istam: *in illo principio est majoritas finis, in quo continetur omnis finis:* ex priori elicitur *hæc particularis:* in (*e*) Essentia Dei, quæ est principium essentiarum creatarum, esset minoritas finis & medii, si per hoc principium & medium fines particularium essentiarum non possent inveniri: quæ Conditio particularis facilè convertitur in *oppositam particularem* per supradictam *secundam Conditionem universalem.*

Si est creatura, in qua omnia principia aliarum creaturarum misceantur, necessariò sequitur, in ea reperiendum esse minus principium substans majoribus principiis illius creaturæ: compara hanc *Conditionem universalem* ad Conditionem particularem (*f*) & videbis, qui termini sint mutandi, ut una convertatur in alteram.

In hac prima Demonstratione revelavit Doctor Illum. aliquas partes magni Arcani, quod per omnes quatuordecim Demonstrationes studiò dispersit, ut sui Discipuli, quibus innotescerent loca thesauri in hoc agro absconditi, illum Arte colligerent, & sui inimici illum præterirent: igitur Condiscipuli capite hæc perspicilia arte elaborata, & videte ea, quæ sequuntur, & realiter sunt, sed non videntur, donec Naturæ & Artifici placeat.

In singulis particularibus suprà dixi necessariò esse principia universalia, ergò omne particulare est ens compositum ex universali & particulari; quo particulari per analysin resoluto compositum fit simplex, & universale exuit habitum particularis: quia si non, sequeretur, quòd *in majori differentia non esset major concordantia*; & hoc est contra 40. Condit.

Praxin *resolutionis intentionalis* vides in *Conditione particulari* (*f*), quæ habetur in textu, resolutâ in *Conditionem universalem*, quæ habetur in analysi (*f*) ex qua per *metaphoram* disces *resolutionem realem:* per hanc autem tibi patet è converso *synthesis intentionalis & realis:* cujus *primæ* tibi do sequens exemplum

Sumatur dicta Conditio universalis (*f*) in analysi proposita, & quia in illa Termini *Creatura*, *majoritas*, *minoritas* sunt *universales*, convertantur in *particulares* contentos sub illis, v. g. *Corpus naturale, universale, particulare*, postea *contrahatur* dicta *Conditio universalis* ad hanc *particularem: si est aliquod Corpus naturale universale, in quo principia omnium aliorum corporum naturalium misceantur, necessariò sequitur, in eo reperiendum esse quodlibet particulare principium substans universalibus principiis illius corporis naturalis universalis:* qui potest capere, capiat.

Secunda Demonstratio.

Æqualitas, Majoritas, Finis.

Textus: Universale (*a*) *Principium* est in Scientia Theologiæ, omnes divinas *Dignitates* esse *æquales*, non in aliquo inter se repugnantes nec contrariantes, sed in omnibus concordantes: (*b*) atque omne id esse in veritate, per quod ipsæ manifestantur esse in *majoritate* æqualitatis & concordantiæ absque aliqua contrarietate: quia si hoc esset falsum, sequeretur (*c*) quòd minoritas esset *finis* & *principium* per æqualitatem divinarum Dignitatum contra majoritatem; itaquè (*d*) minoritas esset *medium*, per quod nullum particulare posset reperiri in principiis Theologiæ, quod est inconveniens, ergò &c.

Analysis: Conditio universalis (*a*) est, *quòd in DEO sit æqualitas & concordantia sinè contrarietate*, quod patet ex 4. 5. 10. Conditionibus Figuræ T. Conditio 7. & 11. revelant Cond. (*b*). *Conditio universalis* (*c*) est hæc: *minoritas non potest esse finis & principium per æqualitatem contra majoritatem:* quæ contracta &

compoſita cum terminis *divinarum Dignitatum* ſit particularis. Conditio univerſalis (*d*) *minoritas eſt medium, per quod nullus major finis poteſt inveniri*; quæ converſa de oppoſito in propoſitum dat hanc Conditionem univerſalem, *majoritas eſt medium, per quod omnis major finis poteſt inveniri*, cujus ſpecificatio noteſcit ex (*d*) textûs.

Tota hæc Demonſtratio particularis determinata ad ſcientiam Theologiæ *explicitè* determinatur etiam à Doctore Illum. ad ſcientiam & Artem univerſalem *implicitè*, quod titulus quæſtionis præſefert: itaque pari ratione *implicitè* eſt contrahibilis & determinabilis ad quamcunque ſcientiam particularem, quod pertinet ad *Rhetoricam Lullianam.*

Tertia Demonſtratio.

Minoritas, Æqualitas, Majoritas.

Textus: *Æqualitas* (*a*) poteſt eſſe major per *majoritatem* quàm per *minoritatem*; quocirca (*b*) æqualitas poteſt eſſe major in *fine*, quàm in *medio* & *principio*; & ideo *mixtio* harum duarum Camerarum eſt quoddam univerſale principium (*c*) ſubjectum inventioni multorum particularium; ad ſignificandum (*d*), quandam ſcientiam eſſe, in qua miſceantur univerſalia principia plurimarum ſcientiarum, ut ſit ſubjecta ad indagandum & inveniendum infinita particularia: quoniam (*e*) ſicut bonificare & magnificare Dei ſunt *actus* bonitatis, magnitudinis, & ipſum bonificare eſt principium omni bono creato, & ipſum magnificare omni magno creato, & ſic de aliis, ita de *neceſſitate* decet (*f*) quandam ſcientiam eſſe ſubjectam aliis ſcientiis, in qua quodlibet univerſale principium ſit principium omni alteri principio particularis ſcientiæ, quod ſit de *ſimilitudine* ejusdem principii univerſalis, & per mixtionem amborum principiorum, ergò &c.

Analyſis: Conditiones (*a*) & (*b*) ſunt per ſe *univerſales*, ût patet, ſed inter utramque omiſſa eſt media ad complendum *ſyllogiſmum univerſalem*, videlicet hæc: *ſed majoritas & finis inter ſe concordant*: ex qua legitimè infertur: ergò *æqualitas poteſt eſſe major in fine, quàm in principio & medio*; hæc forma ſyllogiſmi univerſalis te docet facere innumeros alios huic ſimiles, connectendo ſemper tres Conditiones univerſales, quam proin non repetam in ſequentibus: quomodo autem eliciantur multa particularia ex illa, ût aſſerit (*c*), hoc ſignifieant (*d*) (*e*) (*f*): dabo tamen aliud exemplum claritatis gratiâ, quod præſens exemplum magis elucidet.

Æqualitas corporis naturalis poteſt eſſe major per majoritatem, quàm per minoritatẽ, ideo æqualitas illius poteſt eſſe major in fine perfectionis, quàm in medio & principio, ad ſignificandum, quoddam corpus naturale & univerſale eſſe, in quo miſceantur univerſalia principia plurimorũ corporum naturalium particulariũ, ut ſit ſubjectum ad indagandum & inveniendum infinita particularia in corporibus naturalibus particularibus; quoniam ſicut bonificare & magnificare Dei ſunt *actus* bonitatis magnitudinis, & ipſum bonificare &c., ita de neceſſitate decet quoddam corpus naturale univerſale eſſe ſubjectum aliis corporibus naturalibus particularibus, in quo quodlibet univerſale principium ſit principium omni alteri principio particularis corporis naturalis, quod ſit de *ſimilitudine* ejusdem principii univerſalis, & per mixtionem amborum principiorum: ergò &c. an ridet nos ſuos Diſcipulos Doctor Illum.? qui in ſupradicta Demonſtratione nobis ſpondet inventionem infinitorum particularium; vel an nos adeò bardi ſumus, ut nullum horum videre valeamus? aut juſtè nos carpunt, qui, nos fingere, ajunt, hoc videre, quod nuſquam eſt? aperiant ergò oculos, vel oſtendant, me errâſſe in Arte Illum. Doctoris, extrahendo dictum particulare ex dato univerſali, ex quo centena alia eâdem facilitate poſſem eruere, ſi locus & tempus ſuppeterent.

Quarta Demonſtratio.

Affirmatio, Minoritas, Æqualitas.

Textus: *Finis, Medium, Principium, Affirmatio Minoritas, Æqualitas* ſunt univerſalia Principia, quia infinita particularia in eis poſſunt recipi: unde dum hæc principia miſcentur, ex eorum mixtione producitur, quòd datur (*a*) univerſale principium ſubjectum multis particularibus; *quemadmodum* (*b*) *operatio quatuor elementorum eſt univerſale principium multis ſubſtantiis & multis accidentibus*: ergò per hanc (*c*) ſimilitudinem manifeſtum eſt, quòd ex multis ſcientiis producitur quædam *univerſalis ſcientia*, in qua univerſalia principia *particularium ſcientiarum* miſcentur; cujus univerſalis ſcientiæ principia ſunt univerſalia ad recipiendum principia particularium ſcientiarum; ergò &c.

Analyſis: in hac Demonſtratione Doctor Illum. lucidiùs aperit *Proportionem & Comparationem* inter *opus artificiale & intentionale*, ac *opus naturale & reale*, quæ ſi referas ad ea, quæ diximus in præcedentibus Demonſtrationibus, & dicturi ſumus in ſequentibus, nihil in illis erit opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non ſcietur: ſed quæres, quomodo principia ſuperiùs nominata miſceantur? dabo unam Conditionem univerſalem ex illis mixtam, facientem ad propoſitum: *affirmare æqualitatem inter principium, medium & finem, eſt affirmare majus principium, in quo poſſunt recipi omnia minora principia æqualia & inæqualia:* hæc Conditio eſt (*a*) ſubjectum duobus particularibus (*b*) (*c*) & innumeris aliis hìc non recenſitis.

Quinta Demonſtratio.

Dubitatio, Affirmatio, Minoritas.

Textus: Dubitatio (*a*) eſt univerſale *principium*, in quo formatur (ut ita loquamur) *digeſtio affirmationis & negationis*; & ut affirmatio & negatio ſint in *fine*, potentia memorativa, intellectiva & volitiva ſunt ita *comparativè* univerſalia principia ipſi digeſtivæ potentiæ per dubitationem, *ſicut ſunt quatuor elementa per potentiam vegetativam, ut efficiatur ſuppoſitum elementatum:* hoc idem etiam ſequitur de potentia ſenſitiva, in qua fit digeſtio quinque ſenſuum corporalium, quæ ſunt univerſalia principia, per quæ operatur potentia ſenſitiva: unde cùm hæc ita ſint, per hoc *medium* manifeſtatur, aliquam *Scientiam* eſſe *communem* neceſſariò (*b*), ſub qua *revolvuntur*, & in quam *terminantur* communiter omnia univerſalia aliarum ſcientiarum ſubjecta regulata & ordinata ſecundùm eorum naturales proprietates, ex quorum *participatione* & *digeſtione* ſcilicet alterius cum altero, miſcendo alias cameras cum aliis, reperitur particulare, quod quæritur, ſalvis Conditionibus cujusque principii univerſalis, ergò &c.

Analyſis: 83. Conditio Figuræ T. *Dubitatio eſt medium* (*a*) *æqualiter exiſtens inter affirmationem & negationem:* ergò per Definitionem medii ſapit naturam utriuſque extremi; unde dubitatio per 76. Condit. convenit *cum R. Figuræ S., quod eſt ſpecies confuſa per inordinationem ipſorum E. I. N. in irregulatis triangulis*; „ & ideo R. eſt quædam confuſio, in „ qua Species S. ſunt indigeſtæ; quare de ipſis ver„ bum phantaſticum non eſt aſſertivum, ſed potiùs „ dubitativum vel ambiguum; & ideo ipſum R. eſt „ ſubjectum & materia confuſa ipſis E. I. N., ut ratio„ ne affirmationis vel negationis à dubitatione ſe „ prolongent, *ſicut elementata ſuppoſita, à confuſione primæ materiæ ratione generationis procedentia, ſe ſpecificantia, à confuſione ipſius primæ materiæ recedunt.* &c. Doctor Illum. in Comp. Art. Dem. Diſt. 1. par. 2. fol: 15. Tom. 3.: per *metaphoram* hujus univerſalis Conditionis de Dubitatione revelantur *duo particularia*, quorum primum eſt *naturale*, ſcilicet quomodo *prima materia* (quæ eſt principium univerſale omnium corporum elementatorum particularium) indigeſta digeratur, ut exinde formetur quodlibet corpus elementatum; ſecundum eſt *artificiale*, ſcilicet (*b*) quomodo ex univerſalibus principiis particularium ſcientiarum *revolutis*, & in unam *communem ſcientiam* terminatis per *participationem* & *digeſtionem* unius cum altero producatur particulare quæſitum; quod non gravatè efficies, ſi per metaphoram naturalem opus naturæ in opus Artis & è converſo convertere non ignoraveris.

Sexta Demonſtratio.

Negatio, Dubitatio, Affirmatio.

Textus: Priuſquam ſit compoſitio quatuor elementorum & digeſtio, oportet eſſe mixtionem; & ideo principium compoſitionis eſt per mixtionem, deinde in digeſtione, ſed finis eſt compoſitio: unde ſicut potentia digeſtiva eſt medium inter potentiam mixtivam & compoſitivam, ſimili modo potentia *dubitativa* eſt *medium* (*a*) inter negativam & affirmativam, ut *principium* ſit in *negatione*, ſed finis in affirmatione: *& ſicut compoſitio fit ex ſimplicibus per mixtionem & digeſtionem, & in ipſa compoſitione fit tranſmutatio, ſcilicet in ſpecies, quæ ſunt aliud, quàm elementa, licèt ipſæ ſpecies vel ſuppoſita ſint compoſita ab eis*, ſimili modo in compoſitione univerſalium principiorum diverſarum & ſimplicium ſcientiarum fit *transmutatio* (*b*) in quandam *ſcientiam univerſalem*, quæ non eſt aliqua prædictarum ſcientiarum, licèt ſit compoſita ab eis: *& etiam ſicut nullum ipſorum elementorum poteſt attingere, ut habeat in ſe virtutem, quam habet ſpecies ab eo compoſita, quæ illo utitur per vegetationem* &c., ita nulla prædictarum ſcientiarum habet tantam virtutem ad inquirendum particulare quæſitum, quantam habet ſcientia univerſalis, in qua *multiplicatur virtus* per multa & diverſa principia producta ex *participatione* & *Compoſitione* ſimplicium principiorum aliarum ſcientiarum, ergò &c.

Analyſis: (*a*) Conditio univerſalis, cui tota hæc ſtructura innititur, eſt iſta: *Dubitatio eſt medium, ut principium ſit in negatione & finis in affirmatione:* porrò quot arcana ſecretæ Philoſophiæ confluant in hanc ſolam Demonſtrationem, quis non videt? videlicet de *mixtione*, *digeſtione*, *compoſitione*, (quæ ſunt O. P. Q. *Libri Principiorum Philoſophiæ*, qui habetur Tom. 1., de eorum *ordine* & *uſu*, de *transmutatione particularis in univerſale*, de *multiplicatione virtutis per compoſitionem multarum virtutum particularium ſimplicium:* & plura, quæ prætereo, quæ omnia, neceſſe eſt, ut perfectè intelligas, antequam judicare præſumas, quid ſit *ſcientia univerſalis.*

Septima Demonſtratio.

DEUS, Negatio, Dubitatio.

Textus: omnis *major Propoſitio* (*a*) quæ poteſt eſſe in *negatione*, eſt negare in *DEO* omnem imperfectionem; unde ſequitur, quòd major Propoſitio (*b*), quæ poteſt eſſe in affirmatione, eſt, affirmare in DEO omnem perfectionem: & quoniam *dubitatio* eſt (*c*) *medium* inter affirmationem & negationem, ſequitur, quòd omnis major propoſitio, quæ poteſt eſſe in dubitatione, ſit contra majorem affirmationem vel negationem, hoc autem eſt, quia (*d*) *DEUS* eſt abſolutè *principium*, *medium* & *finis* omnium creaturarum: unde cùm hoc ita ſit (*e*), major propoſitio eſt in affirmare, quòd divina bonitas bonificet, & divina magnitudo magnificet (& ſic de aliis) negante negativâ, ullam imperfectionem in DEO ſequi per bonificare. Unde (*f*), ſicurper *conjunctionem* majoritatis affirmationis & negationis poteſt multiplicari communis majoritas producta ab affirmatione & negatione, ita ex majoritate alicujus propoſitionis, quæ ſit unius ſcientiæ, & ex majoritate alterius propoſitionis, quæ ſit alterius ſcientiæ, poteſt multiplicari communis majoritas; per quam majoritatem ſic multiplicatam ipſa communis ſcientia poteſt habere *majorem virtutem* affirmando vel negando, quàm aliqua (*g*) ſcientiarum particularium ſub ea contentarum; & per majoritatem univerſalem particulare ſcientiæ particularis poteſt meliùs inveniri, quàm per majoritatem particularem, ergò &c.

Analyſis: primo intuitu apparet, Conditiones (*a*) (*b*) (*c*) (*d*) eſſe univerſales, ex quibus duo particularia (*e*) (*f*) ſunt extracta, quæ facilè reſolves, ſi Conditionem (*f*) mixtam ex univerſali & particulari ſic ponas: *ex majori affirmatione & negatione poteſt formari majus medium* (ſcilicet conjunctionis, quæ propoſitio contracta ad particularia ſupradicta reſtituet per ſyntheſin easdem Demonſtrationes.

Octava Demonſtratio.

Creatura, DEUS, Negatio.

Textus: (*a*) *minor Propoſitio* eſt in *medio majoris Propoſitionis* & *Concluſionis*, ideo per minorem tranſit ad concluſionem, quæ eſt *principium* & *finis* primæ propoſitionis; & quia in concluſione convenit *virtus* primæ & ſecundæ propoſitionis, ideo poteſt inveniri particulare in concluſione per additionem majoris & minoris factam in concluſione, quod non poteſt inveniri in aliqua propoſitionum abſque concluſione: & quia hoc ita eſt (*b*), ergò ſecundùm hanc *Metaphoram* eſt manifeſtum, quòd ſit quædam *univerſalis ſcientia* communis omnibus aliis ſcientiis; alioquin ſequeretur, quòd *DEUS* ſuper omnes ſcientias exaltâſſet *creaturas ſenſuales*, quæ ſe habent ad unum finem, ſcilicet ad humanam ſpeciem, quæ ſcientiæ ſe haberent ad nullum finem univerſalem (*c*), ſi eſſet inconveniens, quandam ſcientiam univerſalem eſſe, in qua omnes ſcientiæ particulares contentæ tenentur & denotentur, ergò &c.

Analyſis: ex uno particulari (*a*) demonſtratur alterum particulare (*b*) per *medium Metaphoræ* de *intellectuali* ad *intellectuale*, & de *intellectuali* ad *ſenſuale* & è converſo; eſt autem in primo particulari (*a*) implicitum aliud *medium univerſale*, per quod dicta duo particularia *differentia* inter ſe *concordant* (quod neceſſariò requiritur, ut unum neceſſariò poſſit inferri ex altero) quod *medium univerſale* eſt ſequens (*c*) *quia principium & medium conveniunt in fine, major eſt virtus in fine, quàm in principio & medio:* adde huic *majori univerſali* ſequentem *minorem*

rem particularem: sed major & minor propositio sunt principium & medium, & conclusio est finis, ergò major est virtus in conclusione, quàm in præmissis: in hoc syllogismo aperui, quod suprà in alio occultavi; tu verò colloca (*c*) in medio ipsorum (*a*) & (*b*) & tibi erit apertum, quod hìc est occultum.

Nona Demonstratio.

Operatio, Creatura, DEUS.

Textus: Finis (*a*) cujusque scientiæ est in *Conclusione*; ideo *opus discurrens* per aliquam scientiam est nobilius in conclusione, quàm in duabus præmissis, quæ sunt *principium* & *medium* operi conclusionis: (*b*) unde, si foret inconveniens, quandam *scientiam universalem* esse, quæ sub se contineat & resolvat universa particularia *scientiarum specialium*, & in se concludat omnes scientias speciales, sequeretur, in nulla scientia esse conclusionem particularis, quia finis esset in præmissis, & non in conclusione, quod est impossibile & contra experientiam nobis manifestam de Dispositione, quam (*c*) *DEUS* posuit in *opere creaturarum* discurrente per *principium*, *medium* & *finem*, ergò &c.

Analysis: quia *duo particularia* (*a*) (*b*) resolvuntur in *unam universalem Conditionem* (*c*) ideo hæc est *medium concordans* utrumque *extremum* differens.

Decima Demonstratio.

Differentia, Operatio, Creatura.

Textus: (*a*) *Forma substantialis* est *principium* formæ accidentalis; ideo formæ accidentales sequuntur dispositionem formarum substantialium, & *materiæ*, de quibus suppositum est compositum; & quoniam hoc ita est, ergò per formam (*b*) *significetur*, quòd convenit, esse *unam scientiam* per *formam communem* omnibus scientiis, ut ipsa scientia sub se contineat *formas* omnium aliarum scientiarum, quæ per *operationem* sunt diversæ secundùm *differentiam*, *principium*, *medium* & *finem* cujuslibet *creaturæ*: (*c*) *veruntamen ob reverentiam Theologiæ non intendimus dicere, quòd hæc scientia universalis sit finis omnium scientiarum, sed medium, per quod regulentur principia omnium scientiarum ad inveniendà sua particularia*, in quorum investigatione & inventione essent defectivæ sinè hoc *medio*; quia si non, sequeretur, quòd omnes scientiæ essent de particularibus, & non de universalibus, quod est falsum; ergò &c.

Analysis: in analysi tertiæ Demonstrationis & primæ significatur naturale aliquod secretum hujus Demonstrationis de *forma* & *materia universalibus physicis*, quod secretum magis detegitur in sequenti undecima Demonstratione: Conditio *particularis* (*a*) resolvitur in hanc *universalem*: *majus principium est principium minoris principii, ideo minus principium regulatur per majus principium*, quæ Conditio est *medium*, per quod (*a*) movetur ad inferendum (*b*), & è converso.

Undecima Demonstratio.

Concordantia, Differentia, Operatio.

Textus: *Prima Materia* est universale *principium* (*a*) subjacens *transmutationi* & *renovationi* universalis *operationis* per *concordantiam* & contrarietatem; (*b*) dum autem contingit deviare *medium* in principio per aliquod accidens contra *finem*, hæc deviatio medii est per corruptionem *materiæ specificæ*, pro quo medio restaurando natura tunc recurrit ad universalia principia, scilicet ad *primam materiam* & ad *universalem formam*, quæ sunt generalia Principia *materiis & formis specificis*; sinè quibus universalibus principiis materiæ particulares non haberent directionem de *principio* ad *finem* (*c*): unde *significatur*, quòd, sicut materia prima est principium omnibus materiis specificis, ita conveniat, quandam scientiam esse generalem omnibus scientiis, quæ *per modum materiæ* sit *patiens*, sed *per modum formæ* sit *agens* (*d*): quod si esset per oppositum, sequeretur, quòd principia naturæ haberent subjectum magis ordinatum, quàm principia scientiarum, quæ habent nobiliorem finem, quàm principia naturæ; sed quia hoc est impossibile, ergò &c.

Analysis: omnes Conditiones hujus Demonstrationis sunt compositæ ex principiis universalibus & particularibus; unde facilem præbent resolutionem in Conditiones universales: cape Conditionem universalem præcedentis analyseos, & dic: *majus principium regulat & dirigit minus principium ad nobiliorem finem, quàm minus principium*; sed principium intellectuale est majus principium, quàm principium sensuale, ergò &c.: per hunc syllogismum compositum ex majori universali & minori particulari demonstratur (*d*): retine eandem Conditionem universalem pro majori, & minorem fac sic: *sed principium universale naturale est majus, quàm principium particulare naturale*, ergò &c.: per hunc syllogismum demonstratur (*b*).

Porrò ex hac Demonstratione percipis, *quòd materia & forma universales sint subjectum* (*a*) *transmutationi & renovationi materiarum & formarum particularium, per concordantiam & contrarietatem*, scilicet *per corruptionem* (*b*) *materiæ specificæ antiquæ*, & per *generationem* novæ, quâ fit *renovatio* & *transmutatio* individui per *operationem universalem* dictorum duorum principiorum universalium, quæ sunt *universale* (*c*) *agens & patiens*, quo dirigitur particulare: at quomodo omnia ista rediguntur in praxin? si ex theoria harum Demonstrationum non perspicis, recurre ad tuam Philosophiam, quia de omnibus istis arcanis illic invenies abundantissimam taciturnitatem.

Duodecima Demonstratio.

Contrarietas, Concordantia, Differentia.

Textus: (*a*) *Contrarietas* est contra *finem*, *medium* & *principium*, & est contra contrarium principii, medii & finis; ideo (*b*) inter contrarietatem & contrarietatem est *differentia*, per quam est *concordantia* concordans vel contrarians contrarietati; & quia concordantia convenit cum fine, medio & principio, per quam convenientiam est differentia inter concordantiam & contrarietatem, ideo (*b*) concordantia est *causa* fini, medio & principio, contrarietas verò est causa contrario finis, medii & principii vel hujus contrarii contrario, (ût dictum est): & cùm hoc ita sit, per hæc principia ordinatur & producitur aliquod universale (*c*), quod est principium & causa multis particularibus, quod nec ordinari nec produci potuisset, si esset impossibile (*d*), quandam *universalem scientiam* esse principium & causam inventioni infinitorum particularium in ipsa scientia & per ipsam (*e*); *& hoc tamen Sancti Spiritûs gratiâ, per cujus infusionem ipsam scientiam decuit influi ad omnes scientias dirigendas.*

Analysis: Si verum est, quod in (*e*) dicit Doctor Illuminatus, falsum est, quod dicunt reformatores suæ scientiæ; si autem falsum est dictum Doctoris Illum., falsum est, quòd deceat Sanctum Spiritum, qui est universalissimus & optimus Doctor, infundere universalissimam & optimam Scientiam: quòd si negas, hanc esse Scientiam Doctoris Illum., da meliorem & adquiescam.

Conditiones ab (*a*) usque ad (*b*) sunt universales, ût per se clarescit; Conditiones à (*b*) ad (*c*) sunt mixtæ ex *genere* & *specie*, sed Conditio (*d*) ex *genere*, *specie* & *individuo*: *principium* est *genus*, *causa* est *species*, *Scientia universalis* est *individuum*.

Decima tertia Demonstratio.

Principium, Contrarietas, Concordantia.

Textus: (*a*) *Concordantia* & *Contrarietas* sunt *principia* infinitis *accidentibus*, motis ad *finem* per *medium* concordans vel contrarium: (*b*) & quia quælibet scientia habet suum *proprium medium*, per quod principium tendit ad suum finem infinitis accidentibus, quæ sibi & particulari medio conveniunt, ideo debet dari *universale medium*, sinè quo universali medio non possent destrui accidentia contraria principio, medio, fini scientiæ particularis, quia illa accidentia essent in majori quantitate, quàm accidentia, quæ habent concordantiam cum principiis; ergò &c.

Analysis: Conditiones (*a*) (*b*) sunt compositæ ex *universali* & *particulari*, ût satis notum ex præcedentibus, abstrahe universale à particulari, & resolvisti *speciem* in *genus*, vel *individuum* in *speciem*, secundum quòd est particulare; quod *genus* de novo *contrahe* cum eadem vel alia specie & individuo, & per synthesin produces inventionem & demonstrationem novi particularis: ecce unum detegimus, quod hic vides & non vides, videlicet dari *universale medium* in *natura*, quod si noveris theoricè & practicè, habebis *Clavem* totius arcanæ Philosophiæ Doctoris Illum. & *universalem medium terminum* ad faciendos infinitos syllogismos particulares naturales demonstrativos non indigentes probatione dialecticâ.

Decima quarta Demonstratio.

Medium, Principium, contrarietas.

Textus: Quando (*a*) *medium* alicujus scientiæ deviat & impeditur per aliquam contrarietatẽ, contrariam fini illius scientiæ, recurrendum est ad *principia* illius scientiæ; quæ nisi sufficiant ad dandã *sanitatem* & directionem illi medio devianti, recurrendum est ad principia alterius scientiæ vel scientiarum (*b*), in quarum mediis non sit contrarietas: quæ est *infirmitas* intellectûs deviantis: & quia cum principiis alicujus particularis scientiæ possunt inveniri, probari & fortificari principia alterius scientiæ, à quibus medium illius scientiæ recipit *sanitatem & virtutem*, & multa principia meliùs possunt sanare medium, quàm pauca, ergò de necessitate manifestum est, *esse* (*c*) *quandam Scientiam omnibus scientiis universalem, ex principiis omnium particularium scientiarum compositam, quam mediante divinâ gratiâ habituavimus in Arte Compendiosa & Demonstrativa* & in *Arte inveniendi particularia in universalibus, quæ est quasi ramunculus ab ipsis scientiis extractus.*

Analysis: Authorem Scientiæ Universalis audivistis in fine Demonstrationis duodecimæ, quæ *qualis* & *quanta* & *quare* & *quomodo* sit, per omnes quatuordecim Demonstrationes hactenus est expositum & demonstratum; at *ubi* sit, in fine (*c*) hujus ultimæ clarissimis verbis testatur ipsemet Illuminatus Doctor; si illi non vultis credere, operibus credite; si tot & tanta ac tam sublimia opera non fecisset de hac Universali Scientia, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, qui huic Scientiæ contradicunt, quam ob hanc quoque causam luci publicæ exponimus, ut illam videant, legant & intelligant, antequam judicent & contemnant; quod si renuant, manifestè ostendunt, quòd odio habeant eam gratis: finiamus nunc ultimam hanc Analysin resolvendo *compositum* in *simplex*, h. e. Conditionẽ universalẽ contractam ad particularem: *quando medium deviat à fine per aliquam contrarietatem contrariam fini, recurrendum est ad suum principium; quod si non sufficiat, recurrendum est ad aliud principium differens, in cujus medio non est contrarietas* &c.: hanc Conditionem universalem per synthesin de novo contrahe ad *particulare Medicinæ*, & metaphoram *sanitatis* convertes in literam, quæ ad literam tibi significabit magnum Arcanum in Medicina.

Completo tertio Capite & Circulo Magnæ Artis per exemplum expansum in Principiis, superest subjungere idem exemplum contractum in literis, *primò*, ut appareat, quanto compendio versatis in Arte possint exhiberi formæ universales Demonstrationum circa aliquam quæstionem particularem: *secundò*, ut uno quasi obtutu cernatur mirabilis ordo, connexio & circulatio dictarum Demonstrationum, quem si novissent, qui nostrum B. Magistrum de confusione & nullo ordine accusãrunt, utique tacuissent: *tertiò*, ut ex combinatione literarum hujus tabellæ in praxi solutionis datæ quæstionis adhibitarum discant, quibus hactenus contrarium visum est, nullam combinationem esse vacuam vel inutilem ad quamcunque quæstionem solvendam, sed omnes miro modo aptas, & singulas promere novas rationes differentes ab aliis, non vi ad propositum detortas, sed nativo fluxu in unum scopum collimantes.

	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14	
K	L M N O P Q B C D E F G H I	1
I	K L M N O P Q B C D E F G H	2
H	I K L M N O P Q B C D E F G	3

Hæc Tabella repræsentat Figuram tribus Circulis sibi inscriptis constantem, quorum duo inferiores debent esse mobiles; literæ in Tabella positæ denotant principia Figuræ T. secundùm ordinem posita in supradicta Demonstratione, nam K I H. est prima Camera, L K I. secunda, quæ simul dant primam Demonstrationem, & sic usque ad finem: has literas principiis substituant, qui brevitatem demonstrandi amant, & habebunt demonstrationes in notis algebraicis, magis *universales*, ac facilè convertibiles in innumeras *alias particulares.*

Pro coronide addam Compendium Analyseos omnium quatuordecim Demonstrationum.

1. Docet B. Magister, quòd detur aliqua Scientia universalis, in qua omnia principia aliarum scientiarum *misceantur*: vide lit. (*f*) Dem. 1., lit. (*d*) Dem. 3., lit. (*c*) Dem. 4.

2. Quòd principia scientiarum particularium post *mixtionem* debeant ingredi *digestionem* & postea *compositionem*, post quam fit *transmutatio* in quandam Scientiam universalem, quæ non sit aliqua particularium: vide lit. (*a*) (*b*) Dem. 5., lit. (*b*) Dem. 6.

3. Quamvis sit composita ab eis: lit. (*b*) Dem. 6.

& contineat illas: lit. (g) Dem. 7., lit. (c) Dem. 8., lit. (b) Dem. 9.

4. Quòd principia particularium scientiarum post suam transmutationem in principia universalia non maneant formaliter eadem principia, quæ priùs erant, sed sint *similitudines* illorum, vel formæ abstractæ à suis materiis, quæ sint nobiliores, & habeant altiorem causalitatem super illa: lit. (e) (f) Dem. 3.

5. Quòd habeant *majorem virtutem*, & magis *multiplicatam*: lit. (b) Dem. 6. lit. (f) & (g) Dem. 7.

6. Quòd hæc Scientia universalis sit *universale agens* & *patiens*: lit. (c) Dem. 11.

7. Quòd possit resolvere universa particularia scientiarum specialium: lit. (b) Dem. 9.

8. Quòd respectu Theologiæ non sit *finis*, sed *universale medium*: lit. (c) Dem. 10. & lit. (b) Dem. 13.

9. Quòd sit infusa à Sancto Spiritu: lit. (e) Dem. 12.

10. Quòd sit contenta in *Arte Compendiosa*, quæ habetur Tom. 1., & in *Arte Demonstrativa* & *Arte inveniendi Partic. in Univers.*, quæ sunt in Tom. 3. lit. (c) Dem. 14.

Finitum est hoc Compendium per gratiam & auxilium DEI, cujus brevitas si forsan tibi Lector in aliquibus locis hujus libelli videatur obscura, compara illa loca cum aliis locis, repetendo lectionem, ideo enim abbreviavi opus, ut paucis multa dicerem; quæ pauca per totum libellum dispersa tu collige in unum, & multa invenies lectione secundâ, quæ primâ non observâsti, & plura tertiâ quàm secundâ: quòd si ternâ lectione satur eris, consulo, sepone hunc libellum, non enim solo ternario perfectionem Artis consequéris, sed quaternario & ternario simul unitis; nec enim supremus Artifex mundum ipsum perfecit nisi completo septenario, *complevit enim DEUS die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrârat:* quam proin Regulam divinam convenit nos imitari in nostro opere.

Porrò si in hoc vel aliis meis scriptis vel imposterum scribendis error contra Sanctâ Fidem reperiretur, illum errorem non ipso Beato meo Magistro, (sicut & prædictum de scientia) sed meæ ignorantiæ dignentur adscribere, quem errorem contra voluntatem à me positum profiteor, adeoque hæc & alia dicta scripta Censuræ Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ cum omni humilitate submitto.

Denique cùm hæc Universalis Methodus scientifica ratione sui principii, medii & finis sit adeò excellens, *quòd inter omnes vias ad convertendum Infideles*, & aberrantes à vera Fide, *ista sit facilior & amicabilior & magis consona charitati, tantoque omnibus aliis viis fortior, quanto arma spiritualia sunt fortiora corporalibus (hæc enim armatos suos non onerant, nec molestant, non hebetantur ictibus, nec franguntur, non rubiginantur algoribus, nec caloribus dissolvuntur, sed quantò plus in virtute eorum agitur, tantò subtiliùs acuuntur, multiplicantur, & armatos suos magis agiles, fortes & audaces faciunt, plus in medio & fine quàm in principio, præter multa alia, quæ enarrare dimittimus)* Doct. Illum. in Lib. de Artic. Fid. circa finem, ideo cum eodem Illum. Doctore ego Discipulus flexis genibus cum humilitate & reverentiâ, quantâ possum, supplico omnibus Viris doctis & sapientibus, præsertim verò Religiosis, quorum vocatio & professio est Veritatem Sanctámque Fidem tueri, promovere & augmentare, propter amorem Domini nostri JESU Christi, pro cujus gloria laboro, (sicut & ipsi) & cum illius gratia usque ad finem vitæ meæ laborare intendo, propter zelum animarum, & salutem proximi, propter perfectionem & complementum omnium scientiarum, quæ tanquam medium valde proficuum supradicto fini destinantur, ut hanc Artem videant, examinent, & non obiter sed omni attentione scrutentur; quòd si invenerint, in illa veraciter reservari donum cœlitùs concessum nostro Illum. Magistro, cum gaudio recipiant, & nobiscum DEO omnium bonorum Largitori grates rependant.

Sequitur jam superiùs fol. 3. §. *instabis* promissa Solutio objectionum, quas duo Celebres Doctores Theologiæ, scilicet R.P. Vasquez & R.P. Arriaga contra Demonstrationes Doctoris Illuminati de Mysterio S. Trinitatis faciunt.

Frustra conarer persuadere Orbem literarium, dari aliquam Scientiam universalissimam verè & propriè demonstrativam (quam asserui esse solam illam Doctoris Illuminati Beati Raymundi Lulli hactenus explicatam) nisi simul ostenderem, Demonstrationes ab ipsomet Illum. Doctore per illam factas esse solidas, certas, evidentes & infallibiles; quod quia per aliquos Viros Doctos, inter quos locum tenent præfati duo, in controversiam trahitur, cogor illorum objectionibus satisfacere, tali quidem ratione, ut omnibus sanam rationem admittentibus manifestè pateat, dictas Demonstrationes Lullianas per oppositâ argumenta non tantùm non esse fractas & remissas, sed multò plus roboris, virtutis & intensionis ex hac lucta reportâsse: quemadmodum enim gradus virtutum naturalium & moralium mensurantur per operationes, quas exerunt in sua contraria, sic gradus virium demonstrandi mensuramus per effectum operis, quem cernimus in oppositâ argumenta.

Ne quis verò existimet, me oblitum eorum, quæ in fine Præfationis Tomi secundi scripsi, nolui respondere meis sed propriis verbis Beati Magistri, ut simul videant adversarii, quàm providus fuerit Doctor Illum., utpote qui jam ante quatuor circiter sæcula solutiones paratas reposuit, suis Discipulis quondam servituras ad objectiones adversariorum exarmandas: unde non sinè causa loco suprà citato conquestus sum de incuria horum Authorum in legendis Libris Illum. Doctoris, quia ne hos Libros quidem, quos impugnant, debitâ attentione inspexerunt, (ût statim infrà ostendam) quid igitur censendum de ipsa Arte illis innotuisse, sinè qua saltem aliqualiter cognitâ libri per illam compilati nequeunt intelligi. Sit igitur sequens

Quæstio.

Quæritur, an supposito Lumine Fidei Mysterium S. Trinitatis possit evidenter demonstrari?

Negant dicti duo Patres, affirmat Doctor Illuminatus cum S. Augustino, S. Anselmo, Richardo à S. Victore & aliis, quos vide citatos in primo Tomo ante *Sententiam definitivam:* item in *Præfat.* secundi Tomi per totum. R.P. Vasquez in Disp. 133. cap. 1. fol. 135. citat tres Libros Raymundi, *Librum Apostrophen*, *Librum Sententiarum*, & *Librum de Demonstratione per Æquiparantiam*, quem ultimum solum impugnat per tria Capita respondentia tribus Distinct. dicti Libri: audiamus nunc Demonstrationes Doctoris Illum. & refutationes illarum hujus Adversarii: §. *His positis* sic habet: *ubicunque est concordia* (concordantia), ibi *est pluralitas*, hanc propositionem ipse (Raymundus) relinquit ût notam,

in divina bonitate est concordia, ergò in divina bonitate est pluralitas.

Idem argumentum fieri potest in quovis Attributo: minorem verò sic probat: quia *ubicunque est actus, est concordia agentis & acti in ipso actu, in divina autem bonitate est actus, quem ipse appellat bonificare, ergò ibi est concordia bonificativi* (inquit ille) *& bonificabilis in actu bonificandi.* Eodem spectat alia ratio, quæ est hujusmodi: *ubicunque est æqualitas, est distinctio inter ipsa æqualia, in divina autem bonitate est æqualitas inter bonificativum & bonificabile, ergò ibi est pluralitas:* majorem relinquit etiam ût notam; minorem verò eodem modo probat, quo probavit minorem superioris Demonstrationis.

Verùm hæ Rationes non solùm Demonstrationes censendæ non sunt, sed etiam eas nullius esse momenti, statim apparet: primùm quidem Demonstrationes non sunt, quia supponunt id, quod nullo modo evidens est, nec alio modo, quàm Fide divinâ creditur, esse videlicet in DEO actum secundùm rem, qui sit productio; nam licèt ratione naturali probari possit, DEUM intelligere & velle, & ita in DEO esse operationem & actum, at nullâ certè ratione evidenter ostendi potest, esse actum intellectûs & voluntatis, qui verè sit productio; & nisi Fides id doceret, diceremus, actum intelligendi & volendi esse in DEO suam substantiam, non operationem, & à nobis solùm concipi per modum operationis & actûs, ita Vasquez loco citato.

Quòd autem hæ Rationes non solùm Demonstrationes censendæ sint, sed etiam sint maximi momenti, statim apparebit, quando disparebunt objectiones, quarum prima, *quòd supponant id, quod nullo modo est evidens* &c.: non enim hoc Doctor Illum. supponit, sed efficaciter probat & demonstrat statim in prologo dicti Libri Demonstr. per Æquip.: unde apparet inadvertentia Vasquezii, qui dictum prologum vel omnino non legit, vel ad ibi dicta non attendit:

Nam in dicto prologo *primò* ponit fundamentum solidum demonstrandi, dum exponit *summam primitivitatem, veritatem, immedietatem & necessitatem* horum principiorum, ex quibus format *Demonstrationem per Æquiparantiam.*

Secundò: hoc fundamento posito probat *actus ignotos* per *actus notos* (sive jam hi actus noti sint secundùm rem vel per rationem tantùm, de hoc hìc nondum quidquam supponitur, ût vult Vasquez, aliàs enim non fieret investigatio & demonstratio) sicut *bonificare* &c. *per intelligere & amare*, & hoc est, demonstrare *per Æquiparantiam*, cùm omnes Dignitates in DEO sint æquales; unde si una habet actum, necessariò omnes debent habere: ût probat Doct. Illum. n. 9., ubi demonstrat, quòd quando una ratio habet actum & altera non, illæ rationes realiter inter se distinguantur: quod utique in Divinis esset absurdum.

Quòd verò in divino intellectu & voluntate sint actus, h. e. intelligere & velle, probat Doctor Illum. n. 6. ex hoc, quia in DEO non potest esse potentia sinè actu, cùm potentia sinè actu necessariò implicaret defectum, qui in DEO est impossibilis.

Tertiò: per hos actus jam demonstratos probat & demonstrat, dari in DEO *concordantiam* (non concordiam illam fictam à P. Arriaga) & per Concordantiam demonstratam demonstrat *Differentiam*, & per utramque probat *Æqualitatem*, quibus demonstratis demonstrat Trinitatem: ergò gratis asserit P. Vasquez, Magistrum nostrum quidquam supponere.

Sed quomodo (quæres) probat Lullus, Concordantiam esse in DEO, si non demonstrat, esse in DEO actum secundùm rem? Respondeo, utique demonstrat talem actum: per quid? per actus ignotos priùs demonstratos ex actibus notis, *nam sicut ratione naturali probari potest, DEUM intelligere & velle*, & ita *in DEO esse operationem & actum*, ût suprà fatetur P. Vasquez, (de quibus nondum constat, an sint secundùm rem vel rationem tantùm) *sic secundùm eandem rationem naturalem probari potest, DEUM bonificare, magnificare, possificare, perficere* &c., *& ita in DEO esse operationem & actum*, (de quibus jam certò constat, quòd sint secundùm rem, & non secundùm rationem tantùm: cùm DEUS possit quidem se ipsum intelligere & amare, sed non possit se ipsum *bonificare, magnificare, possificare, perficere* &c., cùm jam actu sit infinitè bonus, magnus, potens, perfectus &c.; unde cùm ratione æquiparantiæ dignitatum & actuum earum necessariò debeat affirmari idem de uno, quod de altero, quod fieri non posset, nisi in DEO esset *Productio*, ideo legitimè infert & demonstrat Doctor Illum. per *Æquiparantiam* actuum divinorum Attributorum, dari in DEO productionem, & per consequens *concordantiam* inter *actum, agens & agibile:* quâ semel demonstratâ ultrò sequitur *differentia*, & ex differentia & concordantia *æqualitas:* quæ tria principia semel in prologo demonstrata applicat Doctor Illum. ad omnia demonstranda, quæ P. Vasquez nequidquam conatur infringere.

Manifestum est ergò, quòd P. Vasquez scopum *Libri Demonstrationis per Æquiparantiam* non animadverterit, sed obiter tantùm perlustrârit, multò minùs videtur attendisse rationes *Libri Sententiarum*, quem tamen citat, ubi verbis clarissimis Doctor Illum. hanc difficultatem resolvit; cujus verba cap. 6. dicti Libri sunt sequentia.

DEUS habet naturam, per quam naturaliter intelligit & diligit se ipsum, quia si non haberet naturam, suum intelligere & diligere esset accidentale & artificiale, quod esset malum contra bonum, & parvum contra magnum, & in tempore contra æternum, & sic de aliis; & hoc est impossibile: habet ergò DEUS necessariò naturam, & per consequens naturalem intellectivum & intelligibilem, volitivum & volibilem, sicut habet naturale intelligere & amare; quia divinæ rationes sunt idem numero, ût suprà quæst. 4. probatum est: unde sequitur, quòd sicut DEUS intrinsecè habet naturale intelligere & amare, sic habeat intrinsecè bonificare, magnificare, æternificare, possificare, virtuificare, verificare, glorificare, perficere: unde, cùm DEUS absolutè sit summè bonus, summè magnus, æternus &c., sicut est summè intelligens & summè amans, convenit, quòd suum intelligere & suum amare sint necessariò absoluta, & sic DEUS se intelligit & diligit; veruntamen absolutè non potest se bonificare, magnificare, æternificare, possificare &c. nec perficere, cùm ab æterno & in æterno jam sit perfectus in bonitate &c., quod non esset, si se simpliciter bonificaret &c.

Hac consideratione, ait Doctor Illum., se fuisse valde perplexum & admiratum, quousque mediante divinâ gratiâ, quæ se bonæ intentioni & voluntati communicat, illi fuit declaratum & significatum, necessariò in DEO esse distinctionem;

veruntamen adhuc mitatus fuit, & consideravit, de quibus erat, & quare erat illa distinctio; & sic Raymundus invénit, quòd DEUS, in quantum naturaliter se intelligit, intelligit, quòd potest naturaliter de se bonificare, magnificare &c., ut habeat ita naturale bonificare, magnificare &c., sicut intelligere; & sic de se producit bonificatum infinitum æternum &c., quia de alia essentia ipsum non potest producere, cùm nulla alia essentia nisi sua sit infinita & æterna; & sic producens permanet inbonificabilis &c. & innascibilis, & totus se bonificat magnificat &c. in producto, ipsum producendo de tota sua bonitate, magnitudine &c.: & tunc Raymundus percepit, quòd in divino intellectu, quem communem antè consideravit, sit unus intellectus proprius personalis, existens ille idem producens, quem priùs consideravit, ut ipse sit bonificativus, magnificativus &c.: hæc Doctor Illum. dicta quæst. 6. Lib. Sentent.

Ex quibus est evidens, verè dici à P. Vasquez, *quòd nulla ratione* (ab ipso) *evidenter ostendi possit, esse actum intellectûs & voluntatis, qui verè sit productio, &, quòd nisi* (ipsum) *fides id doceret, diceret, actum intelligendi & volendi esse in DEO suam substantiam non operationem, & ab illo solùm concipi per modum operationis & actûs*; nam ille supradatas rationes & innumeras alias, quas Doctor Illum. de hac materia tradit in suis Libris, ignoravit, multò minùs nota fuit Vasquezio Ars & Scientia, ex qua millenæ tales rationes educuntur.

Pergit Vasquez: deinde ratio illius ad probandum, esse in DEO actum productionis ex eo, quòd sit bonificativum, bonificare & bonificabile, frivola est; nam hic actus non est, quem fides docet esse productionem personæ, & notionalem operationem, sed est actus quidam non efficientis & producentis, adhuc nostro modo intelligendi, sed per modum causæ formalis, sicut dicere solemus, albedo facit album, ergò hoc modo non deducitur probabiliter, nedum evidenter, esse in DEO realem concordiam in actu bonificandi inter bonificativum & bonificabile, sed solùm nostro modo intelligendi, quo hæc distinguuntur, ita Vasquez.

Sicut Vasquez confusam habet ideam principiorum & argumenti ex his principiis formati, sic confusè opponit contra claram rationem, quæ ipsi est frivola, sicut calor receptus in nive & cucurbita infrigidat contra suam naturam: *hic actus* (inquit Vasquez nec tamen exprimit, quid ex tribus dictis, scilicet *bonificativo, bonificare, bonificabili* vocet actum) *non est, quem fides docet esse productionem personæ* &c., *sed tantùm à nobis concipitur per modum causæ formalis, sicut dicere solemus: albedo facit album:* ergò &c.

Præclarè, sed prorsùs nihil ad rem: maneamus tamen in paritate, ut clariùs compareat impertinentia objectionis:

Sicut albedo est causa formalis albificandi, sic bonitas est causa formalis bonificandi, & intellectus causa formalis intelligendi, & voluntas causa formalis volendi, non tantùm nostro modo concipiendi sed realiter, ût fateri debet Vasquez, si vel micam sanæ Philosophiæ possidet: unde si vel primam definitionem *bonitatis* in Arte Lulliana didicisset, sic debuisset necessariò argumentari cum Illum. Doctore in Lib. Disputationis Fidei & Intellectûs: *illa bonitas naturalis, quæ est infinita & æterna, est naturalis ratio bono infinito & æterno, quòd producat bonum infinitum & æternum; sed divina bonitas est hujusmodi, ergò est ratio DEO, quòd producat naturaliter bonum infinitum & æternum*: hoc argumentum est à *proportione*, & est *à comparatione* & *à compositione* & *significatione* &c.; nam sicut se habet bonitas ad bonum, sic finita bonitas ad finitum bonum, & infinita bonitas ad infinitum bonum, & naturalis bonitas ad naturale bonum; compone & compara has analogias ad invicem, & videbis, illas exactè esse proportionatas: est ergò divinus intellectus ipsi intellectivo scilicet Patri non minùs *per modum causæ formalis*, (ût utar verbis Vasquezii) quàm *bonitas bonificativo*, & *magnitudo magnificativo*, h. e. eidem Patri, qui sub ratione formali omnium suarum dignitatum constituentium realiter unam rationem formalem intellectûs producit & generat Filium, & hoc necessariò exigit æquiparantia vel æqualitas dignitatum DEI, ne scilicet una sit major vel minor alterâ; quòd autem ex hoc sequatur, in DEO esse realem distinctionem & concordantiam inter bonificativum & bonificabile in actu ipsius bonificare, sic probat Doctor Illum. ibidem: *quia infinitus actus dicit plus in productione existendi & distinguendi, quàm existendi tantùm, quoniam majus est existere bonum, & agere seu producere bonum distinguendo* (*quia inde prodit multiplicatio Personarum*) *quam sine distinctione & multiplicatione*: & sic ratio B. Raymundi stat, & Vasquezii non potest stare, quia jacet tantùm in suo intellectu, & nihil est in re: imò si sic esset, sicut sentit Vasquez, esset confusio in DEO, & claritas in intellectu Vasquezii, & sic Vasquezius conciperet meliorem DEUM, quàm DEUS esset; & intellectus Vasquezii esset perfectior DEO & intellectu DEI: quia *natura divinæ bonitatis, magnitudinis non esset permanens ab æterno nec in æternum, sed variabilis & mutabilis, quia Naturans se transmutaret in Naturatum, & è converso, & sic de naturare; & æternitas non posset sufficere ad permanentiam propriorum numerorum eorum, quod esset malum contra bonum &c., mutabile & mobile contra immutabile & immobile, possibile contra impossibile, innaturale contra naturale &c., quia bonificans &c. non esset naturaliter agens, nec bonificatus &c. naturaliter patiens, nec bonificare actus; & sic Natura divina non haberet radicem & fundamentum, in quo posset se sustentare hoc, quod est, quæ omnia sunt impossibilia &c.*; è contra in intellectu Vasquezii hæc omnia essent distincta, clara & inconfusa, ergò &c.

Capite secundo Disp. 133. conatur Vasquez ostendere, *demonstrari non posse, in DEO esse tres Personas*, contra B. Raymundum ejusque secundam Distinct. Lib. Dem. per Æquip.; argumentum B. Raymundi, prout habetur n. 2. cit. Dist., est sequens: *illa concordantia, in qua sufficit unica actio & unica passio & unicus actus est in majori majoritate actionis, quam illa, in qua sunt plures actiones & plures passiones & plures actus; sed in divina bonitate sufficit unicus bonificativus & unicus bonificabilis & unicum bonificare, ergò divina bonitas est in majori majoritate actionis per illa tria, quàm si essent plura vel pauciora: major sic declaratur, quia quando duæ actiones numero differentes sunt in eadem Essentia, una limitat & impedit agere alterius; & sic de duabus passionibus & actibus numero differentibus.*

Hoc argumentum confirmat sequenti. *Illa Essentia, in qua sufficit unicus distinctivus à se & generativus productivus de se, & unicus distinguibilis à distinctivo producibilis & generabilis, & unicum distinguere per spirare & amare, est in majori majoritate distinctionis, quam illa, in qua sunt plures distinctivi & distinguibiles & plura distinguere; sed in divina magnitudine sufficit unicus magnificativus, qui est distinctivus à se, & generativus productivus de se, & unicus magnificabilis, qui est distinguibilis à distinctivo, & generabilis producibilis, & unicum magnificare, quod est distinguere per spirare & amare, ergo divina magnitudo est in majori majoritate distinctionis per illa tria, quam si essent plura vel pauciora:* major & minor declarantur ût suprà, „ tamen ad excusandum nos in-
„ tendimus dicere, quòd Pater sit unicus distincti-
„ vus generativus respectu Filii, & Filius unicus di-
„ stinguibilis generabilis respectu Patris; sed Pater
„ & Filius simul sunt unicus distinctivus spirativus
„ respectuS. Spiritûs, & S. Spiritus est unicum distin-
„ guere per spirare & amare respectu Patris & Fi-
„ lii &c.

Contra hæc argumenta inquit Vasquez dicto cap. 2.: Ego quidem vehementer miror, quàm facilè hic Author sibi persuadere potuit, has esse perspicuas & evidentes demonstrationes, cùm non solùm frivolæ sint, verùm etiam aliqua contra nostram fidem ex illis sequi videantur absurda: Vasquezio accinit Arriaga Tract. de S. Trin. Disp. 43. Sect. 4. ubi Demonstrationes Lullianas sequenti elogio condecorat: P. Vasquez (ait Arriaga) eâ Disput. suprà citatâ per totum eas examinat Demonstrationes, quæ nugæ potiùs & barbari termini sunt, imò fidei contraria probant (vah quantum malum!) sed audiamus rationes serias adversariorum & terminos prurientes auribus) itaque Vasquez ibidem pergit: *primò*, cùm hæ rationes supponant id, quod putavit Raymundus in præcedentibus fuisse demonstratum, illudque non satis probatum fuerit, ût præcedente capite vidimus (visu nimis festino) nullam omnino vim nedum evidentiam habebunt: *secundò* non constat, quomodo Author demonstrat majorem harum demonstrationum, eam scilicet essentiam esse in majoritate actionis, in qua est solùm unicum producens, unicum productum & unicus actus.

Ad *primum* respondeo, nil à B. Raymundo fuisse suppositum, sed omnia satis probata; ût suprà ostensum; unde, quia nihil horum à Vasquezio fuit refutatum, signum est, illum aut rationes Doctoris Illum. non penetrasse, (quod mihi est verisimillimum) aut si penetrasset, non potuisse refellere.

Ad *secundum* dico, maximè constare, & B. Raymundum efficacissimè demonstrare, *quòd illa Essentia sit in majoritate actionis, in qua sufficit unica actio, & unica passio, & unicus actus*, (sic sonant verba B. Raymundi) si enim ista tria sufficiunt, quidquid illis additur, est frustraneum; unde per se sequitur demonstratio hujus majoris, *quia quando duæ actiones numero differentes sunt in eadem Essentia, una limitat & impedit agere alterius; & sic de duabus passionibus & actibus numero differentibus:* quid clarius? sed obscurum est hoc Vasquezio & Arriagæ, cui ultimo summopere displicet hæc demonstratio, quam iterum ad nugas amandat; cætera (ait) de bonificativo, bonificabili & *bonificare*, unde tres infert personas, item nescio, quæ de majoritate actionis, quæ solùm dicit habere unam actionem (nam si essent duæ, una alteram limitaret) sunt puræ nugæ, & contra fidem, ût dixi; nam in Divinis actio nulla est, productio autem est duplex, nec una aliam limitat: hæc bene Vasquez ibi prosequitur: sic Arriaga. Quid consilii? defendamnè puras nugas & ea, quæ sunt contra fidem? absit, sed ea quis prohibet defendere, quæ suprà Arriaga fatetur, se nescire, & non vult credere? ac proin est contra fidem Arriagæ, in Deo esse actionem, *sed bene du-*

plicem productionem: quis obsecro abstineat, quin revocet Arriagam ad suam barbaram Grammaticam, quam ibidem paulò inferiùs in auxilium vocare non veretur pro tuendo sensu suo fictæ *concordiæ*; nam secundùm Arriagam *produco* non ampliùs est verbum activum, nec *producere* est *agere*, nec *productio* est *actio*, quid ergò? at forsan regeret: ubi non est passio, non est actio, in Divinis non est passio, ergo: retorqueo argumentum, ubi non est posterius, non est prius, in Divinis non est posterius, ergo: sicut ergò terminos, quibus utimur ad comparandam scientiam de creaturis, debemus adhibere in Divinis remoto tamen defectu (quantum nobis est possibile) quia aliis caremus, & (si strictè loquendum esset) nihil prorsùs possemus enuntiare de Deo, quod exactè exprimeret id, quod Deus est in se, cùm Deus infinitè transcendat non solùm nostram locutionem sed captum etiam nostri intellectûs: sic dicimus, in Deo dari actionem & passionem, quia videmus in creaturis actionem & passionem, à quibus scilicet *actione* & *passione* possumus removere omnem defectum, quem habent in creaturis, & quem in multis aliis terminis vix possumus tollere, sicut à termino *formæ* removendo defectum dicimus, Deum esse *puram formam*, quam-vis forma in creatura non possit esse sinè materia.

At enim verò ne hoc quidem fuisset necessarium Illum. Doctori hìc facere, nisi volens insistere universalitati suorum Principiorum primitivorum, quæ debent esse communia intentionaliter Deo & Creaturæ, realiter autem esse tam in Deo quàm in Creatura, secundùm proportionem geometricam tamen, voluisset uti suo *tivo bili* & *are*, vel *agente, patiente* & *actu*, quæ generaliùs dicuntur, quàm si protulisset bonificativum, bonificabile, bonificare, concordativum, concordabile, concordare, distinctivum, distinguibile, distinguere: quæ prolationes his Authoribus ideo sunt exosæ, frivolæ, barbaræ & nugatoriæ, quia ignorant res significatas per illas, & hæc ignorantia in illis inde sumpsit originem, quia prima Principia totius veræ & realis Philosophiæ ignorarunt: quæ Principia sunt dicta tria *tivum, bile* & *are*. h. e. *agens, patiens* & *actus* realiter inter se distincta, si enim ista scivissent, realiter delitescere in singulis rebus creatis, nunquam negassent, dari verum vestigium S. Trinitatis in Creatura: quod tamen SS. Patribus optimè fuisse cognitum, per plurimas sententias ex eorum Scriptis petitas demonstravi ad oculum in Præfatione secundi Tomi.

Dixi itaque, quòd absolutè potuisset Illum. Doctor aliter loqui, si dixisset operans, operabile, operari, vel producens, producibile, producere & similia, quod & multoties fecit, ût patet in suis voluminibus, nisi placuisset ipsi generaliùs loqui, ut posset facere Demonstrationes à proportione geometrica de Deo ad Creaturam, & è converso; qui ergò volunt cavillare demonstrationes his terminis affixas, discant priùs significationes terminorum, aliàs ipsis accidet idem, quod adversariis Chimicorum, qui perpetuò invehuntur in sal, sulphur & Mercurium vulgaria, negantes, hæc esse tria Principia corporum naturalium, quod etiam veri Chimici negant.

Sed ne videar velle eludere vim argumenti Adversariorum, clariùs exponam sensum horum trium Principiorum: in omni Essentia (ait Doctor Illum.) esse tria concreta essentialia realiter inter se distincta, quæ vocat *tivum, bile* & *are*, vel *agens, patiens* & *actum*, vel *actionem, passionem* & *actum*: v. g. in bonitate, *bonificativum, bonificabile, bonificare, con-*

cordativum, concordabile, concordare, differentiativum, differentiabile differentiare, & sic de qualibet dignitate, forma vel Essentiâ, tam in Deo, quàm in Creatura: unde in Creatura dicimus de igne, ignificativum, ignificabile, ignificare, & sic de cæteris tribus elementis, sic pariter dicimus in Schola Lulliana memorativum, memorabile, memorare, intellectivũ, intelligibile, intelligere, volitivum, volibile, velle, quæ omnia sunt de propria essentia memoriæ, intellectûs & voluntatis, & sunt realiter inter se distincta, licèt ex omnibus tribus sit una essentia: ulteriùs asserit & demonstrat Doctor Illum., quòd ex *tivo* generetur *bile*, & ex utroque procedat *are*, unde dicit, quòd ex recolere generetur intelligere, & ex recolere & intelligere procedat velle: sic pariter in elementis, ex ignificativo generatur ignificabile, & ex utroque procedit ignificare (& ex calefactivo generatur calefactibile, & ex utroque procedit calefacere, & ex albificativo generatur albificabile, & ex utroque procedit albificare; & sic de qualibet essentia vel forma creata: hæc autem tria sortita sunt nomen in Schola Lulliana *agentis, patientis & actûs*. Ab hac similitudine ascendit intellectus creatus ad suum Creatorem, & videns in speculo Creaturarum illum relucere unum & trinum, sic argumentatur: *Non minoris actualitatis, potestatis & nobilitatis est bonitas infinita quàm bonitas finita, sed bonitas finita est ratio bono finito, quòd producat naturaliter & de se bonum finitum, ergo bonitas infinita erit ratio bono infinito, quòd producat naturaliter & de se bonum infinitum: ergò cum in Deo sit bonitas infinita, producet bonum infinitum: nihil autem aliud à Deo potest esse infinitum, sed solus Deus, ut probatum est, ergò Deus, cum sit bonum infinitum, producet bonum infinitum, & per consequens idem & æquale sibi in bonitate, essentiâ & naturâ*, Doctor Illum. in Lib. de Art. Fid., quem vocant Apostrophen, Dem. 7. En hæ propositiones non solâ fide creduntur (ût nudè asserit Arriaga) sed demonstrantur tali ratione, quam nec Vasquez, quamvis allegaverit hunc librum, ullatenus refutavit, nec Arriaga: ulteriùs demonstratur *æqualitas*, quæ non supponit pluralitatem Personarum, (ût iterum Arriaga falsò objicit) sed potiùs è converso illam probat & demonstrat.

Ex quibus hactenus dictis facilè est colligere, quid Illum. Doctor velit per *actionem, passionem* & *actum* in Divinis, nempe *Trinitatem Personarum*, quam in duabus ultimis Distinctionibus demonstrat, ultra quam Trinitatem nullus numerus realis est possibilis in Divinis; unde pariter constat, quòd si duo agentia vel duæ actiones, vel duo Patres essent in Divinis, unus limitaret alium, *quia major magnitudo bonitatis potest esse in una Paternitate singulari, quàm in duabus vel pluribus, nam in una potest esse infinita, in pluribus verò conveniret, eam esse finitam & limitatam:* Doctor Illum. in Lib. de Quinque Sap. Disp. Lat. & Sarac. Dist. 1. cap. 4. fol. 42. § 1. *Ad illud:* & quia Doctor Illum. ibidem per *tria Capita* mirificè demonstrat, quidquid de hac materia scitu est necessarium & *Capite quarto* solvendo Objectiones Saraceni solvit superabundanter residuas objectiones Vasquezii & Arriagæ, nolui transumto illarum ampliare typum: adeant locum citatum & Disp. 1. contra Græcum, ac tot & tanta invenient de hoc Mysterio demonstrata, qualia & quanta non invenient in tota Theologia Vasquezii & Arriagæ, quorum objectionum infirmitas tam copiosis & firmissimis argumentis ibi propositis tam parum valebit resistere, quàm fumus ante faciem venti; tota namque hæc adversariorum machina fundatur in argumentis Doctoris Illum. ab ipsis adversariis malè intellectis & malè expositis, in ignorantia suorum Principiorum & suæ Artis, & in ignorantia suæ realis Philosophiæ: hinc Arriaga, volens impugnare *concordantiam*, quando legit in Illum. Doctore *in Divina bonitate est concordia* (concordantia debuisset dicere) sed *ubi est concordantia est pluralitas*, (ait) vel intelligit Raymundus nomine concordiæ concordiam voluntatum vel personarum; si primum, est propositio hæretica; si secundum, jam supponit, quod vult probare; quis non condoleat huic objectioni? negamus ergò Illum. Doctorem loqui de concordantia voluntatum vel Personarum, sed de *concordantia*, quæ in Deo est forma vel dignitas absoluta & simpliciter perfecta, sicut bonitas & alia Attributa; & quæ est ratio concordandi, sicut bonitas ratio bonificandi: ecce totum spectrum hæreseos disparet, & tota reliqua structura Arriagæ huic arenoso fundo insistens corruit.

Quapropter cùm ex *Dignitatibus* vel *Attributis* Dei docuerit nos Illum. Doctor noster eruere & demonstrare Mysterium S. Trinitatis, ût hactenus est ostensum, & cùm singulæ Dignitates nobis revelent tres proprietates personales nec plures nec pauciores, scilicet Paternitatem, Filiationem & Spirationem, quas intelligit per suum *tivum, bile* & *are*, manifestè evincitur, *quòd intellectus humanus in Deitate non plures nec pauciores potest intelligere secundùm Dignitates Dei & actus earum; quoniam si est alia proprietas personalis &c. ultra prædictas, divinæ Dignitates & actus earum nobis mentiuntur, vel nolunt eam nobis revelare, & hoc, quia non sufficit intellectus apprehendere vel attingere illam propter suam dignitatem, quod est impossibile: quia sic ista esset major, quàm illæ, quas intelligimus; vel quia vult, eam non esse à nobis intellectam & dilectam, & sic esset minor, quàm prædictæ, quas intelligimus & diligimus, quia istæ habent actionem in Creaturam, eò quòd nobis influunt, illa verò non; hoc autem est impossibile* &c.: ergo ternarius *Suppositorum est in Deo tantùm, & non ultrà.* Doctor Illum. Lib. Disp. Fidelis cum Infideli. Cap. de Trin.

Hoc est argumentum ab æquiparantia, cujus & aliorum supradictorum vim si quis poterit contrariis argumentis fortioribus annullare, fatebimur, Demonstrationes Lullianas esse frivolas, nugas & barbaros terminos: denique miror summopere, unde *Arriagæ veniat admiratio? quasi B. Raymundus tam altè de sua sanctitate præsumat, quòd credat, se plus per fidem illuminatum à Deo quàm sanctos Patres Augustinum* &c., *imò fortè quàm Apostolum Paulum* &c., nunquam enim hoc protulit B. Magister noster, cujus Doctrina, tantum abest, quòd sit contraria divo Paulo & Ss. Patribus, quin potiùs cum illis ad amussim convenit: præterea non est verum, Divum Paulum per solam fidem ambulasse, non enim ait D. Paulus: *credimus nunc in speculo & in ænigmate, sed videmus*, nec ait: credo ex parte, *sed cognosco ex parte*, & plura alia, quæ afferre possem: nec verum est, hoc Mysterium esse quodammodo contra rationem naturalem, quia aliàs esset quodammodo *irrationale* illud credere: imò hi duo Authores sibi ipsis contradicunt, quia alibi fatentur *unam veritatem non esse alteri contrariam: item formam syllogizandi æquè valere in Divinis ac in Creatura*; quicunque igitur impostorum Demonstrationes Lullianas vultis impugnare, discite priùs illius Artem & Principia Artis, vel saltem Libros D. Authoris meliùs versate, ne ignorantia vestra vos ipsos reddat aliis ridiculos & nugaces, discite moderamen in scribendo, ne intemperies mentis vestræ prodat passionem; denique si contra Beatos agitis, *Discite justitiam moniti & non temnere Divos.*

PRIMA FIGURA

A



PRIMA FIGURA

S



PRIMA FIGURA

T



PRIMA FIGURA SECUNDI

†



PRIMA FIGURA

V.



PRIMA FIGURA
V.



PRIMA FIGURA

X



PRIMA FIGURA THEOLOGIÆ

I
X.



PRIMA FIGURA PHILOSOPHIÆ

Z.



PRIMA FIGURA

I

V



PRIMA FIGURA ELEMENTALIS.

Figura Ignis

Ignis	Aër	Aqua	Terra
Aër	Ignis	Terra	Aqua
Aqua	Terra	Ignis	Aër
Terra	Aqua	Aër	Ignis

Figura Aëris

Aër	Ignis	Aqua	Terra
Ignis	Aër	Terra	Aqua
Aqua	Terra	Aër	Ignis
Terra	Aqua	Ignis	Aër

Figura Aquæ

Aqua	Terra	Aër	Ignis
Terra	Aqua	Ignis	Aër
Aër	Ignis	Aqua	Terra
Ignis	Aër	Terra	Aqua

Figura Terræ

Terra	Aqua	Aër	Ignis
Aqua	Terra	Ignis	Aër
Aër	Ignis	Terra	Aqua
Ignis	Aër	Aqua	Terra

Figura 1. *Influentiæ*



Figura Veritatis



Figura Falsitati



Figura 1. *Finium*



Figura 1. *Derivationu*



FIGURA UNIVERSALIS



DE SECUNDA FIGUR
IPSIUS
A.

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	dom
bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	dom

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer
magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil
ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl
poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit
ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit
volun	virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria	perfec
virtus	verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit	gloria
verit	gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus	verit
gloria	perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun	virtus
perfec	juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien	volun
juſtit	largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt	ſapien
largit	ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern	poteſt
ſimpl	nobil	miſer	domi

bonit	magn	ætern
nobil	miſer	domi

bonit	magn
miſer	domi

bonit
domi

DE SECUNDA FIGURA
IPSIUS S.

BB	CC	DD	EE	FF	GG	HH	II	KK	LL	MM	NN	OO	PP	QQ	RR	
BC	CD	DE	EF	FG	GH	HI	IK	KL	LM	MN	NO	OP	PQ	QR		
BD	CE	DF	EG	FH	GI	HK	IL	KM	LN	MO	NP	OQ	PR			
BE	CF	DG	EH	FI	GK	HL	IM	KN	LO	MP	NQ	OR				
BF	CG	DH	EI	FK	GL	HM	IN	KO	LP	MQ	NR					
BG	CH	DI	EK	FL	GM	HN	IO	KP	LQ	MR						
BH	CI	DK	EL	FM	GN	HO	IP	KQ	LR							
BI	CK	DL	EM	FN	GO	HP	IQ	KR								
BK	CL	DM	EN	FO	GP	HQ	IR									
BL	CM	DN	EO	FP	GQ	HR										
BM	CN	DO	EP	FQ	GR											
BN	CO	DP	EQ	FR												
BO	CP	DQ	ER													
BP	CQ	DR														
BQ	CR															
BR																

DE SECUNDA FIGURA
IPSIUS PRIMI
T.

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat
Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit
creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm
opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino
differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual
conc	contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis	major
contr	princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi	finis
princi	medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi	medi
medi	finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr	princi
finis	major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	contr
major	æqual	mino	affirm	dubit	negat

Deus	creat	opera	differ	conc	
æqual	mino	affirm	dubit	negat	

Deus	creat	opera	differ	
mino	affirm	dubit	negat	

Deus	creat	opera	
affirm	dubit	negat	

Deus	creat	
dubit	negat	

Deus
negat

DE SECUNDA FIGURA SECUNDI T.

mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	
ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing	
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ		
ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing		
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer			
alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing			
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv				
ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing				
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper					
com̃	prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing					
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul	poſter						
prior	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing						
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior	ſimul							
ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing							
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃	prior								
poſter	ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing								
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	com̃									
ſuper	conv	infer	univ	indef	ſing									
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident										
conv	infer	univ	indef	ſing										
mod⁹	ſpecie	ordo	alter											
infer	univ	indef	ſing											
mod⁹	ſpecie	ordo												
univ	indef	ſing												
mod⁹	ſpecie													
indef	ſing													
mod⁹														
ſing														

COMMUNIS FIGUR FACTA EX DUOBUS T. T.

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
mediũ	finiṣ	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	çomix

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	ſimul

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	ſimul	poſter

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	ſimul	poſter	ſuper

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit
ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul

COMMUNIS FIGUR FACTA EX DUOBUS T. T.

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	ſpecie

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ordo

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	alter

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	ident

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	comix

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	priori

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	simul

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	poſter

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
æqual	minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter	super

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
minor	affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
affirm	dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
dubit	negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
negat	mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
mod⁹	ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
ſpecie	ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul	

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
ordo	alter	ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul		

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
alter	ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul			

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
ident	comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul				

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
comix	priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul					

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
priori	simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul						

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
simul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul							

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul								

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul									

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
conv	infer	univer	indef	ſingul										

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
infer	univer	indef	ſingul											

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
univer	indef	ſingul												

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
indef	ſingul													

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	mod⁹
ſingul														

92

COMMUNIS FIGURA T.

Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
mediũ	finiş	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
major	æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
æqual	minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
minor	affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
affirm	dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
dubit	negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
negat	modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	negat
modꝰ	ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm	dubit	
ſpecie	ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul	
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor	affirm		
ordo	alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul		
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual	minor			
alter	ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul			
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major	æqual				
ident	coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul				
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis	major					
coñix	priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul					
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ	finis						
priori	ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul						
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi	mediũ							
ſimul	poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul							
Deus	creat	operat	differ	conco	contr	princi								
poſter	ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul								
Deus	creat	operat	differ	conco	contr									
ſuper	conv	infer	univer	indef	ſingul									
Deus	creat	operat	differ	conco										
conv	infer	univer	indef	ſingul										
Deus	creat	operat	differ											
infer	univer	indef	ſingul											
Deus	creat	operat												
univer	indef	ſingul												
Deus	creat													
indef	ſingul													
Deus														
ſingul														

FACTA EX DUOBUS



DE SECUNDA FIGURA
IPSIUS
X.

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	obje
præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	obje

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.art	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	
esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	
perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	
merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	
suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	pote n	lib.ar.	privat	defec	
imed	realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	privat	
realit	poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	lib.ar.	
poten	lib.ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	poten	
lib. ar.	privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	realit	
privat	defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	imed	
defec	culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	suppo	
culpa	demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	merit	
demo	medi	ratio	objec	

præd	esse	perfe	
medi	ratio	objec	

præd	esse	
ratio	objec	

præd
objec

Ignis	Aër	Aqua	Terra
Ignis	Aër	Aqua	Terra

Ignis	Aër	Aqua	
Aër	Aqua	Terra	

Ignis	Aër	
Aqua	Terra	

Ignis
Terra

Secunda Figura Elementaris.

DE SECUNDA FIGURA PRINCIPIORUM THEOLOGIÆ

X.

Eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	
vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum	
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria		
dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int.	gloria	pœna	ævum		
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int			
actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum			
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int				
form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum				
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ					
relat	ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum					
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic	præc						
ordin	actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum						
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio	artic							
actio	artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum							
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin	actio								
artic	præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum								
eſſent	vita	dign	actus	form	relat	ordin									
præc	expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum									
eſſent	vita	dign	actus	form	relat										
expoſ	1. int	2. int	gloria	pœna	ævum										
eſſent	vita	dign	actus	form											
1. int	2. int	gloria	pœna	ævum											
eſſent	vita	dign	actus												
2. int	gloria	pœna	ævum												
eſſent	vita	dign													
gloria	pœna	ævum													
eſſent	vita														
pœna	ævum														
eſſent															
ævum															

DE SECUNDA FIGURA
PRINCIPIORUM PHILOSOPHIÆ
Z.

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera
1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	
motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	
intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	
orbis	form	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	
forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	habit	
mater	natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	poten	
natur	elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	appet	
elem	appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	elem	
appet	poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	natur	
poten	habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	mater	
habit	actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	forma	
actus	mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	orbis	
mixti	digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	intell	
digeſt	comp	altera	

1. cauſ	motus	
comp	altera	

1. cauſ
altera

DE SECUNDA FIGURA
PRINCIPIORUM JURIS IPSIUS
V.

form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	
mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ	
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp		
jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ		
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri			
com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ			
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract				
ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ				
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu	theor					
natur	poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ					
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile	conſu						
poſit	cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ						
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano	civile							
cano	civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ							
form	mater	jus	com	ſpecia	natur	poſit	cano								
civile	conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ								
form	mater	jus	com	ſpecic	natur	poſit									
conſu	theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ									
form	mater	jus	com	ſpecia	natur										
theor	pract	nutri	comp	antiq	novũ										
form	mater	jus	com	ſpecia											
pract	nutri	comp	antiq	novũ											
form	mater	jus	com												
nutri	comp	antiq	novũ												
form	mater	jus													
comp	antiq	novũ													
form	mater														
antiq	novũ														
form															
novũ															

DE SECUNDA FIGURA
DERIVATIONUM S.

re re	ri ri	ans ans	us us	le le	tus tus	nus nus	do do	ne ne	er er	in in	præ præ	de de
re ri	ri ans	ans us	us le	le tus	tus nus	nus do	do ne	ne er	er in	in præ	præ de	
re ans	ri us	ans le	us tus	le nus	tus do	nus ne	do er	ne in	er præ	in de		
re us	ri le	ans tus	us nus	le do	tus ne	nus er	do in	ne præ	er de			
re le	ri tus	ans nus	us do	le ne	tus er	nus in	do præ	ne de				
re tus	ri nus	ans do	us ne	le er	tus in	nus præ	do de					
re nus	ri do	ans ne	us er	le in	tus præ	nus de						
re do	ri ne	ans er	us in	le præ	tus de							
re ne	ri er	ans in	us præ	le de								
re er	ri in	ans præ	us de									
re in	ri præ	ans de										
re præ	ri de											
re de												

Influentia Influentia	Dispositio Dispositio	Diffusio Diffusio
Influentia Dispositio	Dispositio Diffusio	
Influentia Diffusio		

Secunda Figura Influentiæ. A.

DE SECUNDA FIGURA
FINALI IPSIUS
Y.

EAVY. IVZ EAVY. IVZ	conveniens conveniens	EVZ. IAVY EVZ. IAVY	inconveniens inconveniens	MAVY. MVZ MAVY. MVZ	partim ſic partim ſic
EAVY. IVZ conveniens	conveniens EVZ. IAVY	EVZ. IAVY inconveniens	inconveniens MAVY. MVZ	MAVY. MVZ partim ſic	
EAVY. IVZ EVZ. IAVY	conveniens inconveniens	EVZ. IAVY MAVY. MVZ	inconveniens partim ſic		
EAVY. IVZ inconveniens	conveniens MAVY. MVZ	EVZ. IAVY partim ſic			
EAVY. IVZ MAVY. MVZ	conveniens partim ſic				
EAVY. IVZ partim ſic					

SECUNDA FIGURA UNIVERSALIS.

PARTIAL MAJOR



TOTALIS MINOR.

SECUNDA FIGURA UNIVERSALIS.

PARTIALIS MAJOR



TOTALIS MINOR.



BEATI

RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
INTRODUCTORIA
ARTIS DEMONSTRATIVÆ.

CAPUT I.

De Objecto hujus Artis & ejus Differentia ab aliis, item de Neceſſitate, Poſſibilitate & Utilitate illius.

1. CUm velimus tradere Introductoriam Artis Demonſtrativæ, primò videamus, quomodo hæc Ars ſit neceſſaria & poſſibilis, & ad quid vel ad quæ hæc Ars ſit utilis, ne videatur ſuperflua, ſed ut ex ejus Neceſſitate & multiplici Utilitate meritò quisque moveri poſſit ad illam acquirendam; & ideo primò videndum & conſiderandum eſt, circa quid verſetur, & per quem modum differat ab aliis, ut ſic appareat ejus Neceſſitas & Poſſibilitas ex parte materiæ, & poſtea videamus ejus Utilitatem ex parte finîs.

2. Sciendum eſt igitur, quòd hæc Ars & Logica & Metaphyſica quodammodo circa idem verſentur, quia circa omnia eſt earum intentio, veruntamen *in duobus differt ab aliis duabus, videlicet in modo conſiderandi ſuum ſubjectum, & in modo Principiorum*; Metaphyſica enim conſiderat res, quæ ſunt extra animam, prout conveniunt in ratione entis; Logica autem conſiderat res ſecundùm eſſe, quod habent in anima, quia tractat de quibusdam intentionibus, quæ conſequuntur eſſe rerum intelligibilium, ſcilicet de genere, ſpecie & talibus, & de iis, quæ conſiſtunt in actu rationis, ſcilicet de ſyllogiſmo, conſequentia & talibus; ſed hæc Ars tanquam ſuprema omnium humanarum Scientiarum indifferenter reſpicit ens ſecundùm iſtum modum & ſecundùm illum; & ſic patet, quòd in modo conſiderandi ex parte ſubjecti differant.

a. Differt etiam ex parte Principiorum, quia Metaphyſica ponit, format & invenit principia, ut ſtatim actualiter ea applicet ad probandas paſſiones aut proprietates ſubjecti; Logica verò ponit communes regulas & conſiderationes, ex quibus poſſit ſyllogizari; hæc ſcientia autem nulla principia actualiter exprimit per ſe loquendo, ex quibus arguatur, ſed ſolùm docet viam inveniendi communia & propria principia in quacunque Scientia, cognitis terminis illius Scientiæ, cujus principia quis vult invenire; &, habitâ aliquali notitiâ illius Scientiæ, ſolùm ponit aliquos terminos principiorum, quibus mediantibus poſſunt formari infinitæ propoſitiones, ſicut infinita verba formantur ex pauciſſimis literis, videlicet ex literis alphabeti; veruntamen ſicut, quando artifex conjungit ligna in conſtructione domûs, ſi utatur lignis præparatis ab alio ejusdem artis perito, per accidens eſt, quia non ſolùm de ſua arte habet conjungere ligna, ſed etiam præparare illa, ita, ſi

demonstrans per hanc Artem utatur propositionibus formatis ab alio, per accidens est; quia non solùm demonstrans per hanc Artem habet uti principiis, sed etiam formare & invenire principia, & non solùm communia principia, sed etiam propria: sic igitur patet *Necessitas* hujus Artis ex parte materiæ, nunc restat videre Possibilitatem illius, ut postea meliùs videamus ejus utilitatem ex parte finis.

3. *Possibilitas* hujus Artis apparet tam ex ratione subjecti, quàm ex parte principiorum; ex ratione subjecti, quia, quâ ratione de accidente & substantia, in quantum conveniunt in ratione entis, licèt analogicè, potest esse una Scientia, ût Metaphysica, & secundùm esse, quod habent in anima, alia Scientia, ût Logica, eâdem ratione potest esse una Scientia de iis, quæ sunt in anima, & de iis, quæ sunt extra animam, in quantum communicant in ratione entis; imò convenit, quòd ita sit, quia, cùm ens in anima & ens extra animam constituant quandam pluralitatem, & omnis pluralitas reducatur ad unitatem, hæc pluralitas reducitur ad unitatem, de qua aliqua alia Scientia debet esse, Scientiæ enim dividuntur ût res, etiam ex parte principiorum hoc patet; ad cujus evidentiam notandum est, quòd sit differentia inter Scientiam & Artem propriè loquendo, licèt à quodam usu loquendi omnis Ars nominetur Scientia extenso nomine; Ars enim propriè est recta mensura operandi, & circa operationes & operabilia, in quantum circa illa versatur, ut ea regulet, & eis præfigat modum, aut determinet; Scientia verò in quantum Scientia, versatur circa speculabilia quâ talia; nam licèt operationes & operabilia considerentur per Scientiam (ût per Scientiam de anima habemus considerare operationes animæ) hoc tamen non fit propter hoc, ut eas regulemus, & eis demus modum, sed ut inquiramus veritatem earum: unde licèt aliquando Scientia & Ars in uno & eodem conjungantur, ût in Logica (Logica enim dicitur Scientia, & dicitur Ars) hoc tamen est per accidens; non enim Scientia, ût Scientia, est Ars, sic enim omnis Scientia diceretur Ars, quod est falsum, ût patet de Metaphysica; nec omnis Ars, ût Ars, est Scientia, cùm sit aliqua Ars, quæ propriè non dicitur Scientia: unde si de aliquo uno dicantur, hoc est propter aliam & aliam rationem & per accidens; quæ autem per accidens conjunguntur, uno non dependente ab alio, separata reputantur, licèt per accidens conjungantur.

b. Veruntamen ordo reperitur inter Scientiam & Artem, quia aliqua Ars semper præsupponitur ante omnem Scientiam, cujus probatio est, quia naturaliter non pervenimus ad Scientiam, nisi per discursum; ad rectum autem discursum rationis, qui consistit in operatione animæ, requiritur modus: unde quia ad Artem pertinet determinare modum operandi, ideo modus discurrendi debet determinari ab aliqua Arte, quæ quodammodo præsupponitur in omni Scientia, & hæc est Logica, quæ docet modum syllogizandi in omni Scientia, & judicat de modo, quo syllogizatur: unde Logica ordine doctrinæ & addiscendi debet præcedere Metaphysicam & omnem aliam Scientiam; sed quia Logica non solùm est Ars, sed etiam Scientia, ideo etiam Logicam & omnes alias Scientias præcedit aliqua Ars, quod sic patet; quoniam ad quemcunque discursum, ex quo causatur Scientia, exigitur repræsentatio eorum, quæ in discursu requiruntur, & conversio mentis ad ea utpote ad principia, & ad ordinem conclusionis ad principia; quæ repræsentatio quibusdam valde difficulter accidit, quibusdam verò satis faciliter accidit circa repræsentabilia ponere suam considerationem, & ea sub debito ordine videre & invenire.

c. Igitur alium modum habet hæc operatio, quæ est inventio aut consideratio principiorum & ordinis eorum ad conclusiones in quibusdam, & alium in aliis, qui modus ut omnibus sit facilis, necesse est determinare aliquam Artem; hoc enim commune est Arti & Scientiæ, quòd facilitent potentiam in sua operatione; & licèt hæc Ars quibusdam naturaliter sit insita, velut hominibus habentibus magnam industriam naturalem, tamen à non habentibus eam potest haberi per habitum acquisitum: sicut enim aliqui per habitum acquisitum habent Scientiam arguendi, alii habent, quòd naturaliter arguant (nam & rustici quandoque subtiliter arguunt) ita non est inconveniens, quòd illud, quod quibusdam naturaliter inest, aliis insit per acquisitionem; jam enim inest aliquibus per acquisitionem promptè invenire principia circa aliquam materiam determinatam tantùm, ût circa materiam naturalem, aliis verò circa aliam materiam de-

terminatam tantùm, ût circa Metaphysicam: licèt ergò quibusdam naturaliter insit in aliqua materia invenire principia, tamen & hoc per aliquam Artem potest haberi; quod enim naturaliter inest, aut consequitur totam speciem (ût intelligere totam speciem hominis) aut non consequitur totam speciem, sed naturam suppositi (ût bene intelligere) dato ergò, quòd ea, quæ naturaliter insunt primo modo, non possint acquiri, tamen ea, quæ naturaliter insunt secundo modo, bene possunt acquiri.

d. Sic ergò patet tam ratione subjecti, quàm ratione principiorum, quòd prædicta Ars sit possibilis; nec obstat parvitas hujus Artis, nec paucitas terminorum, cùm illi, qui eam sunt benè edocti, aut habent naturalem sagacitatem, ex pauciſſimis in modico tempore ad infinita se sciant convertere, ad quæ plurimi alii non possunt pertingere nisi in multo tempore: his igitur declaratis ostendenda est *Utilitas* hujus Artis.

4. Hæc Ars est utilissima super omnes alias Artes priùs inventas propter multiplicem causam; tum quia tollit omnem dubitationem de omni opinione, docens facere certum (ût clariùs imposterum patebit, ubi tractabimus de latitudine hujus Artis & de modo judicandi secundùm hanc Artem) tum quia, ubi per alias Scientias non potest haberi demonstratio, hæc docet eam invenire in tantum etiam, quòd excellentiam Fidei evidentissimè demonstrat ad confundendum omnes incredulos; tum quia, quod per alias Scientias diuturno labore acquiritur, per hanc brevi tempore invenitur, ita, quòd homo plùs proficit insistendo circa ea, quæ spectant ad quamcunque Scientiam, per istam Artem in uno anno, quàm per alias Scientias in triplicato tempore, dummodo sciantur termini illius Scientiæ, ad quam quis se vult applicare per istam Artem, antequam se ad illam applicet per istam, tum propter suam universalitatem, quia docet viam ad sciendum omnia, docet enim *bene memorare, bene intelligere, bene velle, credere, contemplari, invenire, dirigere, prædicare, exponere, solvere, judicare, demonstrare* vel *docere, consulere, consuescere & bene sanare*, ût in Libro, qui intitulatur *Liber Artis Demonstrativæ*, dicetur, cujus hic Liber quasi introductorius est, & multa alia, quæ enumerari non possunt, quia ad omnia se extendit; *tum propter influentias, quas homo potest percipere, circa eam continuè insistendo, in tantum, quòd homo in dormiendo videatur circulos volvere, & quascunque quæstiones, quas vigilando solvere non poterat, promptè solvere se experiatur.*

e. Veruntamen sciendum est, quòd, licèt hæc Ars in omni materia sit necessaria, tamen propter Theologiam principaliter sit inventa, quia Theologia est finis omnium aliarum Scientiarum, utpote tractans de ultimo fine, & est impressio summæ sapientiæ, per finem enim judicatur de iis, quæ sunt circa finem; *& ideo ad istam Artem pertinet verum dicere de omni quæsito*, ût imposterum patebit: & sic patet *Utilitas* hujus Scientiæ *ex parte finis*.

f. Si autem istæ Utilitates movent ad sciendum hanc Artem, primò præparet se homo ad suscipiendum A., diligendo hanc cameram [E.A.V.Y.] & quamlibet ejus partem super omnia, postpositis omnibus aliis; nam ille, qui contrariis delectatur, nunquam habebit illam, sed solus ille, qui eam quasi cordialissimam sibi desponsavit; cujus contrarium, si occurrerit, repellat illud quasi venenum, semper cogitans, quòd eam prælegerit.

5. Nunc autem accedamus ad tractandum de proposito; sed ut faciliùs possint inveniri ea, quæ dicenda sunt, primò præmittimus Titulos, in quos singula Capita distinguuntur; & quoniam jam dictum est, quâ Necessitate & quâ Intentione hæc Ars sit inventa, sive de ejus Utilitate,

2. Dicemus, quæ primò oporteat facere aut scire Accedentibus ad hanc Artem?
3. Quare hæc Ars dicatur Demonstrativa?
4. In quibus hæc Ars universaliter consistat?
5. De Descriptione quorundam Terminorum, quibus utimur in hac Arte.
6. De Numero & Dispositione primarum Figurarum hujus Artis universaliter.
7. De Modo faciendi secundas Figuras.
8. De secunda Figura A.
9. De secunda Figura S.
10. De secunda Figura primi T.
11. De secunda Figura secundi T.
12. De Figura communi facta ex duobus T.
13. De secunda Figura V.
14. De secunda Figura X.
15. De secunda Figura Y. & Figura Z.
16. De secunda Figura Theologiæ.
17. De secunda Figura Philosophiæ & Juris.
18. De secunda Figura Elementali.
19. De secunda Figura Derivativa.
20. De secunda Figuræ Influentiæ.

21. De secunda Figura Finali.
22. De secunda Figura Figuræ universalis.
23. De Utilitate secundarum Figurarum.
24. De Modo inveniendi novas Figuras.
25. De Modo dividendi Terminos hujus Artis, & de Modo discurrendi per dividentia.
26. De Regula generali ad ponendum quemcunque terminum in Triangulis.
27. De Modo commiscendi Triangulos.
28. De diversis Modis practicandi & discurrendi per hanc Artem.
29. De diversis Modis judicandi.
30. Quomodo possit cognosci, quæ pars quæstionis disconveniat majoritati,&de Modo faciendi universalem Figuram.
31. De Modo scribendi in hac Arte, & de Expositione Terminorum universalis Figuræ.
32. De universali Cognitione eorum, quæ per terminos aut per cameras hujus Artis dantur intelligi.
33. De Modo largè accipiendi Terminos hujus Artis.
34. De Modo addiscendi Practicam hujus Artis.
35. Quòd hæc Ars propter suam latitudinem possit verum dicere de omni quæsito.
36. Quòd conandum sit arguere secundùm proprium Modum hujusArtis,licèt hæc Ars se extendat ad omnes modos arguendi.
37. De Exhortatione contra Desperationem habendi hanc Artem.
38. De quibus Quæstionibus debeat fieri Investigatio in hac Arte.
39. De Modo & Ordine tractandi de qualibet Materia.
40. De Modo addiscendi.
41. De vitandis illis,quæ Addiscentem possunt impedire.
42. Quòd omni Studenti conandum sit venire ad universalem Cognitionem.

CAPUT II.

Quæ primò oporteat facere aut scire Accedentibus ad hanc Artem?

HAc præparatione habitâ consequenter sciendum est, quòd illi, qui volunt scire hanc Artem, in principio debeant addiscere Alphabetum, ut promptè sciatur, quid quælibet litera significet in qualibet Figura, sicut quòd B. in A. significet bonitatem, & in S. memoriam recolentem, & in T. creaturam, & sic de aliis Figuris, nam B. habet diversum significatum in singulis Figuris, similiter C. D. & omnes aliæ literæ usque ad S., secundùm quòd in suprascriptis Figuris apparet, cuilibet enim literæ in qualibet Figura subscribitur suum significatum; A. verò significat illas Figuras, in quibus scribitur A., & S. significat illas Figuras, in quibus scribitur S., & T. significat illas Figuras, in quibus scribitur T., & V. significat illas Figuras, in quibus scribitur V., & X. significat illas Figuras, in quibus scribitur X., Y. verò significat Veritatem, & Z. Falsitatem, aut illas Figuras, in quibus scribuntur.

CAPUT III.

Quare hæc Ars dicatur Demonstrativa?

POst hæc verò sciendum est, quòd hæc Ars dicatur demonstrativa à triplici genere Demonstrationis, inquirenti enim secundùm hanc Artem conandum est ostendere propositum per causam, cùm causa fuerit notior effectu, aut per effectum, cùm effectus fuerit notior suâ causâ, & hæc sunt duo genera Demonstrationis apud omnes Scientes nota; tertium verò genus Demonstrationis est *Demonstratio Æquiparantiæ*, ût sic: si virtus DEI est infinita, ergò ejus scientia est infinita, quia scientia DEI est eadem cum virtute DEI, & ad quot se extendit ejus virtus, ad tot se extendit ejus scientia: igitur per hæc tria genera Demonstrationum semper conandum est inquirere propositum mediante Figurâ T. & aliis Figuris hujus Scientiæ.

CAPUT IV.

In quibus hæc Ars universaliter consistat?

1. SCiendum, quòd tota hæc Ars consistat in *tribus*, scilicet in commixtione angulorum T., & in commixtione terminorum aliarum Figurarum, & terminorum quæstionis cum T.; nam ex sola commixtione angulorum T. aliquando habetur propositum; v.g. quæratur, utrùm creatura sit major, quàm DEUS? & solvitur quæstio conjungendo unum angulum cum alio mediante triangulo nigro sic: DEUS est principium omnis creaturæ, & creatura est operata

rata ab eo,sed esse principium convenit cum majoritate, & esse principiatum aut operatum cum minoritate, ergò &c.

2. Aliquando ex commixtione terminorum aliarum Figurarum cum triangulis fit ratio; v.g. quæratur, utrùm DEUS sit? & solvitur quæstio commiscendo terminos A. X. S. cum T. sic: si DEUS non est, immensa bonitas, sapientia & potestas concordant cum privatione, & sapientia finita, quæ est creaturæ, ût hominis vel Angeli, & potestas convenit cum esse, ergò majoritas cum minoritate, & minoritas cum majoritate; & cùm anima appetat conjungi infinitæ bonitati & sapientiæ, & infinita bonitas sit in privatione, anima magìs appetit non esse, quàm esse; ita, quòd solutio prædictæ quæstionis est A. X. S. T.

3. Aliquando etiam commiscendo cum terminis quæstionis angulum aut angulos T. fit solutio; v.g. sit quæstio: utrùm natura hominis sit bona? & solvitur sic: natura hominis est à DEO, & quod est à DEO, est bonum, ergò natura hominis est bona: & iste ultimus modus semper est necessarius, nunquam enim solvitur quæstio, nisi fiat aliqua commixtio ipsius T. cum terminis quæstionis: *unde sinè T. nihil fit in hac Arte, sicut sinè martello non operatur faber:* qualiter autem commixtio ipsius T. fieri debeat, & quot modis, imposterùm manifestiùs dicetur.

CAPUT V.

De Descriptione quorundam Terminorum, quibus utimur in hac Arte.

1. NUnc accedamus ad Dispositionem Figurarũ,sed primò exponamus,quid sit Figura,& ratione hujus quid sit Terminus,& quid sit Camera,his enim utimur in hac Arte.

2. Figura est, quæ lineâ aut lineis describitur, termino aut perfecto numero terminorum ornata, sola Figura Y. & Z. caret numero terminorum.

3. Camera est pars per se distincta lineâ aut lineis, constans ex termino aut ex terminis; v.g. [B.] est una camera, [bonitas bonitas] est una camera, [bonitas magnitudo æternitas] est una camera; possumus etiam de ista camera facere tres cameras, sic [bonitas] [magnitudo][æternitas]: hæ cameræ aliquando vocantur Principia hujus Artis, aliquando vocantur Termini, quia constant ex termino aut terminis, aliquando verò Flores.

4. Terminus propriè est una sola dictio aut litera significativa illorum terminorum, qui pertinent ad Figuras hujus Artis.

CAPUT VI.

De Numero & Dispositione primarum Figurarum hujus Artis universaliter.

1. POst hæc sciendum est,quòd Figuræ,quæ sunt in hac Arte, sint *sedecim*, videlicet 1. Figura DEI, 2. Figura Animæ, 3. 4. duæ Figuræ instrumentales, 5. Figura Virtutum & Vitiorum, 6. Figura Oppositorum, 7. Figura Theologiæ, 8. Figura Philosophiæ, 9. Figura Juris, 10. Figura Elementalis, 11. Figura Y., 12. Figura Z., 13. Figura Influentiæ, 14. Figura Finium, 15. Figura Derivationum, 16. Figura Universalis.

2. Quælibet harum, exceptâ Figurâ Y. & Z., ad minus dividitur in duas Figuras, scilicet in primam & secundam, quarum primæ, exceptâ Figurâ elementali, quæ est quadrangularis, sunt circulares, eo modo compositæ, sicut apparet in principio Libri, ita, quòd in Figuris, quæ habent literas sibi appropriatas, scribuntur in medio suæ propriæ literæ, sicut Figuræ DEI inscribitur A. in medio, Figuræ Animæ inscribitur S., Figuris instrumentalibus verò inscribitur T., ita tamen, quòd primæ Figuræ instrumentali inscribitur T. sinè signo, & secundæ Figuræ instrumentali inscribitur eadem litera cum signo; *quæ Figuræ ideo dicuntur instrumentales, quia sinè illis nihil potest fieri secundùm hanc Artem, sicut artifex non potest operari sinè instrumento:* Figuræ Virtutum & Vitiorum inscribitur V., Figuræ Oppositorum inscribitur X, quæ ideo dicitur Figura Oppositorum, quia est composita ex oppositis terminis: Figuræ Influentiæ inscribitur A. signatum, Figuræ Derivationum inscribitur S. signatum, Figuræ Theologiæ inscribitur X. signatum, Figuræ Philosophiæ inscribitur Z. signatum, Figuræ Juris inscribitur V. signatum, Figuræ Finium inscribitur Y. signatum; aliis verò Figuris non inscribuntur literæ, quia non habent literas sibi deputatas.

3. Hæ Figuræ licèt omnes sint circulares, tamen Figura S. infra suum ambitum continet quatuor quadrangulos propter quatuor ordines suorum terminorum, qui significant has tres potentias animæ, memoriam,

intellectum & voluntatem, secundùm quod *quatuor modis* possunt considerari.

4. Possunt enim considerari sub suis perfectis actibus, & sic habent significari per B. C. D. E., ita, quòd B. significat perfectum actum memoriæ, id est, prout ab illo procedit perfectus actus intellectûs, & in voluntate perfectus amor ad illud, quod recolitur & scitur; & per C. significatur intellectus sciens, æqualis actui memoriæ & amori, qui ab eo procedit; & per D. significatur amor æqualis intellectui & memoriæ; per E. verò significatur aliquis istorum trium prædictorum actuum: possunt etiam per E. significari duo istorum actuum, aut omnes tres simul, sæpissimè tamen stat pro actu amoris; & in singulis angulis primi quadranguli scribitur una istarum literarum, scilicet B. C. D. E. per ordinem.

5. Tres prædictæ potentiæ possunt etiam considerari sub actibus minùs perfectis, ita, quòd F. significat actum memoriæ, & G. significat actum intellectûs, aut quòd ordinantur ad producendum odium, quod significatur per H., aut quòd ordinantur ad inquirendum sinè H., hoc est, sinè odio, & significantur per I.; I. verò ita se habet ad F. G. H., sicut E. se habet ad B. C. D.; & in singulis angulis secundi quadranguli scribitur una istarum literarum, scilicet F. G. H. I.

6. Prædictæ potentiæ possunt etiam considerari, prout sunt sub privatione suorum actuum, ita, quòd nec memoria nec intellectus sub demonstrativa & certa ratione capiat suum objectum; veruntamen ex vehementia voluntatis in amando aut odiendo potest fieri, quòd deducantur ad supponendum aut credendum, & secundùm hoc hæ potentiæ significantur per K. L. M. N., ita quòd K. significat memoriam non recolentem, L. intellectum ignorantem, M. voluntatem diligentem vel odientem, N. verò ita se habet ad K. L. M., sicut E. ad B. C. D.; & quia ex M. in L. sæpiùs venit suppositio & credulitas, ideo N. in hac Arte sæpiùs stat pro suppositione aut pro credulitate; nam K. L. M. sunt conditiones supponentis & credentis; & hæ literæ, scilicet K. L. M. scribuntur in tertio quadrangulo per ordinem.

7. Hæ potentiæ possunt etiam considerari prout sunt commixtæ in suis actibus, scilicet secundùm quòd memoria partim est perfecta, & quantum ad alia est imperfecta & ordinata ad inquisitionem, & quantum ad alia est privata actu, & similiter intellectus & voluntas possunt considerari sub suis commixtionibus, & secundùm hoc significantur per O. P. Q. R., ita, quòd O. significat commixtionem actuum imperfectorum cum perfectis ex parte memoriæ, & P. ex parte intellectûs, & Q. ex parte voluntatis; R. verò ita se habet ad O. P. Q., sicut E. ad B. C. D.; hoc autem ita intellige, quòd istæ literæ significent privationes actuum perfectorum non absolutè, sed commixtorum cum aliquo aut aliquibus actibus imperfectis; & ideo sæpiùs dicitur in hac Arte, quòd crescente E. diminuatur R., & è converso; R. etiam est majus in F. G. H., quàm in B. C. D., & est majus in K. L. M., quàm in F. G. H.; & hæ literæ, scilicet O. P. Q. R. scribuntur in quarto quadrangulo per ordinem, quorum primus quadrangulus est lividi coloris, secundus nigri, tertius rubei, quartus viridis.

8. Similiter quælibet duarum Figurarum T. continet quinque triangulos infra suum ambitum, ita, quòd singulus angulus continet unum terminum, & supra quemlibet angulum continentur tria, ût patet intuenti Figuras in principio hujus Libri; & in primo T. primus triangulus est lividus, secundus viridis, tertius rubeus, quartus croceus, quintus niger; & in secundo T., quod primo T. quasi subalternatur, trianguli sunt ejusdem coloris in duabus lineis cum triangulis primi T., tertia linea verò est alicujus alterius coloris, ad significandum, quòd secundum T. non attingat universalitatem primi T.

9. Figura Influentiæ habet unum triangulum tantùm formatum in circulo, habens tres cameras, ût patet intuenti Figuram in principio hujus Artis, & ista est unius coloris in omni sua parte, videlicet lividi.

10. Elementalis Figura est quadrangularis, & dividitur in quatuor Figuras, quarum quælibet habet sedecim cameras diversimodè ordinatas ex quatuor elementis, scilicet igne, aëre, aquâ & terrâ, ad significandum, quomodo elementa diversimodè intrent in mixtum, & quomodo intrent compositionem per digestionem, & quomodo unum elementum dominetur super aliud secundùm diversas complexiones & humores; & quamvis in his Figuris quodlibet elementum habeat diversos colores, tamen principaliter igni tribuitur color rubeus, & retinet eum, ubi significatur ejus prædominium, aëri verò tribuitur color lividus, aquæ viridis, terræ niger principaliter; alios verò colores recipit unumquodque horum secundùm quòd significat diversam & diversam commixtionem, & secundùm quòd significat diversam elongationem vel approximationem ad elementum prædominans.

11. Figura V. in Virtutibus habet colorem lividum, in Vitiis rubeum; & ideo in hac Arte V. rubeum significat malum, & V. lividum significat bonum.

12. Figura Finium in bonis cameris habet colorem lividum, in malis cameris rubeum, & in cameris indifferentibus utrumque, & ista Figura in omni sua parte, quantum ad lineas, est lividi coloris.

13. Figura X. est merè circularis, sed in una camera est coloris lividi, & in altera viridis, ad significandum, quòd sit composita ex oppositis terminis.

14. Figura Universalis est merè circularis, nisi quòd in medio habet duos triangulos se invicem intersecantes, ad significandum diversam commixtionem triangulorum, sed est diversi coloris secundùm diversitatem eorum, quæ ad illam reducuntur.

15. Figura A. & Theologiæ sunt merè circulares & lividi coloris in omni parte.

16. Figura Philosophiæ est merè circularis & rubei coloris.

17. Figura Juris est merè circularis & viridis coloris.

18. Figura Y. est merè circularis & lividi coloris.

19. Figura Z. est merè circularis & rubei coloris.

20. Figura Derivationum est merè circularis & viridis coloris; ergò patet, quòd quædam Figuræ habeant in se diversam dispositionem, quædam verò uniformem.

21. Notandum autem, quòd duo principaliter sint consideranda in istis Figuris, scilicet quòd figuræ aut lineæ se invicem intersecantes, & à terminis usque ad terminos protensæ, significent habitudines terminorum ad invicem absolutè, aut in comparatione ad aliquod aliud, aut ad alia, sicut lineæ protensæ à virtutibus ad virtutes significant eorum concordantias in contrariando vitiis, & sicut unus triangulus intersecans alium significat commixtionem illorum triangulorum secundùm triangulum nigrum absolutè, aut cum determinatione alterius trianguli.

22. Aliud verò considerandum est in istis Figuris, scilicet quòd cuilibet termino in quacunque Figura, quæ habet plures cameras, supponatur una litera significans illum terminum, ita, quòd sint tot literæ, quot sunt termini in Figura: unde cùm una litera in una Figura significet unum terminum, & in alia alium, ût B. in Figura A. significat bonitatem, in Figura S. memoriam, quomodo cognoscatur, quando stet pro termino unius Figuræ, & quando pro termino alterius Figuræ, inferiùs tractabitur, quando dicetur *de Modo scribendi secundùm hanc Artem.*

23. Et hæc sufficiant quantum ad dispositionem primarum Figurarum, ut breviter & in generali transeamus, nam magis specialiter de eis tractatur in *Arte Demonstrativa*, cujus hic Liber intendit tractare generalia: qui verò sint termini proprii cujuslibet Figuræ, & quomodo quidam debeant situari inter circulares lineas, quidam verò in angulis triangulorum aut quadrangulorum, & quo ordine debeant poni in suis Figuris, & quomodo quidam termini aliquarum Figurarum, ût Figurarum T., habeant aliquos terminos sibi suprapositos aliarum Figurarum (ût Figura secunda & tertia habent alios terminos sibi suprapositos), & quomodo cuilibet Figuræ inscribatur in medio suus titulus, (ût Figuræ DEI A., Figuræ Animæ verò S., & sic de cæteris) manifestè patet intuenti Figuras in principio hujus Libri positas, & intuenti *Artem Demonstrativam*, in qua fusiùs de aliquibus horum tractatur.

CAPUT VII.

De Modo faciendi secundas Figuras.

1. IN hoc Capite tractabimus de Modo faciendi secundas Figuras; igitur sciendum est, quòd secundæ Figuræ fiant ex terminis primarum Figurarum secundùm hunc modum: ponantur duo circuli supremæ Figuræ universalis materialis sub invicem, primò ita, quòd B. stet sub B., & C. sub C., & sic de aliis usque ad R., ita, quòd quælibet stet sub sua simili, & per quamlibet literam sic duplicatam intelligamus illum terminum duplicatum, cui respondet illa litera in illa figura, cujus secundam figuram volumus describere, v. g. si volumus describere secundam Figuram A., per [B. B.] intelligatur bonitas bonitas, & per [C. C.] intelligatur magnitudo magnitudo, & sic deinceps usque

usque ad R. quælibet litera duplicata significet terminum duplicatum, sub quo ponitur in Figura A.: & sic acceptis significatis illis duplicatis & positis in suis cameris, ita quòd quælibet camera in se habeat unum terminum duplicatum, & quòd quælibet camera ponatur juxta aliam, habebimus sedecim cameras & primam lineam completam secundæ Figuræ A.

2. Postea volvatur C. secundi circuli sub B. primi circuli (debet autem universalis Figura fieri ex aliqua materia, ût ex cupro vel aliquo alio metallo, ita quòd quilibet circulus in illa possit circumvolvi per se sinè alio, excepto supremo, qui semper manet fixus, & circumvolutio non debet fieri versùs sinistram in hac Arte, sed versùs dextram, sicut nec homines solent scribere versùs sinistram, sed dextram): quando igitur C. secundi circuli fuerit sub B. primi circuli, D. secundi circuli erit sub C. primi, & E. secundi sub D. primi, & sic deinceps usque ad finem, ita, quòd in fine R. secundi circuli erit sub Q. primi circuli; & sic acceptis significatis eorum, & ipsis ordinatis in cameris juxta se positis habebimus secundam lineam secundæ Figuræ, & unam cameram minus, quàm prima linea continebat; & per istum modum fient omnes lineæ, quotquot erunt in Figura, ita quòd in linea immediatè sequenti semper terminus secundi circuli immediatè subsequens primum terminum secundi circuli in linea immediatè præcedente debet poni sub primo termino primi circuli, quo existente sub eo significatur linea immediatè subsequens, ut videlicet linea fiat ex terminis significatis per literas, prout contigerit eas conjungi; & semper linea immediatè subsequens habebit unam cameram minus, quàm linea immediatè præcedens, ita quòd ultima linea non habebit nisi unam cameram, quia ultimus terminus secundi circuli conjungetur cum primo termino primi circuli; & sic erunt tot lineæ in secunda Figura, quot termini sunt in prima Figura: & hic est generalis modus faciendi secundas Figuras ex terminis primarum Figurarum, excepto, quòd A. est primus terminus in Figura T. & in Figura Influentiæ, in cæteris verò Figuris B. est primus terminus: unde hæc est secunda Figura A. secundùm hunc modum facta, ût sequitur.

CAPUT VIII.

De secunda Figura A.

1. CIrca secundam Figuram A. specialiter notandum est, quòd quælibet camera debeat intelligi in alia propter maximam unitatem ipsius A., ita scilicet, quòd, sicut sua bonitas est sua perfectio, & sua perfectio est sua bonitas, ita sua sapientia sit sua æternitas, & sua æternitas sit sua sapientia, & sic de omnibus aliis suis cameris, scilicet quòd quælibet prædicetur de alia; & sicut sua potestas bonificat, ita sua bonitas possificat, & sic de omnibus suis cameris, quælibet enim facit, quod altera, sicut quælibet est altera; sicut enim demonstrato homine potest dici, quòd sit ens, & quòd illud ens sit substantia, non tamen demonstrato accidente potest dici, quòd sit ens, & quòd illud ens sit substantia, sed solùm, quòd sit ens, quia non in toto attingit illud, quod est substantiæ, sic potest dici, quòd DEUS sit sapientia, & quòd illa sapientia sit potestas aut æternitas, licèt non possit dici de sapientia creata, quòd sit æternitas aut potestas, quia sapientia creata non attingit illam sapientiam increatam: unde etiam propter identitatem camerarum DEI sæpiùs in hac Arte multæ cameræ Dignitatum DEI simul ponuntur in solutione, ad significandum, quòd eadem ratio, quæ elicitur ex una camera, possit etiam per eundem modum elici ex alia, aut per alium modum confirmari: hoc tamen, quòd una camera innuat rationem aut rationes, per quas responsio ex alia assumpta confirmatur & elucidatur, si verè concludit, commune est omnibus Figuris, licèt illis non sit tam proprium.

2. Item notandum est circa hanc Figuram, „quòd secundùm Figuram A. maximè dirigatur homo circa quamcunque quæstionem ad inveniendum Y., non solùm propter communitatẽ Dignitatum ejus, quibus „omnia participant & mensurantur (quia „tantum habet quidvis de entitate & veritate, quantum participat de ipso A.) sed etiam „propter influentiam, quam homo percipit meditando in cameris ejus, mediantibus triangulis bonâ vitâ concomitante; „quæ influentia demonstrat veritatem aut „per subitam acceptionem, aut per rectam „deductionem ex cameris cujuscunque Figuræ: *unde hæc Figura dirigit omnes alias Figuras tanquam regula & tanquam virtutem influens super omnes.*

Iterum

3. Iterum sciendum est, quòd quælibet Dignitatum DEI operetur intra se & extra se; cùm enim Pater generet Filium bonum, sapientem & æternum, necesse est, bonitatem bonificare, sapientiam sapientificare, æternitatem æternificare; similiter necesse est, bonitatem non solùm bonificare, sed æternificare & possificare; etiam necesse est, æternitatem bonificare & possificare, & potestatem sapientificare, æternificare & bonificare in ipsa sapientia in potestate & omnibus aliis Dignitatibus: similiter cùm DEUS producit bonam creaturam, bonificat, sed extra se.

4. Item nota, quòd de A. & de qualibet ejus Dignitate tripliciter possumus loqui, aut absolutè, aut in comparatione ad creaturam, aut in comparatione ad divinam Personam; absolutè non recipiunt prædicationem temporalium, neque eorum, quæ pertinent ad originem; in comparatione ad creaturam recipiunt prædicationem temporalium, ût sapientia creans, salvans &c.; in comparatione ad Personam recipiunt prædicationem eorum, quæ spectant ad originem, ût sapientia genita: ad has differentias igitur semper respiciat diligens discursor hujus Artis, quando considerat Dignitates ipsius A., ne fallatur.

CAPUT IX.

De secunda Figura S.

SEcunda Figura S. describitur secundùm prædictam doctrinam, circa quam notandum est, quòd, cùm objecta potentiarum animæ sive partium ipsius S. sint aut sensibilia aut intelligibilia, quæ omnia continentur in Figuris hujus Artis, S. per suas potentias non capiat objecta, nisi per terminos hujus Artis: „igitur quilibet diligenter con„sideret, mediante quali potentiâ commi„sceat terminos hujus Artis, an mediante „H., an mediante E., an mediante R., an „mediante N., quia talis consideratio mul„tum valet ad inquirendum Y.; & quia ho„mines non advertunt, in qua specie sint, „quando discurrunt, & cum qua discurrant, „ideo sæpè decipiuntur; nam propter H. „pervertitur judicium, & propter N. sæpè „probabile recipitur per se notum, propter „R. verò distinguenda sinè distinctione „conceduntur, & falsa tanquam vera accep„tantur; & ideo homo sæpè credit, quòd „ubi discurrit cum una specie, discurrat cum „alia, eò quòd non advertit, aut non bene „discutit, quia ignorat hanc Artem, aut ne„gligit illam: unde convenit, hanc suprà„dictam Artem & Regulam semper habere „præ oculis, nec ullo modo spernere, licèt „videatur parva, nam sinè S. nihil possumus „operari, sicut nec sinè T., cùm S. sit tanquam „operans, & T. tanquam instrumentum „illius, & cameræ diversarum Figurarum „sint tanquam materia, & altera pars quæ„stionis sit tanquam finis.

CAPUT X.

De secunda Figura primi T.

SEcunda Figura primi T. fit juxta prædictam doctrinam, de qua pleniùs tractatur in sequentibus, & ideo hic nihil aliud dicendum est de ea, nisi quòd ipsa solvat omnem dubitationem; unde dubitanti, quomodo hæc vel illa possint fieri, quæ in hac Arte non possunt tradi ex toto, statim convenit respondere, quòd per T. possit sciri modus, quomodo debeant fieri, nam per ipsum omnia fiunt; unde & in omni nostro opere eam habeamus præ oculis, ut operemur ad debitum finem secundùm debita principia & debita media, non excedendo neque diminuendo, sed æqualiter & secundùm debitam proportionem, discernendo inter ea, quæ concordant cum nostro proposito, & quæ repugnant; hæc eligendo, illa respuendo; & ad DEUM habeamus primam intentionem, & ad creaturam secundam, sperantes & nullo modo dubitantes, quia ipse non negabit mercedem, quia secundùm modum nostri operis erit spes nostræ retributionis, nam hoc ordinavit DEUS, quia simul sunt in nobis perpetratio operis & in ipso propositum reddendi, secundùm quòd ipsum propter se ipsum & non propter alterum proponimus, aut secundùm quòd ipsum proponimus pro parte, commiscendo nos cum bono creato, aut universaliter recedendo à bono universali, & adhærendo bono particulari cum modo irrefrænato & indeterminato.

CAPUT XI.

De secunda Figura secundi T.

SEcunda Figura secundi T. fit secundùm modum prædictæ regulæ; hæc Figura ideo est inventa, ut, quod per principia magis universalia, scilicet per principia primi

T. non potest inveniri propter debilitatem intellectûs, faciliùs inveniatur per hanc, de qua fusiùs tractatur inferiùs; „ nam quan-„ do inferiùs de T. tractatur non specifican-„ do primum T. aut secundum, intelligatur „ de utroque.

CAPUT XII.
De Figura communi facta ex duobus T.

EX duabus Figuris T. fit una per istum modum, ut per supremum & secundum circulum universalis Figuræ intelligamus terminos primi T. duplicatos, & per tertium & quartum terminos secundi T. duplicatos: iterum intelligamus, quòd termini tertii conjungantur terminis supremi, sicut una linea sequens conjungitur præcedenti, ita, quòd ex illis fiat una; & eodem modo intelligatur, quòd termini quarti circuli conjungantur terminis secundi, ita, quòd ex quatuor circulis faciamus duos, quorum quilibet contineat tot terminos, quot sunt in utraque Figura simul; deinde debet fieri una Figura secundùm illum modum, quo superiùs diximus, quòd fiat secunda Figura A., aut alicujus alterius Figuræ: & per istum modum posset fieri una figura ex terminis omnium figurarum hujus Artis, scilicet successivè conjungendo terminos terminis, & ex illis omnibus faciendo unam lineam aut circulum, & postea ponendo eosdem terminos in alia linea aut circulo, & deinde secundùm prædictum modum circa secundam Figuram A. simili modo faciendo; sed ne generetur confusio & tædium, sufficiat facere unam Figuram ex duobus T., secundùm quem modum facta est hæc Figura. 2.

CAPUT XIII.
De secunda Figura V.

1. CIrca Figuram V. sciendum est, quòd V. sit duplex, scilicet lividum & rubeum, propter quod V. in medio primæ Figuræ V. descriptum est rubeo & livido colore; & ideo prima Figura V. etiam habet lineas transversales alias rubeas, alias lividas: quando autem V. stet pro livido & quando pro rubeo, potest sciri ex adjunctis sibi A. Y. Z.; nam quando invenitur hæc camera E. A. V. Y., tunc significatur V. lividum, & quando fit hæc camera E. V. Z., tunc significatur V. rubeum, quia V. lividum convenit cum A. Y., & V. rubeum cum Z.: similiter si loco E. ponatur in utraque camera I. aut N. aut R., V. significabit idem; sed si loco E. ponatur aliquid in prima camera, quod determinatè importat privationem, ût I. aut R., camera erit mala; si verò in secunda camera ponatur aliquid tale, camera erit bona, unde hæc camera I. A. V. Y. est mala, quia significat odium DEI, virtutis & veritatis, & hæc camera I. V. Z. est bona, quia significat odium vitiorum & falsitatis.

Item sciendum est, quòd, licèt sint paucæ cameræ in V., tamen ad eas possint reduci omnes virtutes & omnia vitia cum suis pertinentibus, ût bona conscientia ad justitiam, devotio ad charitatem &c.: unde cameræ hujus Figuræ denotant omnia moralia in scripturis hujus Artis aut per modum contrarietatis, ût fides incredulitatem, aut per modum concordantiæ & similitudinis, ût justitia gratitudinem, aut per modum effectûs, ût fides constantiam, aut per circulationem, ût ista camera, fides ira, significat omnes virtutes, quæ ex fide oriuntur in irascibili; & sicut omnia moralia reducuntur ad hanc Figuram, ita quodlibet quodammodo potest reduci ad aliquam cameram hujus Artis: *disce ergò quodlibet reducere ad aliquam cameram, & sic scies legere secundùm hanc Artem, & ex consequenti omnia sub brevibus comprehendere.*

CAPUT XIV.
De secunda Figura X.

1. SEcunda Figura X. sic fit, sicut patet in principio hujus Libri, & est generalis ad omnes Scientias, ut ex illa secundùm hanc Artem per discursum colligantur solutiones, oppositiones, concordantiæ & distinctiones; quæ enim opponuntur secundùm unum modum, non opponuntur secundùm alium, sicut esse & privatio opponuntur secundùm unum modum, scilicet immediatè, sed quia per perfectionem generati, cùm aliquid generatur, privatio redit ad esse, dum materia priùs privata conjungitur suæ formæ perficienti, per quam formam perficientem privatio est, scilicet oppositæ formæ, sequitur, quòd esse & privatio mediante perfectione concordent, & universaliter inter omnia opposita mediante X. possit fieri aliqua concordantia, sicut planiùs dicetur in *Arte Demonstrativa.*

CAPUT

CAPUT XV.
De secunda Figura Y. & Figura Z.

FIgura Y. & Figura Z. non habent secundas Figuras, quia secunda Figura resultat ex multitudine terminorum, veniunt tamen in compositionem cum aliis terminis, ut fiat una communis Figura, sicut patebit in compositione secundæ Figuræ Universalis: unde hìc nihil aliud dicetur, nisi quòd Y. & Z. se habeant per modum finîs, ad quem movetur tota ista Ars, ut scilicet Y. principaliter detur ipsi E., & Z. ipsi H., ita, quòd destruatur R.

CAPUT XVI.
De secunda Figura Theologiæ.

FIgura Theologiæ fit secundùm prædictum modum, quæ superaddita est in hac Arte, ut ista Ars habeat plures terminos, per quos discurrat, & ut sit magis generalis; *& quamvis hæc Figura Theologiæ in omni materia possit juvare*, specialiter tamen pro Theologia est ordinata & superaddita.

CAPUT XVII.
De secunda Figura Philosophiæ & Juris.

FIgura Philosophiæ fit secundùm prædictum modum, *& valet supra modum in Theologia & in omni materia*, tamen principaliter ordinatur ad Philosophiam, licèt hìc non intendamus tractare de Philosophia, nisi ratione Theologiæ: similiter sic debet intelligi de Figura Juris, quæ describitur, ût in ipsa Figura apparet.

CAPUT XVIII.
De secunda Figura Elementali.

SEcunda Figura Elementalis fit secundùm prædictum modum; *hæc Figura maximè valet in materia naturali, etiam valet in materia Theologiæ & in omni materia ad habendam solutionem saltem per metaphoras & similitudines;* & ideo in omni materia, discursu & positione triangulorum ad illam respiciendum est, ut ex ea aliquid habeatur aut per modum proprium aut metaphoricum, quia maximè generalis est, dirigit enim discurrentem per similitudines suî in omnibus cameris aliarum figurarum, ut sciat in eis ponere T. ad similitudinem suî; *quia in operationibus elementorum significantur opera intrinseca & extrinseca omnium eorum, quæ significantur per terminos hujus Artis.*

CAPUT XIX.
De secunda Figura Derivativa.

SEcunda Figura Derivationum fit secundùm prædictum modum; hæc Figura est de novo facta, ut explicitè repræsententur illa, quæ implicitè continentur in terminis hujus Artis, & ne nimia strictitudo hujus Artis evacuet discurrentem à quæsito, & ut T. faciliùs possit poni in cameris Figurarum, & ut citiùs occurrat intentum, & certiùs possit haberi judicium.

CAPUT XX.
De secunda Figura Influentiæ.

SEcunda Figura Influentiæ est secundùm prædictum modum facta; hæc Figura est valde utilis, quia in omnibus est influentia actuum aut activè aut passivè, unde in omni discursu debet haberi præ oculis, sicut triángulus rubeus, utpote ei subalterna; hæc sola Figura secundùm suam dispositionem, quæ hìc describitur, ponitur in Figura Universali, ponitur enim in minimo circulo super angulos duorum triangulorum se invicem in illo circulo intersecantium, qui trianguli repræsentant omnes triangulos utriusque T.: causa autem, quare hæc Figura ibi ponitur, est, ad evitandam majorem multitudinem circulorum.

CAPUT XXI.
De secunda Figura Finali.

SEcunda Figura Figuræ finalis descripta est secundùm prædictum modum; hæc Figura ideo est inventa, ut discurrens semper habeat illam præ oculis, ut multiplicet convenientia pro una parte quæstionis, & inconvenientia pro opposita, aut pro utraque parte ducat tam convenientia, quàm inconvenientia, ut multiplicatis convenientiis & inconvenientiis faciliùs possit videri, quæ pars debeat dari ipsi E., & quæ ipsi I., ut E. habeat pro objecto A. V. Y., & I. habeat pro objecto V. Z., & ut exaltetur M. in A. V. Y. contra V. Z.; nam propter hoc debet esse totus noster discursus: & nota,

quòd M., secundùm quòd dictum est, possit stare pro odio aut pro amore, sed indicatur utrùm sic stet an sic, per E. A. V. Y. Z., & secundùm has cameras [E. A. V. Y.] [I. A. V. Y.] [M. Y.] [M. Z.]; nam si conjungas has duas ultimas cameras primæ, erunt bonæ, si conjungas secundæ, erunt malæ; similiter si primæ conjungas tertiam aut quartam, erit bona camera, & si secundæ conjungas tertiam aut quartam, erit mala.

CAPUT XXII.

De secunda Figura Figuræ Universalis.

1. SEcunda Figura Figuræ Universalis dividitur in duas, scilicet in illam, quæ est quasi totalis, & in illam, quæ est quasi partialis; dicitur autem totalis, quia fit ex terminis, qui repræsentant figuras secundùm se totas & quamlibet partem, & hæc est minor; illa verò, quæ est major, dicitur partialis, quia fit ex terminis exprimens aut significans singulas partes figurarum.

2. Causa autem, quare illa totalis adjecta est, est, ut, cùm volumus discurrere per illam, quæ est partialis, primò respiciamus ad illam minorem, nam per illam potest nobis occurrere, quot modis quælibet camera facta ex literis ab A. non signato usque ad R., quæ sunt in partiali Figura, potest significare: unde cùm in illa minori Figura sint quinquaginta quinque cameræ, tot modis quælibet camera ex prædictis literis facta potest significare, v. g. B. B., quæ est secunda camera hujus majoris Figuræ, potest significare secundùm primam cameram, quæ est in minori Figura, quæ est A. A., aut secundùm hanc cameram A. S., quæ similiter est in minori Figura; si autem hæc camera B. B. significat secundùm hanc cameram A. A., tunc significat bonitatem bonitatem, & si significat secundùm hanc cameram A. S., tunc significat bonitatem & memoriam recolentem, & sic est de omnibus aliis: *hoc facillimè patet ei, qui scit alphabeta hujus Artis, quæ supponimus sciri à quocunque volente intelligere hunc Tractatum, ùt in principio Libri diximus.*

3. Minor Figura facta est ex his terminis A. S. T. V. X. Ȧ. Ṫ. V̇. Ẋ. Ż., & hi termini duplicati faciunt primum ordinem & omnes alios ordines per motum secundæ lineæ, quæ manet fixa sub prima in figura materiali secundùm prædeterminatum modum.

4. Major Figura facta est ex his terminis A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. Y. Z. ignis. aër. aqua. terra. re. ri. ans. us. le. tus. nus. do. ne. er. in. præ. de. Ÿ., & hi termini omnes duplicati faciunt primum ordinem; alii verò ordines fiunt per motum secundæ lineæ, quæ manet fixa sub prima secundùm prædictum modum circa secundam Figuram factam ex duobus T.; Y. verò, quòd est positum in hac Figura, repræsentat quamlibet partem Figuræ finalis, & ideo in minori Figura hæc litera non est posita, nam singulæ cameræ hujus figuræ non significantur per singulas literas; & ideo necesse fuit saltem sub aliquo signo eas in hac Figura ponere.

5. Hæc Figura continet omnes combinationes, quæ possunt fieri ex cameris hujus Artis secundùm præpositas Figuras, in quibus cameris combinatis convenit discurrere mediante T., & ex eis convenit inventa judicare secundùm modum, qui postea dicetur; *nam quot sunt cameræ in ista Arte, tot sunt principia & regulæ infallibiles*, quia quidquid cũ eis concluditur uniformiter per rectam deductionem per T., illud est affirmandum, & cujus contrarium cum eis concluditur, illud est negandum.

CAPUT XXIII.

De Utilitate secundarum Figurarum.

1. SCiendum est, quòd omnes secundæ Figuræ sint utiles, quia quod in primis continetur implicitè, in secundis continetur explicitè, quia omnes combinationes terminorum primarum Figurarum, quæ possunt fieri secundùm duos & duos terminos, in illis continentur explicitè, in primis autem tantùm in potentia & significativè per lineas sese invicem intersecantes continentur implicitè: unde quod ex primis Figuris aliquando non invenitur, ex aliis faciliùs occurrit.

2. Sunt etiam utiles ad judicandum de invento, nam quando per cameras hujus artis aliquid invenitur mediantibus triangulis, tenendum est pro vero, nisi contrarium judicetur per alias cameras, quibus magis convenit consentire propter convenientiam earum cum majoritate, eò quòd cameræ hujus Artis mediante T. sunt regulæ & mensuræ ipsius Y.; ideo ad sciendum, utrùm aliæ cameræ contrarientur aut concordent cum invento, statim convenit ire ad secundam Figuram, in qua Figura continetur illa camera, per quam aliquid inventum est, & convenit illam cameram inquirere, quâ inventâ convenit respicere ad omnes inferiores cameras successivè, & postea ad superiores, & postea ad eas, quæ sunt in lateribus, vel à dextris, vel à sinistris; quòd si inveneris concordantiam, nec erraveris in principiis sive regulis hujus Artis, scias, quòd inveneris veritatem; si verò inveneris contrarietatem in aliis cameris, & meliùs videantur convenire cum majoritate, quàm camera primò proposita, scias, quòd erraveris in prima camera, & quòd illa conveniat cum minoritate, sive quòd sit minùs efficax ad ostendendum propositum; si autem camera fuerit ex terminis duarum Figurarum, convenit recurrere ad Figuram compositam ex duobus T., si sunt termini duorum T., aut ad secundam Figuram universalis Figuræ, si sunt termini duarum aliarum Figurarum à T., & eodem modo convenit facere, sicut jam dixi.

3. Eodem modo potest inquiri intentum, quando currimus per Figuram materialem universalem; propterea autem maximè feci unam Figuram ex duobus T., quia omnes trianguli requiruntur ad faciendum certum judicium, sicut clariùs patebit inferiùs; secundam Figuram autem universalis Figuræ feci ad vitandam confusionem, ut ipsa stet pro Figura composita ex omnibus Figuris.

CAPUT XXIV.

De Modo inveniendi novas Figuras.

1. QUamvis termini Figurarum, de quarum conditionibus nunc pro parte determinavimus, sufficiant, ut per eos discurramus ad inveniendam veritatem in omni Scientia de quocunque quæsito, veruntamen sciendum est, quòd secundùm singulas Scientias possint fieri speciales Figuræ specialiter, & eis principaliter appropriatæ, ut faciliùs deveniatur ad propositum, sicut Philosophiæ appropriata est Figura Philosophiæ, Juri Figura Juris &c.: unde ut tales Figuræ fiant secundùm debitum modum, si debeant fieri, tractemus de modo faciendi & inveniendi tales Figuras.

2. Modus igitur faciendi aut inveniendi Figuras in hac Arte, est duplex, secundùm quòd sunt duo genera Figurarum, quibus utimur in hac Arte; nam quædam Figuræ sunt *generales*, sicut sunt Figuræ T., & aliæ sunt *speciales* specialiter deservientes uni Scientiæ, quamvis earum termini cum admixtione ipsius T. plurimùm valeant etiam in omnibus aliis Scientiis, ut per eos inveniantur rationes propriæ aut metaphoricæ ad inveniendum Y., & ad ponendum E. in A., & I. contra Z.; & tales Figuræ sunt Figuræ Theologiæ & Figuræ Juris & aliæ.

Et sic generales Figuræ fiunt ex generalibus terminis, quos nihil potest subterfugere, quin ad aliquem ipsorum possit reduci, si in aliquo numero accipiantur, sicut in numero ternario aut quaternario, quia dividunt totum ens, sicut patet in terminis ipsius T.; nam omne, quod est, aut est Creator, aut creatura, aut operatio; similiter omne, quod est, aut est concordans cum aliquo, aut est differens ab illo, aut est illi contrarium: & propterea ex talibus terminis fiunt triangulares aut quadrangulares Figuræ in hac Arte, quæ serviunt in omnibus Scientiis ad mutandum R. in N., & N. in E.

Speciales Figuræ fiunt ex terminis communibus alicujus specialis Scientiæ, ita, quòd ad omne id, quod pertinet ad materiam illius Scientiæ, possit applicari aliquis terminus aut termini talium Figurarum mediantibus Figuris communibus aut Figurâ T., ad destruendum R., & ad exaltandum M. in A., eâ intentione, ut E. possit perfici; & propterea ex talibus terminis facimus Figuras circulares, ad significandum, quòd capiant totam Scientiam, nam Figura circularis est capacissima Figura, quamvis etiam propter hoc primò fuerint inventæ, ut per earum pulchritudinem plùs delectaretur anima per illas discurrere; veruntamen in multitudine Figurarum cavendum est, ne fortè aliæ eligantur, & illæ, quæ sunt præscriptæ, dimittantur; nam nulla alia Figura convenientiùs exprimeret actus animæ & modos potentiarum ejus, quos in omni discursu intentè convenit perpendere & considerare, quàm Figurâ S.; neque potest esse ita conveniens objectum ipsi S., sicut A. & suæ cameræ; neque ita congruum instrumentum ad accipiendum A. pro objecto, sicut Figura T.; neque ita dispositum ad A., neque ita unitivum cum A., sicut Figura

gura V., si debito modo tractetur; neque ita adminiculativum omnium Figurarum jam nominatarum, sicut X., ut per eas S. sit in Y., & H. contra Z.: propterea si quis sufficienter sciret conditionare & in triangulis ponere cameras præscriptarum Figurarum, perfectè sciret Artem, & facilè sciret per T. deducere omnes alios terminos secundùm exemplum earum. *Unde quia cameræ prædictarum Figurarum jam sunt conditionatæ per Auctorem Artis Demonstrativæ, frustra laboraret, qui istas Figuras abjiceret, & novas quæreret, cùm eas nesciret conditionare, nisi sciret conditiones prædictarum Figurarum, sicut stultè abjiceretur ab artifice dolabra sua, per quam posset sufficienter operari, ut acquireret aliud instrumentum, per quod nesciret operari; hoc autem dico pro eis, qui videntes se habere aliqualem modum istius Artis, statim spernunt libros continentes conditiones camerarum istius Artis, & volentes invenire novas conditiones aliarum figurarum, cujus scientiam nondum habent: hi enim comparantur parvulis volentibus ambulare, & qui nondum habent usum membrorum.*

3. Item maxima utilitas hujus Artis est, quòd in paucis doceat infinita videre, qui igitur tentat adjungere multitudinem figurarum præscriptis figuris, volens habere Artem, non vult eam habere, & credens de facili per eam operari, evacuabitur ab ea: unde non approbo additionem Figurarum, nisi fortè paucarum ad explicationem præscriptarum.

CAPUT XXV.

De Modo dividendi Terminos hujus Artis, & de Modo discurrendi per dividentia.

1. QUamvis solùm diviserimus terminos triangulorum, aut eis aliqua adjunxerimus, sub quibus omnia comprehenduntur, ad quæ illi termini se extendunt, (v.g. DEO adjunximus Essentiam, Unitatem, Dignitates, ad quæ omnia reducuntur, quæ ad DEUM pertinent, non tangendo expresè Trinitatem Personarum, *quam ideo non tangimus in Figura T., quia debet esse communis omnibus gentibus cujuscunque legis*, similiter divisimus creaturam in animalem, intellectualem & sensualem, id est, quæ potest sentiri, quæ tria sufficienter dividunt omnem creaturam) veruntamen sicut nos divisimus, ita etiam discurrens per terminos hujus Artis in quibuscunque figuris debet simili modo dividere terminos, & ea, quæ pertinent ad significata terminorum, sub quadam sufficienti universalitate considerare, & dividentia ulteriùs dividere secundùm eum modum, quo meliùs poterit, per auxilium ipsius T., si necesse sit, ut, quod per ipsos terminos illi non occurrit, occurrat per dividentia & eorum pertinentia; v.g. nec prædestinatio nec aliquis alius terminus in Figura X. dividitur, tamen discurrens per hanc Artem dividat eos penes se, cùm illis voluerit uti, sic: prædestinatio potest considerari, ût est actio, & ût est passio, id est, per modum, quo descendit à verbo activo vel passivo; vel sic: prædestinatio potest considerari, prout est æternæ salutis, & prout est gratiæ in præsenti; & ulteriùs consideret, quòd ad æternam salutem duo pertineant, scilicet præmium essentiale & accidentale; & ulteriùs consideret, quòd alia gratia sit præveniens, alia subsequens.

2. Per hunc & similem modum est faciendum in omnibus aliis terminis hujus Artis, ut sic illud, quod non occurrit per unum, occurrat per alium, comparando terminos figurarum à casu acceptos aut magis congruos ad propositum secundùm æstimationem, aut eorum dividentia ad terminos propositæ quæstionis, & præterea terminos figurarum ad invicem, & terminos quæstionis ad invicem mediantibus triangulis, semper habendo respectum ad propositum vel intentum, discurrentibus F. G. sinè H., ita, quòd F. G. ex omni & qualibet comparatione forment tot diversas propositiones, quot poterunt, id est, non solùm affirmativas, sed etiam negativas, non solùm necessarias, sed possibiles & impossibiles, convenientes, conditionales & simpliciter enuntiativas, & consideret mediantibus triangulis veritatem & falsitatem, possibilitatem & convenientiam propositionum.

3. Nec solùm discursor hujus Artis nitatur concludere unam partem quæstionis, sed utramque, nec solùm reducat ad convenientia, sed ad inconvenientia pro utraque parte, ut sic partem, quæ concordat cum majoritate, possit tribuere ipsi E., & partem, quæ concordat cum minoritate, ipsi I., mediante influentiâ, quam Professor hujus Artis poterit percipere ex continua meditatione camerarum ipsius A. mediantibus triangulis; *cameræ enim ipsius A. sunt regulantes in tota*

tota ista Arte: caveat autem sibi quisque, ne H. admisceatur ipsis F. G., antequam fuerit facta electio illius partis, quæ concordat cum majoritate, & tunc primùm detur E. ipsi Y., & H. ipsi Z.

CAPUT XXVI.

De Regula generali ad ponendum quemcunque Terminum in Triangulis.

1. QUoniam de Regula generali ad ponendum quemcunque terminum in triangulis suprà jam diximus in *Capite quarto* hujus Libri, & (ût sæpiùs præsuppositum est) tota ista Ars consistit in debita commixtione triangulorum, & in commixtione aliorum terminorum cum triangulis, ideo de ista commixtione nunc fusiùs proponimus tractare, ut nihil obscurum aut inexpositum, quantum possumus, relinquatur.

2. In principio igitur, ut sciamus commiscere quemcunque terminum cum triangulis, sciendum est, quòd, sicut in Figura A. una camera adjuvat aliam ad elucidandum propositum (ût v.g. creatura facta ex nihilo ostendit maximam bonitatem DEI, quia sua virtus in hoc maximè manifestatur) ita de iis, quæ attribuuntur creaturæ, unum adjuvat aliud: unde convenit considerare omnia attributa rei, de qua tractatur, secundùm quòd possibile est, & ipsa in se, & eorum derivationes; quæ autem sint attributa rerum, poteris invenire per triangulos, & currendo per alias figuras, quia sicut in DEO est bonitas, magnitudo &c., ita etiam est in cæteris rebus secundùm suum modum; & sicut in homine est anima & potentia animæ, ita in cæteris rebus est aliquid pertinens ad operationem animæ, saltem per modum objecti, vel aliquid simile animæ.

3. Similiter ex cæteris Figuris poteris tibi colligere concordantias rei, de qua vis tractare; simili modo poteris inquirere, quid contrarietur, aut quid sit principium rei per respectum ad omnes figuras: v.g. quid concordat cum homine? dicendum est, quod vita & essentia, quæ sunt in Figura Theologiæ: quid ergò contrariatur homini secundùm vitam? patet, quòd privatio vitæ, privatio autem est in Figura X.: contrarietas autem largè sumitur in hac Arte, sicut etiam cæteri termini hujus Artis debent sumi, scilicet pro quocunque genere oppositionis, & sic de aliis suo modo: & quid est principium hominis secundùm vitam? patet, quòd anima: sic igitur secundùm hunc modum potest quilibet angulus accipere suam determinationem ab aliis figuris.

CAPUT XXVII.

De Modo commiscendi Triangulos.

1. QUilibet triangulus potest cadere in determinationem alterius trianguli, comparando unum ad alium; v.g. creatura est operatio DEI diversificantis eam à se, ût principiantis â principiato; unde volentes discurrere sic debent commiscere triangulos, ut demus exemplum: quomodo se habet hæc creatura lapis in genere creaturarum? est creatura sensualis ponderosa talis virtutis, existens sub aliis creaturis animatis ordine naturæ, & super quasdam alias, ût super istam vel illam: & quomodo se habet hæc creatura ad DEUM secundùm operationem? certum est, quòd sit operata ab ipso, & in virtute ejus operetur, & est diversa in operatione à DEO sic aut sic, non tamen contrariatur illi in operatione, sed concordat sic aut sic; quia licèt operatio DEI sit major, & operatio creaturæ sit minor, tamen DEUS est tanquam finis & principium ejus; & sic unus triangulus aut unus angulus determinat alium, & elucidat id, quod de eo dicitur per causam: item quomodo se habet ista creatura ad DEUM secundùm principium? certum est, quòd DEUS sit prior illâ, & quòd DEUS sit causa illius diversimodè, quia est ei causa efficiens, formalis & exemplaris, non tamen materialis, quia concordantia materiæ sive cameræ ejus opponuntur cameris DEI; item est maximè illi principium, & mediæ causæ minus; & sic possumus comparare hanc cameram ad DEUM secundùm omnes angulos & derivationes eorum, semper determinando respectum anguli, secundùm quem illa creatura comparatur ad DEUM per se ipsum & concordantias ejus & divisiones & derivationes & per alios angulos; & semper habeatur respectus ad conclusionem, ut, si aliquid conveniens occurrat, applicetur proposito; & possumus comparare istam creaturam ad se ipsam & ad alias creaturas & ad DEUM & ad operationes secundùm omnes angulos, successivè determinando respectus per alios angulos differentes ab angulo, secundùm quem fit comparatio:

ratio: postea possumus procedere ad omnes alios angulos aliorum triangulorum successivè, simili modo faciendo comparationem, sicut jam pro parte exemplificavimus in triangulo livido; & quia esset tædium de omnibus exemplificare, sufficiat exemplificare in angulo viridi, ut intelligatur, quòd sic debeat fieri in aliis, sicut exemplificatum est in livido; & nunc de viridi dicemus.

2. Quomodo igitur se habet lapis ad differentiam secundùm alias creaturas? certum est, quòd DEUS illum distinxerit ab aliis, quia illum ordinavit ad talem finem, ut esset causa materialis domûs secundùm talem vel talem modum, qui illi magìs convenit, & aliis creaturis minùs, quia habet majorem soliditatem, & aliæ creaturæ minorem: & quomodo se habet lapis ad differentiam, quantum ad DEUM? certum est, quòd DEUS ab illo differat secundùm substantiam, & tamen in eo sit, sicut concorditer aut uniformiter in quacunque alia re, quia maximum principium nulli suo effectui deest, quia nec minimum principium potest suo effectui deesse, nisi privaretur ipso esse: & hæc exempla sufficiant, ex quibus apparet, quòd species triangulorum ita commiscendæ sint, sicut trianguli, & etiam eorum concordantiæ, si quæ in promptu habentur.

3. Species triangulorum autem voco eorum divisiones, sicut species creaturæ possunt dici animalis, sensualis, intellectualis; nec solùm unus angulus comparandus est ad alium, aut aliquis terminus ad aliquem angulum, ut determinatio fiat per alium angulum, sed aliquando unus angulus commiscendus est cum alio, non adjuncto tertio angulo; aut aliquis terminus, qui non est de triangulis, cum uno angulo, non adjuncto alia angulo; aut unus terminus cum alio termino, quorum neuter sit de Figura T., nullo adjuncto angulo.

4. Hæc commixtio tamen non potest fieri sinè triangulo nigro; unde qui vult discurrere, debet aliquando commiscere terminos quæstionis tantùm, aliquando terminos quæstionum cum terminis aliarum Figurarum ab ipso T., aliquando terminos quæstionis cum uno angulo ipsius T., & postea cum alio, postea cum tertio, & sic deinceps successivè cum quolibet; & si non occurrat propositum, debet aliquando etiam commisceri unus angulus ipsius T. cum alio angulo ipsius T., vel terminus alterius Figuræ debet commisceri cum uno termino quæstionis, & alius cum alio; aliquando verò unus & idem angulus aut terminus hujus Artis cum alio termino hujus Artis, aliquando verò unus terminus cum pluribus terminis, & aliquando plures cum uno; aliquando verò significatum unius termini comparatur ad simile sibi in genere aut specie idem nomen participans, ût creatura ad creaturam, principium ad principium; aliquando idem ad se ipsum, aliquando etiam cum eodem; sæpiùs tamen fit similis commixtio, ût hìc: majus principium, quod potest esse, est magis remotum à minori minoritate principii, quàm æquale principium ab æquali; *& hæc commixtio, sicut est ultima, sic est utilissima & maximè necessaria in Arte:* aliquando verò convenit uti uno & eodem triangulo tantùm affirmativè & negativè in eadem conclusione, ût hìc: cùm calidum & frigidum sensualiter contrarientur, secundùm eorum esse intelligibile non contrariantur.

5. Item etiam multùm valet in hac Arte mixtio unius termini cum altero, ut unum sumatur in recto, & aliud in obliquo; v.g. ût cùm inveneris hos terminos, bonitas creatura, aut bonitas principium, aut creatura finis, non solùm consideres tales terminos in se, ût principium per se, aut bonitatem per se, aut aliquid tale, sed conjungas, ut consideres bonitatem creaturæ, aut bonitatem principii, aut creaturam finalem; etiam multùm valet conversio horum terminorum; v.g. ut non solùm consideremus bonitatem principii, sed etiam principium bonitatis; vel non solùm creaturam, quæ est finis alterius, sed finem totius creaturæ, vel aliquid tale.

6. Qui autem non est exercitatus, & ignorat promptè ponere terminos in triangulis, debet inspicere *secundam Distinctionem Artis Demonstrativæ*, ubi conditionantur termini, id est, diversi termini diversimodè ponuntur in triangulis secundùm diversam exigentiam & considerationem sive conditionem diversorum terminorum, si enim voluerit diversimodè ponere aliquos terminos in triangulo livido, ibi inveniet diversos terminos diversimodè positos in triangulo livido, ût ignem ignem, aërem aërem, A.A., S.S. & multos tales terminos, quorum triangulos lividos respiciens poterit sibi facere multos similes modos, per quos poterit terminos ponere in triangulo livido, quos intendit triangulare in illo, ita, quòd

quòd eosdem terminos diversimodè poterit ponere in triangulo livido; & si unus modus commiscendi illi non valuerit ad propositum, alius poterit valere: quapropter diversimodè convenit miscere terminos etiam cum eodem triangulo; & quod jam dixi faciendum de triangulo livido, etiam faciendum est de aliis triangulis: etiam ad operandum secundùm hanc doctrinam maximè valet ille Liber, *qui est Liber de Articulis Fidei secundùm hanc Artem editus:* valet etiam ad hoc quodlibet scriptum rationaliter factum, quia in omni ratione est aliqua commixtio ipsius T., præcipuè tamen ad hoc valet ille *Liber de Articulis.*

CAPUT XXVIII.

De diversis Modis practicandi & discurrendi per hanc Artem.

1. POstquam ostendimus modum faciendi diversas commixtiones, nunc convenit ostendere diversos modos, quibus nos debemus applicare ad opus secundùm istas commixtiones, causâ & intentione inquirendi veritatem.

2. Notandum est igitur, quòd circa hoc sint diversi modi, nam unus modus est, ut primò concordemus terminos quæstionis cum triangulo livido; v.g. si quæratur, utrùm homo sit finis creaturarum sensualium? statim apparet, quòd quæstio sit de creatura animali, sensuali & intellectuali; nam hæc omnia habet homo in se; de tali igitur creatura est quæstio in habitudine ad rubeum.

3. Postquam vidimus, quomodo termini quæstionis se habeant ad lividum, quæramus concordantias terminorum quæstionis, & differentias & oppositiones, ut, sicut A. habet suam Figuram factam ex diversis cameris, ita ex quolibet terminorum quæstionis faciamus diversas Figuras, unam ex concordantiis, aliam ex oppositionibus, vel ex principiis, vel finibus, vel convenientibus illis secundùm quoscunque alios angulos triangulorum; postea comparemus terminos secundùm suas Figuras ad invicem secundùm triangulos T.

4. Hoc tamen primò solùm faciendum est in triangulis, scilicet ut primò sumamus tantùm concordantias & oppositiones ex angulis, si postea profundiùs volumus quærere, eamus ad derivationes angulorum ipsius T., ut secundùm eas sumamus concordantias & oppositiones; & si iterum profundiùs volumus quærere, ex aliis Figuris sumamus concordantias & oppositiones, ût ex X., vel S., vel V., aut cæteris Figuris & derivationibus suarum camerarum.

5. Et primò pauca sunt sumenda ad faciendam Figuram concordantiæ, vel oppositionis, vel alicujus alterius, & postea plura apponenda sunt; nam secundùm quòd magìs & magìs volumus inquirere, debent augmentari Figuræ concordantiæ & oppositionis, ita scilicet, ut primò incipiamus ab una camera aut uno termino; v.g. in jam dicta quæstione, scilicet: utrùm homo sit finis creaturarum sensualium? anima intellectualis concordat cum homine pro principio formali, anima verò sensitiva aut vegetativa aut alia forma sensualis & per consequens operatio sensualis concordat cum aliis creaturis, & cum fine concordat movere appetitum & majoritas, & illi opponitur minoritas: comparemus igitur ad invicem cameras compositas ex terminis jam acquisitis secundùm triangulos sic: anima intellectualis convenit cum majoritate, & sensitiva cum minoritate, igitur cùm creaturæ ordinentur ad invicem, homo convenit cum fine, & aliæ creaturæ cum principio aut medio, sive cum eo, quod ordinatur ad finem.

6. Item cùm homo habeat operationem intellectualem, & aliæ creaturæ sensualem tantùm, potest homo se inclinare ad DEUM secundùm se, & aliæ creaturæ secundùm suam similitudinem; igitur cùm DEUS maximè concordet cum fine, homo magìs accedit ad finem, quàm aliæ creaturæ: ergò cùm omnia sint ordinata propter hominem, homo erit finis aliarum creaturarum; *quod enim fini est propinquius, est finis eorum, quæ magis distant à fine in ità, quæ ordinata sunt ad unum finem.*

7. Item cùm magìs nobilis finis moveat appetitum ad minùs nobilia propter magìs nobilia, homo autem sit magìs nobilis finis in natura, quàm aliæ creaturæ, natura ordinavit alias creaturas ad hominem, ergò homo est finis aliarum creaturarum sensualium.

8. Sic igitur apparet, quomodo ex solis triangulis colligantur rationes; dicitur autem solis, quia pauca alia intermiscentur, & trianguli satis evidenter ducunt in illorum paucorum acceptionem.

9. Si autem adhuc ampliùs volumus inquirere, descendamus ad derivationes tri-

angulorum sic: homo est principiativus & principians super actus & operationes aliarũ creaturarum, & eas finiens, in quantum eas vertit in suos usus, quia DEUS creavit hominem, ut sic posset facere & faceret: ergò homo est sic creatus, ut esset finis aliarum creaturarum.

10. Sic ergò patet, quomodo ex solis triangulis, & quomodo ex triangulis & eorum derivationibus possimus sumere rationes.

11. Si verò adhuc ulteriùs volumus inquirere, accipiamus concordantias ex aliis Figuris, ût ex Figura A. S. V. X. Theologiæ, Philosophiæ & Juris sic: in homine est sapientia dirigens, & voluntas imperans, à quibus regulantur aliæ vires inferiores, velut sensus & appetitus, de quibus solis participant aliæ creaturæ; igitur cùm in homine vires inferiores sint propter superiores, similiter omnes aliæ creaturæ erunt propter hominem.

12. Item cum homine concordant Fides, Spes & Charitas, & contrariantur infidelitas, desperatio & odium, in aliis verò animalibus hæc non sunt propter ignobilitatem illorum: ergò cùm nobilitas concordet cùm fine, homo erit finis aliarum creaturarum.

13. Item ut descendamus ad alias derivationes, & sic tota regula proposita appareat, dicamus: homo sperat & diligit bonum commune, & ideo est glorificabilis & quodammodo deificabilis à DEO, & ideo homo sic est principiatus à DEO, ut primò sit vile sperma, postea per media venit ad vegetativum, postea ad sensitivum, & tertiò ad intellectivum, ut sic homo intelligat, quòd, si debitè procedat, tandem quodamodo deificabitur, id est, fiet deiformis; & sic cùm DEUS sit finis omnium, homo etiam ad hoc est creatus, ut sit finis aliorum, aliis se moventibus circa bonum particulare, quod est umbra boni universalis; hoc autem convenit iis, quæ sunt ad finem, nam ea, quæ sunt ad finem, habent umbram finis, in quantum virtus eorum se extendit ad eum, sicut in speculo, quod est ad ostendendum hominem, est umbra hominis.

14. *Ut autem faciamus secundùm illud documentum, respiciendum est ad Figuras hujus Artis; universaliter autem in omnibus documentis hujus Artis primò exercitet se homo in Libris, antequam per solam excogitationem, & primò circa facilia, & postea circa difficiliora*; & ratio, quare convenit colligere Figuras concordantiæ & differentiarum, est, quia ex illis colligitur definitio, quæ est principium demonstrandi definitum, nam definitum convenit cum aliis in ratione communi, & differt in specifica differentia, quæ differentia est causa propriarum passionum, & ex causa demonstratur effectus; & ideo etiam convenit colligere Figuras ex principiis & ex finibus, ex quibus mediante influentiâ ipsius A., à quo debemus incipere, & in ipso terminare nostrum propositum, possumus videre, quæ pars conveniat cum majoritate, & quæ conveniat cum minoritate.

15. Alius modus inquirendi intentum est, ut homo volvendo circulum materialem in circulo, aut circulos in circulis procedat successivè & ordinatè, vel à casu, secundùm quòd voluerit, de camera in cameram, ponendo in qualibet earum triangulos, quousque sibi occurrat intentum: v. g. literæ unius circuli significent cameras ipsius X., & literæ alterius circuli, quæ in illo volvuntur, significent cameras ipsius A., & incipiamus ab ipsis B. B., & sit quæstio, quæ fuit priùs: utrùm homo sit finis aliarum creaturarum? & respondetur per jam dictam cameram, DEUS bonificavit hominem in majoritate bonitatis præ aliis creaturis, & prædestinavit illum ad majus bonum, quàm tota creatura capiat aut possit capere de se: igitur cùm bonum habeat rationem finis, & omnia ordinentur ad finem, finis omnium erit homo, de cujus bono omnia suo modo inclinant participare: volvatur igitur circulus, ût B. C. sint simul, & sic camera significet magnitudinem prædestinationis, ex qua sic potest argui ad propositum: DEUS est finis omnium, & prædestinando hominem ad se immediatè videndum magnificavit hominem, igitur fuit maximè conveniens, quòd magnificaretur super alias creaturas, ut, sicut ipse ordinatur ad ultimum finem, ita cætera ordinarentur ad ipsum tanquam finem, ut sic homo provocaretur ad ornandum se his cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.], quæ concordant cum fine & intentione DEI; quòd si non occurrisset propositum per has cameras, convenit ulteriùs volvere successivè & ordinatè aut à casu secundùm libitum ponendo triangulos; & hoc faciendum est continuè, quamdiu volumus multiplicare rationes, & magis profundare.

16. Similiter nos debemus transferre à figuris in figuras, ut termini prædictorum circulorum, qui priùs significabant cameras A. X., postea significent cameras S. V., aut alias, secundùm quòd placet, aut secundùm quòd credimus, magis convenire proposito, ût Figurâ A. aut Theologiæ utamur in theologicis, Philosophiæ in philosophicis.

17. Veruntamen quælibet Figura valet in qualibet facultate, aut per modum proprium, aut per modum metaphoræ, sicut tertia Figura T., quæ alio nomine dicitur Figura elementalis, quæ ideo dicitur Figura T., *quia sinè T. nihil potest operari in hac Arte, sicut nec faber sinè martello in arte fabrili*, ita est conveniens & valde utile in omni materia, quòd homo, quantum potest, utatur Figura elementali, aut per modum proprium, aut per modum metaphoræ.

18. Sed secunda Figura T. est Figura, quam superaddidi in hac Arte, quæ continet quinque novos triangulos, quorum primum vocamus semilividum, secundum semiviridem, tertium semirubeum, quartum semicroceum, quintum seminigrum: hæc secunda Figura T. in aliis Libris hujus Artis non habetur; *& ideo in quibusdam aliis Scriptis hujus Artis Figura elementalis vocatur secunda Figura T., hic verò tertia Figura T.* Aliquando cum una sola Figura possumus currere ponendo T., aliquando cum duobus T., aliquando verò cum uno: hoc idem documentum potest fieri respiciendo ad figuras in Libro, & primò ad primas, postea ad secundas, quæ sunt magis explicitæ.

19. Est adhuc alius modus inquirendi propositum, ut respiciamus ad cameras mixtas cum triangulis *in Arte Demonstrativa*, aut in aliis Libris, ut ex verbis textûs sumamus rationes ad propositum; nam verba textûs in Arte Demonstrativa habent tantam soliditatem, quòd, si occurrat aliquod dubium de aliquo verbo textûs, statim possit probari per aliquem paragraphum præcedentem in eodem Capite; & per istum modum conandum est ponere universaliter triangulos in cameris, per quas currimus, ita, quòd positio unius trianguli possit probari per positionem alterius trianguli; igitur debemus respicere ad verba textûs, ut ex eis eliciamus propositum, quòd si non occurrat per verba unius paragraphi, recurramus successivè ad alios paragraphos; si tamen quæstio sit de aliquo triangulo, ût si quæstio sit: utrùm divina bonitas & suum bonificare sint æqualia? & velis currere per hanc cameram [A. A.] ad solvendum eam, recurrendum est principaliter & primò ad illum paragraphum, ubi ponitur ille triangulus, scilicet triangulus croceus, quia de triangulo croceo fit quæstio: quòd si velis currere per cameras, quæ in textu non commiscentur cum triangulis, poteris in illis cameris ponere triangulos ad illum modum, quo ponuntur in textu in illis cameris, de quibus tractatur in textu.

20. Item alius modus inquirendi est, ut eamus ad cameras, ubi solutæ sunt quæstiones secundùm hanc Artem, secundùm eas faciendo commixtiones & propositiones, prout nobis meliùs poterit occurrere ex nostro ingenio; *nam cameræ, quæ solvunt unam quæstionem in hac Arte, solvunt etiam multas alias.*

21. Alius modus multùm utilis est, ut *de Libro Propositionum* sumamus propositiones camerarum quæstionis (quia convenit habere eas propositiones in illo Libro) eas commiscendo ad invicem, aut ut sumamus propositiones aliarum camerarum, per quas nos convenit discurrere ad inveniendam veritatem, comparando eas ad terminos propositæ quæstionis.

22. Hic autem alius modus est obscurus, & ideo ad ejus expositionem nota, quòd, cùm in qualibet quæstione sint plures termini, ex illis possimus formare plures cameras ad modum secundarum figurarum; v. g. si sit quæstio, an Deus sit suum esse, an alterum ab eo? ex hac quæstione formantur istæ cameræ: [Deus Deus] [Deus esse] [Deus alterum] [esse esse] [esse alterum] [alterum alterum]: cameras autem, quæ nobis occurrunt in discurrendo, voco cameras secundarum figurarum, sive cameras, quæ occurrunt secundùm diversas revolutiones & conjunctiones circulorum universalis Figuræ; de his cameris verò, quæ fiunt exterminis istius Artis, *est unus Liber, in quo secundùm singulas cameras colliguntur diversæ propositiones per se notæ, aut quæ omnibus possunt esse manifestæ*; v. g. secundùm hanc cameram [Deus Deus] sunt tales propositiones: quod procedit à Deo in se ipso, est Deus; item quod est in Deo, est Deus; item esse, quod habetur à Deo, est Deus: & similiter secundùm hanc cameram [esse esse] datur talis propositio, unumquodque est per suum esse: similiter secundùm hanc cameram [esse alterum] datur talis propositio, in unoquoque citra DEUM est alterum esse ab eo, quod est: similiter intellige, quòd secundùm singulas cameras

ras dantur aut sunt aliquæ propositiones, quæ omnibus intellectibus possunt esse manifestæ; dico autem, quòd dentur propositiones secundùm cameras, id est, secundùm quòd in eis principaliter fit mentio talium aut talium camerarum.

23. Propositiones camerarum igitur invicem commisceas, aut propositiones camerarum cum terminis quæstionis, ut tibi occurrat, quod quæris; v. g. sit hæc quæstio, quæ priùs: an DEUS sit suum esse? & respondeatur, quòd sic, quia (ût dicit pro- 26. positio secundùm primam cameram quæstionis) quod est in DEO, est DEUS, alioquin esset in illo compositio, & privatio simplicitatis, & subjectio ignobilitatis, & convenientia cum minoritate, sed in DEO est esse, ergò esse DEI est DEUS: item (ût dicit propositio secundùm secundam cameram quæstionis) unumquodque est per suum esse, unde si DEUS est alterum esse à suo esse, DEUS habet esse per alterum, & ita DEUS mendicabit ab extrinseco, & conveniet cum minoritate & privatione, & illud, quod est maximè remotum à rubeo, necessariò cadet sub rubeum, & conveniet cum minoritate.

24. Si autem aliqua propositio assumpta ad probationem conclusionis non fuerit de se manifesta, vertatur in quæstionem, & ex 27. terminis illius iterum fiant cameræ prædicto modo, & propositiones camerarum commisceantur, ût suprà dictum est, ut nihil relinquatur dubitabile, sed ut deveniamus ad propositiones per se notas.

25. Et nota, quòd cameræ non solùm possint fieri ex duobus terminis, sed etiam ex tribus aut quatuor; v. g. ex terminis prædictæ quæstionis possunt formari cameræ sic: [Deus Deus Deus] [Deus Deus esse] [Deus esse esse] [Deus esse alterum] [esse esse esse] [esse esse alterum] [esse alterum alterum] [alterum alterum alterum] per has igitur aut similes cameras possunt sumi aut inveniri propositiones, ut ex illis arguamus ad propositum; v. g. secundùm primam cameram potest formari talis propositio: Deus genuit Deum, Deus genitus est idem Deus cum Deo generante; secundùm secundam cameram sumitur talis propositio: Deus genitus non differt à Deo generante in esse; secundùm tertiam cameram sumitur talis propositio: esse in Deo non magis diversificatur à Deo, quàm Persona genita; ex quibus duabus propositionibus concluditur, quòd, quia genitus in Divinis est Deus, esse in Deo est Deus: sic igitur non solùm propositiones secundùm duos terminos sunt sumendæ aut inveniendæ, sed secundùm plures; & ideo diximus superiùs, quòd non solùm secundùm unum angulum vel terminum vel duos sit currendum, sed secundùm plures: nec solùm termini terminis sunt commiscendi, sed cameræ cameris sunt comparandæ, aut secundùm se totas, aut secundùm partes, aut tota parti vel partibus.

Et nota, quòd in omni propositione, quæ formatur ex commixtione, debes considerare, quid sit conveniens; v. g. si homo concordat cum illo in intellectuali operatione, sequitur, quòd illa, quæ conveniunt naturæ intellectuali secundùm se, conveniant etiam homini; si verò differunt in intellectuali operatione, differant etiam ab homine: quia unum habet operationem animæ sensualem tantùm, ût bos, aliud verò operationem intellectualem tantùm, ût Angelus, sequitur, quòd bos nihil habeat eorum, quæ conveniunt naturæ intellectuali, & Angelus nihil habeat eorum, quæ conveniunt naturæ sensuali, unde intellectualis est; & si videris, quid sequatur, semper applicandum est ad propositum, quantum erit possibile.

Item ex propositione alicujus cameræ inventâ seu acceptâ possunt iterum fieri cameræ ex terminis illius propositionis, & secundùm eas excogitari novæ propositiones, & iterum ex terminis novarum propositionum possunt fieri cameræ, & excogitari novæ propositiones secundùm illas, & sic in infinitum possumus habere occasionem dilatationis; v. g. secundùm hanc prædictam cameram [Deus Deus Deus] datur talis propositio: Deus genuit Deum, Deus genitus est idem Deus cum Deo generante: accipiamus igitur terminos hujus propositionis, & faciamus ex eis cameras secundùm prædictum modum, & erit una camera [generans generans], secundùm quam potest dari hæc propositio: Generans & Generatus in Divinis præcedunt omne esse creatum & principiatum, quia tam Generans, quàm Generatus, est Deus; & sequitur, quòd, cùm esse secundùm nostrum modum intelligendi in Divinis sit priùs generatione, sicut absolutum relatione, esse in Divinis non sit creatum, igitur convenit, quòd sit ipsa substantia DEI, aliàs necessariò esset creatum; nam forma, quæ non est suum esse, est

est principium ipsius esse in eo, in quo est: & iterum ex terminis nunc positis possunt fieri cameræ, & secundùm illas mediante T. inveniri novæ propositiones.

28. Similiter potest fieri de terminis alicujus propositionis inventæ & terminis alterius propositionis inventæ, scilicet ut ex eis simul commixtis fiant cameræ & propositiones, quæ fiunt secundùm illas.

29. Similiter etiam potest fieri de terminis propositionum inventarum & terminis quæstionis, & hoc est valde utile.

30. Hoc idem intellige de omnibus spectantibus ad terminos quæstionis, sive per modum concordantiæ, sive per modum oppositionis, sive per alium quemcunque modum.

31. Alius verò modus inquirendi est in sola imaginatione sinè materiali figura aut aliquo scripto, accipiendo cameras, secundùm quòd volumus, quæ casù nobis occurrunt, aut ordinatè procedendo, accipiendo cameram post cameram, & eodem modo faciendo, sicut si haberemus materialem Figuram, continuò ponendo triangulos, & respiciendo ad derivationes, ût dictum est, quousque occurrat propositum.

32. Universaliter circa omnes istos discursus observandum est hoc, quòd in ponendo triangulos, sicut incipimus à DEO & à triangulo livido, ita debemus conari reducere in DEUM illa, quæ dicuntur, ut recipiamus plus influentiæ ab A. per exaltationem & elevationem ipsius M., & per perfectionem ipsius E. in A.; v. g. ista camera [aër aqua] sic ponitur in triangulo livido: A. est Creator istius cameræ, & ista camera est ejus creatura, & A. operatur eam bonificando, magnificando, volendo &c., sinè motu bonitatis, magnitudinis, voluntatis &c., aliàs A. haberet concordantiam cum minoritate; aër verò operatur in aquam per concordantiam & contrarietatem, non tamen sinè motu, tempore & loco, per quod significatur, quòd A. sit nobilius & simplicius in operando, quàm aër & aqua: ex hoc exemplo collige, quòd, ad ponendum unum triangulum in camera, concurrant alii trianguli & termini aliarum figurarum propter duo, scilicet aut ad determinandum ipsos respectus angulorum, aut ad probandum probabilia, quæ dicuntur, quousque deveniatur ad immediata.

CAPUT XXIX.

De diversis Modis judicandi.

1. Licèt per Artem jam habitam possimus inquirere aliquam conclusionem, veruntamen quia illa Ars dat viam ad concludendam utramque partem quæstionis, ideo nunc restat, quòd tractemus de modo judicandi quæstionem inventam, ut sciamus, quæ pars quæstionis sit tenenda tanquam vera, aut quæ sit tenenda sub distinctione; nam non sufficit invenire plures rationes pro una parte quæstionis, ad hoc, ut judicetur vera, cùm possint adduci rationes tam pro falsa, quàm pro vera parte: veruntamen quia verum concordat cum A., Y. est multò magis demonstrabile, quantum est de se, quàm Z., quia si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Z. conveniret cum majoritate, & Y. cum minoritate; quod est impossibile.

2. Sciendum est igitur, quòd sint multi modi judicandi inventam conclusionem; unus quasi per subitam acceptionem veritatis, quæ de se est lucida & clara & manifestans ipsum Z.; *sicut enim virtuoso ineſt habitus inclinans ad rectè agendum quaſi ſubitò & ſinè diſcurſu rationis, ita exercitatis per hanc Artem ducentibus ſanctam vitam additur lumen ſapientiæ, per quod ſtatim ſcitur applicatio rationis aut rationum ad propoſitum, & eodem lumine demonſtratur, utrùm bene concludatur & verum concludatur, & quaſi ſimul occurrunt judicium veritatis & ratio veritatis.*

3. Alius modus judicandi est, ut videamus, utrùm accepta tanquam vera concordent cum omnibus triangulis & angulis, nam oppositum illius, quod verè concluditur cum uno triangulo, non potest demonstrari cum omnibus triangulis, nisi sophistico modo, sed potiùs confirmatur veritas concluſa ex eis; & si falsitas est concluſa, percipitur ex eis ab illo, qui bene scit commiscere triangulos; igitur secundùm quòd anguli magis inclinant ad unam partem, quàm ad aliam, convenit judicare sinè extorsione; *ſunt enim quidam, qui in H. exiſtentes & inordinatè procedentes, ad ſuam partem extorquent rationes, ſed iſti nunquam videbunt verum:* unde convenit esse in F.G. sinè H., quousque per verum judicium homo se ponat in E. vel in I.

4. Per nunc dictam regulam poterit homo efficaciter judicare; v. g. arguatur sic:

potestas divina ad plura se extendit, quàm sua voluntas, quia plura potest facere, quàm velit facere, ergò voluntas DEI non est sua potestas: si igitur vis scire, utrùm conclusio sit vera, poteris scire per alios triangulos; nam si potestas & voluntas DEI non sunt idem, aut erunt plures Dii, aut neutrum, scilicet nec potestas nec voluntas, aut alterum non est DEUS; & si hoc est, ergò DEUS operatur per extraneum à se ipso, & DEUS convenit cum minoritate, quia indiget extraneo vel altero à se ipso, & (quod est maximum) cadet in privationem, igitur DEUS, quem tu supponis sic se habentem, habet principium & finem, qui tamen inter hæc se deberet habere per abnegationem, ut scilicet nec haberet principium nec finem; & ideo DEUS secundùm te concordat cum eo, quod illi maximè opponitur, scilicet cum privatione & non esse, quæ quodammodo sunt in omnibus, quæ habent principium & finem vel esse limitatum: affirmando igitur, DEUM esse, non convenit dubitare, utrùm hoc sit verum, DEUM esse; sed secundùm hæc certitudinaliter convenit negare, ipsum esse, quia in quo deberet esse omnimoda unitas & identitas, in ipso ponis mixtionem alterius naturæ; & cùm substantia sit priùs, quàm accidens, in ipso ponis priùs & posteriùs; & cum quo convertitur unitas perfectionis, in ipso ponis perfectionem partitam & terminatam; & sic similiter ipsum concomitatur superius & inferius, ut simul naturâ sit supremum & infimum: unde cùm hæc omnia concordent cum inconvenienti, oppositum prædictæ conclusionis, ad quam hæc omnia sequuntur, concordat cum convenienti & vero & majoritate hujus cameræ E. A. V. Y.: igitur necesse est reperire defectum in prædicta ratione, per quam concludebantur illa falsa.

5. Sciendum est igitur, quòd non ex quacunque differentia aliquorum concludenda sit negativa unius de altero simpliciter, sed secundùm quid, ût quòd non sint idem secundùm modum significandi, aut concipiendi, aut considerandi, vel quòd non sint idem secundùm rationem aut secundùm aliquem alium modum, quod in proposito habet locum; nam potestas habet alium modum habitudinis ad possibile, & voluntas alium ad volitum, potestas enim simpliciter & absolutè refertur ad possibile, sed voluntas non absolutè refertur ad volitum, sed in habitudine ad alterum; nam quod volumus, alicui volumus, scilicet vel nobis vel alteri: unde secundùm rationem concipiendi actus volendi est magis contractus, quàm ipsum posse, licèt posse & velle in DEO realiter sint idem.

6. Simile est: DEUS scit omnia, quæ possunt prædicari, non tamen scit omnia prædicata in esse, sed quædam scit in esse, quædam in non esse; nam scire omnia, est scire sub habitudine ad objectum absolutè, sed scire omnia prædicata in esse, est scire sub habitudine ad aliud; & ideo hæc differentia realiter est ex parte objectorum, sed secundùm rationem ex parte divinorum Attributorum.

7. Item: actus volendi respicit determinationem suæ sapientiæ, ita, quòd voluntas se determinat sequendo ordinem sapientiæ, nam non vult nisi id, ad quod determinatur ex sua sapientia; quia objectum voluntatis est bonum intellectum & determinatum secundùm ordinem discretionis; potentia verò non respicit hanc determinationem: unde sicut in homine est una forma tantùm, scilicet anima, adhuc tamen, qui dicit hoc nomen animæ, non comprehendit totam formam, sed eam incomprehensam relinquit, quia non nominat eam, secundùm quòd facit, substantiam esse substantiam, nec secundùm quòd facit, corpus esse corpus, sed solùm secundùm quòd facit animatum, & secundùm quòd est principium activum vitæ, ita nec voluntas nec potentia comprehendit totam sapientiam DEI, sed solùm secundùm aliquas rationes, & eam incomprehensam relinquit: unde datâ prædictâ propositione ponamus, quòd forma, quæ est anima, vocetur A., secundùm quòd facit corpus & substantiam, & hæc eadem forma vocetur anima, secundùm quòd est principium activum vitæ; sicut ergò non sequitur, A. facit corpus & substantiam, & non anima, ergò A. non est anima, ita non sequitur, DEUS potest aliqua facere, quæ non vult facere, ergò potestas DEI non est sua voluntas.

8. Hoc idem etiam apparet in multis, quæ DEO attribuuntur, quòd, licèt in illis sit identitas, tamen propter jam dicta non omne, quod prædicatur de uno, prædicetur de alio; v. g. non similiter dicitur, Pater generat per Paternitatem, & Pater generat per Deitatem, cùm tamen Paternitas & Deitas realiter sint idem: similiter dicitur, DEUS

DEUS creat, non tamen ita propriè dicitur, Deitas creat: similiter dicitur, bonum movet voluntatem, & verum movet intellectum, non tamen è converso, & tamen bonum & verum convertuntur secundùm Aristotelem.

9. Ex exemplo, quod jam posuimus in exemplificando prædictum modum judicandi, intellige *hanc Regulam*, „ quòd in „ omni materia scienti hanc Artem conve„ nit ponere omnes triangulos propriè aut „ similitudinariè, affirmativè vel negativè, „ imò nulla oratio potest proferri, nisi plu- 13. „ res trianguli per illam importentur; v. g. si dicitur, homo currit, quid aliud est dicere, nisi quòd cursus conveniat homini: igitur sicut in hac oratione est affirmatio, quæ est angulus niger, ita in illa est angulus concordantiæ, licèt non exprimatur cum oratione, nam infallibiliter se concomitantur triangulus niger & viridis; & ideo, quod apud alios dicitur, *hoc est*, vel *hoc non est*, hoc in hac Arte sic profertur: *hoc convenit cum hoc, vel hoc disconvenit cum hoc.* Item cùm dicitur, homo currit, quid aliud est dicere, quàm quòd homo eliciat talem *operationem*, in qua manifestè apparet, quòd homo sit *principium* talis operationis: igitur in omni dicto ponuntur trianguli hujus Artis, licèt non exprimantur sub suis propriis vocabulis; & licèt in hac Arte frequentiùs exprimantur, non tamen semper exprimuntur, per eos tamen tractatur, quidquid tractatur in hac Arte.

10. Item intellige, quòd omnes anguli affirment veritatem inventam demonstrativè, & ex oppositio conclusionis deducendo ad impossibilia per omnes angulos, aut saltem alio modo.

11. Tertius modus judicandi est, quòd examinetur inventum per secundas Figuras illo modo, quo superiùs dixi, ubi ostendi utilitatem secundarum Figurarum.

12. Quartus modus judicandi est, quòd, licèt veritas nullo modo debeat contradicere terminis aliarum Figurarum hujus Artis, præcipuè tamen hoc debeat observari, quòd non contradicat his cameris [E. A. V. Y.] [I. V. Z.], sed cum eis concordet, & ejus oppositum cum oppositis harum cameratum [I. A. V. Y.] [E. V. Z.]; quia primæ duæ cameræ concordant cum finali intentione hujus Artis, & aliæ duæ repugnant illi: *unde sicut expertus Medicus scit omnem medicinam referre ad sanitatem aut infirmitatem, quæ se habet per modum finis in Medicina, ita Artifex expertus in hac Arte scit omnia scibilia reducere ad prædictas cameras; omnia enim repræsentant ipsum A., aut per modum similitudinis, aut per modum dissimilitudinis, unde in omnibus ipsum S. potest formare E. vel I.*; & quomodo hoc fiat, satis facilè est videre in quibusdam, & valde difficilè in aliis, imò in quibusdam est impossibile, quantum est ex nostra parte, possibile tamen est, quantum ex parte rei; *quia intellectus noster se habet ad manifesta naturæ, sicut oculus noctuæ ad claram lucem solis.*

In omnibus tamen, quantum nobis est possibile, convenit concordare nostrum propositum cum prædictis cameris, quia sinè dubio, secundùm quòd aliquid magis concordat cum eis, secundùm hoc se habet ad veritatem, aliàs privatio concordaret cum majoritate, & esse cum minoritate; quod est impossibile & contra finalem intentionem A.: & voco cameram [E. A. V. Y.] & cameras concordantes cum significatis istarum literarum, sive sint cameræ contentæ in figuris earum, sive sint aliæ similes, quæ possunt reduci ad concordantiam earum; v. g. *esse* non est in Figura A., sed tamen concordat cum A.: si igitur aliquid est, quod concordat cum esse ipsius A., dicetur concordare cum ista camera [E. A. V. Y.], & sic de aliis similibus istis.

CAPUT XXX.

Quomodo possit cognosci, quæ Pars Quæstionis disconveniat Majoritati? & de Modo faciendi universalem Figuram.

1. Circa majorem concordantiam cum ista camera [E. A. V. Y.] contingit nos decipi, unde convenit scire modum, quo inter duo convenientia aut plura sciamus eligere illud, quod est maximè conveniens, quia illud, quod est minùs conveniens, convenit cum privatione propter illud, quod est magis conveniens, quod tamen primo aspectu, antequam percipiatur, potest putari magis conveniens, & concordare cum esse; v. g. si homo esset æqualis naturæ cum Angelis, haberet majus E. respectu ipsius A., ergò DEUS debuit hoc fecisse, scilicet quòd homo esset nobilioris naturæ; sed majus bonum reformat minus, scilicet ordo universi, qui hoc non permittit: item si omnes partes mundi fuissent ab æterno, bonitas DEI fuisset magis participativa; sed majus

jus bonum reformat minus, scilicet major manifestatio divinæ virtutis, quæ maximè manifestatur per hoc, quòd DEUS solus existens ab æterno fecit mundum post non esse nullâ præsuppositâ materiâ: unde ad evitandam talem deceptionem observa *tres Regulas*.

2. *Prima* Regula est, *quòd aliquid dicatur esse conveniens in inferiori, secundùm quòd permittit suum superius aut majus, quia inferiora debent regulari secundùm sua superiora, & non è converso*; unde caveas, ne dicas, aliquid simpliciter alicui convenire, antequam consideres, utrùm illud, de quo aliquid vis affirmare tanquam conveniens, habeat superius; & si inveneris, quòd habeat superius, considera concordantias ejus & totam naturam ejus, per omnes triangulos inquirendo, utrùm aliquid sit, quod repugnet affirmationi illius convenientis de superiori; quia si affirmatio non potest stare sinè inconvenienti in superiori, convenit affirmare oppositum: ût, non debemus dicere, quòd homo debeat esse æqualis Angelis, quia periret ordo universi, quod est majus bonum.

3. *Secunda* Regula est, *quòd prætermittitur, quod deberet accidere secundùm causas medias propter ordinem causæ superioris*; v. g. Ezechiæ Regi Judæ dictum est ab Isaia: morieris tu, & non vives, & egressus Isaias statim rediit ex præcepto Domini, & dixit illi, quòd non morietur; sed primum erat verum secundùm dispositionem causarum naturalium, secundum erat verum secundùm supernaturalem dispositionem DEI: etiam Moyses, qui occidit Ægyptiacum, erat dignus morte secundùm leges humanas, sed erat reservandus secundùm legem DEI, qui eum ordinaverat ad majora: unde non solùm respiciendum est ad dispositionem superiorum, sed etiam supremi.

4. *Tertia* Regula est, *quòd illud, quod videtur esse conveniens secundùm unam cameram, etiam Figuræ DEI, in comparatione ad aliam cameram non est conveniens*; v. g. quòd mundus fuerit citiùs, vel ab æterno, videtur consonare divinæ bonitati, quæ nescit tarda molimina in sua communicatione; sed obstat finis & intentio, quam habuit ad se & ad suam virtutem, nam propter se ipsum, scilicet propter suam libertatem, se communicavit, & ad manifestandam suam virtutem, quâ manifestatâ sequitur major communicatio illius, quia sequitur majoritas hujus cameræ [E. A. V. Y.]: unde quia cameræ ipsius A. sibi ipsis non repugnant secundùm rem, sicut nec concordantiæ alicujus rei, quia nihil repugnat sibi ipsi, ideo ita judicandum est secundùm unam cameram, ut non præjudicetur alteri: quòd si ex diversis cameris videantur sequi opposita mediatè vel immediatè, alterum est prætermittendum, scilicet illud, quod minùs concordat cum prædicta camera [E. A. V. Y.], & alterum acceptandum, sicut patet in exemplo nunc ultimò dicto: aut si utrumque æqualiter concordat cum prædicta camera, tunc videntur esse opposita, & tamen non sunt, sicut: ex sapientia DEI sequitur prædestinatio, & ex justitia liberum arbitrium, liberum arbitrium autem videtur opponi prædestinationi, & tamen non est ita; nam sicut aliquis liberè facit actus meritorios, ita liberè venit ad effectum prædestinationis, quia ipsum mereri, quod quilibet dicit liberè factum, est quidam effectus prædestinationis: unde sicut iste effectus prædestinationis cadit sub liberum arbitrium, ita etiam ultimus effectus illius, scilicet beatitudo, cadit sub nostram libertatem, nam continuè merendo non deficiemus à beatitudine, sicut artifex continuè dolando tandem inducit formam, quorum utrumque est voluntarium, scilicet sicut dolatio, ita & inductio formæ: igitur liberum arbitrium & prædestinatio opponuntur immediatè, ût videtur secundùm acceptionem rationis, sed necesse est, ea concordare mediante justitiâ & sapientiâ DEI, quæ realiter concordant; ergò in camera [rationis immediatè] opponuntur, & in camera [sapientiæ justitiæ, realitatis mediatè] concordant.

5. Unde in talibus convenit uti tali distinctione; universaliter autem, *quæcunque magis exaltant E. in A., illa debent concedi, & eorum opposita negari*, alioquin A. non esset sufficiens objectum ipsi E.; & ideo convenit approbare illam Fidem, quæ altiora de DEO prædicat, modò inde non sequatur aliqua impossibilitas.

6. Item nota, quòd universaliter loquendo citiùs debeat concedi affirmativa, quàm negativa, & negativa non debeat concedi, nisi impossibilia vel inconvenientia faciant, quòd negetur affirmativa; quia affirmativa universaliter loquendo convenit cum majoritate, & negativa cum minoritate, nisi sit ratione alicujus affirmationis.

CAPUT

CAPUT XXXI.

De Modo scribendi in hac Arte, & de Expositione Terminorum universalis Figuræ.

1. INventâ conclusione, & per certum judicium electâ parte, convenit adductas rationes scribere secundùm modum hujus Artis, scilicet per cameras & terminos hujus Artis; sed quia termini hujus Artis significantur per literas alphabeti, & hæc Ars habet specialem modum scribendi, ut sub brevibus multa possit capere, ideo nunc tractabimus de modo scribendi in hac Arte.

2. Sciendum est igitur, quòd modus scribendi in hac Arte sit talis, quòd termini S. scribantur sinè signo, & non signum sit eis pro signo; termini A. scribuntur cum supraposito signo unitatis; termini primi T. cum signo dualitatis; termini secundi T. cum puncto; termini V. cum signo ternarii; termini X. cum signo quaternarii; termini Figuræ Theologiæ cum signo quinarii; termini Figuræ Philosophiæ cum signo sexenarii; termini Figuræ Juris cum signo septenarii; termini verò Figuræ Influentiæ cum duplici puncto; v. g. B.B.B.B.B.B.B.B.B.B. Primum B. sinè signo significat Memoriam, secundum B. cum signo unitatis significat Bonitatem, tertium B. cum signo dualitatis significat Creaturam, quartum B. cum puncto significat Speciem, quintum B. cum signo ternarii significat Fidem, sextum B. cum signo quaternarii significat Prædestinationem, septimum B. cum signo quinarii significat Essentiam, octavum B. cum signo sexenari significat primam Causam, nonum B. cum signo septenarii significat Formam, decimum B. cum duobus punctis significat Dispositionem.

3. In qualibet Figura, excepto primo T., in quo DEUS significatur per A., & exceptâ Figurâ Influentiæ, in quâ Influentia significatur per A., & excepto secundo T., in quo Modus significatur per A., prima camera significatur per B., secunda per C., tertia per D., & sic deinceps, ût patet intuenti Figuras.

4. Unde Figura Universalis, in qua solùm ponuntur literæ alphabeti in superioribus circulis, comprehendit omnes Figuras, ita, quòd per quemlibet circulum continentem sedecim literas alphabeti, scilicet omnes literas ab ipso B. usque ad R., possit intelligi quælibet Figura de istis nominatis, vel Figura A., vel Figura T., vel quæcunque alia; veruntamen propter hoc sunt quatuor circuli continentes illas sedecim literas, ut per unum intelligamus cameras unius T., & per alium illi proximum Figuram alterius T., & per alios duos quascunque alias Figuras; aut possumus per duos circulos quoscunque de illis quatuor intelligere unam Figuram duplicatam quamcunque, non solùm per comparationem unius cameræ ad alteram ejusdè Figuræ, sed per comparationem ejusdem termini ad se ipsum; quia multùm est utile in hac Arte aliquando duplicare terminos supra se ipsos; nam homo ducitur in majorem cognitionem, cùm considerat principium principii, aut finem finîs, id est, ultimum finem, aut majus majori dato, quàm si simpliciter consideret principium, finem aut majoritatem.

5. Quintus circulus continet Titulos Figurarum hujus Artis, quæ titulos habent, scilicet A. non signatum, quod repræsentat Figuram DEI, S. non signatum, quod repræsentat Figuram Animæ, T. non signatum, quod repræsentat Figuram primi T., V. non signatum, quod repræsentat Figuram Virtutum & Vitiorum; continet etiam X. Y. Z. non signata, & A. signatum, quod repræsentat Figuram Influentiæ, & S. signatum, quod repræsentat Figuram Derivationum, & T. signatum, quod repræsentat Figuram secundi T., & V. signatum, quod repræsentat Figuram Juris, & X. signatum, quod repræsentat Figuram Theologiæ, & Y. signatum, quod repræsentat Figuram Finium, & Z. signatum, quod repræsentat Figuram Philosophiæ. Sextus circulus continet eadem propter diversas commixtiones. Septimus & octavus circulus continent Elementa duplicata propter eandem causam. Nonus & decimus repræsentant Derivationes duplicatas propter eandem causam, ita, quòd *re* significat verba activa, ût bonificare, magnificare; *ri* significat verba passiva vel deponentia, ût bonificari, magnificari, vel neutralia derivata à terminis Figurarum; *ans* vel *us* significat participia eorundum, sonantia actum aut potentialitatem, ût bonificativus vel bonificans; *le*, *tus* significant passiva correspondentia activis participiis, ût bonificabile, bonificatus; *nus* significat concreta, ût bonus; *do* significat abstracta, ût magnitudo; *ne*, *er* significant adverbia, ût be-

ne sapienter; *in*, *præ*, *de* significant compositiones terminorum, ût injustitia, desperatio, prædestinatio; hoc autem fit, non quòd hæ propositiones tantùm veniant in compositionem terminorum, sed ut per has discurrens deducatur ad cognoscendum & memorandum de cæteris similibus, in quorum memoriam homo faciliùs deducitur considerando literas alphabeti, quæ continentur in circulis hujus Figuræ; nam quæ veniunt in compositionem, necessariò incipiunt per aliquam consonantem, ût per D. vel C. vel aliquam talium, vel per aliquam vocalem: consideretur igitur nunc ista litera consonans cum tali vocali, nunc illa cum illa, nunc illa vocalis per se, ut sic occurrant diversæ compositiones, ex quarum aliqua possit deveniri ad propositum; nec illa, quæ derivantur à principalibus terminis, terminantur solùm secundùm modum dictionum positarum in his duobus circulis, sed ut ex eis quilibet habeat occasionem cogitandi de aliis. Undecimus & duodecimus circulus continet Figuram Finalem duplicatam. Intimus & ultimus circulus verò continet duos triangulos cum secunda Figura Influentiæ.

6. Fit autem Universalis Figura ex aliqua materia, quæ non libenter tendit ad obliquitatem, nisi ex violentia, sed semper manet in sua rectitudine, ût ex cupro, aut argento, aut aliâ tali materiâ, in qua Figura debent esse isti prædicti tredecim circuli, & quilibet circulus habet suum proprium orificium & suum fundamentum, ita, quòd possit includere alium circulum se immediatè minorem, & orificium sit tantæ latitudinis ubique æqualis, quòd in illo possint capi suæ cameræ satis competentis grossitudinis, & semper una linea sculpta aut protracta distinguat unam cameram ab altera, & circulus ultimus nullum habet orificium ad capiendum alium intra se, sed tantùm in medio ejus est unus clavus fixus pertransiens omnes fundos circulorum, ita, quòd non possint separari, circa quem omnes circuli possunt circumvolvi, quilibet per se sinè alio, ad faciendas diversas & diversas combinationes & cameras, in quibus discurrens debet quærere suum propositum: cùm autem omnes circuli fuerint conjuncti, ita se debent habere orificia, quòd nullum elevetur supra alterum, sed omnia debent consurgere in æqualem altitudinem; & isto modo fit Figura Universalis demonstrativa materialis, quæ habeat tam parum crassitudinis, quantum potest, manente debitâ rigiditate & fortitudine circulorum, ne nimis rudis appareat.

7. Postquam vidimus, quomodo eædem literæ per prædicta signa possunt contrahi ad diversas Figuras, debemus considerare, super quos terminos maximè decurrat ratio, quam excogitamus, vel audimus, vel videmus in scriptis, & de illis accipere duos vel tres, & illos præcipuè, qui non ponuntur in quæstione, & ex illis facere unam cameram; v. g. ostenditur, quòd distinctio rerum non solùm sit per diversitatem causarũ secundarũ sic: quia si illæ diversæ causæ cadant sub unum ordinem, aliquid unum erit causa illius ordinis, nam multa non uniuntur, nisi per unum, quia diversa non sunt causa unius; igitur erit una causa illius ordinis, & per consequens distinctionis rerum: si verò non sunt ordinatæ invicem, concursus earum ad producendam diversitatem rerum erit per accidens, & illa distinctio rerum erit casualis. In ista ratione præcipuè demonstratur propositum per ordinationem & inordinationem, quæ opponitur ordini; & ideo ista ratio deducitur ad hos terminos C. F., C. enim cum suo signo significat ordinationem, & F. cum suo signo significat oppositum: si tamen ratio ita principaliter currit super alios terminos, sicut super terminos triangulares, illi potiùs sunt eligendi; nam per hæc signa potest cognosci, super quos triangulos decurrat ratio, L. enim superpositum cameræ significat triangulum lividum, V. viridem, R. rubeum, C. croceum, N. nigrum; & quælibet harum literarum cum puncto sibi infrapositio significat suum semitriangulum, & cum duobus punctis suprapositis utrumque, scilicet triangulum & semitriangulum sic: L̈.V̈.R̈.C̈.N̈. Pro omnibus verò triangulis simul ponitur cifra sic: o., hæc enim sunt signa omnium triangulorum & etiam semitriangulorum, qui ideo vocantur semitrianguli, quia in primis triangulis continentur tanquam particularia in suis universalibus, & ideo in sua Figura non habent perfectè colores triangulorum, ût patet intuenti illam.

8. Quando verò termini ponantur non in propriis significationibus, sed pro suo concordanti, cognoscitur per gibbum in latere cameræ positum ex parte illius termini, qui impropriè stat, ût hìc [⌐ Ė. F.] id est, similitudo formæ: si verò uterque impropriè stat, ex utraque parte stat gibbus, ût hìc [⌐ Ė. F.¬] id est, similitudo in Figura: si verò duo termini aliquid unum circumscribunt, vel unus sit adjectivum alterius, debent conjungi, ut sit una syllaba, sic [I̊I] id est, ultimus finis, ût hìc [F̊I] id est, contrarius finis: quando autem termini disjunguntur puncto interposito, significatur, quòd termini debeant referri ad diversa, ût hìc [F̊.I̊] significatur enim, quòd debeamus respicere ad contrarium alicujus, & ad finem ejusdem vel alterius: linea verò protracta in latere superiùs versùs terminos, significat, quòd terminus, ex cujus parte protrahitur linea, ponatur pro suo contrario, ût hìc [C̊I̊−] id est, motus infinitus, vel sic [−C̊I̊] id est, immutabilitas finîs, vel sic [−C̊I̊−] id est, immutabilitas infinita: si verò de eadem linea fiat crux, significat, quòd terminus stet pro aliqua sua specie, in quam dividitur, ût hìc [†C̊M̊†] id est, alteratio in accidente: si verò linea protrahitur inferiùs versùs terminos, demonstrat consequens ex opposita parte conclusionis; v. g. si mundus est æternus, sequitur [SI̊_] id est, infinitas animarum: si verò crux fit ex illa linea, significat consequens termini sibi proximi, ût hìc [G̊C̊⊥] id est, principiũ temporis, successionis vel loci.

9. Et quia loci dialectici multum valent ad inquirendum propositum, qui etiam per terminos hujus Artis satis congruè possunt significari, ût per majoritatem locus à majori, per contrarium locus à contrario sensu, ideo linea protracta versùs terminos in inferiori parte cameræ sub termino significat, quòd terminus denominet locum sibi convenientem, ût hìc [K̊.M̊] id est, locus à majori, & locus à minori: si verò linea protrahitur in superiori parte cameræ versùs terminos, significat, quòd terminus sibi proximus stet pro aliqua suarum derivationum, ût hìc [G̊I̊] id est, principium finitum.

4. Veruntamen quia quælibet camera potest deduci ad infinitas rationes, non solùm convenit stare in his significationibus, sed acquisitis rationibus, in quas deducunt prædicta signa, ex eisdem cameris possunt inveniri aliæ positiones & rationes; vel si eædem cameræ applicentur ad aliam quæstionem sinè illis signis, poterimus invenire rationes ad propositum, & alio modo ponere triangulos, & in aliis significatis accipere terminos & cameras.

CAPUT XXXII.

De universali Cognitione eorum, quæ per Terminos aut Cameras hujus Artis dantur intelligi.

1. Licèt hæc prædicta signa deducant in aliqualem significationem terminorum aut camerarum hujus Artis, tamen non deducunt in completam cognitionem eorum, quæ per terminos aut cameras hujus Artis scriptas aut alio modo repræsentatas dantur intelligi, ut ex eis sufficienter possimus devenire ad solutiones aut rationes ad propositam quæstionem; & ideo ad habendam hanc cognitionem magis completam convenit quædam superaddere, quæ multum valent discurrenti per cameras.

2. Sciendum est igitur generaliter, quòd terminus aliquando stet pro suo opposito, licèt prædictum signum illi non adjungatur, maximè quando F. cum signo dualitatis significat oppositionem, si illi adjungatur, ût hìc [F̊I̊] id est, infinitum; idem etiam illi convenit, si ly F. non apponatur, sed ponatur prædictum signum in latere cameræ, videlicet linea protracta superiùs in latere versùs terminum, ût hìc [C̊I̊−] id est, motus infinitus vel immutabilis & interminabilis vel imprivabilis, vel ingenerabilis vel inalterabilis & incorruptibilis: quandoque termini stant in propriis significationibus, ût hìc [C̊I̊] id est, motus finitus vel motus ad finem vel generationis vel alterationis finîs, vel moventis finîs, vel generationis & generantis finîs.

3. Aliquando verò termini stant pro suis effectibus, aliquando pro principiis, aliquando pro operationibus, & similiter aliis modis stant & significant diversimodè secundùm diversitatem triangulorum; quando autem termini significent sic aut sic, poterit scire diligens inquisitor per applicationem ad terminos quæstionis.

4. Camera autem, quæ continet eundem terminum duplicatum, potest plura significare, ût [bonita bonitas] scilicet aut quòd terminus primò positus significet essentiam rei significatæ, & secundò positus operationem, aut quòd ad derivata termini respiciendum sit.

5. Derivata autem voco à termino, quæ-

cunque à tali termino veniunt vel per compositionem vel declinationem vel alio quocunque modo; aut idem terminus duplicatus significat illa, quæ considerandа sunt diversa, quæ conveniunt in nomine termini, aut quòd considerandа est res significata per terminum, & ea, quæ ad ipsam pertinent, aut quòd terminus diversis est commiscendus; quandoque tamen convenit hæc omnia considerare sinè duplicatione termini, & supponuntur significari; quandoque etiam terminus duplicatus in camera significat duplicationem in toto, ût [B. B.] duplex S.; aliquando significat duplicationem in partibus, ût [C. C.] imaginativam & æstimativam; quandoque partem & totum; quan-10. doque duplicationem in consimilibus, ût [B. B.] possunt significare imaginativam & intellectivam, quæ ita se habent ad invicem, sicut memoria sensitiva & intellectiva,

6. Idem terminus duplicatus significat etiam multa alia, quæ hic non determinantur, sed per triangulos poterit inveniri, quid 11. significet; hoc autem convenit propter brevitatem Artis, quæ ideo est inventa, ut ex paucis discamus venire ad considerationem & cognitionem multorum.

7. Et nota, quòd Regulæ legendi secundùm hanc Artem etiam sint Regulæ discurrendi, & è converso per Regulas discurren- 12. di possunt haberi modi legendi solutiones aut rationes positas per solas cameras sinè expositione in scriptis secundùm hanc Artem.

8. Quando autem multi termini ponuntur in eadem camera pro solutione, quidam ponuntur, ut ex eis eliciantur rationes ad quæstionem principalem, quidam autem ponuntur ad inveniendam probationem eorum, quæ assumuntur ad probationem principalis quæstionis, vel ad defendendum ea, quæ possunt objici, quod præcipuè percipere convenit, quando ponuntur in impari (in pari) numero, licèt non solùm tunc contingat hoc nec semper; & hoc idem convenit intelligere de multitudine camerarum.

9 Notandum est, quòd, quando aliqua litera, quæ significat unam totam Figuram, ût X. aut V., aut aliqua talis litera ponitur in scriptis hujus Artis pro solutione aut aliqua responsione, non denotetur tota Figura, sed aliqua camera aut aliquæ cameræ talis Figuræ; quia sicut illa litera significat to- 13. tam Figuram, ita potest significare quamlibet partem Figuræ; pro qua camera autem stet, potest haberi ex antecedentibus aut consequentibus in solutione, aliter enim non debet poni in solutione; v.g. si quæritur: *utrùm veritas sit magìs suadibilis, an falsitas?* respondetur sic per istam Artem: [Y.Z.][E.A.Y.][I.V.Z.][E.V.Z.][I.A.V.Y.][X.X.] quæ sic exponuntur: Y. habet concordantiam cum esse & perfectione, quæ sunt partes ipsius X., & Z. habet concordantiam cum privatione & defectu, quæ sunt partes ipsius X.; & ideo Z. habet minus de demonstrativitate naturaliter, quàm Y., maximè cùm defectus & privatio, cum qua Z. suasivè concordat, importetur per istas cameras [I.A.V.Y.][E.V.Z.], & perfectio, cum qua concordat Y., importetur per istas cameras [E.A.V.Y.][I.V.Z.], quas DEUS omnia ostendens dirigit.

Ex isto collige aliud documentum, quòd, quando aliquis angulus ipsius T. habet determinari per terminos alicujus Figuræ, illa Figura debeat significari in solutione, ût hic angulus concordantiæ determinatur per cameras ipsius X., & ideo X. ponitur in prædicta solutione.

Iterum collige aliud, quòd in discurrendo sæpiùs conveniat respondere super eundem terminum, & maximè in T., non solùm ut sumatur in diversa significatione aut secundùm aliquam diversitatem, sed etiam uniformiter, sicut angulus concordantiæ sæpiùs sumitur in prædicta solutione.

Iterum collige, quòd plures cameræ quandoque innuant unam solutionem; unde convenit comparare cameram ad cameram secundùm T., & non solùm ad terminos quæstionis: aliquando etiam convenit unam partem cameræ & non totam comparare diversimodè aut uniformiter ad ea, quæ consequuntur ad cameram; v.g. sit quæstio: *utrùm divinum esse possit demonstrari per additionem alicujus differentiæ substantialis, sicut generi superadditur differentia?* & respondetur per has cameras [differentia essentia] [essentia prius posterius], quia differentia, quæ diversificat, dat esse speciei, & non generi; & ideo cùm sit de essentia posterioris, non tamen est de essentia prioris, cujus oppositum accidit, si DEO aliquid superaddatur per modum differentiæ, nam illa differentia dabit esse, sed illud esse est DEUS, quia DEUS est suum esse, ergò DEUS est suum esse: igitur quod superadditur est de essentia prioris.

Aliquando verò convenit unam partem cameræ comparare ad unam partem cameræ sequentis, & aliam partem ad aliam; v.g. sit quæstio: *utrùm DEUS sit formale esse omnium?* & respondetur per has cameras [esse minoritas]

ritas] [esse esse] id est, cùm sit duplex esse formale, scilicet esse accidentis & esse substantiæ, neutrum convenit DEO, quia ipse est suum esse, quod non convenit accidenti, quod convenit cum minoritate, neque illi, quod habet essentiam creatam, nam licèt habeat essentiam, tamen non est suum esse.

14. Aliquando convenit unam cameram comparare ad unum terminum quæstionis, & postea convenit eandem cameram comparare ad totam quæstionem; v.g. sit quæstio: *utrùm DEUS sit in genere?* & solvitur per hanc cameram [esse essentiæ], quia esse DEI est sua essentia; si autem DEUS esset in genere, esset in eo per essentiam, & non per esse, sicut convenit de omnibus aliis collocatis in genere, aliàs ens esset genus: si verò DEUS esset in genere per essentiam, & non per esse, differret in eo per essentiam, & non per esse, quod est contra primam comparationem prædictæ cameræ.

15. In pluribus verò locis reperitur, quòd quælibet camera significet diversam rationem, & nihilominus omnes vel plures cameræ simul innuunt unâ rationem; sicut ex jam dicta solutione satis apparet, videlicet ex solutione data ad illam quæstionem, *utrùm veritas sit magìs suadibilis, an falsitas?* nam licèt ibi ex omnibus cameris extraxerimus unam rationẽ, tamen ex qualibet posset formari singularis ratio aut plures rationes.

16. Collige, quòd in solutione quæstionum per cameras omnes cameræ subsequentes habeant ordinem ad primam, vel per contrarietatem, vel per concordantiam; quia sicut est in prædicta solutione, videlicet ad illam quæstionem: *utrùm veritas sit magìs suadibilis &c.?* sic est in omnibus aliis debito modo ordinatis.

17. Nota, quòd, sicut ex illo modo solvendi prædictam quæstionem tibi dedi multa documenta, ita ex qualibet alia debeas conari elicere aliquod generale documentum.

18. Item convenit considerare, quòd termini positi in camera aliquando sequantur ex altera parte quæstionis datâ sub conditione, ex quibus statim innuitur conveniens vel inconveniens, aut ducendum est ad conveniens vel inconveniens; v. g. sit quæstio: *utrùm mundus sit æternus?* ad ipsum esse æternum sequitur ista camera [C i −] id est, motum infinitum fuisse, in quo per applicationem ad terminos quæstionis sequitur inconveniens, scilicet quòd aliqua pars mundi æterna pertransierit infinitum, & ita infinitum esset pertransitum; & ulteriùs per applicationem ad rubeum, infinitum esset finitum: aliud exemplum, quod sequitur, est ista camera [S i −] id est, animas esse infinitas: & ita per applicationem ad croceum posset infinito aliquid addi, cùm numero animarum semper aliquid addatur.

19. Aliquando verò ex terminis positis sequitur altera pars quæstionis, ût per hanc cameram [⌜ C B ⌝] potest concludi, quòd mundus non sit æternus, applicando ad triangulos sic: finis operationis DEI est manifestatio divinæ bonitatis, bonitas autem ejus maximè manifestatur per hoc, quòd mundus non sit æternus; sic enim patet, quòd omnia ab illo habeant esse, & quòd ejus virtus sit infinita.

CAPUT XXXIII.

De Modo largè accipiendi Terminos hujus Artis.

1. UT autem deveniamus ad talem cognitionem eorum, quæ significantur per terminos, necesse est dilatare considerationem intellectûs, ut videlicet non solùm respiciamus ad terminos in se, sed etiam ad omnia ea, quorum occasionem dant considerandi, & ad eorum derivationes; v.g. quando fit mentio de DEO, jam poteris deduci in considerationem Unitatis, Dignitatum & Essentiæ: considerando autem Unitatem poteris deduci in considerationem pluralitatis, & per consequens numeri: & comparando Unitatem ad Essentiam, jam poteris deduci ad considerandam naturam transcendentium omne genus, quia Unitas, quæ est in DEO, est idem, quod est Essentia; unde non potest esse unitas, quæ est de genere accidentis, quæ est principium numeri, qui est in genere quantitatis: *unde si fueris diligens inquisitor, ex qualibet camera occurret tibi consideratio infinitorum, quorum aliquod ex se vel ex sua derivatione te deducet ad cognitionem illius, quod desideras:* igitur hæc Ars propter suam compendiositatem non solùm potest sumere terminum pro suo proprio significato, sed etiam pro iis, in quorum cognitionem deducit, sicut minoritatem non solùm pro ipsa minoritate, sed pro accidente, secundùm quòd res sæpiùs magìs & minùs suscipiunt.

2. Primò tamen convenit considerare propria significata, ut ex eis aliquid eliciatur cum commixtione triangulorum; quòd si

nihil occurrit ad ea, in quorum cognitionē deducunt, recurre etiam ad derivationes eorum tam in triangulis, quàm in terminis cameræ, priùs tamen in terminis cameræ.

3. Nec solùm debes considerare illud, quod propriè intelligitur per terminum, sed etiam quod concordat cum illo, sicut per [O] non solùm accipitur demonstratio, sed manifestatio, illuminatio & similia, nam demonstrantis est manifestare & illuminare: & simili modo dilatetur intelligere discurrentis per hanc Artem in omnibus aliis terminis, ut in singulis terminis multa consideret, nullum terminum ita strictè sumendo, ut solùm proprium significatum termini consideret, sed etiam derivationes terminorum, quæ concordant cum propriis terminis, sicut & propriorum terminorum; v. g. sicut non solùm consideramus demonstrationem, sed demonstrare, demonstrativum, demonstrans, demonstrabile & cætera talia, ita consideretur non solùm manifestatio, sed manifestare, manifestativum, manifestans, manifestabile, & sic de omnibus aliis terminis; sufficit enim tibi habere exemplum in uno termino aut in una camera, ut simili modo intelligas in omnibus aliis cameris & terminis hujus Artis.

4. Quæ autem præcipuè concordent cum terminis hujus Artis, poteris videre *in Capite*, quod intitulatur *de Augmento*, *posito post finem hujus Libri*, quod sic intitulatur, quia sicut aliquibus terminis hujus Artis addemus quosdam terminos concordantes, ita & tu continuè poteris addere, secundùm quòd tibi occurrent, inspiciendo Libros cujuscunque Scientiæ; *nulla enim Scientia tractat aliquid nisi per hanc Artem, aut per terminos hujus Artis, aut reducibiles ad eos, aut recordabiles per eos.*

CAPUT XXXIV.

De Modo addiscendi Practicam hujus Artis.

1. ADdiscendo quascunque Scientias poteris videre practicam hujus Artis; v. g. in Theologia invenitur hæc conclusio determinata; DEUS est sua potentia, propter hanc rationem, quia in rebus, quæ non sunt suæ potentiæ, potentia est de genere accidentis; & ideo potentia naturalis collocatur in secunda specie qualitatis, in DEO autem non est accidens, ergò DEUS est sua potentia: considera igitur, quòd hæc ratio per nostram Artem concludat, quia DEUS & potentia habent comparationem ad triangulum croceum: nam quidquid DEO convenit, convenit cum majoritate, potentia autem, quæ non est substantia rei, convenit cum minoritate, unde hæc ratio reducitur ad hanc cameram [A Ī], quæ camera mixta cùm triangulo croceo, ût jam dixi, deducit in prædictam rationem: si autem aliquis dicat, quòd in prædicta ratione Theologiæ non fiat mentio de majoritate & minoritate, dicendum est, quòd fiat mentio de DEO, qui convenit cum majoritate, & de accidente, quod convenit cum minoritate, & hoc sufficit ad ostendendum propositum per exemplum, *scilicet, quòd, sicut prædicta ratio reducitur ad nostram Artem, ita etiam omnis ratio, quæ fit aut potest fieri, imò omne, quod fit aut potest fieri, quod est aut potest esse, in hac Arte reluceat tanquam in speculo, in quo apparet species divinæ Scientiæ.*

2. „ Igitur in omnibus rationibus consi-
„ dera, si poteris invenire hanc Artem, &
„ invenies utique, si diligens inquisitor fue-
„ ris, & sic addisces practicam hujus Artis
„ & miram utilitatem, si ad cameras hujus
„ Artis deduxeris rationes, quascunque in-
„ veneris; hoc enim faciens poteris te exer-
„ cere ad videndum plura in paucis, compa-
„ rando omnem cameram ad angulos, &
„ miscendo cameras cum angulis, & etiam
„ angulos invicem cum terminis quæstionis
„ propositæ, & ex eorum derivationibus in-
„ finita occurrent, & quidquid quæris, præ-
„ cipuè si principia hujus Artis accipiantur
„ in lata significatione, & non solùm in pro-
„ pria, *sicut infinita genera miscibilium proveniunt tantùm ex quatuor elementis secundùm diversum modum commiscendi.*

3. Per quem modum autem conveniat latè accipere principia hujus Artis, tibi melius patebit, cùm nisus fueris omnem rationem visam vel auditam reducere ad terminos hujus Artis.

CAPUT XXXV.

Quòd hæc Ars propter suam latitudinem possit verum dicere de omni Quæsito.

1. CUm sciveris hanc latitudinem, scies hanc Artem, & ex una camera formare multas rationes, & reducere ad eandem conclusionem, & dicere veritatem de omni quæsito; nam cùm principia & cameræ hujus Artis propter suam latitudinem complectantur omnem veritatem cujuscunque Scientiæ, nec una camera alteri contradicat, sed concordet, si rectè deducatur per T., necesse est, quòd, qui bene viderit principia hujus Artis & cameras secundùm omnem suam latitudinem, statim percipiat, quòd omnia, quæ concordant cum Y., conveniant cum perfectione & majoritate, & omnia, quæ concordant cum Z., conveniant cum defectu & minoritate; nam cùm pro solutione alicujus quæstionis ponimus aliquam cameram, ût [A. E.] aut [A. I.] vel aliam talem, non intendimus dicere, quòd solùm sint tot rationes deducentes ad veritatem quæstionis, quot sunt cameræ, sed quòd tot rationes conveniant cum veritate, quot quælibet camera comprehendit sub sua latitudine, aut plures simul complectuntur; dico autem, plures simul, quia aliquando plures cameræ simul significant rationem solutionis, quam nulla per se sumpta significat.

2. Cùm DEUS habeat omnem plenitudinem essendi, est illimitatæ perfectionis, & propter hoc cùm ipse se ipsum perfectè intelligat, ejus cognitio est illimitata; & ideo necesse est dicere, quòd omnia cognoscat, cognoscit enim, in quo res sit creata ab ipso, vel quæ creatura ipsum imitetur, & in quo deficiat ab ipso, & etiam cognoscit habitudines & ordines earum ad invicem, & sic illi nihil deficit ratione cognoscibilium propter illimitationem sui intellectûs.

3. Sed quia cognitio creaturæ est finitæ & limitatæ perfectionis, ideo se non extendit ad omnia; & quantò magis est limitata, ad tantò pauciora se extendit: unde quia sensitiva cognitio coarctatur propter materialitatem instrumenti, cui alligatur, ideo ad tot se non extendit, ad quot se extendit intellectiva; & licèt intellectiva cognitio omninò sit immaterialis, quia tamen humana cognitio intellectiva indiget sensitivis virtutibus, quæ alligantur materiæ ex parte objectorum, quia species objectorum transeunt per vires sensitivas ad intellectum, ideo etiam humanus intellectus non se extendit ad tot cognoscenda, ad quot intellectus angelicus; nam ad multò plura cognoscenda deducuntur species in mente angelica simul junctæ, quàm species materialium per vires sensitivas successivè administratæ, & hoc tam ratione materialis objecti, quàm ratione successionis.

4. Ratione successionis, quia intellectus angelicus à principio suæ creationis potest & potuit se convertere ad quodcunque objectū naturale, & illud intelligere, quia à principio habuit sibi inditas species omnium rerum naturalium, sed humanus intellectus non semper potest intelligere quodcunque objectum materiale, quia non potest in illud agere, antequam à sensitiva virtute quodammodo percipiatur: unde cæcus natus non intelligit aliquid de coloribus, quia non intelligit per species innatas, sed acquisitas successivè secundùm successionem temporum.

5. Etiam ratione materialitatis in objecto apparet, quòd hoc sit verum, nam quia proprium objectum humanæ cognitionis est materiale, & proprium objectum angelicæ cognitionis est immateriale, & materiale non est tantæ perfectionis, sicut immateriale, quia materia habet contrahere, restringere & limitare formam, actum & perfectionem, ideo est impossibile, quòd humana cognitio ad tot se extendat, ad quot angelica; imperfectiora enim & inferiora quodammodo continentur in superioribus & perfectioribus, sicut ternarius in senario, & non è converso: & ideo ad quot se extendit nostra cognitio, ad tot se extendit cognitio illorum, & non è converso.

6. Igitur apparet, quòd tam successio, quàm materialitas limitet humanam cognitionem; & inde etiam est, quòd multi possint recordari multorum, sed pauca concipere & de paucis judicare; „ nam illi, qui
„ sunt multùm phlegmatici, & habent mul-
„ tum de materia viscosa & terrestri, de dif-
„ ficili recipiunt, nec solùm de difficili reci-
„ piunt, sed etiam de receptis judicant, quia
„ multitudo materiæ reddit gravem discur-
„ sum, & habentem eam tenet fixum circa u-
„ num aut pauca: & ideo illis est difficile vi-
dere verum; sed quia species recepta, licèt difficulter recipiatur, tamen diu potest remanere, ideo propter multitudinem specierum jam receptarum possunt multa recordari.

7. „ Patet igitur ex jam dictis, quòd secun-
„ dùm majorem aut minorem limitationem
„ conveniat intelligere pauciora aut plura;
„ cujus etiam signum est, quia unus respici-
„ ens ad pauciora videt tantùm probabilem
„ rationem alicujus dicti, alius verò ad plura
„ respiciens videt demonstrativam rationem
„ ad idem; unus respiciens ad pauca decipi-
„ tur, alius respiciens ad plura non decipitur,
„ sed videt, in quo alius decipiatur.

8. „ Igitur tota ratio ignorantiæ est limi-
„ tatio, & tota ratio scientiæ est illimitatio:
„ unde si per omnia sciremus discurrere per
„ terminos, & videre eorum habitudines &
„ ordines, nunquam contingeret, nos ig-
„ no-

„norare aut indigere Doctore, nam Doctor
„nihil facit, nisi quòd terminos aut rationes
„sub debita & vera habitudine & congruo
„ordine proponat; & ideo cùm in ista Scientia ponantur generales termini, per quos aut eorum dividentia aut dividentium dividentia mediantibus triangulis & commixtionibus eorum possumus venire in intuitionem omniũ, patet, quòd ista Scientia habeat verum dicere de omnibus, quæ possunt cadere sub nostram cognitionem, nam docet per omnia discurrere, & considerare eorum habitudines & ordines; hoc enim est commiscere terminos terminis & cameras cameris, scilicet considerare habitudines & ordines eorum ad invicem, in qua commixtione principaliter consistit hæc Ars (ût antea dictum est): unde hæc Scientia se etiam extendit ad multò plura, quàm creditur ab aliquibus, quòd humanâ Scientiâ possit capi, quia multò plura sunt demonstrabilia, quàm ab
11. isto vel ab illo possint demonstrari; nam aliquid non dicitur scibile & demonstrabile propter potentiam istius vel illius utentis cognitione, sed à possibilitate rei demonstrandæ.

10. Et quoniam hæc Ars per omnia docet discurrere, credo, quòd ex prædictis aliqualiter possit patere, quomodo etiam per hanc Artem poterimus invenire omnes habitudines quorumcunque terminorum, sicut patet; nam propositis duobus terminis, quorum habitudines volumus videre, primò intermisceamus unum terminum hujus Artis, id est, aliquem terminum de illis, qui pertinent ad Figuras positas in principio, super quos decurrit hæc Ars; postea intermisceamus alium, postea tertium; & secundùm quòd intermiscebimus diversos & diversos terminos hujus Artis aut alios, in quorum recordationem per terminos hujus Artis poterimus venire, occurrent nobis diversæ habitudines; v.g. proponatur ista camera: [DEUS Essentia] intermisceamus ergò hunc terminum *intellectus*, id est, comparemus DEUM ad essentiam secundùm intellectum, &
13. statim nobis occurret, quòd DEUS habeat talem habitudinem ad suam Essentiam secundùm intellectum, quòd ipse eam intelligat: igitur ex hac camera, DEUS Essentia, interposito isto termino *intellectus* devenimus in hanc propositionem, DEUS intelligit suam Essentiam: & si cum prædicto termino prædictæ cameræ misceamus alium terminum, ût istum, *perfectio*, poterit nobis occurrere, quòd DEUS perfectè intelligat suâ Essentiã.

Item si prædictæ cameræ admisceamus alium terminum, occurret nobis alia propositio fundata super aliam habitudinem: v.g. intermisceatur prædictæ cameræ *bonitas*, & occurret nobis habitudo DEI ad suam essentiam secundùm bonitatem, quia sua Essentia est sua bonitas; etiam nobis occurret habitudo DEI ad suam bonitatem mediante suâ Essentia; quia tota bonitas DEI est sua Essentia; sic igitur nobis occurrent duæ propositiones super diversas habitudines fundatæ, scilicet istæ: *DEUS est bonus per suam Essentiam, & tota ratio divinæ bonitatis est sua Essentia*; & sic, semper interponendo alium & alium terminum aut plures simul, occurrent aliæ & aliæ habitudines: unde cùm ista Ars doceat venire in recordationem infinitorum, ût apparet ex prædictis, poterimus etiam per istam Artem invenire infinitas habitudines ejusdem cameræ.

Nec solùm ex diversis terminis interpositis sed ex eisdem possumus venire in diversas habitudines mediantibus derivationibus & diversis triangulis; v.g. intermisceatur prædictæ cameræ [DEUS Essentia] iste terminus, *bonitas*, & ex isto solo intermixto secundùm differentiam triangulorum & secundùm diversas commixtiones triangulorum occurrent diversæ propositiones; v.g. secundùm triangulum croceũ ex his terminis formantur tales propositiones: *DEUS est maximè & summè bonus, quia ipse est bonus per suã Essentiam: DEUS est ipsa Essentia summæ bonitatis: DEUS habet optimam Essentiam & in summo gradu bonitatis*: quòd si angulum concordantiæ conjunxero angulo minoritatis, videndo, quid concordet cum minoritate, & respiciendo ad terminos prædictæ cameræ adhuc alia occurrent, videlicet, *quòd DEUS, cùm sit Essentia bonitatis, non sit participativè nec accidentaliter bonus, nec separabiliter in illo sit bonitas*; nam hæc omnia, scilicet participare aliquid, accidentaliter & separabiliter habere aliquid, conveniunt & concordant cum minoritate.

Item secundùm triangulum rubeum ex
13. prædictis terminis formantur diversæ propositiones sic: *Essentia DEI est principium omnis bonitatis: Essentia DEI est terminus cujuscunq; bonitatis*, nam circa ipsum est omnis bonitas, & ultra illum non progreditur ulla: etiam respiciendo ad derivationes eorundem terminorum possunt occurrere multæ habitudines, quia DEUS per suam Essentiam est bonificativus, & bonificando in se ipso & comunicando Deitatem, est essentialiter bonus &c. Igi-

14. Igitur per hanc Artem possumus invenire infinitas habitudines, & secundùm eas formare diversas propositiones, ita quòd etiam secundùm unam habitudinem possumus formare plures propositiones; nam quia DEUS secundùm suam Essentiam habet habitudinem ad suam Essentiam, prout est essentialiter bonificativus, possùmus formare diversas propositiones super istam habitudinem; v. g. necesse est,
2. DEUM bonificare saltem in se ipso, & impossibile est, ipsum esse malificativum aut malificare, & DEUS est inseparabilis à natura bonificativa; & si DEUS bonificat, facit, quod illi est proprium & maximè conveniens, & multa similia.

15. Hæc Ars etiam docet invenire omnes ordines propositionum inventarum ad intentam conclusionem, nam cùm aliqua propositio fuerit inventa, si commisceantur termini inventæ propositionis & quæstionis, facient diversas cameras, quibus comparatis invicem secundùm habitudinem terminorum secundùm triangulos, nunc interpositis aliis terminis, nunc non interpositis, nullus ordo est, qui poterit subterfugere considerationem discurrentis, si diligens fuerit; maximè cùm omnis ordo conclusionis ad præmissas sit secundùm aliquam habitudinem importatam per angulos T., nam Logici arbitrantur comprehendere omnem habitudinem, quæ est inter conclusionem & principia, sub aliquibus determinatis locis, ût sub loco à majori, vel à minori, vel à divisione & definitione, vel aliquo aliorum, quos vocant locos dialecticos, talem habitudinem nominando locum, quos locos omnes possemus reducere ad plures, si essent plures; sed prætermitto hoc, putans esse manifestum, & supervacaneis nolo me immiscere.

CAPUT XXXVI.

Quòd conandum sit arguere secundùm proprium Modum hujus Artis, licèt hæc Ars se extendat ad omnes Modos arguendi.

1. NOta, quòd, licèt hæc Ars ad omnia se extendat, ita quòd quælibet ratio facta in quacunque Scientia secundùm quoscunque terminos ad hanc Artem possit reduci, veruntamen secundùm proprium modum & in propriis terminis hujus Artis conandum est arguere; nam ad tales rationes propriè se extendit judicium hujus Artis; v. g. *in Philosophia ex motore conjuncto demonstratur motor separatus* sic: cùm movens moveat se ipsum per appetitum, convenit, quòd motor, qui est pars moventis, moveat se ipsum per appetitum alicujus appetibilis, quod est superius illo in movendo, nam appetitivum est quodammodo movens motum, & appetibile est movens omninò non motum: igitur convenit, motorem primum esse separatum omninò immobilem; nam si moveretur, moveretur per aliud, & illud aliud iterum per aliud, & sic in infinitum; aut erit deveniendum ad aliquod omninò immobile: igitur hæc ratio est philosophica & ex terminis Philosophiæ.

Sed ratio, quæ fit secundùm hanc Artem, 2.
& habet eandem virtutem, debet formari sic: ponere motorem immobilem convenit cum esse & perfectione istius cameræ [E.A.V.Y.] in intelligentia movente orbem; & ponere ejus oppositum, scilicet quòd non sit devenire ad motorem immobilem, convenit cum privatione magnitudinis in sapientia, bonitate & cæteris cameris ipsius A., & cum imperfectione prædictæ cameræ in summa intelligentia conveniente cum realitate secundùm dispositionem; & quia in re conveniente cum majoritate privatio necessariò distat ab esse, ideo necessariò sequitur, quòd illud, quod maximè convenit cum realitate (ût demonstravimus) maximè distet ab ea; & hoc est impossibile: igitur utraque ratio est ista [intelligentia, motus, orbis] [E.A.V.Y.][XX]

CAPUT XXXVII.

De Exhortatione contra Desperationem habendi hanc Artem.

TU verò, quicunque cupis scire hanc Artem, non desperes, licèt quasi infinita requirantur ad hanc Artem; nam si puer sciret, quot exigantur ad perfectionem Scientiæ, si non videret alios Doctores, posset desperare, quia videt in principio, quòd non possit addiscere ultra sex aut septem literas, & tamen conveniat infinita concurrere ad hoc, ut perfectè sit doctus; sed cùm sint conjunctiones infinitarum literarum in verbis & literis, quorum infinitas in modico continetur virtualiter, scilicet in alphabeto, & puer postea infra breve tempus videt, se habere habitũ, per quem omnia ista scit conjungere, & ad illam totam infinitatem se extendere, potest tunc minùs desperare hoc habito, quòd hoc advertat; quia sicut transivit hanc infinitatem, ita poterit transire omnem infinitatem aliarum Scientiarum, primò à paucis & quasi nullius momenti incipiens, & postea brevi tempore ad perfectionem perveniens, ita etiam cùm fueris exercitatus in hac Arte, quasi subitò tibi occurret, quod tibi fuerit necessarium, sicut homini loquenti secundùm Grammaticam subitò occurrit, quomodo sit loquendum, licèt quodlibet verbum exigat suas regulas, secundùm quas convenit loqui:

ſicut igitur homo, qui perfectè vult ſcire aliquam linguam, apponit ſuam diligentiam per aliquod tempus determinatum, ût per annum vel ſic, in quo ſi viderit, quòd non perfectè habeat linguam, apponit annum ſecundum, tertium & quartum & etiam plures, ita & hìc eſt faciendum; nam non omnes ita citò veniunt ad ejus perfectionem; citiùs tamen venit homini perfectio illius, quàm credit, ſi apponit diligentiam, & multùm ſe exercitat circa hanc cameram [E.A.V.Y.] & partes ejus, frequenter contemplando A. & ſuas cameras, ponendo E. in iis, quæ ſunt ipſius A., & I. contra ea, quæ illi repugnant, quia DEUS infundet eam illi; *maximè enim hæc Scientia aſſimilatur Scientiæ divinæ, quæ cùm ſit unita Eſſentiæ divinæ, omnia ipſi DEO repræſentat, ita hæc quodammodo eſt repræſentativa omnium, quæ poſſunt cadere ſub inveſtigationem humanam brevibus & paucis.*

CAPUT XXXVIII.

De quibus Quæſtionibus debeat fieri Inveſtigatio in hac Arte.

SUnt quæſtiones, quæ non pertinent ad noſtram inveſtigationem, ſicut quæ ſunt circa individua & numerabilia, ût quot ſunt lapides circa litus maris? quot ſunt ſpecies rerum in univerſo? & ſimilia, quorum additio vel diminutio non repugnat naturæ entis aut veri, nec dicit conveniens aut inconveniens; ſed de iis tantùm eſt humana inveſtigatio, quæ adducunt ad conveniens vel inconveniens, vel repugnant naturæ entis aut veri, vel neceſſariò concordant; hæc autem ſunt, in quibus prædicatum contradicit naturæ ſubjecti, aut neceſſariò aut convenienter concordat.

CAPUT XXXIX.

De Modo & Ordine tractandi de qualibet Materia.

1. QUoniam de ratione perfectionis in ſcente eſt transfuſio informationis in alios, cùm perfectum ſit, quod poteſt gignere ſuam ſimilitudinem in alio, ideo ſuppoſito, quòd per Artem jam habitam aliquis per continuum exercitium poſſit pervenire ad perfectionem ſcientiæ, nunc reſtat oſtendere, per quem modum & per quem ordinem tractandum ſit de aliqua materia ad informationem aliorum.

2. Igitur modus & ordo tractandi de aliqua materia eſt, quòd primò tractentur illa, in quibus omnia communicant, quæ traduntur in illa Scientia, utpote ſubjectum & cauſæ ejus; *& quia Ars debet imitari naturam, materia verò eſt primò in generatione*, ideo primò tractetur de partibus ſubjecti, aut etiam generis & differentiæ illius, ſi quas habet, inveſtigando definitiones eorum, & cauſas paſſionum earum; poſtea dividendo genus ſubjecti deveniatur ad ſubjecta & ad definitiones ejus, & propriarum paſſionum ejus cauſæ reddantur; poſtea tractetur de ejus partibus ſubjectivis, eodem modo definiendo, inveſtigando paſſiones earum, comparando determinanda ad invicem ſecundum concordantias & differentias, elucidando antecedentia & conſequentia & concomitantia eorum, quæ determinanda ſunt, prætermittendo illa, quæ omninò ſunt per accidens, quia talia non cadunt ſub Artem, ſicut nec ſingularia; per modum tamen ſignorum ſunt conſideranda, cùm ab eis ſumatur experimentum; *experimenta verò faciunt univerſale, quod eſt principium Scientiæ & Artis:* unde multùm confert conſiderare, quæ circa ſingularia eveniunt, ût in pluribus, & ût ſemper; hoc enim per ſe aut naturaliter erit verum, oppoſitum verò non niſi per accidens.

3. Etiam convenit ex notis procedere ad ignota, & per comparationem ſenſûs ad notitiam intellectûs, & à particularibus ad univerſalia: per comparationem verò notitiæ intellectualis ad intellectuale convenit procedere à magis univerſalibus ad minùs univerſalia, quia proprium objectum noſtri intellectûs eſt in materia, & à potentia procedit ad actum.

4. Etiam convenit aliquando interponere incidentia, quæ poſſunt ſumere occaſionem ex materiis tractandis, & convenit ponere correlativa per modum ſignorum veritatis eorum, quæ dicuntur; nec convenit tacere veritatem propter E. nec propter I., & convenit reprobare errores, & reſpondere ad rationes, quibus error innititur.

5. Sed ante hæc omnia convenit ponere prologum aut procœmium, ubi poteſt invocari Auctor omnium Scientiarum, & enarrari, quæ ſunt tractanda, & oſtendi neceſſitas & utilitas Scientiæ per rationem ſumptam à fine; pauca vel nulla de ſe ipſo dicat, qui tradit Scientiam, niſi fortè talia ſint, quæ reddunt Scientiam magis laudabilem; ſed in his convenit habere menſuram & ab Auctore Scientiæ, & ab eo, qui illam legit aliis, cùm quæratur Scientia, & non laus Auctoris niſi propter Scientiam; ſed quia finis eſt duplex, intrinſecus rei conſtitutæ inhærens, & extrinſecus remotus à re, ideo de fine primo modo ſumpto traditur notitia, & per hoc traditur notitia ſubjecti; de fine verò extrinſeco convenit ſeorſim tradere notitiam poſt completam notitiam ſubjecti, finis enim eſt ultimus in executione.

Hæc igitur & ſimilia, quæ per triangulos poſſunt inveſtigari ſub tali vel ſimili ordine, qui poteſt

poteſt haberi per triangulos, convenit tractare in Scientia ſub modo diviſivo, definitivo, ratiocinativo, oſtenſivè & per impoſſibile, declarativo ſignorum & exemplorum.

CAPUT XL.

De Modo addiſcendi.

1. CÆterùm ne ex indiſpoſitione recipientis impediatur transfuſio doctrinæ in addiſcentem, nunc reſtat aliquid determinare de iis, quæ utile eſt obſervare addiſcenti, & de evitatione eorum, quæ illum poſſunt impedire: igitur neceſſè eſt, quòd addiſcens obſervet modum addiſcendi & debitam diſpoſitionem corporis; modus autem addiſcendi talis eſt, ut primò ſupponantur, quæ dicuntur, & homo ſe non nimis profundet in principio, nec circa aliqua nimis immoretur, ſed pertranſeat librum aut libros, & iterum redeat, & tunc magis patebunt dicta, & in tertio adhuc magìs: unde ſi occurrant aliquæ obſcuritates, aut conſulat peritum, aut ſignet locum, ut cùm fuerit factus magis intelligens, laboret ad intelligendum illud; & quamvis magìs imprimatur, quod acquiritur per laborem, faciliùs tamen habetur, quod ab alio accipitur; igitur non erubeſcat ab aliis mendicare id, quod propriâ facultate non valet obtinere, imò inverecundus fiat, qui vult attingere ad ardua Scientiæ; *timor namq; ruboris multos fecit magiſtros erroris, quia quod à ſtulto non præcogitatur, fugiens unum malum in pejus delabitur.*

2. Caveat autem ſibi quiſque, ne ita citò tranſeat viſa vel audita, quòd ea ſibi non impectoret, nam tale audire vel legere eſt negligere, ſed rationes, quas quis videt vel audit, reducat ad cameras ſecundùm prædictam Artem, & faciat tantùm & tamdiu, donec ſciat repetere rationes ſolutionum videndo cameras, & poſtea ſciat eas repetere ſinè cameris in corde, non verbaliter, ſed ſententialiter, nec ſemper in corde repetatur omninò eo ordine, quo ratio ſcribitur vel auditur, ſed potiùs ordine magis congruo intellectui repetentis.

3. Repetitis autem mente ſemel vel bis aliquibus rationibus ſimul, ût quinque vel ſex, tranſeat ad alias totidem eodem modo reducendo ad cameras & ſcribendo, ſic quòd compleat totam portionem, quam determinavit ſingulis diebus repetere.

4. Aliquando eſt utile inſpicere diverſos libros ex duplici cauſa, tum quia liber aperit librum, & paſſus elucidat paſſum, & præcedens & ſubſequens ſe mutuò manifeſtant, tum quia homo comparando librum ad librum videt, in quo magis poſſit proficere, & ubi homo credit, ſe minùs proficere, poſtquam inſpexerit, videt, ſe magis poſſe proficere; hoc tamen ſæpiùs poteſt ſciri ex fama, nec multùm attendas Auctorem, ſed ſcripta, quia contingit, quòd, qui minùs diſcretus apparet in dictis, habeatur multò diſcretior in ſcriptis.

5. In legendo verò vel audiendo, ſi quid occurrat contra tuam opinionem, non ſtatim habeas H., ſed cum F. G. percurras cum triangulis, quouſque pateat, quod dicitur; non ſolùm enim benedicentibus ſed maledicentibus regratiandum eſt, in quantum excitant noſtrum intellectum.

6. Correctioni librorum non des te omninò, ſed intelligendo quantumcunque poteris, pauca apponas, *nam plures corrigunt libros, & ſe ipſos ignorantes & errantes relinquunt*; præcedat ergò augmentatio Scientiæ, & poſtponatur correctio librorum, aut ſaltem ſimul currant: minima non ſpernas, quia pauca grana excreſcunt in magnam ſegetem.

7. Convenit autem obſervare debitam diſpoſitionem, ſub qua præcipuè ſtudendum eſt, nam non in omni diſpoſitione eſt æquè bonum ſtudere, ſed omninò ſubordinatis & quieſcentibus viribus ſenſitivis ab exterioribus convenit tranſire ad actiones intellectuales; & ut quieſcant, convenit humores ſedare per ſomnum, ut poſt ſedationem ipſis viribus ſenſitivis clarificatis proferantur ordinata phantaſmata, & fiat facilior conceptus; & ut faciliùs ſedentur, ſit moderatio in cibis & potu, & ſic quiſque fiet aptior ad ſtudium; nam anima quieſcendo à ſenſualibus & ſedendo, id eſt, poſt ſedationem humorum & variarum perturbationum fit aptior, ut acquirat Scientiam.

8. Arbitror autem, quòd quatuor anni poſſint ſufficere homini ingenioſo & ſtudioſo, ut fiat repetitor in quacunque ſcientia, multò plures autem, ut fiat Magiſter; ad illud enim ſufficit cognitio terminorum Scientiæ cum ſufficientia librorum, ad hoc autem ſufficiens poſſibilitas ad diſcurrendum de quacunque veritate pertinente ad Scientiam ex propria ſubtilitate, & de iis, quæ traduntur ab aliis, illud reddit exercitatum & promptum ſuper omnia, ſecundùm iſtud jam exercitatus in alios facillimè diffundit.

9. Hoc autem diximus pro eis, qui non habent hanc Artem, nam ipſa habentes eam multò pauciori tempore habiles reddit.

CAPUT XLI.

De vitandis illis, quæ Addiscentem possunt impedire.

1. VErùm ne impediatur quicunque vult proficere, caveat juvenis ascribendo, sed solùm adhæreat traditis ab aliis, mutuet libros ab aliis, aut emat; & si non continuè poterit habere unum librum, saltem nunc inspiciat unum librum, nunc alium, quia quantumcunque parum homo hauriat, semper proficit aliquid ad structuram Scientiæ.

2. Nemo juvenis simul se impendat duabus scientiis,& maximè non subordinatis, ne, cùm intentio debeat dirigi ad unam, ex occupatione circa aliam possit impediri, & sic remaneat vacuus à perfectione utriusque, nam acquisitio habitûs requirit perfectum attendentem: igitur auditores Theologiæ totaliter cessent studere circa Philosophiam, ne tempus, quod deputatur uni, ab alio diminuatur in fructu;quod necesse est fieri, dum auditus & studium circa aliud & aliud occupantur; auditus enim circa unum & studium circa aliud non habent ordinem ad invicem: si quis autem voluerit insistere circa aliquid repetendum aut studendum, aliis loquentibus & facientibus strepitum circa eum, exprimat voce illa, quæ videt in libro, aut revolvit in corde, ut propriis dictis intentus aliorum strepitu minùs impediatur.

3. Unusquisque autem habeat hanc cameram [E.A.V.Y.] & intendens eam conservare quotidie antequam somnum capiat, cogitet, quomodo diem impenderit; quòd si bene, reddat DEO gratias, & precetur ipsum, ut sibi det gratiam continuandi; quòd si malè, humiliter petat veniam; quod si quotidie firmiter statuat facere, necesse est, quòd faciat, & proponat se corrigere, & ex frequenti proposito necesse est, quòd veniat ad actum correctionis, ne videatur deridere DEUM: igitur uti hâc cautelâ est utile habenti voluntatem proficiendi, nisi pigritia aut aliquid tale ex alia parte ipsum impediat.

CAPUT XLII.

Quòd omni Studenti conandum sit venire ad universalem Cognitionem.

1. INter cætera, quæ addiscentem citiùs possunt promovere, hoc maximè valet, quòd ex omni documento nitatur pervenire ad aliquod generale; nam licèt nostra cognitio incipiat in universali, & sit imperfecta, tamen ex omni scriptura & ex omni ratione, quam vides, coneris colligere aliquam universalem regulam, & illud, quod vides, reducere ad aliquod universale, ut sic ex universalitate ex parte rei cognitæ devenias ad universalem perfectionem virtutis cognoscitivæ; v.g. reperitur in scriptis, quòd Angeli superiores habeant cognitionem magis universalem, quàm inferiores; & arguitur sic contra hoc, quia tunc cognitio superiorum esset magis imperfecta, quàm inferiorum; & respondetur, quòd universalitas cognitionis possit dupliciter considerari, vel ex parte rei cognitæ, in quantum cognoscitur natura rei generalis, & non specialis, & sic universalitas cognitionis dicit imperfectionem: alio modo consideratur universalitas cognitionis ex parte cognoscentis, quia videlicet ejus virtus cognoscitiva est fortior & perfectior; propter quod ex paucis potest tot videre, quot alius minùs perfectæ virtutis ex multis; sicut magister in uno principio videt multas conclusiones, quas non videt discipulus, nisi deducatur ad singulas per specialia principia.

2. Ex hoc dicto collige communem regulam, quòd cùm cognitio sit medium inter cognoscentem & cognitum, propterea hæc distinctio est congrua: eodem modo quidquid vere dicitur de aliquo medio, considera, utrùm verificetur ratione unius extremi aut alterius, aut ratione medii in se, aut partim sic & partim sic.

3. Similiter quod dicitur de alio extremo, vide, utrùm dicatur de eo ratione sui ipsius in se, aut in comparatione medii aut alterius extremi: ecce posui exemplum, quomodo ex cognitione in speciali deveniatur ad cognitionem generalem: similiter ex omnibus coneris colligere aliquid generale, quam generalitatem firmiter retineas,aut reponas in aliquo memoriali.

4. Item si inveneris rationes aut solutiones circa aliquid, considera, ad quid Auctor ponens talem rationem aut solutionem invenerit, quia sic faciliùs percipitur imperfectio Auctoris, si deficit in aliquo, & ex eo, quod perfectè tradit, poteris colligere aliquid generale, per quod poteris devenire in illa, quæ tradit, & in alia, quæ sunt invenienda.

5. Conandum est igitur ex quocunque viso vel audito venire ad generalem cognitionem, ut sic in nobis quodammodo incipiat oriri illa cognitio Beatorum, in qua unicè cuncta parebunt, quam nobis concedat ille, à quo librum exorsus sum, & in quo eundem termino, Alpha & Omega Christus Verbum Patris omnipotentis. Amen.

CAPUT

CAPUT XLIII.

De Augmento, sive de Concordantiis.

A. DEus in primo T. habet concordantias { Universalem providentiam. / Universalem gubernationē. }
Modus in secundo T.
Influentia in Anima.

B. Bonitas in A.
Memoria recolens in S.
Creatura in primo T.
Species in secundo T.
Fides in V.
Prædestinatio in X.
Essentia in Theologia.
Prima causa in Philosophia.
Forma in Jure.
Dispositio in Anima.

C. Magnitudo in A.
Intellectus intelligens in S.
Operatio in primo T.
Ordo in secundo T.
Spes in V.
Esse in X.
Vita in Theologia.
Motus in Philosophia.
Materia in Jure.
Diffusio in Anima.

D. Æternitas in A.
Voluntas diligens in S.
Distinctio in primo T. habet concordantias { Differentiam. / Multitudinem. / Duplicitatem. }
Alteritas in secundo T.
Charitas in V.
Perfectio in X.
Dignitates in Theologia.
Intelligentia in Philosophia.
Jus in Jure.

E. Potestas in A.
Actus B. C. D. in S.
Concordantia in primo T. habet concordantias { Similitudinem. / Pertinentias. }
Identitas in secundo T.
Justitia in V.
Meritum in X.
Actus in Theologia.
Orbis in Philosophia.
Commune in Jure.

F. Sapientia in A.
Memoria recolens in S.
Oppositio in primo T. habet concordantias { Repugnans. / Impediens. }
Commixtio in secundo T.
Prudentia in V.
Suppositio in X.
Forma in Theologia.
Forma universalis in Philosophia.
Speciale in Jure.

G. Voluntas in A.
Intellectus intelligens in S.
Principium in primo T. habet concordantias { Antecedens. / Præmissam. }
Prioritas in secundo T. habet concordantias { Processionem. / Novitatem. }
Fortitudo in V.
Immediatè in X.
Relatio in Theologia.
Materia prima in Philosophia.
Naturale in Jure.

H. Virtus in A.
Voluntas odiens in S.
Medium in primo T.
Simultas in secundo T.
Temperantia in V.
Realitas in X.
Ordinatio in Theologia.
Natura in Philosophia.
Positivum in Jure.

I. Veritas in A.
Actus F.G.H. in S.
Finis in primo T. habet Concordantias. { Conclusionem. / Consequens. / Effectum. }
Posterioritas in secundo T.
Gula in V.
Potentia in X.
Actio in Theologia.
Elementa simplicia in Philosophia.
Canonicum in Jure.

K. Gloria in A.
Memoria obliviscens in S.
Minoritas in primo T. habet concordantias { Corporalitatem. / Amplitudinem. / Substantiam. / Totalitatem. }
Superioritas in secundo T.
Luxuria in V.
Liberum arbitrium in X.
Articuli in Theologia.

K. { Appetitus in Philosophia. / Civile in Jure.

L. { Perfectio in A. / Intellectus ignorans in S. / Æqualitas in primo T. / Convertibilitas in secundo T. / Avaritia in V. / Privatio in X. / Præcepta in Theologia. / Potentia in Philosophia. / Consuetudinale in Jure.

M. { Justitia in A. / Voluntas diligens vel odiens in S. / Minoritas in primo T. habet concordantias { Principalitatem. / Participationem. / Diminutionem. } / Inferioritas in secundo T. / Acedia in V. / Defectus in X. / Expositio in Theologia. / Habitus in Philosophia. / Theoricum in Jure.

N. { Largitas in A. / Actus K. L. M. in S. / Affirmatio in primo T. / Universalitas in secundo T. / Superbia in V. / Culpa in X. / Prima intentio in Theologia. / Actus in Philosophia. / Practicum in Jure.

O. { Simplicitas in A. / Compositio B. F. K. in S. / Dubitatio in primo T. / Indifinitas in secundo T. / Invidia in V. / Demonstratio in X. habet concordantias { Illuminationem. / Manifestationé. } / Secunda Intentio in Theologia. / Mixtio in Philosophia. / Nutritivum in Jure.

P. { Nobilitas in A. / Compositio C. G. L. in S. / Negatio in primo T. / Singularitas in secundo T. / Ira in V. / Mediatè in X. / Gloria in Theologia. / Digestio in Philosophia. / Comparativum in Jure.

Q. { Misericordia in A. / Compositio D. H. M. in S. / Ratio in X. / Pœna in Theologia. / Compositio in Philosophia. / Antiquum in Jure.

R. { Dominium in A. / Compositio O. P. Q. in S. / Objectum in X. / Ævum in Theologia. / Alteratio in Philosophia. / Novum in Jure.

Præter hos terminos singulatim positos plures termini simul in cameris ordinati aliquid innuunt, quod nullus terminus per se positus innuit, quia quod concordat cum tota camera manifestè, cum neutra partium per se posita concordat ita manifestè, sicut hæc figura [F. G. E. H.] figura est electionis aut perfectionis acquisitæ, hæc verò figura [E. A. V. Y., I. V. Z.] figura perfectionis, & ejus oppositæ imperfectionis, hæc verò [concordantia Distinctio] figura est definitionis.

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS COELITUS ILLUMINATI

Ars Demonstrativa.

DEUS, qui es clarificatio totius intellectûs, dum ipse te cognoscit, & qui es beatitudo totius voluntatis, dum ipsa te diligit, tuâ excellentissimâ virtute, gratiâ, & benedictione incipit *Ars Demonstrativa.*

DE PROLOGO.

1. QUoniam hæc Ars Demonstrativa sequitur regulam *Artis compendiosæ inveniendi veritatem*, ideo nos accipimus alphabetum illius artis ponentes & ordinantes ipsum in hac arte; quod alphabetum est tale:

A. Ponitur esse Deus.
B. Memoria recolens.
C. Intellectus intelligens.
D. Voluntas diligens.
E. Autem ponitur esse actus ipsorum B. C. D.
F. Ponitur esse memoria recolens.
G. Intellectus intelligens.
H. Voluntas odiens.
I. Verò actus ipsorum F. G. H.
K. Ponitur esse memoria obliviscens.
L. Intellectus ignorans.
M. Voluntas diligens, vel odiens.
N. Autem actus ipsorum K. L. M.
O. Est compositum de actu ipsorum B. F. K.
P. Est compositum de actu ipsorum C. G. L.
Q. Est compositum de actu ipsorum D. H. M.
R. Est compositum de actu ipsorum O. P. Q.
S. Ponitur esse anima intellectiva.
T. Verò principia.
V. Virtutes & vitia.
X. Prædestinatio seu objectio.
Y. Veritas.
Z. Falsitas.

2. Tres sunt species demonstrationis, quarum prima est de æquiparantia, hoc modo videlicet, quando fit demonstratio per æqualia, sicut demonstrare, Deum non posse peccare, eò quia ejus potestas est una eadem essentia cum sua voluntate, quæ nullo modo vult peccare, & ipsa voluntas est una eadem essentia cum Justitia, quæ adversatur penitùs peccato cum injuria concordanti; & cùm omnes divinæ dignitates sint æquales in essentia & natura, ideo manifestè potest fieri demonstratio per æquiparantiam; & hoc idem sequitur in virtutibus, proprietatibus & entitatibus creaturarum.

3. Secunda verò species demonstrationis

est, quando effectus probatur per causam, veluti si sol est, dies est.

4. Sed tertia species demonstrationis est, quando causa demonstratur per effectum, ût si dies est, oportet solem esse. Per has igitur tres species demonstrationis discurrit hæc ars; veruntamen prima species est fortior duabus sequentibus, quando est ex dignitatibus Dei; secunda verò fortior est tertiâ subsequenti. Principia hujus artis per se manifestè probabilia sunt, prout apparet in figuris & in practica hujus artis, probando quædam principia cum aliis principiis: & quia nos compilamus hanc artem, ût compendiosiùs possumus, ideo supponimus in principio hujus artis illa principia, ex quibus compositæ sunt figuræ ipsius artis; veruntamen ipsa principia hujus artis, quæ probari magis necessarium est, probabimus in quæstionibus ipsius artis.

5. Dividitur autem hæc ars in *quatuor Distinctiones*, quarum *prima* est de Dispositione figurarum; *secunda* est de Conditionibus earum; *tertia* est de Intentione, quare hæc ars est inventa; sed *quarta* & *ultima* est de Quæstionibus, in quibus ipsa ars exemplificatur.

INCIPIT PRIMA DISTINCTIO QUÆ EST De Figuris.

PRima Distinctio dividitur in *duodecim Figuras*, quæ sunt hæ: A. S. T. V. X. Y. Z., & *Figura Elementalis*, *Figura Demonstrativa*, & *tres Figuræ Principiorum*. Unde secundùm ordinem primò de A. tractare intendimus, & pòst per consequens de cæteris figuris.

De Figura A.

HÆc igitur figura dividitur in *duas Figuras*, videlicet in *primam* & *secundam*:

De prima Figura ipsius A.

PRima figura est circularis, in cujus medio existit A., prout in principio artis apparet; quæ figura composita est ex sedecim cameris extendentibus lineas transversales de una camera ad alteram, ad significandum, quòd omnes cameræ habent concordantiam non in aliquo inter se contrariantes. In his autem cameris scriptæ sunt sedecim dignitates, quas intelligimus, in Deo esse, quæ sunt hæ, scilicet: *Bonitas*, *Magnitudo*, *Æternitas*, *Potestas*, *Sapientia*, *Voluntas*, *Virtus*, *Veritas*, *Gloria*, *Perfectio*, *Justitia*, *Largitas*, *Simplicitas*, *Nobilitas*, *Misericordia*, *Dominium*. Hæ dignitates sunt principia hujus artis, & in ipsis principiis diriguntur alia principia ipsius artis, inquirendo universale, in quo reperitur particulare artificialiter concordando cameras hujus figuræ sinè aliqua contrarietate, atque ponendo T. in prædictis cameris, prout ipsum in eas potest ingredi.

De secunda Figura ipsius A.

SEcunda figura ipsius A. dividitur in 136. cameras, prout in ipsa apparet, in cujus qualibet camera descriptæ sunt duæ dignitates primæ figuræ, quocirca tota prima figura ponitur in hac secunda, secundùm quòd apparet in figura demonstrativa, combinando omnes cameras duorum supremorum circulorum; *in quibus cameris in hac figura sunt principia & regulæ ad investigandum particularia, quæ quæruntur, eligente Artistâ illas cameras, quæ significant particularia, & ponente in eis T. secundùm Conditiones secundæ Distinctionis*; etiam in qualibet camera hujus figuræ oportet B. recolere triangulum lividum ipsius T., intelligente C., A. esse unum Deum tantùm, & eum esse unum per essentiam & naturam, atque dignitates ejus esse quamlibet idem, quod alia, & habere opus intra se ipsas & extra, prout in hac arte probatur.

De Figura S.

1. FIgura ipsius S. dividitur in *duas Figuras*, videlicet in *primam* & *secundam*:

De prima Figura ipsius S.

PRima figura est circularis, & componitur ex quatuor quadrangulis, prout manifestè

nifestè apparet in principio artis; in quibus quadrangulis sunt omnes literæ, quæ sunt ab A. usque ad S., & in medio ipsius figuræ existit S., prout in ipsa figura apparet: quatuor autem quadranguli hujus figuræ compositi sunt ex actibus & privatione ipsorum actuum trium potentiarum ipsius S., quæ potentiæ sunt hæ, videlicet memoria, intellectus & voluntas. S. autem unà cum istis tribus suis potentiis accipit objecta, seu dimittit, ût apparet in Alphabeto literarum, ex quibus quadranguli sunt compositi isto modo, scilicet, ipsis B. C. D. E. debet dari color lividus, & ipsis F. G. H. I. color niger, atque ipsis K. L. M. N. color rubeus, & ipsis O. P. Q. R. color viridis; sicut enim potentia sensitiva operatur cum suis quinque corporalibus sensibus, ita S. operatur cum suis tribus potentiis per quatuor prædictos quadrangulos accipiendo pro objectis A. T. V. X. Y. Z. & elementalem figuram, atque cætera objecta, quæ pertinent ad hanc artem.

2. E. autem semper & continuò accipit objecta per B. C. D., I. verò accipit objecta quandoque per F. G. H., quandoque per F. G. sinè H.: hoc autem est, quia F. G. quandoque sinè H., quandoque cum H. discurrunt per universalia, inquirendo particularia, prout amabilia sunt à D., seu odibilia ab H. Per E. I. formantur in hac arte quæstiones, argumenta & solutiones, atque necessariæ propositiones. Per N. verò in hac arte sunt suppositiones, fides & credulitas. Sed per R. sunt in ipsa arte dubitationes. Præterea E. est in hac arte per primam intentionem, & I. N. R. per secundam; etiam I. est per primam intentionem, & N. R. per secundam, atque N. per primam, R. per secundam.

3. Conditiones ipsorum E. I. N. R. multæ sunt, prout apparet in *secunda Distinctione*, idcirco in illa distinctione tractabimus de illorum conditionibus, prout T. subintrat eorum cameras.

De secunda Figura ipsius S.

1. SEcunda figura ipsius S. derivatur à prima, combinando literas alias cum aliis, quarum combinatione formantur 136. cameræ, ex quibus hæc figura est composita, quæ cameræ formantur per nonam figuram hujus artis in duobus supremis circulis volvendo alias literas in rectitudine aliarum, ad formandum cameras hujus figuræ.

2. *Regula generalis est in hac arte*, scilicet, quòd unum B. per se sumptum significat memoriam, & aliud B. significat memorari, & hoc idem etiam sequitur secundùm se de C. D. & de individuis ipsorum I. N. R.; præterea unum B. significat unum S., & aliud B. aliud S., sed hoc per modum relationis, sicut pars significat totum; & istud idem etiam sequitur de qualibet specie & de quolibet individuo ipsius S., discurrentibus F. G. cum T. per quamlibet cameram secundùm doctrinam, quæ exhibetur *per secundam Distinctionem in camera de S. S.*

3. Per hanc autem figuram Artista decurrens volvit cameras aliarum figurarum in objectis, quæ accipit, mutando cameras secundùm diversa tempora, & diversa objecta toties, quousque reperit particulare, quod inquirit.

4. Cameræ verò hujus figuræ sunt principia ordinata *in secunda Distinctione*, ubi T. subintrat cameras, prout subintrare potest artificialiter & regulatè. Per hanc figuram tota ars discurrit cum T.: etiam S. & T. se revolvunt in A. V. X. Y. Z. secundùm conditiones ipsius T., donec inventum sit particulare in universali per necessarias rationes.

5. In forma Alphabeti hujus figuræ per nonam figuram in duobus supremis circulis figurata est secunda figura ipsius A. & ipsius T. & ipsius V. & ipsius X. atque figuræ principiorum Theologiæ, Philosophiæ & Juris.

6. Etiam per hanc secundam figuram ipsius S. possunt recipi in præhabita nona figura omnes suprà dictæ figuræ.

7. M. est duplex, ût prædictum est, & ideo oportet ipsum judicari cum E. I. A. Y. Z. secundùm has cameras [E. A. Y.] [I. A. Y.] [M. Y.] [M. Z.] nam per antecedens & consequens camerarum cognoscitur, quando diligit, seu odit, eò quia per primam cameram significatur, quòd M. odit Z., atque per secundam apparet manifestè, quòd M. diligit ipsum Z.

De Figura T.

1. FIgura T. dividitur in *duas Figuras*, videlicet in *primam* & *secundam*:

De prima Figura ipsius T.

PRima figura est circularis ex quinque triangulis variorum colorum composita, prout apparet in figuris principiorum hujus artis, quorum triangulorum unus est *lividus* significans Deum in uno angulo &

creaturam in alio, atque in alio angulo operationem. Et alius triangulus est *viridis* significans in uno angulo differentiam, & in alio concordantiam, atque in alio contrarietatem. Alius verò triangulus est *rubeus* significans in uno angulo principium, in alio medium, & in alio finem. Alius etiam triangulus est *croceus* significans in uno angulo majoritatem, in alio æqualitatem, atque in alio minoritatem. Atque alius triangulus est *niger* continens in uno angulo affirmationem, in alio dubitationem, in alio negationem, *prout apparet manifestè in figuris principiorum hujus artis.*

2. Super unum angulum trianguli lividi, in quo scribitur Deus, continentur tres dictiones, quæ sunt hæ, scilicet: unitas, essentia, dignitates; & super alium angulum, in quo scribitur creatura, continentur hæ dictiones; sensualis, intellectualis, animalis; atque super alium angulum, in quo scribitur operatio, continentur hæ dictiones, intellectualis, naturalis, artificialis.

3. Super angulum viridem, in quo scribitur differentia, continetur, inter sensuale & sensuale, sensuale & intellectuale, intellectuale & intellectuale. Etiam in angulo, in quo scribitur concordantia, super continetur: inter sensuale & sensuale, & inter sensuale & intellectuale, & inter intellectuale & intellectuale; atque super angulum, in quo scribitur contrarietas, continetur istud idem; hoc enim est ad significandum, quomodo differentia est in tribus speciebus differentibus unâ ab alterâ, & quomodo concordantia & contrarietas habeatur inter ipsas, videlicet, in quo differunt, in quo concordant, & in quo contrariantur.

4. Super angulum rubeum, in quo scribitur principium, scribitur, temporis, quantitatis, causæ, & super angulum, in quo scribitur medium, scribitur, extremitatum, mensurationis & conjunctionis, atque in alio angulo, in quo scribitur finis, scribitur, causa finalis seu perfectionis, terminationis & privationis, ad significandum, quòd principium habet esse in tempore, quantitate & causa, & medium inter extremitates, mensurationes & conjunctiones, atque finis est causa finalis, terminatio & privatio.

5. In angulo croceo, in quo scribitur majoritas, scribitur in substantia & substantia, in substantia & accidente, in accidente & accidente, atque in ambobus aliis scribitur istud idem, eò quia secundùm diversos respectus oportet esse majoritatem, minoritatem & æqualitatem in subsantiis & accidentibus.

6. In angulo nigro, in quo scribitur affirmatio, scribitur, entis non entis, possibilis, impossibilis, & hoc idem scribitur in aliis duobus angulis nigris, ad significandum, quòd omnis affirmatio, dubitatio & negatio necessariò sit de ente, aut de non ente. Et omne, quod affirmatur, aut quod negatur, seu in quo dubitatur, oportet esse possibile seu impossibile de necessitate.

7. Præterea T. in medio quinque prædictorum triangulorum situatum est, comprehendens & significans omnia, quæ per ipsos quinque triangulos denotantur.

8. S. autem unà cum his quinque triangulis & cum angulis ipsorum triangulorum, qui anguli per se quilibet tres species sub se continent, discurrit inquirendo universale, & sequendo Modos, qui continentur, in *Distinctione de Intentione*, miscendo unum triangulum in alterum, & ponendo triangulos in cameris figurarum *secundùm condi-*
„ *tiones secundæ Distinctionis*; „ unde sicut
„ Artifex mediantibus suis instrumentis o-
„ peratur formam artificialem, ita ipsum S.
„ ea, quæ operatur in hac arte, operatur me-
„ diante T., ponendo ipsum in suis potentiis
„ objectivè, & ponendo ipsum in cameris
„ figurarum, prout in eis potest recipi.

De secunda Figura ipsius T.

1. A Prima figura derivatur secunda, quæ in 120. cameras dividitur, combinando quindecim cameras primæ figuræ & in qualibet camera oportet T. poni secundùm suas conditiones ad inveniendum particulare, quod inquiritur; & nisi cum una camera possit inveniri, oportet, quòd cum alia camera inquiratur, eligendo semper cameras ipsorum T. S., in quibus ipsum particulare meliùs denotatur, & cum quibus ipsum particulare majorem similitudinem habet quàm cum aliis cameris.

2. Quælibet harum 120. camerarum est universale cum conditionibus aliarum camerarum, etiam quælibet est subjectum seu materia ipsi S., ut investiget in ea particulare, quod quærit, de qua materia procedit forma objecta ipsi E., quæ forma significat in materia particulare, quod per C. convenit ipsi D., & quod per G. convenit ipsi H., concordante ipso Y. cum E., & dante ipsum Z. pro objecto ipsi H.

De

De Figura V.

1. FIgura ipsius V. dividitur in *duas Figuras*, videlicet in *primam* & *secundam*:

De prima Figura ipsius V.

PRima figura est circularis, composita ex quatuordecim cameris, quarum septem sunt de virtutibus, cæteræ septem sunt de vitiis, secundùm quòd apparet in circulari figura ipsius V., quæ est in principiis hujus artis. Septem igitur virtutes, quæ in ipsa figura continentur, sunt hæ, videlicet: *Fides, Spes, Charitas, Justitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia:* hæ autem septem virtutes ponuntur in hac arte esse V. lividum, eò quòd sunt scriptæ colore livido. Septem verò vitia sunt septem peccata mortalia, scilicet: *Gula, Luxuria, Avaritia, Superbia, Acedia, Invidia, Ira:* hæc vitia ponuntur in hac arte esse V. rubeum, eò quia sunt scripta colore rubeo.

2. In hac autem figura sunt lineæ transversales lividæ & rubeæ; V. verò existens medium rubeum & medium lividum in medio linearum situatum significat per hoc, quòd est lividum & rubeum, quòd comprehendit ipsas virtutes & vitia, sed lineæ lividæ transversales tendentes ab una camera virtutis in alteram significant & ostendunt, quòd omnes virtutes duobus modis sunt concordes, unus est, dum inter se concordant, sed alius modus est, dum inter se concordant contrariando vitiis; & hoc idem sequitur de vitiis, quæ habent lineas rubeas tendentes ab una camera vitiorum in alteram, quæ vitia inter se concordant, & contrariantur virtutibus.

3. Hæc figura est objecta ipsi S., ut ipsum S. per eam habeat meritum, & per meritum habeat gloriam, & per gloriam cognoscat & diligat A.: atque V. rubeum est, ut sit objectum ipsi H. Unde cùm hoc ita sit, ideo V. est per D. & per H. secundùm causam finalem, atque secundùm principium. V. lividum est creatura, sed V. rubeum nihil est, hoc est, privatio, ad quam ipsum inclinat ipsum S., dum V. lividum ipsi H., & V. rubeum ipsi E. attribuitur pro objecto.

4. Secundùm ea, quæ jam dicta sunt, significatur, quomodo V. ex principiis est compositum, cum quibus principiis investigatur particulare, quod quæritur, quod V. habet multas filias, quæ derivantur de cameris ipsius V., prout S. eas accipit pro objecto, quæ sunt hæ, videlicet: *Castitas, Conscientia, Devotio, Incredulitas, Desperatio* &c.

De secunda Figura ipsius V.

1. SEcunda figura ipsius V. derivatur à prima, & est composita ex 105. cameris combinando unam dictionem cum altera, & quælibet camera est universale, in quo debet indagari particulare secundùm conditiones *secundæ Distinctionis*, ponendo T. in qualibet camera, donec E. inveniat particulare, quod sibi convenit secundùm Y., & donec I. habeat particulare, quod sibi convenit secundùm H. Hæc figura est duplex, ideóque debet judicari cum A. Y. Z., quod est, quia, quando fit hæc camera [E. A. V. Y.], tunc significatur V. lividum, sed quando fit hæc camera [E. V. Z.], tunc denotatur V. rubeum, & hoc est ideo, quia V. lividum convenit cum A. Y., sed V. rubeum semper convenit cum Z., & quod sequitur de E., illud idem sequitur de I. N. R. secundùm qualitates specierum ipsius S.

De Figura X.

1. FIgura ipsius X. dividitur in *duas Figuras* videlicet in *primam* & *secundam*:

De prima Figura ipsius X.

PRima figura est circularis continens in se 16. cameras, quæ sunt hæ: videlicet, *Prædestinatio, Esse, Perfectio, Meritum, Suppositio, Immediatè, Realitas, Potentia, Liberum Arbitrium, Privatio, Defectus, Culpa, Demonstratio, Mediatè, Ratio, Objectum.*

2. In hac figura sunt lineæ transversales tendentes ab una camera in alteram, ad denotandum, quòd cameræ hujus figuræ quandoque concordant inter se, & quandoque contrariantur; hoc autem est immediatè & mediatè; idcirco hæc figura quàm plurimùm est necessaria huic arti, ponendo T. in ipsa figura, ut E. possit invenire Y., & I. ipsum Z.

3. In medio hujus figuræ est X. situatum comprehendens & significans omnes cameras hujus figuræ, & secundùm antecedens, & consequens solutionis significatur una camera, seu quædam cameræ, ita quòd non alia seu aliæ; & ideo ars vult, quòd totum X. non intelligatur in solutione quæstionis, imò potiùs quòd aliqua camera, seu cameræ ipsius X. tantummodo assignentur quæstioni aut solutioni, secundùm conditiones *secundæ Distinctionis.*

De secunda Figura ipsius X.

1. SEcunda figura ipsius X. composita est ex 136. cameris, & derivatur à prima; etiam quælibet camera hujus secundæ figuræ est universale, in quo inquiratur particulare, ponendo in ea T. secundùm conditiones *secundæ Distinctionis.*

2. Præterea prædestinatio & liberum arbitrium sunt realiter concordes per A., & opponuntur inter se secundùm C. L., atque esse & privatio opponuntur inter se immediatè, sed mediatè sunt concordes; & hoc idem sequitur de cæteris dictionibus ipsius X., ex quibus hæc secunda figura est composita, prout exemplificatur in *secunda Distinctione.*

De Figura Y. & Z.

1. YIn hac arte exiſtit per primam intentionem, Z. verò per ſecundam; & ideo D. movetur ad ipſum Y., & H. ad ipſum Z., ut N. deſtruendo R. poſſit converti in E. I.; unde de his duabus figuris, quæ ſunt Y. Z., tractabimus in *ſecunda Diſtinctione*, hîc verò non multùm prolixè tractamus, cùm ex ipſis nulla figura componatur.

De Figura Elementali.

1. FIgura Elementalis dividitur in *duas Figuras*, videlicet in *primam* & *ſecundam:*

De prima Figura Elementali.

PRima figura eſt quadrangularis, ût apparet in principiis hujus artis; ſecunda verò triangularis, quæ ſecunda figura eſt compoſita ex decem cameris: ex igne, aqua, aëre, terra, &c.: prima continet in ſe quatuor figuras, in quarum qualibet comprehenduntur 16. cameræ ad ſignificandum, quomodo elementa exiſtunt in mixto, & quomodo intrant in compoſitionem per digeſtionem, & quomodo unum elementum dominatur ſuper alia elementa ſecundùm complexiones & humores.

2. Igni attribuitur color rubeus, & aëri lividus, & aquæ viridis, atque terræ color niger; & hoc eſt ideo, quia colores diverſificant cameras, prout quidam color meliùs convenit cum uno elemento, quàm cum altero. Elementa ſunt gradata, prout apparet in cameris hujus figuræ, quæ cameræ ſignificant ſuppoſita, & ſignificant mixtum & digeſtionem, prout determinatur in *principiis Philoſophiæ & Medicinæ.* In his autem cameris ſunt formæ ſimplices & compoſitæ, habente quâlibet earum ſuam propriam materiam. Unde de hoc modo non hîc tractandum eſt ulteriùs, nam *in ſecunda Diſtinctione* tractabimus de eo ſufficienter, prout huic arti convenit, de quâ tractamus magis compendiosè, prout poſſumus.

De ſecunda Figura Elementali.

1. SEcunda figura Elementalis eſt compoſita ex decem cameris, exiſtens ex principiis naturæ, & ponitur in hac arte ad reſpondendum quæſtionibus naturalibus, prout T. conditionatè ſubintrat cameras, formando eas in nona figura. *Hæc figura elementalis in hac arte quàm plurimùm eſt neceſſaria, eò quia per ipſam dirigitur Artiſta ad habendam cognitionem cæterarum figurarum; hoc enim eſt, quia in operibus naturalibus ſignificantur opera intrinſeca & extrinſeca ipſorum A. S. V., diſcurrente T. per elementalem figuram & per A. S. V. cum X. T. Z.; idcirco in hac arte dantur diverſimodæ ſimilitudines, exempla & metaphoræ per elementalem figuram, ſequendo conditiones ſecundæ Diſtinctionis.*

2. Prima camera, quæ eſt [ignis ignis] atque cæteræ cameræ Elementorum ſignificant in T. comparationem unius dictionis ad alteram, ſcilicet ipſius A. & A., *creaturæ & creaturæ, operationis & operationis, unitatis & unitatis, eſſentiæ & eſſentiæ, dignitatis & dignitatis, animalis & animalis, intellectualis & intellectualis, ſenſualis & ſenſualis, naturalis & naturalis, artificialis & artificialis;* & hoc idem ſequitur de cæteris triangulis ipſius T.; idcirco per ſignificationem ignis & ignis, aëris & aëris, & cætera, ſignificantur ſimiles dictiones, quæ ſunt in angulis ipſius T., ût prædictum eſt; quoniam verò hoc ita eſt, ideo in quolibet angulo ipſius T. poteſt formari camera in nona figura, faciendo comparationem unius dictionis ad alteram, videlicet Dei & Dei, & ſic de aliis, ût ſtatim dictum eſt in præmiſſis.

De Figura Demonſtrativa ſeu Nona.

1. NOna figura hujus artis *Demonſtrativa* appellatur, quæ dividitur in *duas Figuras*, ſcilicet in *primam* & *ſecundam:*

De prima Figura Demonſtrativa.

PRima harum figurarum in *principiis hujus artis eſt, ubi aliæ figuræ ſunt, quæ primæ dicuntur;* hæc autem figura eſt compoſita ex 6. circulis volubilibus, & ex una rotula volubili in medio circulorum exiſtente, in qua ſcriptus eſt unus triangulus quinque triangulos ipſius T. repræſentans, & eſt facta ex circulis, concludente uno circulo alterum, ad ſimilitudinem ponderum ſibi invicem ſucceſſivè inſertorum & unus clavus eſt in medio fixus conſervans circulos, ne valeant ſeparari: duo verò circuli primi ſuper ipſam rotulam poſiti compoſiti ſunt ex elementali figura, atque duo ſuperiores circuli ordinati ſuper duos primos compoſiti ſunt ex A. S. T. V. X. Y. Z.; ſed duo ſupremi omnes prædictos circulos intra ſe concludentes compoſiti ſunt ex alphabeto ipſius S. & ipſorum A. T. V. X., atque ex principiis Theologiæ, Philoſophiæ & Juris; & multa alia principia ſcientiarum poſſunt eſſe in ipſo alphabeto, ſequendo ordinationem hujus artis.

Hæc figura autem in ſe continet & comprehendit omnes alias figuras hujus artis, prout dictum eſt in præmiſſis; etiam omnes cameræ aliarum figurarum in hac figura poſſunt formari volvendo circulos debito modo, atque in qualibet camera oportet T. poni, ut demonſtret ea, quæ quæruntur, ſalvando cuilibet cameræ ſuam formam & ſequendo regulas *ſecundæ Diſtinctionis.*

De ſecunda Figura Demonſtrativa.

HÆc præſens figura eſt compoſita ex 28. cameris exiſtens generalis omnibus aliis figuris hujus artis; & ideo, ſecundùm quòd in circulis formantur cameræ hujus figuræ ipſos volvendo, oportet T. poni in ipſis cameris, conſervando conditiones cujuslibet cameræ, affirmando ſeu negando; quia ſi affirmativa ſit contraria conditionibus camerarum, oportet eam converti in negativam, & è converſo; atque in hoc puncto exiſtit tota vis & ordinatio hujus artis, ſcilicet quâlibet camerâ exiſtente univerſali, in quo oportet inveſtigari particulare, quod quæritur; quod particulare habet majorem ſimilitudinem cum aliqua camera, quàm cum alia, ponendo T. in illam cameram, prout in ea poteſt recipi, ſalvando ſuas conditiones & ipſius cameræ.

De Figura Principiorum Theologiæ.

1. HÆc figura in hac arte eſt addita, ut ipſa ars ſit magis generalis, quia ex quò pluribus principiis eſt compoſita, eò magis eſt generalis. Principia hujus figuræ ſunt hæc, ſcilicet: *Eſſentia, Vita, Dignitates, Actus, Forma, Relatio, Ordinatio, Actio, Articuli, Præcepta, Expoſitio, Prima Intentio, Secunda Intentio, Gloria, Pœna, Ævum.* Ex his 16. principiis hæc figura eſt compoſita, in qua ſunt 136. cameræ, quæ ſunt univerſalia, in quibus debent inveſtigari per T. particularia Theologiæ ſecundùm conditiones *ſecundæ Diſtinctionis.*

2. In hac autem figura ſignificat *Eſſentia* eſſe ipſius A., & *Vita* ſignificat vitam ipſius eſſentiæ; atque hæ *Dignitates* hujus figuræ ſignificant illas dignitates, quæ ſignificantur in ſecunda figura ipſius A.; *Actus* verò eſt opus ipſarum dignitatum; & *Forma* eſt ordinatio ipſius operis; atque *Relatio* eſt actus, qui cuilibet dignitati convenit, videlicet: bonitati bonificare, magnitudini magnificare, æternitati æternificare, poteſtati poſſificare, ſapientiæ intelligere, & ſic de aliis; quoniam, ſi bonitas ſit in A., oportet bonificare in eo eſſe; & hoc idem ſequitur de aliis dignitatibus ejus; *Ordinationem* verò dicimus eſſe, dum ordinatè quælibet dignitas divina fruitur intrinſecè & extrinſecè ſuo actu; *Actio* ſignificat, quòd A. habet actionem in omnibus creaturis; & *Articuli* ſunt ea, quæ N. credit de Deo; atque *Præcepta* ſunt ea, quæ A. præcipit homini operari per V. Y. contra V. Z.; *Expoſitio* eſt illa expoſitio, quæ fit in ſcripturis; *Prima Intentio* eſt cauſa finalis; *Secunda* verò *Intentio* eſt id, quod ſe habet ad finem; *Gloria* eſt Paradiſus; *Pœna* verò infernus; atque *Ævum* eſt æternitas, habens principium, & exiſtens ſinè fine; ad quod ævum S. eſt creatum.

3. Hæc omnia principia per ſe probabilia ſunt & conditionabilia ſecundùm conditiones aliorum principiorum, ſcilicet ipſorum A. S. T. V. X. & ſecundùm *ſecundam Diſtinctionem* atque ſecundùm ordinationem hujus artis.

De Figura Principiorum Philoſophiæ.

HÆc figura Philoſophiæ ex 136. cameris eſt compoſita, & ex 16. principiis ipſius Philoſophiæ; quæ principia ſunt ſcripta in cameris hujus figuræ, de quibus tractatur in illo *libro*, qui dicitur *Principia Philoſophiæ*, probando ea & conditionando. Unde prout ipſa principia probata ſunt & conditionata in illo libro, utendum eſt eis in hac arte ad

ad inquirendum illud particulare Philosophiæ, quod quæritur, discurrente T. per quamlibet cameram, secundùm quòd in ipsis cameris potest recipi salvis conditionibus ipsius T. & ipsorum S.A.V.X.Y.Z. & prædictarum camerarum atque sequendo regulam *secundæ Distinctionis*.

De Figura Principiorum Juris.

1. HÆc est figura Juris, quæ ex 16. principiis est composita, prout apparent scripta in cameris ipsius figuræ, quæ sunt 136. universàlia, in quibus potest investigari quodlibet particulare Juris; quam investigationem oportet fieri discurrente T. per quamlibet cameram, prout camera seu cameræ ipsius figuræ habent concordantiam & similitudinem cum particulari seu particularibus, quoniam secundùm qualitatem particularis & differentiam camerarum aliquod particulare meliùs convenit cum quadam camera quàm cum aliquibus cameris.

2. Principia verò hujus figuræ jam probavimus & conditionavimus in *illo libro*, qui dicitur *Principia Juris*; & ideo secundum illas conditiones & secundùm regulam *secundæ Distinctionis* utimur istis principiis in hac arte demonstrativa, eò quia omnes quæstiones & omnes Casus Juris possunt dirigi ad hæc 16. principia secundùm dispositionem hujus artis.

INCIPIT
SECUNDA DISTINCTIO
QUÆ EST
De Conditionibus.

1. SEcunda Distinctio hujus artis dividitur in *duas Partes*, quarum *prima* est de conditionibus, quæ conveniunt secundæ Figuræ Elementali; *secunda* verò est de conditionibus, quæ conveniunt secundæ Figuræ Demonstrativæ; unde in his duabus figuris comprehenduntur omnes conditiones hujus artis, ad quas conditiones inducimus omnes cameras ponendo T. in cameris prædictarum duarum figurarum ad conditionandum ipsas cameras, ut per earum conditiones conditionentur aliæ cameræ, quæ sunt de A.S.T.V.X.Y.Z.

2. Quoniam autem sensualiter sentimus, & quia intellectualiter intelligimus, & quia primò sentimus, & posteà intelligimus, idcirco intendimus primitùs conditionare primam partem, quæ convenit cum sensualitate, deinde conditionabimus secundam partem, quæ convenit cum intellectualitate.

INCIPIT
PARS I.
DISTINCTIONIS SECUNDÆ,
QUÆ EST
De Conditionibus secundæ Figuræ Elementalis.

SEcunda Figura Elementalis dividitur in decem cameras, prout suprà scriptum est; unde secundùm ordinem primò proponimus tractare de prima earum, & per consequens de aliis ordinatè; & sicut unam ex his cameris conditionabimus, eodem modo significatur, alias esse conditionatas; itaque per conditiones unius cameræ potest conditionari alia camera. Verùm quia proponimus inferre diversas conditiones, evitantes multoties replicare similes conditiones, ideo variamus conditiones camerarum in qualibet earum, quantùm possumus.

Camera 1.
[*Ignis*, *Ignis*.]

1. TRiangulo livido existente in camera, ignis ignis, ipsa camera conditionatur hoc modo, scilicet: quòd quilibet ignis sit Creatura, & A. Creator, & quòd ignis sit opus artificiale ipsius A., & quòd habeat opus naturale; quod opus habet quisque ignis ad significandum naturale opus, quod A. habet in se ipso, & illud opus, quod habet extra se ipsum: ideóque ignis simplex operatur in se compositum de se ipso; & quoniam in illo opere habentur accidentia progredientia de virtute substantiæ, quibus per compositionem elementorum subjecta est universalis materia, idcirco ignis simplex ita perfectè nequit operari in se ipso, sicut A., quod est unum per essentiam, entitatem, opus & substantiam absque aliqua compositione; unde cùm hoc ita sit, si aliquod particulare, quod

quod quæritur, conveniat cum hoc, quod jam de prædicta camera dictum est, ipsum quoque est affirmabile; si verò contrarietur prædictis conditionibus ipsius cameræ hoc modo: videlicet A. non esse Creatorem, nec ignem esse creaturam, nec opus ipsius A. esse super opus ignis in nobilitate, simplicitate, virtute, tale particulare est negabile manifestè.

2. Per triangulum viridem intelligitur, differentiam esse inter ignem simplicem & ignem compositum; nam simplex forma ignis habet simplicem materiam igneam, quæ simplici formæ igneæ substat: ignis verò compositus est pars ignis simplicis, existens in substantia composita ex omnibus quatuor elementis, & in materia aggregata composita ex materia ignea, aërea, aquatica & terrestri, quæ materia substat communi formæ ignis, aëris, aquæ & terræ, atque ex communi materia & forma constituitur suppositum, in quo ignis simplex & ignis compositus habent concordantiam per modum generationis & relationis; habent quoque contrarietatem per actionem & passionem, per visibilitatem & invisibilitatem, per generabilitatem & ingenerabilitatem, per corruptionem & incorruptionem. Unde cùm hoc ita sit, si aliquod particulare, quod quæritur, disconvenit à camera, prout in ea triangulum viridem jam posuimus, tale particulare est negabile in solutione quæstionis: si verò cum camera & triangulo viridi convenit, tunc ipsum particulare est affirmabile. Etiam hæc eadem regula continetur in omnibus aliis cameris, & per omnes triangulos, atque per omnes angulos eorum.

3. Per triangulum rubeum intelligitur, ignem simplicem esse principium ignis compositi; & quoniam ignis simplex per se nequit operari in se ipso absque cæteris elementis, ideo incipit in sua entitate & natura generare ignem compositum, qui totus simplex esset, nisi alia elementa in eo essent, & quia in eo sunt, ideo ipsa sunt medium, per quod ignis simplex principiat in se ipso ignem compositum; & quia ignis simplex in se ipso quærit perfectionem sui operis, idcirco habet naturalem appetitum ad suum finem, & ideo est principium & finis ignis simplicis, & ignis compositus est medium & subjectum operis ejus.

4. Triangulus croceus significat in camera, ignem simplicem esse majorem in virtute, quàm ignem compositum; & ideo virtus remanet in potentia in igne simplici propter suam magnitudinem, quia nunquam potest tota recipi in igne composito; & cùm deficit suppositum, tunc ex illa virtute, quæ existebat in potentia, progreditur virtus subintrans alterum suppositum, & conservat virtutem, quæ priùs in igne composito existebat; & quoniam ignis simplex de sua natura generat ignem compositum, idcirco sunt ambo æquales in specie & entitate, sicut Pater & Filius, qui sunt æquales in specie & natura humana.

5. Per triangulum nigrum oportet affirmare in camera omne id, per quod conditiones triangulorum possunt conservari, atque oportet negare omne id, per quod ipsæ conditiones destruerentur: etiam oportet dubitare in omni eo, per quod aliæ conditiones aliis essent contrariæ, & destruerent concordantes, aliis triangulis conservantibus alios.

Camera 2.
[*Ignis*, *Aëris*.]

1. PEr triangulum lividum conditionatur camera ignis & aëris esse creatura ipsius A.; etiam conditionatur, eò quia ignis in aëre operatur calefaciendo & attribuendo ei calorem.

2. Per triangulum viridem fit differentia inter ignem & aërem in hoc, quia ignis de sua natura est calidus, aër verò de sua natura est humidus; etiam concordantia inter ipsos duos est in hoc, quia ambo habent appetitum, videlicet ignis ad calefaciendum aërem, aër verò ad recipiendum calorem ab eodem; & contrarietas inter ipsos duos est in hoc, quia ignis recipit siccitatem contra aërem, & aër calorem receptum ab igne tribuit aquæ in humiditate calefacta.

3. Per triangulum rubeum intelligitur, ignem esse principium operi aëris, eò quòd ipse aër recipiens calorem operatur in aliqua parte aquæ in se ipso, quia operari nequiret absque mortificatione frigiditatis; & aër est principium mortificationi caloris, eò quòd propter magnam abundantiam humiditatis, in qua viget modicus calor, multiplicatur frigiditas in terra contra siccitatem; medium verò ignis & aëris est siccitas & frigiditas existens inter ipsos duos, videlicet siccitas, quam ignis accipit à terra, & tribuit aëri influendo calorem in eum; in qua siccitate est frigiditas, quam aqua influit in ter-

ram, ex qua ignis recipit illam siccitatem frigefactam; & finis ipsorum duorum est suppositum, ad quod generandum vel corrumpendum ipsi ambo habent appetitum, secundùm quòd suppositum est magis inclinatum ad qualitatem unius elementi quàm alterius.

4. Per triangulum croceum intelligitur, ignem esse majorem aëre per sphæram, per velocitatem & per nobilitatem virtutis; etiam intelligitur, aërem esse majorem igne in conservando vitam & in corpore sanguineo; & ambo sunt æquales in justitia secundùm proportionem suppositorum, quæ ipsi intrant in mixtione, digestione & compositione.

5. Metaphoricè loquendo affirmat ignis, quòd calefaciendo aërem inveniet suam perfectionem, & mortificabit aquam, sed quia aër infundit in aquam calorem in materiam subjectam humiditati, tunc ignis habet dubitationem, quòd veniat ad finem hujus, quod appetit; idcirco per corruptionem negat se posse invenire suam perfectionem in illo supposito, quod corrumpit; & hoc idem potest intelligi de aëre.

Camera 3.
[*Ignis, Aquæ.*]

1. IN triangulo livido intelligitur, Deum esse Creatorem totius cameræ ignis & aquæ, & ideo oportet totum opus hujus cameræ esse creatum; ignis autem operatur in aqua, & è converso, & hoc contrariando, ad significandum, opus ipsius A., quod habet in se ipso, esse concordans absque aliqua contrarietate.

2. Differentia est inter ignem & aquam, in quantum ignis calefacit aërem, & aqua infrigidat terram; concordantia verò est inter ignem & aquam, & hoc tantùm per medium, quia ignis habet concordantiam cum aëre in calore, qui aër propter humiditatem convenit cum aqua, & aqua propter suam frigiditatem convenit cum terra, quæ propter suam siccitatem concordat cum igne; & contrarietas est inter ignem & aquam, eò quòd ignis mortificat aquam in se ipso & in aëre & in terra; quæ aqua est ingressa in aërem, tribuente terrâ siccitatem, quæ habet in se frigiditatem, igni, quam aquam ignis tribuit aëri dando illi calorem, per quem aqua mortificatur; & hoc idem sequitur de mortificatione caloris, quam aqua agit contra ignem.

3. In corpore cholerico ignis est principium aquæ; præterea ignis est medium, per quod aër recipit aquam calefactam, desiccatam & humefactam propter regressum, quem elementa faciunt alia in alia; & finis, qui est finalis intentio ignis, est id, per quod aqua constringitur ab igne: finalis verò intentio aquæ est id, quod aqua subdita igni operatur ex libero appetitu naturali.

4. Ignis est major aquâ per formam, aqua verò major igne per materiam; & ideo ignis per virtutem est major, quàm sit aqua; etiam ambo sunt æquales secundùm se absolutè in mensuris levitatis & gravitatis; quia, in quantum ignis est levis secundùm se, in tantum aqua est gravis secundùm se.

5. Metaphoricè loquendo, quantò plùs ignis habet inclinationem ad assimilandum sua accidentia suæ substantiæ in entitate & natura, tantò plùs affirmat & opinatur (ùt ita dicam), se expellere & removere aquam ab illa substantia, ut ipsam substantiam possit simplificare & purificare ab omni contrarietate & compositione; & quantò majorem dominationem ignis habet in hoc opere, tantò plùs sua accidentia eidem auxiliantur ad perficiendam suam intentionem, & magis inclinant aquam ad negationem, ut ignis in illo corpore inveniat suam perfectionem; sed quantò plùs aqua resistit igni repræsentando ei impossibile, quòd ipsa ab illa substantia possit expelli, tantò magis cadit ignis in dubitationem, (sic loquendo).

Camera 4.
[*Ignis, Terræ.*]

1. AEst Creator cameræ ignis & terræ; ideo ipsa camera est creatura; & quoniam ignis nequiret dare calorem, nisi à terra reciperet siccitatem, ideo formatur in hoc opere ipsius ignis, quòd A., quod habet majus & nobilius opus quàm ignis, operatur in se, absque eo, quòd in se ipso habeat indigentiam recipiendi aliquam perfectionem extra suam naturam.

2. Differentia est inter ignem & terram, eò quòd ignis recipit, & terra tribuit; nam ignis evacuat terram ab ea recipiendo siccitatem, & terra implet ignem intrando in eum: terra verò ab igne progrediens & cum calore intrans in aërem habet concordantiam cum actu ignis; cum quo igne habet contrarietatem, cùm in eum ingreditur cum frigiditate, & cùm ipse ignis intrat in aërem cum calore desiccato.

Ignis

3. Ignis est principium ascensui terræ, terra verò descensui ignis; quem descensum ipse ignis facit usque sub sphæram aquæ: medium verò, quod est inter ignem & terram, est materia ignis subjecta desiccari, atque materia terræ subjecta evacuari; sed causa finalis, quare ignis descendit ad recipiendam siccitatem, est, eò quòd quærit simplicem conjunctionem materiæ & formæ igneæ, ut illud possit esse simplex corpus; & hoc idem eodem modo sequitur de ascensu terræ.

4. In grano piperis ignis est in majori gradu, quàm terra; quia ille est in quarto gradu, illa verò in tertio; hoc enim est, quòd ignis per se naturaliter est calidus, & siccus per terram, pipere existente calidæ & siccæ complexionis. Æqualitas verò ignis & terræ est in hoc, quòd ignis existit in primo gradu, ubi aqua existit in quarto, atque terra existit in primo, ubi aër existit in quarto.

5. Omne id, per quod ignis & terra habent majorem concordantiam naturaliter, est affirmabile; & sic per consequens omne id est affirmabile, per quod appetitus naturalis est major in eis: ideo omne id est negabile, per quod ignis & terra habent minorem concordantiam, & omne id, per quod appetitus naturalis in eis est minor, sicut appetitus ignis & terræ, qui esset minor, si ignis & terra in suis sphæris existerent simplicia corpora, existente aquâ & aëre in medio ignis & terræ; propter quod medium impediretur participatio ignis & terræ; unde cùm hoc ita sit, si dubitetur, ignem & terram in suis sphæris esse simplicia corpora, vel non esse, propter majorem appetitum naturalem de necessitate oportet, majorem dubitationem esse negabilem, & minorem dubitationem esse affirmabilem.

Camera 5.
[*Aëris, Aëris.*]

1. AEst Creator aëris simplicis & aëris compositi; ille verò aër, qui est simplex, operatur sub regula & influentia ipsius A. & sub regula intelligentiæ & vitæ orbis, quæ est *Quinta Essentia*: sub hac verò regularitate operatur naturaliter aër simplex in aëre composito, habens appetitum naturalem ad conservandum individua specierum, quæ magis ei conveniant, quamvis nullam habeat intentionem, quæ conservat per universalia principia, quæ sunt materia & forma; quoniam sicut in motu sagittæ, quæ propter impulsionem seu impetum arcùs movetur ad locum signatum per imaginationem sagittarii, deficit naturalis appetitus & motus; ita à contrario sensu oportet propter influentiam supremorum principiorum, quòd aër habeat naturalem appetitum ad generandum finem, per quem antè dictæ species habent conservationem; & ista necessitas est ad hoc, ut in nobilitate effectûs significetur nobilitas causæ.

2. Inter aërem simplicem & aërem compositum est differentia; quia aër compositus est accidentaliter & est per diversa accidentia, quia aër simplex, componendo compositum, componit illum cum aliis accidentibus, quæ nec ex sua virtute, nec ex sua natura egrediuntur; & talia accidentia sunt partes & formæ ignis aquæ & terræ; & ideo omnis substantia est distincta à suis accidentibus in entitate & natura; quæ distinctio non esset, si quodlibet accidens posset egredi ex simplici substantia & virtute. Unde cùm hoc ita sit, ideo propter differentiam substantiæ & accidentium est concordantia & contrarietas inter substantiam & sua accidentia, prout elementa sunt diversa, concordantia & contraria per qualitates.

3. Finalis intentio est principium principii secundæ intentionis; medium verò existit in medio duarum intentionum; sed quoniam simplex aër est prior in nobilitate quàm aër compositus, idcirco est priùs ad finalem intentionem, quàm aër compositus; quâ prioritate aër simplex est principium aëris compositi, cætera verò elementa sunt medium eorum.

4. Aër simplex est quædam pars communis & absoluta, cui substant omnes partes aëris compositi cum aliis partibus cæterorum elementorum compositorum: & ideo manifestè patet, aërem simplicem esse majorem, & aërem compositum esse minorem; atque aër simplex ingreditur aërem compositum, in quantum partes aliorum elementorum compositorum eum permittunt ingredi compositionem. Æqualitas verò aëris simplicis & aëris compositi existit in supposito, unâ simplici parte commensuratâ multis partibus compositis secundùm quantitatem, & existente unum corpus cum aliis partibus aliorum elementorum; atque illæ multæ partes, de quibus producitur aër compositus, substant simplici parti aëris in virtute & regimine, & illa pars simplex habet majoritatem super partes illas, *prout*

 apparet

apparet in principiis Medicinæ, & Philosophiæ, in quibus tractamus de septimo puncto.

5. Affirmandum est, aërem compositum esse actum seu operationem aëris simplicis, quoniam sicut C. nequit intelligere sinè B., ita nec aër simplex potest operari sinè compositione humiditatis, caliditatis, frigiditatis & siccitatis; unde cùm hoc ita sit, ideo negandum est, quòd aër, qui intrat in aquam, non differat ab aëre, quem aqua intromittit in terram, cùm aër intret in aquam per generationem, & in terram per corruptionem; quæ corruptio convenit cum minoritate, generatio verò concordat cum majoritate; & hoc non cadit in dubitationem.

Camera 6.

[*Aëris, Aqua.*]

1. A. Est Creator hujus cameræ aëris aquæ, & sic secundùm relationem aër & aqua sunt creaturæ ipsius A.; etiam A. operatur ipsam cameram bonificando, magnificando, volendo &c., absque motu suæ bonitatis, magnitudinis, voluntatis &c., aër verò in aqua nequit operari absque motu, tempore, loco &c.

2. Differentia est inter aërem & aquam; quia aër est humidus, aqua verò frigida; & est concordantia eorum, eò quia aër tribuit humiditatem aquæ, & aqua ipsam humiditatem recipit in se ipsam, evacuante aëre subjectum suæ humiditatis, & replente subjectum frigiditatis aquæ; sed quoniam aër in subjecto frigiditatis aquæ intromittit materiam calefactam & subjectam humiditati & calori, idcirco aër est contrarius aquæ; & quoniam ipsa aqua illam materiam calefactam tradit subjecto siccitatis terræ, idcirco per similem modum aqua est contraria aëri.

3. Aër est principium introitûs ignîs in aquam, recipiente ipso aëre calorem, & tribuente eum aquæ, attribuendo ipsi aquæ humiditatem, & tale principium incipit tunc, quando incipit conjungere unam partem cum altera, videlicet unum punctum cum altero, & quando collocat quasdam partes in aliis; & istud principium est medium, per quod tempus, locus, motus, quantitas, qualitas, actio, & passio existunt in intrinsecitate substantiæ habentis in se ipsa secundum actum suorum accidentium, quæ ex sua virtute oriuntur: & finis est, ut partibus elementorum debitè aggregatis & unitis sit ipsa substantia: & istud idem sequitur de aqua in terra, & de terra in igne, atque de igne in aëre.

4. Aër & aqua habent majoritatem absque medio, minoritatem verò habent cum medio, videlicet, quia aër habet majorem actum tribuendo, & aqua recipiendo humiditatem absque medio, quod non est actus, quem aër & aqua habent, aquâ transeunte per terram & per ignem in aërem cum siccitate aëri contraria, & cum calore contrario sibi ipsi, in qua contrarietate fit æqualitas aëris & aquæ, ob quam æqualitatem formatur justitia naturalis; nam dum aqua transmutatur per terram & per ignem, & nascitur in aërem, tunc est ita mortificata, sicut aër mortificatur, quando transmutatur per aquam & per terram, & nascitur in ignem.

5. Affirmandum est, aquam esse in secundo gradu, & ignem in tertio, & terram in primo in illo supposito, in quo aër est in quarto; nec oportet dubitare, quòd, quando aër intrat compositionem cum aqua, non amittat suam formam simplicem, quia si hoc faceret, non esset, qui conservaret suam naturam in supposito habente in se unam communem materiam & formam substantem simplicibus formis omnium elementorum, quæ formæ essent in privatione in quolibet supposito absque una communi forma simplici substante per essentiam omnibus formis particularibus naturalibus.

Camera 7.

[*Aëris, Terra.*]

1. Deus est Creator hujus cameræ aëris terræ, & operationis ejusdem cameræ, & ideo in ipsa camera sunt duo actus, quorum unus est primus, alter verò secundus; primus enim est de existentia, secundus verò de operatione.

2. Aër & terra habent differentiam secundùm materiam & formam, atque secundùm suas sphæras; nam sphæra aëris est circularis, sphæra verò terræ est rotunda, habens unam superficiem tantùm. Etiam aër & terra habent contrarietatem per qualitates & motus, atque per multos alios modos, sed habent concordantiam per medium, scilicet per ignem & aquam; nam propter concordantiam, quam ignis habet cum aëre tribuendo ei calorem, & quam ipse ignis habet cum terra recipiendo ab ea siccitatem, atque propter concordantiam, quam aqua habet cum aëre, recipiendo ab eo humiditatem, & quam etiam habet cum terra, tribuendo ei frigiditatem, collocant ignis & aqua in se ipsis passivè concordantiam aëris & terræ.

3. Aër est principium mortificationis terræ, nam aër incipit mortificare terram in se ipso, dum recipit calorem ab igne, qui calor venit cum siccitate & frigiditate, quæ frigiditas est medium, per quod aër mortificat terram tribuendo humiditatem aquæ, ut sequatur finis, videlicet destructio terræ, & hoc idem facit terra aëri, prout ipsa intrat in mixtum cum cæteris elementis.

4. Aër habet majoritatem in se ipso, terra verò, quæ est in aëre, habet minoritatem & è converso, quia, dum aër intrat aquam, tunc est in majori quantitate, quàm dum per aquam intrat terram, quæ terra crescit in mortificatione aëris, atque minuitur in incremento, quod facit aër in aqua, in qua mortificat terram, quæ ibi est nata & producta per ignem & aërem deveniens ad ipsam aquam; sed quoniam ignis & aqua habent æqualitatem in mensuris ponderositatis & levitatis, eò quia, in quantum ignis est velox, tendens ad superiora per levitatem, in tantum aqua est velox, tendens ad inferiora per gravitatem; ideo convenit, aërem & terram esse æquales eodem modo in mensuris levitatis & ponderositatis, habente aëre levitatem, terrâ verò ponderositatem.

5. Affirmandum est secundùm cursum naturalem, quòd sicut partes arboris oriuntur & progrediuntur in ramos, & ex ramis in flores, & ex floribus in fructum, & ex fructu in semen, & in quolibet suo ortu & progressu partes renovantur, ût jam dictum est, ita nascitur & progreditur aër in aquam per generationem, & in terram per corruptionem, atque in ignem per temperamentum, & in quolibet istorum locorum existit renovatio: unde cùm hoc ita sit, non igitur negandum est, nec dubitandum, quòd aër & terra in substantia, in quâ cum aliis elementis sunt mixti & compositi, producant accidentia substantiæ in ipsamet substantia unientes partes cum partibus, atque partibus nascentibus & progredientibus ex partibus & in partes, intrantibus & exeuntibus aliis elementis in alia debito modo.

Camera 8.

[*Aqua, Aqua.*]

1. Deus est Creator hujus cameræ aquæ aquæ, & camera est creatura; etiam operatio, quam aqua habet in igne in terra in aëre & in se ipsa, est creatura.

2. Differentia est inter aquam activam & aquam passivam; eò quòd de aqua activa efficitur generatio, de aqua verò passiva efficitur corruptio: concordantia autem, quæ est inter aquam activam & aquam passivam, est in naturali appetitu earum; nam aqua activa ad se attrahit aquam passivam, ut eam eruat à passione: passiva verò appetit activam, ut contra calorem habeat actum naturalem: sed contrarietas ambarum aquarum est cum medio; quia, dum aqua activa attrahit aquam passivam, attrahit similiter invitè calorem, cui subsistat aqua patiens, atque ipsa aqua passiva intrat cum calore in activam; & propter hunc introitum caloris devenit aqua agens in passionem, atque aqua passiva in actionem; *& hoc modo fit transmutatio unius elementi in alterum elementum.*

3. Cùm aqua simplex habeat appetitum componendi unum corpus, in quo dominetur frigiditas in quarto gradu, tunc incipit dividere semetipsam in diversa puncta, ut valeat generare aquam compositam; & tunc de se ipsa tribuit tria puncta aëri, & duo terræ, atque unum solùm igni: ista verò sex puncta sunt aqua composita, sed ipsa aqua simplex retinet septimum punctum, ut regat & conservet suam formam simplicem in illa aqua composita, cui aquæ compositæ ipsa aqua simplex est principium per medium, scilicet per hæc sex distincta puncta, h. e. per tria puncta aëris, & per duo terræ, & per unum ignis, & sic de aliis, ût jam dictum est. Finis verò, quare hoc est, est, ut sit quoddam suppositum, quod suppositum est quoddam esse substans suprà dictis principiis, quæ principia sunt essentia illius esse.

4. Aqua simplex habet majoritatem per propriam formam simplicem atque per materiam simplicem subjectam illi formæ; habet quoque minoritatem, quia in quantitate continua nequit habere simplicem conjunctionem illius materiæ & formæ; quam conjunctionem inquirit in quantitate discreta per differentiam partium contrariarum contiguarum & continuantium longum, latum & profundum in aqua composita, quæ æqualis est aquæ simplici per totum corpus existens

stens in quantitate discreta per totam quantitatem continuam aquæ simplicis, ex qua illud corpus elementatum est principiatum.

5. Affirmandum est secundùm naturam, medium esse inter aquam simplicem & aquam compositam, scilicet tria elementa composita cum aqua composita, nec dubitare oportet, inter formam simplicem aquæ simplicis & subjectum simplex illius formæ, quod est materia simplex, esse medium, videlicet alia tria elementa & aquam compositam cum illis elementis, quod medium est suppositum existens individuum speciei; quoniam si compositum non esset medium inter dictam formam simplicem & ejus subjectum simplex, oporteret negari opus naturale, eò quòd tam vehemens conjunctio esset inter ipsam formam simplicem & ejus materiam, quòd aqua composita non posset egredi in terra, nec in igne, nec generari in aëre.

Camera 9.

[*Aquæ, Terræ.*]

1. ORdinatum est à Creatore, quòd sua creatura eum significet in suo opere, veluti aqua composita, quæ operatur in terra composita sub opere, quod aqua simplex operatur in terra simplici, formâ & materiâ compositâ sequentibus dispositionem formæ & materiæ simplicis, eodem modo, sicut materia & forma composita ligni sequuntur dispositionem formæ simplicis, quam artifex imaginatur in suo opere.

2. Aqua & terra habent differentiam, eò quòd aqua recipit humiditatem, terra verò frigiditatem; sed quoniam humiditas & frigiditas habent concordantiam in aqua, humiditas verò & siccitas habent contrarietatem in terra, idcirco aqua & terra habent per unum modum concordantiam, sed per alium contrarietatem.

3. Dum aqua simplex incipit ingredi compositionem, in uno instanti nascitur in terra, & egreditur ab aëre, & ideo tam citò incipit aër nasci in terra, & transire per aquam, quàm citò incipit aqua ingredi terram, tribuendo ei frigiditatem, & procedendo ab aëre recipiendo ab eo humiditatem; & per hoc tale medium est incessans principium, donec per generationem veniat ad finem, quæ est perfectio; atque protinus, dum ad suum finem scil. ad suam perfectionem venit, tunc incipit corruptio, quæ est incessans, donec suppositum incidat in privationem.

4. Aqua major est in terra per opus propinquum, quàm in igne per opus remotum, & hoc ipsum sequitur de terra; quia opus propinquum est sinè medio, tribuente aquâ terræ suam frigiditatem in se ipsa; cum qua frigiditate oportet, quòd aqua tribuat suam formam & materiam ad hoc, ut fiat compositio; & etiam, quia frigiditas nequit moveri de sua forma & materia seu subjecto inseparabilibus: opus verò remotum est, quando aqua operatur cum medio contra ignem intrando per terram in ipsum ignem, in quo igne aqua existens in eo nequit tribuere tantam frigiditatem terræ existenti in ipso igne, sicut in opere propinquo; atque eodem modo terra major est in igne, quàm in aëre, & hoc per opus propinquum & remotum, sicut de aqua dictum est; unde cùm hoc ita sit, ideo per suprà dictam majoritatem & minoritatem aquæ & terræ significatur manifestè ipsarum aquæ & terræ æqualitas in ambarum opere propinquo & remoto; nam in opere propinquo aqua operans in terra æqualis est terræ operanti in igne, & in opere remoto aqua operans in igne veniens in eum per terram, quæ est medium, æqualis est terræ operanti in aëre & venienti per medium, quod est ignis; propter quam æqualitatem formatur Justitia existens in medio prædictæ majoritatis & minoritatis.

5. Affirmandum est secundùm naturalem cursum, quòd aqua intrans in terram non est corpus, sicut nec potentia vegetativa est corpus, quæ movetur per arborem, quia si esset corpus, sequeretur, quòd unum corpus intraret alterum, qui introitus negandus est absque ulla dubitatione.

Camera 10.

[*Terræ, Terræ.*]

1. CReatura est opus propinquum ipsius A., & opus ipsius creaturæ est opus remotum; hoc autem est secundùm comparationem ipsius esse & privationis; nam creatura est opus magis propinquum ipsius A., quàm sit operatio ipsius creaturæ, sicut terram simplicem generare terram compositam, quæ terra composita est creatura & effectus ipsius A., neque tamen est creatura simplicis terræ, sed tantummodo opus ejus.

2. Differentia est inter terram simplicem & terram compositam, scilicet per accidens & substantiam; est enim differentia per accidens scilicet per calorem, quantitatem &c., sed est per substantiam, hoc est per corporeitatem & incorporeitatem; quia terra simplex existens in corpore composito vegetabili per se non est corpus, licèt sit de natura corporis, etiam ipsi est forma substantialis existens forma ipsi terræ compositæ, illâ terrâ existente corpore cum aliis elementis; quæ forma substantialis informat terram mixtam habendo cum ea concordantiam sub universali forma substantiali incorporea, cui substant omnes formæ simplices in concordantia & contrarietate, prout convenit ad generandum quædam suppositа & ad corrumpendum alia, ut species conserventur.

3. Si terra simplex esset principium toti terræ compositæ sic, ut supra se non haberet duo principia, quæ sunt *universalis forma & prima materia*, ipsa terra simplex transmutaret terram compositam tam fortiter in suam simplicitatem, quòd propter privationem *universalis medii* destrueretur appetitus naturalis, qui est medium, per quod terra simplex movet terram compositam, & per quod in ipsa terra composita moventur ignis, aër & aqua ad finem, hoc est, ad complementum illius operis.

4. Terra, quæ noviter nascitur in igne, est major in virtute, quàm terra, quæ per ignem transiens oritur & senescit in aëre; & ideo motus terræ est in majori majoritate in pueris, quàm in senibus, eò quia terra pluries transit per suum contrarium in sene, quàm in puero; unde cùm hoc ita sit, ideo per majoritatem & minoritatem terræ significatur æqualitas, quæ est inter terram & terram; quæ æqualitas est per materiam & formam; nam terra, quæ per ignem transit in aërem, est in forma æqualis materiæ terræ, quæ solùm transit in ignem, cùm in igne non sit tam passiva, sicut in aëre, & cùm terra naturaliter sit major per formam, quàm per materiam; & ideo se coæquant in diversis transitibus, temporibus, motibus atque locis.

5. Affirmandum est, quòd ferrum movetur ad adamantem, hoc est, magnetem; eò quòd terra, quæ est in ferro, habet appetitum ad magnam simplicitatem terræ, quæ est in adamante, per quam adamas attrahit ad se ferrum; per hoc, quia terra in ferro habet majorem simplicitatem, quàm in alio metallo. Unde cùm hoc non sit dubitabile neque negabile, ergò est affirmabile, cùm terra composita impeditur in humano corpore, sic, quòd non potest recipere influentiam à terra simplici, quòd causa est ægritudinis, quando pori sunt nimis aperti, per quos transit nimis velociter influentia terræ simplicis ad terram compositam, *prout significatur in simplici medicina laxativa, quæ habet tam magnum appetitum ad sibi similem simplicitatem, quòd per indigestionem egreditur velociter de stomacho cum sibi simili aut contrario humore.*

Explicit prima pars hujus Distinctionis; in qua distinctione dedimus regulam manifestè, quomodo particulare, quod quæritur, debet investigari in universali naturali per cameras, quas cum T. in universali conditionavimus, & de hoc etiam in aliquibus particularibus principiis subjunximus aliqua exempla.

INCIPIT

PARS II.

DISTINCTIONIS SECUNDÆ,

QUÆ EST

De Conditionibus secundæ Figuræ Demonstrativæ.

HÆc Pars dividitur in XXVIII. Cameras, prout in sua figura apparet, quas cameras conditionamus cum T., ponendo ipsum T. in qualibet camera, ut exemplificemus, quomodo investigari oporteat particulare in qualibet camera mediante T., prout illa camera convenit cum illo particulari, quod nisi inveniatur in una camera, necesse est ipsum inquiri tamdiu per alias cameras, quousque fuerit inventum, salvando tamen formas & regulas camerarum & ipsius T. & formando cameras in prima figura demonstrativa.

Camera 1.

[*A. A.*]

1. PRimò in A. A. ponimus triangulum lividum ad intelligendum, per A.A., quòd unitas essentia & dignitates sunt unus Creator creaturæ sensualis, intellectualis & animalis, atque operis naturalis, intellectualis & artificialis; etiam per A. A. intelligimus opus intrinsecum in unitate, essentia & dignitatibus ipsius A., bonitate bonificante, & magnitudine magnificante, & æternitate æternificante, & sic de aliis, per unitatem & essentiam ipsius A., operante bonitate in se ipsa & bonificante in magnitudine, & sic de aliis,

aliis, & è converso; nisi autem hoc ita esset, esset impossibile, in A. esse perfectionem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, voluntatis, Justitiæ &c., aut esset possibile, quòd bonificare &c. esset malificare &c., sed hoc est manifestè impossibile.

2. Inter unitatem & essentiam & dignitates non est differentia; quia si esset, multa A. essent; sed quoniam in A. sunt multæ dignitates, quæ sunt unum idem A., in quo ipsæ omnes dignitates sunt idem, ideo habent concordantiam absque aliqua contrarietate, ipso magnificare magnitudinis existente in bonificare bonitatis, & ipso æternificare æternitatis existente &c., & è converso: idcirco existit tantùm unum A. bonum, magnum, æternum &c., quod est bonitas, & suum bonificare, & magnitudo & magnificare &c.

3. In A. non est principium, medium & finis, quia si esset, ejus magnitudo & æternitas essent limitatæ & finitæ; sed quoniam in A. est bonitas specificans suum bonificare in magnitudine, æternitate &c., & è converso, ideo oportet, quòd voluntas habeat finalem intentionem ad volendum, & sapientia ad intelligendum, quòd bonitas bonificet, & magnitudo magnificet, & sic de aliis; nam si voluntas vellet, & sapientia intelligeret, & bonitas bonificaret, & sic de aliis, sinè intentione, esset malitia in bonitate propter privationem boni, & in magnitudine esset parvitas propter privationem magni, atque in sapientia & in cæteris dignitatibus esset imperfectio, & in gloria passio; hoc autem est impossibile, per quam impossibilitatem demonstratur, in A. esse finalem intentionem, æternam & immensam, de qua recipiunt influentiam omnes intentiones, quæ hîc inferiùs existunt habentes principium, medium atque finem.

4. In A. non possunt esse majoritas & minoritas; quia majoritas in eo non posset esse absque minoritate magnitudinis, quæ privata esset in immensitate & in bonitate &c.; quæ privatio est impossibilis; sed quoniam in A. oportet esse æqualitatem bonificandi, magnificandi &c., ideo oportet bonitatem esse æqualem magnitudini &c.; sinè qua æqualitate esset in A. minoritas privans magnitudinem bonitate & bonificare, & immensitate & immensificare, quæ privatio est impossibilis.

5. A. est; quia nisi esset, nulla bonitas esset sinè malitia, nec ulla magnitudo sinè parvitate, neque æternitas sinè principio: & hoc idem sequeretur de perfectione, quæ non esset absque imperfectione, nec justitia absque injuria, nec nobilitas sinè vilitate, & sic de aliis; sed cùm bonitas, magnitudo &c. habeant concordantiam cum esse, & eorum opposita cum privatione, ergò non oportet dubitare, A. esse, neque negare in eo bonitatem, magnitudinem &c.; quia, si in A. non esset bonitas, magnitudo &c., esset impossibile, A. esse, cujus esse nulli enti convenit, in quo non sit immensa bonitas, magnitudo &c., & in quo per bonificare non sit bonitas in magnitudine &c., nec per magnificare sit magnitudo in bonitate, & sic de aliis; quod bonificare ita magnum &c. & quod magnificare ita bonum &c. soli enti convenit, quod sit A.

Camera 2.

[*A. S.*]

1. A. Est Creator, S. verò creatura, quod nisi esset creatura, esset magis elongatum ab opere ipsius bonificare bonitatis & magnificare magnitudinis, quàm sit, si sit creatura creata de nihilo propter magnam influentiam bonificandi, magnificandi &c.: sed cùm major propinquitas operis conveniat cum esse & magnitudine istarum camerarum, [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] minor verò propinquitas conveniat cum privatione contra magnitudinem ipsarum camerarum, ergò demonstratum est, S. esse creaturam.

2. Differentia est inter A. & S., eò quòd omne id, quod A. bonificat, magnificat &c. intrinsecè in se ipso, est A.; quia nisi esset A., ipsum A. esset majus per bonitatem, minus verò per bonificare; & hoc idem sequeretur de cæteris dignitatibus ejus, & de actibus earum; & hoc est impossibile; veruntamen de S. non est ita; nam E. non est S., neque B. neque C. neque D. sunt ipsum S.; sed quoniam A. creavit S. ad suam similitudinem, hoc est, quòd dedit ei similitudinem bonitatis & bonificandi, magnitudinis & magnificandi, durationis & durandi, potestatis & possificandi, sapientiæ & sciendi, voluntatis & volendi, & sic de aliis, idcirco A. habet concordantiam cum S., dum S. sequitur regulam, in qua A. fecit ipsum similem sibi ipsi, prout ipsum S. ab eo potest recipere similitudinem; sed dum S. non sequitur ipsam similitudinem in B. C. D., tunc est contrarietas inter A. & S. secundùm istas cameras [E. V. Z.] [I. A. V. Y.]

3. A. est causa, hoc est principium, & S. est ejus effectus, atque [E. V. Y.] [I. V. Z.] [M. A. V. Y.] sunt medium, per quod S. est in via, quòd perveniat ad finem, propter quem est in esse, habente ipso S. primam intentionem ad ipsum A., secundam verò ad se ipsum, ut in gloria A. sit objectum ipsi E. sinè fine & sinè medio; in quo objecto non potest esse tempus neque motus.

4. A. est majus, quàm S., & sic S. est minus, quàm A.; sed quoniam S. durat sinè fine, idcirco in duratione S. est æquale ipsi A., ut A. in sua similitudine utatur justitiâ & misericordiâ sinè fine, qui usus esset in privatione, si S. esset mortale, atque in privatione ipsius S. bonitas, justitia, sapientia & voluntas privarentûr magnitudine, quæ privatio magnitudinis est impossibilis.

5. S. affirmans, in A. esse omnem nobilitatem bonitatis & bonificandi &c., & negans, in A. omnem imperfectionem magnificat E. in A. V. Y., & I. in V. Z., & removet omnem dubitationem ab N., & destruit R.; sed cùm ipsum S. affirmat & negat hæc omnia per oppositum, tunc minorificat E. in A. V. Z., & I. in A. V. Y., & N. in A. V. Z., atque magnificat R. in dubitatione & negatione contra A. V. Y.

Camera 3.

[*A. T.*]

1. Per triangulum lividum intelligendum est, T. esse creaturam & operationem ipsius A., quia differentiam & concordantiam, quas mundus habet cum A., oportet esse creaturas; quia, nisi essent creaturæ, ipsum bonificare bonitatis &c. non esset in tanto magnificare magnitudinis, sicut si differentia & concordantia mundi, quas ipse habet cum A., sint creaturæ, & hoc idem sequitur de contrarietate & concordantia, quam inter se habent elementa, veruntamen concordantiam ipsorum E. V. Z. & contrarietatem ipsorum I. V. Y. non oportet esse creaturam, nec opus ipsius A., quia bonitas, justitia & voluntas existerent in privatione. Unde secundùm ea, quæ jam diximus de triangulo viridi in livido, eodem modo potest intelligi de triangulo rubeo & croceo & nigro.

2. Differentia mundi non potest diversificare A., quia si posset ipsum diversificare, posset ipsum comprehendere, & si posset ipsum comprehendere, posset ipsum minorificare de simplicitate; neque concordantia mundi & suarum partium potest concordare aliquid in A., nam si in eo posset aliquid concordare intrinsecè, contrarietas mundi posset in ipso A. aliquid contrariare intrinsecè; hoc autem est impossibile & contra magnitudinem ipsius A.

3. A. est principium omnium principiorum concordantium cum [E. V. Y.] [I. V. Z.] [M. V. Y.]; & hoc idem sequitur de omnibus mediis, & omnibus finibus, quæ cum his cameris conveniunt; hoc enim ita esse oportet, eò quòd in A. sit omnis perfectio bonitatis, magnitudinis &c., & quia in omni eo, quod non est A., est imperfectio bonitatis &c. secundùm comparationem perfectionis, quam ipsum A. habet in sua bonitate, magnitudine &c. Unde si A. non esset perfectio totius entis absolutè, sequeretur, quòd imperfectio esset perfectio sui subjecti; quod est impossibile.

4. A. habet magnitudinem, quæ est major omni majoritate non existente de entitate ipsius A., ideo nequit esse in A. minoritas alicujus, quia, si posset esse, esset possibile, quòd minoritas posset destruere majoritatem & æqualitas æqualitatem; hoc autem est impossibile; si verò in A. non esset æqualitas, foret impossibile, quòd in eo essent bonitas & bonificare, magnitudo & magnificare, & sic de aliis; quam bonitatem & bonificare oportet esse in A., ut in eo sit æqualitas, & ut nullum aliud ens sit æquale ipsi A., & ne intelligere & velle ipsius A. sint majora, quàm bonificare bonitatis & magnificare magnitudinis ejus.

5. Affirmabile est, A. esse ens habens omnem possibilitatem bonitatis, magnitudinis &c., omni possibilitate ipsorum V. Z. existente impossibili in A.; & quia hæc talis possibilitas & impossibilitas est affirmabilis in A., ideo negabile est, A. esse ens, in quo sint ulla possibilitas & impossibilitas contra bonitatem & magnitudinem &c. Unde cùm hoc ita sit, ergò omnis dubitatio negabilis est esse in A., quia si in eo esset, esset ignorantia in sapientia ipsius A., & minoritas in magnitudine ejus; hoc autem est impossibile.

Camera 4.

[*A. V.*]

1. A. Est Creator, V. verò lividum est ejus creatura, & ideo V. lividum est opus ipsius

ipsius A. in S., & est etiam opus ipsius S.; est etenim opus ipsius A., quia est creatura creata in S. de nihilo; atque est opus ipsius S., eò quia ipsum S. utitur ipso V. livido secundùm finalem intentionem, per quam V. lividum in ipso S. est creatum; veruntamen V. rubeum non est creatura, est tamen operatio ipsius S., quod facit V. rubeum contra V. lividum; non enim V. rubeum potest esse creatura, cùm ipsum sit contra Justitiam ipsius A. creatoris rerum omnium creaturarum; sed V. rubeum ideo est operatio ipsius S., quia ipsum S., eò quòd est creatum de nihilo, se inclinat cum V. rubeo in nihilum contra A. & V. lividum & contra suammet entitatem.

2. Inter A. & V. est differentia, concordantia & contrarietas; est enim differentia inter ea in hoc, quòd in A. non est Fides, Spes, Prudentia, Temperantia; & habent concordantiam in hoc, quòd A. illuminat Fidem cum Y.; eò quia A. est ipsum Y., & quia ipsum A. est bonum, justum, misericordiosum, potens &c., idcirco elargitur Spem; & quia est amabile, tribuit charitatem; & quia est justum tribuit Justitiam; & quia est intelligibile, tribuit Prudentiam; & quia est forte, elargitur Fortitudinem; & quia in eo est æqualitas, idcirco influit Temperantiam: cùm autem in A. nihil sit de V. rubeo, & V. rubeum contradicat V. livido & influentiæ, quam ipsum V. lividum potest recipere ab A., ideo est contrarietas inter A. & ipsum V. rubeum.

3. A. est principium, medium & finis ipsius V. lividi; est enim ejus principium, quia Creator ejus est; est etiam finis, id est, finalis intentio, quia per V. lividum se movet S. ad suum Creatorem; atque ipsum A. est ei medium, quia per A. ipsum S. potest uti ipso V. livido; veruntamen A. non est principium, nec medium, nec finis ipsius V. rubei; cùm ipsum V. rubeum sit contra bonitatem, magnitudinem &c. ipsius A.; ideo est impossibile, A. esse principium, medium & finem ipsius V. rubei, quia si esset, in bonitate ipsius A. esset malitia, & in ejus magnitudine esset parvitas, & sic de aliis; hoc autem est impossibile.

4. A. est majus quàm V., & sic per consequens V. minus quàm A.; & licèt V. lividum sit majus, V. verò rubeum minus, non tamen sequitur, quòd magnitudo ipsius A. sit magis distans à minoritate per V. lividum, quàm per V. rubeum; cùm A. creaverit magnitudinem, quam V. lividum habet super V. rubeum; sed quoniam A. creavit S. ad durandum sinè fine, ut ipsum A. utatur suâ bonitate & justitiâ in ipso S., ideo S. est æquale ipsi A. in duratione, ut bonitas, justitia &c. faciant durare istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.] [E. V. Z.]

5. S. affirmante, esse A., habente ipso A. omnes dignitates, ipsum S. habet Fidem, Spem, Charitatem &c., si verò S. neget, A. esse & suas dignitates, ipsum S. de se privat totum V. lividum; sed dum S. dubitat in A. & in dignitatibus ejus, tunc ipsum format R., quod est medium V. lividi & V. rubei; unde cùm hoc ita sit, ideo in quantum S. affirmando A. magnificat V. lividum in se ipso, in tantum mortificat V. rubeum & R. in se ipso; & idcirco fit demonstratio, quòd in A. de necessitate oportet esse omne id, per quod V. lividum augeatur in virtute, & V. rubeum minuatur in vitio.

Camera 5.
[*A. X.*]

1. A. Habet perfectam sapientiam; & ideo X., quod est prædestinatio, est creatura & opus hujus, quod est in A. prædestinatio; & Justitia, quæ est A., adducit ad perfectionem cum libero arbitrio id, quod prædestinatum est; quia, nisi liberum arbitrium esset, sequeretur, quòd Justitia operaretur cum imperfectione in hoc, quod sapientia scit cum perfectione; hoc autem est impossibile: quo impossibili significatur, quomodo X. est in parte creatura & opus ipsius A., & significatur, qualiter habet in se opus creaturæ, prout convenit perfectioni, quæ est in A. & in cameris ejus.

2. Inter A. & X. est differentia; quia omnes cameræ ipsius A. sunt una eadem concordantia absque aliqua contrarietate; & in X. sunt cameræ distinctæ & contrariæ; atque in X. sunt cameræ concordantes cum cameris ipsius A., prout in qualibet figura manifestè apparet: & hoc idem sequitur de cameris, quæ in eis sunt contrariæ; sed de hoc non est dandum exemplum, cùm per se appareat manifestè.

3. A. est principium totius prædestinati & totius esse creati & totius perfectionis creatæ, & etiam totius meriti, quæ conveniunt cum Justitia; & hoc idem sequitur de omnibus cameris ipsius X., quæ culpæ contrariantur; atque A. est medium & finis totius hujus, quod existit in X. intentione

tione formandi has cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]

4. A. habet concordantiam cum majoritate, X. verò cum minoritate, eò quòd A. in sua entitate nullum esse continet, quod habeat concordantiam cum imperfectione, privatione & culpâ &c.; quæ concordantia convenit cum minoritate; sed quia in X. est prædestinatio, esse & perfectio, ideo ipsum X. habet in se ea, quæ æqualia sunt ipsi A., scilicet prædestinationem, esse, perfectionem, quæ sunt A.

5. Quando C. affirmat, esse prædestinationem, tunc affirmat eam cum perfectione sapientiæ; cùm verò affirmat, esse liberum arbitrium, tunc affirmat ipsum cum perfectione Justitiæ, & quando affirmat sapientiam & justitiam & perfectionem esse existentem A., tunc affirmat, prædestinationem & liberum arbitrium esse; sed dum C. affirmat prædestinationem esse, & negat liberum arbitrium esse, tunc pervertitur in N. dubitans in negatione & affirmatione; sed quando B. recolit, quòd C. intellexit, prædestinationem & liberum arbitrium esse, prout prædictum est, tunc C. intelligit, illam dubitationem esse in Z., & prædestinationem & liberum arbitrium in Y.; quia si essent in Z., esset impossibile, quòd B. potuisset recolere, quòd C. intellexit, prædestinationem & liberum arbitrium esse. Unde cùm hoc ita sit, ergò secundùm quòd triangulum nigrum posuimus in prædestinatione & libero arbitrio, eodem modo dedimus doctrinam, quomodo ipse triangulus simili modo possit poni in aliis cameris ipsius X., salvis tamen conditionibus camerarum ipsius A.

Camera 6.
[*A. Y.*]

1. A. Est Y., qui est Creator illius Y., quod est in triangulo rubeo; quod Y. est opus ipsius A., & quod Y. per V. lividum verificando operatur contra V. rubeum cum E. I. N., tunc, quando S. format istas cameras [E. V. Y.] [I. V. Z.] [M. V. Y. Z.]

2. Inter Y., quod est A., & Y., quod est creatura per V. lividum est differentia, in quantum unum est Creator, aliud verò creatura; sed quoniam Y., quod est causa, est A., & Y., quod est effectus, est creatura, ideo est concordantia inter A. & Y.; quæ concordantia contrariatur illi Y., quod concordat cum V. rubeo & cum Z.

3. A. est principium totius Y. creati, & ipsum Y. creatum est medium, per quod S. perveniat ad finem, ad quem ipsum Y. est creatum, habente S. istas cameras [E. Y.] [I. Z.] [M. Y. Z.]

4. A. habet concordantiam cum majoritate, Y. verò creatum cum minoritate; & idcirco E. non potest tantum recipere de Y., quod est A., sicut est ipsum A.; cùm omne, quod E. recipit de A., recipiat cum Y. creato; sed quoniam ipsum Y. creatum scitur & diligitur per totum A., ideo est æqualiter per totum A., nam, nisi ita esset, essentia ipsius A. sciret in parte, & non in toto; sed quia ipsum Y. est creatum & limitatum, ideo Y. creatum est minus quàm A.; & æqualitas, quam ipsum Y. creatum habet cum A., non est per se existens, nec est aliquid secundùm esse & entitatem ipsius Y., sed secundùm magnitudinem ipsius A. est actus camerarum ejus.

5. Affirmare cum ipso Y., esse in A. omne, quod est in ipso, est negare cum ipso Y. id, quod in ipso non est; & negare id, quod est in A., & affirmare, esse in ipso id, quod non est in ipso, est contra Y.; quod Y. est majus per affirmationem, quàm per negationem; & nisi hoc ita esset, ipsum non esset majus per negationem, quæ convenit cum affirmatione, quàm per dubitationem, quæ convenit cum Z.; sed hoc est impossibile.

Camera 7.
[*A. Z.*]

1. A. Habet concordantiam cum Y., quod contrariatur ipsi Z.; & ideo est impossibile, A. esse Creatorem ipsius Z.; & per consequens Z. esse creaturam & opus ipsius A.; cùm nulli creatio conveniat, nisi soli Deo, quia habet magnitudinem bonitatis &c. Veruntamen si objicias, quòd calor est creatura ipsius A., & est opus ejus, quamvis ipse calor sit contrarius frigiditati aquæ, ergò &c., respondeo tibi dicendo, quòd contrarietas ignis & aquæ non contradicit ipsi A., neque ejus cameris, neque operi naturali, sed Z. absolutè contradicit Y. & ipsi A. & cameris ejus.

2. Differentia & contrarietas est inter A. Z., ût manifestè apparet; neque concordantia potest esse inter A. Z.; quia sapientia scit, quòd voluntas odit ita vehementer, sicut justitia contrariatur.

3. A. est principium ipsius S., & ipsum S., quod habet E. in Z., est subjectum ipsi Z.; & quia S. est ens ita effectum ab A., quod potest

habere istas cameras [E.A.V.Y.] [I.V.Z.], quæ cum A. conveniunt, ideo demonstratur, A. non esse principium ipsius Z.; quia si esset, esset impossibile, quòd S. posset formare cameras, quæ ipsi Z. contrariantur; sed quia S. est de nihilo, quod convenit cum imperfectione, & quia Z. & imperfectio conveniunt, & S. potest inclinare suum esse ad imperfectionem, sicut id, quod habet de nihilo, idcirco per hoc medium S., quod habet istas cameras [E.V.Z.] [I.A.V.Y.] est principium ipsius Z.; quod principium est contrarium finali intentioni hujus cameræ [E.A.V.Y.], ad quam S. finaliter est creatum.

4. A. & majoritas conveniunt, Z. verò & minoritas habent concordantiam; propter hoc est impossibile, A.Z. esse æqualia, licèt Z. æqualiter sciatur à sapientia & odiatur à voluntate æternaliter per totam infinitatem sapientiæ & voluntatis.

5. Omnem affirmationem & negationem factam de A. cum Z. oportet esse contra A. in Z.; & ideo est impossibile, dubitationem & Z. in A. esse; quia esset possibile, quòd affirmatio & negatio, quæ cum Z. conveniunt, essent in A.; quod est impossibile & contra magnitudinem ipsius A. & camerarum ejus.

Camera 8.

[*S. S.*]

PRæsens camera significat tres species animæ, scilicet vegetativam, sensitivam & rationalem; & primum S. significat primum actum, & secundum S. secundum actum. Verùm quia nos in hac arte tractamus, ût compendiosiùs possumus, idcirco de S. rationali intendimus pertractare, & per doctrinam, quam de ipso exhibemus, tractari potest de aliis præhabitis speciebus. S. habet tres potentias, scilicet memorativam, intellectivam & volitivam; hæ autem potentiæ in suprà dicto alphabeto habent suos terminos, prout in ipso alphabeto plenariè denotatur. Nos ergò volumus ponere T. in S. per E.I.N.R., & quia E. est primum, idcirco T. in ipsum ponimus, & per consequens in I.N.R., prout debito ordine consequuntur.

Camera 9.

[*E. E.*]

1. EEst actus ipsorum B.C.D., quæ sunt creaturæ ipsius A., & quoniam S. est substantia, & quoniam virtus ejus influit per B.C.D., idcirco formatur E. de forma ipsorum B.C.D., & virtus ipsius S. est materia ipsis B.C.D., ut de se forment E., quod est opus ipsius S., & creatura ipsius A., dum E. existit in A.V.Y.; sed dum existit in V.Z., tunc simpliciter est opus ipsorum B.C.D. transmutantium suos actus in contrariam naturam ipsius S. & virtutis ejus, qui actus conveniunt cum privatione, & qui naturæ trianguli rubei opponuntur.

2. Differentia est inter B.C.D.; nam B. se habet ad universalem congregationem & ad conservandum plura particularia, C. verò se habet ad inquirendum Y. per multa particularia, unde formatur universale, quod convenit cum ipso B.; sed D. diligit objecta ipsorum B.C., & idcirco fit concordantia de B.C.D. in E., sicut de quatuor elementis fit concordantia in supposito elementato; atque contrarietas ipsorum B.C.D. est, dum formant E. contra A.V.Y., seu quando E. dependet irregulariter plùs ad unam potentiam, quàm ad alteram; quoniam sicut ignis, qui in suam naturam convertit fortiùs terram, quàm aërem, contrariatur aquæ in supposito cholerico, ita aliquoties contingit, quòd D. convertens fortiùs in suam naturam ipsum E., quàm ipsum B., vel ipsum C., contrariatur reliquo, & è converso.

3. In E. est B. principium recolendi & C. intelligendi & D. diligendi seu volendi; medium verò est virtus communis ipsius S., quæ de substantia egreditur in B.C.D., unde formatur generatio ipsius E., quod est finis dictæ virtutis, dum ipsum E. existit in A.V.Y., quæ sunt finis ipsius E. *Quoniam sicut in stipite unius arboris, in quo pomus, pirus, persicus inseruntur, est una virtus & materia omnibus tribus progrediens in diversas formas, ita una eadem virtus est medium ex substantia progrediens in diversas potentias, à quibus procedunt diversæ operationes.*

4. Potentiarum aliæ sunt majores aliis in suis officiis, prout sunt diversæ, sicut ignis, qui in cholerico est major cæteris elementis; & æqualitas ipsarum potentiarum est in virtute & in forma, quia de una & eadem virtute operantur E.; si verò aliqua potentia esset major alterâ in forma, sequèretur inordinatio contra triangulum viridem, rubeum & nigrum, prout significant istæ cameræ [E.A.V.Y.] [E.V.Z.], quæ conveniunt cum æqualitate potentiarum per prædictos triangulos.

5. Ignis tribuit calorem & recipit siccitatem, in quâ recipit frigiditatem, quam terra recipit ab aqua; & ideo ignis mediante terrâ recipit frigiditatem, & ponit siccitatem in aëre, quem calefacit, & transit in aquam cum calore, siccitate & humiditate, & per hoc fit mixtio omnium quatuor elementorum in potentia vegetativa, in qua est potentia digestiva intrinsecè; & sic egreditur extrinsecè operatio in ens, quod est corpus elementatum sentitum. Unde cùm hoc ita sit, ergò per hoc exemplum significatur, quomodo B. intrinsecè recipit virtutem ab S., & illam influit in C.D., & è converso; & propter hoc formatur intrinsecè affirmatio seu negatio; sed sicut per aliquod accidens corrumpitur digestiva, & hoc propter irregularitatem operationis intrinsecæ elementorum, ita formatur dubitatio per E., quando B.C.D. disconveniunt; quâ disconvenientiâ operatio ipsorum B.C.D. transmutatur & pervertitur in N.R., quæ conveniunt cum dubitatione.

Camera 10.

[*E. I.*]

1. AEst diligibile, non autem odibile; idcirco creavit E.I. in S., ut ipsum S. sit subjectum, in quo E.I. existant, E. diligente A. & V.Y., sed I. habente V.Z. pro objecto, quæ V.Z. sunt per accidens, quibus V.Z. creatum est I., quod est per accidens, ut E. utatur V.Y. non declinans ad V.Z.

2. Differentia est inter E. & I.; nam E. se habet ad diligendum bonum, I. verò ad odiendum malum; E. etiam est superius in dignitate, I. verò inferius: veruntamen E. semper existit per B.C.D., I. verò quandoque per F.G. sinè H., quandoque per F.G.H.; hoc enim est, quia F.G. sunt in hac arte discurrentia ad investigandum particulare sinè H., quod H. non oportet esse in ipsa investigatione, ne ipsi N. inferat impedimentum desideranti particulare in E. vel in I., super quod particulare ipsa E.I. investigativa habent concordantiam ad utendum eo; quia dum F.G. illud investigando discurrunt, tunc E. movet I., quemadmodum Dominus movet servum præcipiens ei aliqua agere pro ipso Domino. Cùm autem particulare adinventum est, tunc E. diligit illud, si sit diligibile, & I. odit contrarium illius; si verò sit odibile, traditur ipsi I. ad odiendum, & E. diligit contrarium illius; itaque E.I. se habent per modum actûs & habitûs; nam uno eorum existente in actu aliud existit in habitu; sed quando sunt ambo contraria, est unum eorum, sicut servus inobediens Domino, quorum contrarietas est per B.C.D. defectiva in A.V.Y., & quoniam E. accipit V.Z., & I. accipit V.Y., idcirco ipsa E.I. habent concordantiam in V.Z. contra A.V.Y., & hoc per accidens, quâ concordantiâ sunt in via existendi in perpetua contrarietate per omnia sæcula sæculorum.

3. Finis autem ipsius E. est A.V.Y., ideo E. est principium ipsius I., sicut causa effectûs, A. tamen existente medio per creationem & per influentiam gratiæ, per quam E. principiat I. contra V.Z., sed quando E. existit in V.Z., & I. in A.V.Y., tunc E. est principium ipsius I. contra finem, propter quem est I., atque ipsum I. tunc est medium, per quod E. existit contra suummet principium & contra suum finem.

4. E. est majus ipso I., nam de virtute ipsius S. plus influitur in B.C.D., quàm in F.G.H., hoc enim est, quia plus virtutis potest recipi in B.C.D. quàm in reliquis, bono & amabilitate habentibus concordantiam cum majori virtute, atque malo & odibilitate habentibus concordantiam cum minori virtute, ipso bono habente respectum ad esse, quod convenit cum majoritate, malo verò ad privationem, quæ convenit cum minoritate; veruntamen ipsa E.I. possunt habere æqualitatem in V.Y.Z. secundùm Justitiam, sicut quatuor elementa in elementato, in quo ipsa elementa sunt gradata secundùm proportionem naturæ generantis & conservantis illud elementatum; sed quando E.I. per aliquam contrarietatem sunt inæqualia, tunc existunt sicut elementa, quæ in elementato contra proportionem & Justitiam se corrumpunt.

5. E. & affirmatio conveniunt, I. verò & negatio, quorum convenientiam seu concordantiam ita esse oportet, quia E. & majoritas conveniunt, I. verò & minoritas; affirmatio etiam & majoritas conveniunt, negatio verò & minoritas, cùm finis negationis sit affirmatio, E. autem finis ipsius I.; & quoniam dubitatio & minoritas conveniunt, sunt F.G. discurrentia inquirendo Y.Z., ut E. ipsum Y., & I. ipsum Z. habeant pro objectis.

Camera 11.

[*E. N.*]

1. ACreavit N. ipsi E., ut sit ei lumen Fidei & Spei, & ut M. suppleat, quod E.

non valet adimplere, quemadmodum in elementato aliquod elementum reſtaurat & conſervat id, quod nequit conſervare aliud elementum; & quoniam M. ſe habet ad diligendum vel odiendum, & E. tantummodo ad diligendum, atque I. tantummodo ad odiendum, idcirco M. eſt inſtrumentum, per quod E. movetur ad A. V. Y., & I. ad V. Z.

2. Differentia eſt inter E. & N., quia de virtute ipſius S. plus intrat in E. quàm in N., quod eſt, quia E. recipit influentiam ab S. per B. C. D., ſed N. recipit influentiam ab eodem ſolùm per M.; unde ſicut E. N. differunt per majoritatem & minoritatem, eodem modo differunt per omnes triangulos totius T.: concordantia autem & contrarietas ipſorum E. N. eſt, ſecundùm quòd ipſa poſſunt convenire in rebus differentibus & diſtinctis, quoniam ſicut elementa in mixto poſſunt habere concordantiam vel contrarietatem, eodem modo E. N. in A. V. Y. Z. poſſunt habere concordantiam vel contrarietatem, quæ F. G revelant ipſi S., dum diſcurrunt per triangulos ipſius T. in elementali figura, *quæ eſt ſpeculum & exemplar ipſius S. & potentiarum ejus*, ut E. ſit in A. V. Y. & I. in V. Z., ſupplente N. defectum amborum.

3. In quantum E. exiſtit per B. C. D., in tantum eſt principium ipſius M., & in quantum M. per infuſionem ipſius A. exiſtit ſinè K. L., in tantum eſt principium ipſius E.; idcirco M. eſt medium, per quod Fides & Spes in E. exiſtant, & quantò plùs E. per hoc medium aſcendit, tantò plùs aſcendit M. diligendo A. V. Y. & odiendo V. Z.; & quoniam M. eſt, ut ſit E., & ipſum E. eſt finis ipſius M., & eſt medium, per quod eſt M., idcirco N. convenit cum ſuppoſitione, E. verò cum demonſtratione, ſecundùm quòd demonſtratio eſt finis ſuppoſitionis, per quam diſcurrunt F. G., ut deſtruant dubitationem, quæ eſt medium per K. L. exiſtens inter E. N., ut K. poſſit converti in B., & L. in C., & M. in D., & hæc converſio eſt finis ipſius N.

4. Majoritas uno modo convenit cum E., alio modo cum M., quemadmodum ignis convenit cum majoritate in cholera, ſed cum minoritate in phlegmate; quoniam dum E. recipit A. V. Y. per B. C. D., atque N. illa eadem recipit ſolùm per M., tunc E. eſt majus ipſo M.; ſed quando influentia ipſorum A. V. Y. eſt major in M. quàm in E., tunc N. eſt majus in M., quàm E. in B. C. D., æqualitas autem ipſorum E. N. conſiſtit in medio, per quod ipſa aſcendunt in majoritatem, & deſcendunt in minoritatem, ſicut homines per viam euntes & venientes ſunt in æqualibus partibus locorum, unde veniunt, & quò vadunt.

5. Quoniam E. eſt nobilius quàm I., ideo M. habet majorem concordantiam cum E. quàm cum I., & eò quòd E. & affirmatio conveniunt, I. verò & negatio, ſequitur, quòd M. habeat majorem concordantiam cum affirmatione, quàm cum negatione; & ideo M. ſupponit, aliquod ens eſſe in Y. vel in Z., ut E. poſſit affirmare, & I. negare, exiſtente Y. objecto ipſi E., & exiſtente Z. objecto ipſi I.; ſed dum N. non ſequitur majorem concordantiam, quam cum E. I. debet habere, tunc inclinatur ad negationem magis, quàm ad affirmationem, quocirca oritur dubitatio in E. I. N., nec N. vult ſupponere, ſed negat potiùs poſſibilitatem, quâ negatione F. G. non habent motorem, à quo moveantur ad inquirendum Y. Z.; itâque affirmatio & negatio exiſtunt in potentia vel in habitu, atque dubitatio exiſtit in actu, *ideóque formatur R., quod eſt ſubjectum contrarietatis ipſorum E. I. N.* in populis, exiſtentibus contrariis ſectis, legibus, & guerris.

Camera 12.
[*E. R.*]

1. A Creavit R. ipſis E. I. N., *nam ſinè R. nunquam poſſet fieri transmutatio de E. in I., neque de I. in N., nec è converſo, quoniam ſicut ſinè forma & materia communi non poſſet fieri transmutatio formarum naturalium, ita tres ſpecies ipſius S. nequirent transmutari altera in alteram absque quarta ſpecie ipſius S., ſcilicet R., quod eſt ſubjectum ipſis E. I. N., ut in eo exerceant ſuas operationes in transmutatione & converſione facta ab altera in alteram.*

2. Differentia eſt inter E. & R., quia E. reſultat ex actibus ipſorum B. C. D., ſed R. compoſitum eſt ex E. I. N.; & quoniam R. nequit eſſe ſinè E., ideo ipſa E. R. habent concordantiam; hæc autem concordantia frequenter contingit, E. quieſcente in R., ipſo S. renuente aliqua objecta, in quibus ipſum S. perpeſſum eſt laborem & triſtitiam atque faſtidium, & ipſo reſumente alia objecta minoris quantitatis primis, ſed quoniam E. ſe habet ad eſſe, R. verò ad privationem per K. L., ideo eſt contrarietas inter E. & R., per quam E. evitat R., & ipſum R. attrahit illud ad ſe.

Quo-

3. Quoniam R. eſt, ut ſit E., & non è converſo, idcirco E. eſt principium ipſius R.; ſed quando contingit, quòd E. eſt in privatione, R. verò in eſſe, & quòd E. ex potentia vel ex habitu movetur ad actum, tunc R. per materiam eſt principium ipſius E., & per hoc medium aliæ ſpecies ſunt principia aliarum; ſed principalior finis exiſtit in E.

4. Majoritas habet concordantiam cum E., minoritas verò cum R., ad ſignificandum, quòd ſimplicitas habet concordantiam cum majoritate, compoſitio verò cum minoritate, ut eſſe & privatio habeant majorem diſtantiam inter ſe in ſimplicitate, quàm in compoſitione; & quoniam E. eſt majus, quàm I. N., habet R. majorem æqualitatem cum E., quàm cum I. N.; ſed quando R. eſt majus per I. vel per N., quàm per E., tunc R. eſt magis propinquum privationi, quàm ipſi eſſe, & E. habet majorem æqualitatem cum eſſe, quàm cum privatione.

5. Affirmatio & negatio ſunt contrariæ in R., & habent concordantiam in E. I. N., ideóque dubitatio habet concordantiam cum R., per quam concordantiam R. eſt ſubjectum dubitationi, ut in E. vel in N. exiſtat affirmatio, in I. verò vel in N. negatio; veruntamen frequenter contingit per contrarietatem ipſorum V. Y. contra V. Z., affirmationem & negationem eſſe contrarias per E. I. ſinè R. & ſinè dubitatione.

Camera 13.
[*I. I.*]

1. I Secundùm quòd pro objecto habet V., Z., eſt creatura ipſius A., & eſt operatio ipſorum F. G. H., quæ ſerviunt ipſis B. C. D., quando E. pro objecto habet A. V. Y.; ſed I., quod pro objecto habet A. V. Y., nequit eſſe creatura, quia ſi eſſet, A. eſſet contrarium cameris ſui ipſius, & ipſis V. Y. per triangulum rubeum, hoc autem eſt impoſſibile; attamen verum eſt, quòd I., quod pro objecto habet V. Y., eſt opus ipſorum F. G. H., quæ contra virtutem, unde ſunt, formant I.; & ideo manifeſtè apparet, nec E. nec I. eſſe de entitate ipſius S., quia ſi eſſent, eſſent creaturæ, exiſtente E. in V. Z., & I. in A. V. Y., ſed hoc eſt impoſſibile manifeſtè.

2. In I. exiſtit triangulus viridis, quia differentia eſt inter F. G. H., eò quòd F. recipit influentiam ex B., & G. ex C., & H. ex D., atque concordantia ipſorum F. G. H. eſt contra V. Z.; ſed dum ipſa ſunt contra A. V. Y., tunc eorum concordantia pervertitur in contrarietatem ſuæ entitatis & naturæ, idéoque ipſum I. transformatur contra triangulum rubeum.

3. F. G. H. ſunt principium ipſius I., & ſic I. eſt principiatum, ut ſit contra V. Z.; quoniam ſicut ignis per medium contrariatur aquæ, ita oportet, I. eſſe medium, per quod F. G. H. contrarientur ipſis V. Z., atque F. G. H. ſunt medium, per quod E. ſit contra V. Z., finis verò eſt, quòd I. ſerviat ipſi E.

4. In I. exiſtit triangulus croceus ſecundùm illam diſpoſitionem, quâ exiſtit in E., quod movet I.; veruntamen ſecundùm diſpoſitionem corporis alicujus hominis ſequitur, aliquando unum actum eſſe majorem altero, ſicut manifeſtè apparet per potentiam ſenſitivam; nam ſicut, ſi virtus unius ſenſûs perit, virtus alicujus ſenſûs inde major efficitur, & hoc, quod perdit unum membrum, reſtauratur in altero, ſic ſecundùm diſpoſitionem corporis ſequitur, quòd actus unius potentiæ eſt major actu alterius potentiæ; ſed quando corpus eſt bene diſpoſitum ipſis F. G. H., tunc habent in I. æqualitatem.

5. F. G. ſe habent in I. ad dubitationem inquirentia Y. Z., ſed ipſo Y. invento, aut ipſo Z., tunc H. ſe habet ad negationem, & affirmatio ſtat in habitu in E. habente Y., quod E. movet I. ad ipſum Z.; & hoc idem ſequitur de I. Y., & de E. Z.; unde cùm hoc ita ſit, per hoc demonſtratur, quòd affirmatio & E. concordant, negatio verò & I.; & quia E. & majoritas conveniunt, I. verò & minoritas, ergò bene ſequitur, quòd affirmatio habeat concordantiam cum majoritate, & negatio cum minoritate.

Camera 14.
[*I. N.*]

1. A Creavit I. N., ut inſimul auxilientur E. per A. V. Y. contra V. Z.; nam I. N. ſunt ad ſerviendum ipſi E., operante I. in N. & è converſo iſto modo, ſcilicet, quòd I. odiat K. L. in N., ut ipſum K. convertatur in B., & L. in C. atque N. diligat F. G. diſcurrere per A. S. T. V. X. Y. Z., ut D. habeat Y. & H. habeat Z. pro objecto.

2. Differentia eſt inter I. & N., nam I. recolit & intelligit id, quod H. odit, N. autem non recolit nec intelligit id, quod M. diligit ſive odit; per hanc differentiam I. N. quandoque habent concordantiam, & quandoque contrarietatem; quia dum habent concordantiam, ipſa exiſtunt in F. G., eò quòd diſcur-

discurrunt per objecta, quæ M. diligit sive odit, ut ipsum M. aut in D. aut in H. converti possit: ipsum M. etiam diligit diligentiam & velocitatem ipsorum F. G. in suo discursu, optat, sperat, supponit & credit, ut F. G. inde directionem habeant in discursu; sed quando I. existit per F. G. H. contra Y., & N. per M. contra Z., sive quando I. est contra Z., & N. contra Y., tunc inter I. N. est contrarietas, per quam generatur dubitatio contra affirmationem & negationem.

3. Per modum acquisitionis scientiæ I. est principium ipsius N.; veruntamen per modum infusionis scientiæ N. est principium ipsius I., ideóque scientia est medium existens inter I. & N., finis autem, qui est scientia, est finis ipsorum I. N., quia dum F. G. discurrunt per aliquod universale, in quo inquirunt aliquod particulare, neque possunt illud invenire, tunc I. convertitur in N., quod principiatur propter perversionem ipsius F. in K., & ipsius G. in L., atque M. diligit vel odit id, quod H. odiret, si F. G. potuissent reperire quæsitum particulare; sed quando accidit, quòd M. per magnam abundantiam amoris vel odii movet F. ad recolendum & G. ad intelligendum, tunc N. est medium ipsius I., in quantum est medium, per quod K. in F., & L. in G. convertuntur.

4. Majoritas convenit ipsi I. uno modo, & ipsi N. altero modo, dum enim majoritas convenit ipsi I., tunc intelligitur, eam esse per F. G., quæ conveniunt cum majoritate, & per K. L., quæ habent concordantiam cum minoritate; sed dum M. habet tantum ardorem diligendi A. V. Y. & odiendi V. Z., quòd H. tantùm nequit odire, sicut M. diligit & odit, tunc per hunc modum est in gradu majori & excellentiori, quàm F. G. H.; veruntamen, quando I. est majus per F. G., quàm N. per K. L., tunc ipsum M. supplet defectum ipsius N. provenientem ex K. L., & tunc resultat æqualitas inter I. N.

5. Quando F. G. discurrunt investigantia particulare, tunc existit affirmatio per concordantiam ipsorum I. N. supponente M. & credente, illud particulare ab F. G. inventum esse, quocirca M. movet F. G. in illo discursu; quando autem F. G. nequeunt reperire ipsum particulare, tunc negatio existit per H. odiens defectum, quem F. G. sustinuerunt ad inveniendum id, quod inquisivêre; sed quia ipsum M. diligit, ut ipsa F. G. discurrant, iterum F. recolit & G. intelligit id, in quo defecerunt, & tunc oritur noviter dubitatio ex ipsis tribus, scilicet ex F. G. M.

Camera 15.
[*I. R.*]

1. A Creavit I. R. in actibus potentiarum ipsius S., ut ipsum S. in suis potentiis habeat operationem ordinatam, *quia I. habet recursum ad R., quando ipsum I. patitur defectum in F. G. H. per nimis magnam abundantiam seu per nimis parvam, accipiente I. de hoc, quod R. continet de E. N. fortificando se ipsum vel diminuendo quantitatem ipsorum F. G. H., & hoc multiplicando R., ut habeat temperamentum & justitiam in se ipso.*

2. Differentia est inter I. & R., quia I. est simplex species ipsius S., sed R. est ipsius S. species composita ex E. I. N., & propter differentiam, quæ est in simplicitate & compositione, sequitur, quòd I. R. quandoque habent concordantiam, quandoque contrarietatem: *eorum autem concordantia vel contrarietas existit in hoc, quòd per nimis magnam vel per nimis parvam quantitatem ipsorum F. G. H. ipsum I. componit, vel deponit ipsum R.*; cùm autem componit ipsum, tunc habet ipsum I. cum eo concordantiam, & contrariatur sibi ipsi, quia diminuit semetipsum, habet etiam concordantiam cum eo temperando se ipsum, sed contrariatur ei, quando I. deponit R. & privat ab esse & è converso.

3. In quantum I. est pars ipsius R., in tantum est principium suæ partis existentis in R., & quoniam R. continet de E. N., ideo potest esse principium ad multiplicandum seu diminuendum partem, quam habet ex I.; *ideóque R. est medium & subjectum, in quo se revolvunt multiplicatio seu diminutio ipsorum I. E. N. in R., ut finis ipsorum E. R. inde sequatur, per quem finem I. in R. participat cum E. N., qui finis est transmutatio, quam oportet fieri ab una specie in alteram ad formandum V. T. contra V. Z.*

4. Quoniam in R. existunt K. L., quæ conveniunt cum maxima minoritate & privatione, sequitur, quòd I., in quo K. L. non existunt, habeat concordantiam cum majoritate, & R. cum minoritate; veruntamen quando I. existit in V. Z. habens V. Y. pro objecto, tunc propter ignorantiam, quæ convenit cum K. L., existit R. in majoritate, & I. in minoritate, quæ convenit cum culpa; & quia I. uno modo potest esse majus ipso R., & alio modo minus, idcirco potest esse æqualitas inter I. R.

In

5. In comparatione de I. ad R. intrat triangulus niger, nam I. affirmat vel negat per H.; sed quia in R. existunt K. L., oritur dubitatio de R., & existit in ipso R.; per quam existentiam affirmatio & negatio corrumpuntur in I.

Camera 16.
[*N. N.*]

1. A Creavit M., quod accipit V. Y. Z. pro objecto, diligendo V. Y., & odiendo V. Z., quod M. est opus voluntatis, quæ est creatura; & quoniam B. F., C. G., D. H. non possunt habere suos actus sine acquisitione, idcirco M., quod suum actum potest habere sinè acquisitione, potest existere cum K. L. in N.; in quo N. fides & credulitas conveniunt, cùm sint creaturæ; sed dum M. accipit Y. Z. pro objecto, odiendo Y., & diligendo Z., tunc actus ejus est contrarius creaturæ habens concordantiam cum privatione.

2. In N. existit triangulus viridis, quia differentia est inter K. L. M., concordante K. cum obliviscí, & L. cum ignorare, & M. cum diligere vel odire, & concordantia harum trium potentiarum est in N., quod sinè earum concordantia nihil esset; in quo N. ipsa K. L. M. sunt contraria cameræ ipsius esse & privationis, quia M., in quantum habet actum, convenit cum esse, sed K. L. conveniunt cum privatione; & ideo M. se movet ad E. I., sed K. L. se movent ad R.

3. M. est principium ipsis K. L., quia M. sinè acquisitione potest diligere vel odire, sed quia B. F., C. G. nequeunt habere secundum actum sinè acquisitione, idcirco M. est principium ipsis K. L., cùm subitò habet suum actum, neque dat deliberationem ipsis B. F., C. G.; sed dum per M. ipsum K. convertitur in B. F., & L. in C. G., *tunc M. est medium, per quod fit transmutatio*; finis verò est, ut M. habeat meritum per K. L., dum existit in Y., & dum movet K. ad B. F., & L. ad C. G.; & super hunc finem est alius finis, scilicet, quòd M. habeat A. diligendo ipsum.

4. Majoritas convenit ipsi M., dum diligendo habet A. V. Y., & minoritas illi convenit, cùm odiendo habet ipsa A. V. Y.; & ideo camera meriti & culpæ convenit cum M., quæ camera discovenit cum K. L., per quam disconvenientiam camera fortiùs convenit cum D. H., quàm cum M.; æqualitas verò inter K. & L. est possibilis, sed impossibilis inter K. L. cum M.

5. M. affirmat & negat per K. L. in absentia ipsorum B. F., C. G., sicut homo cæcus tendens per tenebras, salvâ tamen fide, quæ cum A. V. Y. convenit; ideo M. quandoque affirmat, se esse D., & K. esse B., & L. esse C.; sed dum M. existit in transmutatione ipsius K. in B., & ipsius L. in C., & sui ipsius in D., tunc habet aliquam dubitationem, quæ cadit in privationem, quando facta est transmutatio, seu quando destruitur R., quod est medium & subjectum dubitationis.

Camera 17.
[*N. R.*]

1. A Creavit proportionem & similitudinem inter S. & quatuor elementa, ut insimul possint convenire ad serviendum ipsi A., nam in quantum S. in se continet quatuor species, quæ sunt E. I. N. R., quæ species sunt ex tribus principalioribus potentiis ipsius S., *& in quantum elementa sunt quatuor, quorum quaternitas se revolvit super tria principia, in quibus constituitur elementata substantia, scilicet forma, materia & conjunctio, idcirco S. & natura corporea habent concordantiam in quaternitate & trinitate, unde sequitur quadrangulus & triangulus, per quos S. & corpus conveniunt ad unum suppositum:* unde quia hoc ita est, idcirco R. retinet in se similitudinem quaternitatis, & N. trinitatis, ad significandum per ipsa N. R. particulare intellectuale vel sensuale.

2. Differentia est inter N. & R., quia N. est compositum ex K. L. M., sed R. est compositum ex E. I. N.; quocirca N. intrat mixtionem incorpoream & invisibilem in R., quod ex partibus non sensualibus & invisibilibus est compositum; & sicut quatuor elementa in subjecto naturali habent concordantiam vel contrarietatem, ita N. R. in actibus potentiarum ipsius S. habent concordantiam vel contrarietatem; quia si R. in se contineat plus de B. C. D., quàm de M., contradicit ipsi N., quando ipsum M. vult contra B. C. D.; si verò M. obtineat in R. majorem partem, quàm E., habet concordantiam cum R. contra id, quod ipsum R. continet de B. C. D.

3. In quantum N. diminuit M., & multiplicat seu augmentat K. L., in tantum destruit affirmationem & negationem, & est principium ipsius R.; quod R. per dubitationē est principium affirmationis & negationis contra dubitationem, augmentando in se partes ipsorum E. I.: ideo N. est principium ipsius R. per unum modum, & è converso per alterum; eorum autem medium est in

partibus ipsorum E. I., prout dictum est; sed finis ipsorum N. R. consistit in E. I., eò quòd ipsa E. I. magis distant à privatione & minoritate, quàm N. R.

4. Quoniam in N. de tot naturis non continetur tantum, quantum in R., & quia magis simpliciter se habet privatio ad K. L. in N., quàm in R., est ipsum R. majus, quàm N.; sed quia M. cum majori vigore & majori virtute se habet in N., quàm B. C. D., F. G. H. se habeant in R., propter hoc est N. majus ipso R.; æqualitas autem amborum existit per differentiam & contrarietatem partium, vel per differentiam & concordantiam, aliquibus partibus ipsorum E. I. ascendentibus & descendentibus, & aliquibus partibus ipsius N. descendentibus & ascendentibus.

5. Prout in quantitate operis vel privatione operis N. R. sunt æqualia vel inæqualia, formatur per ipsa N. R. dubitatio, vel ipsa dubitatio convenit cum R., affirmatio verò vel negatio cum N., quia dubitatio semper incipit & oritur ex R., atque existit in ipso R., ad significandum per contrarium ipsum A. & cameras ejus, in quibus neque compositio nec dubitatio possunt esse; sed quia M. est ardens actus ipsius S., idcirco affirmat vel negat absque dubitatione, licèt ipsum M. per K. L. dubitationi sit valde propinquum; quæ dubitatio per ipsa K. L. convenit cum privatione.

Camera 18.

[*R. R.*]

1. A*Ordinavit, quòd S. in R. sit creatura per operationem similis figuræ elementali*; quoniam sicut unum elementum intrat in aliud per triangulum viridem, rubeum & croceum, & formant corpus elementatum, ita quando hi tres trianguli intrant in potentiam memorativam, intellectivam & volitivam, formant R.; in quo R. sunt istæ cameræ [esse privatio] [perfectio imperfectio.]

2. In R. est triangulus viridis, nam sicut ignis per simplicitatem & compositionem est distinctus, & distinctus ab aëre & à terra, cum quibus habet concordantiam, & contrariatur aquæ, ita in R. est triangulus viridis secundùm actus ipsorum B. C. D., F. G. H., K. L. M.; quoniam quando B. se elongat à majoritate, & accedit ad minoritatem, habet concordantiam cum minoritate, in quam minoritatem intrat minoritas ipsorum C. D.; & ideo E. devenit in privationem disconvenientem majoritati, & formatur K. L. M.; & hoc idem sequitur de F. G. H.: per quam consequentiam & antecedentiam venit R. in esse, habens in se triangulum viridem per E. I. N.

3. In elementali Figura ignis simplex ex sua entitate incipit producere ignem compositum, & quia in illo igne composito sunt alia elementa, ideo resultat ex ipsis elementis quoddam corpus in aliam speciem, quæ neque est ignis simplex neque compositus, neque est aliquid aliorum elementorum, licèt ex ipsis sit compositum; nam in compositione ipsorum, id est aggregatione simul unitâ formatur transmutatio speciei, seu resultat quædam nova species, sicut ex partibus domûs simul debitè unitis resultat species, quæ est domus, tamen illa species non est species alicujus partis domûs: unde cùm hoc ita sit, absentia magnitudinis ipsorum E. I. N., atque præsentia parvitatis eorum sunt principium ipsius R., quod non est E. I. N., quamvis ipsum sit ex E. I. N. existentibus inter perfectionem & imperfectionem in ipso *R., quod est medium perfectionis & imperfectionis ipsorum E. I. N.; per quod medium fit transmutatio ipsius E. in I. & in N., & ipsius I. in E. & in N., atque ipsius N. in E. & in I.; quæ transmutatio est finis, ut S. possit uti suis speciebus in diversis temporibus.*

4. Virtus ipsius S. egreditur in majori magnitudine in B. C. D., quàm in F. G. H., & in F. G. H., quàm in M.; & ideo R. est majus per E., quàm per I., & per I., quàm per N.; sed dum R. est in æqualitate, tunc descendit E. ad minoritatem, & I. N. ascendunt ad majoritatem, etiam tunc descendit I. ad minoritatem, M. verò ascendit ad majoritatem, & in obviatione descensionis majoritatis & ascensionis minoritatis formatur æqualitas ipsius R.; quæ æqualitas est instabilis, quia descensio & ascensio sunt incessantes tanto tempore, donec destruitur æqualitas, *sicut destruitur in quatuor elementis per vegetativam potentiam, in qua existit motiva potentia quatuor complexionum.*

5. In R. est magis confusus triangulus niger, quàm in E. I. N., & hoc est propter mixtionem, quam E. I. N. habent in R.; & ideo apparet, E. I. N. non esse de entitate ipsorum B. C. D., F. G. H., K. L. M.; quia si essent, S. esset corruptibile in R., etiam esset ita mortale sicut corpus, quod est de entitate elementorum mixtum, digestum & compositum; sed quoniam S. non miscet suas potentias, sed miscet actus earum, quæ non sunt de sua entitate, nec de entitate potentiarum ejus, idcirco ipsum S. non est corruptibile, licèt E. I. N. sint corruptibilia in R. & in triangulo nigro.

Camera 9.

[*S. T.*]

1. SProut convenit, movet suas potentias per T., ut E. possit frui ipso A. in T. sicut Creatore, & ut possit uti ipso T. sicut creaturâ, & hoc facit S., ut suum opus possit habere concordantiam cum opere ipsius A.

2. Secundùm quòd S. accipit T. pro objecto, diversificat actus suarum potentiarum; nam dum intelligit cum C. aliquod objectum nobile, tunc ipsum diversificat D. ab H. in nobilitate illius objecti, diligente D. illud, & odiente H. omne id, quod eidem objecto contrariatur; & hoc est propter concordantiam ipsorum E. I., quam habent in V. livido; contra quam concordantiam existunt ipsa E. I., quando habent concordantiam in V. rubeo; & hoc idem sequitur de N. R., & hoc per totum T., quod apparet, secundùm quòd ipsum T. potest intrare in S.

3. De substantia, quæ est S., procedit virtus per B. C. D., de quibus B. C. D. oritur E., quod est actus ipsorum B. C. D.; & ideo B. C. D. sunt medium, quod est inter dictam substantiam & E., & substantia est principium ipsorum B. C. D., & E. est finis ipsorum B. C. D., & substantia est finis ipsius E., eò quòd convenit cum majoritate; & finis, qui est super substantiam, est A., eò quia in S. existit B. C. D., & in ipsis B. C. D. existit E., ut ipsum E. fruatur ipso A.

4. Prout S. accipit objecta, existit triangulus croceus in suis speciebus, nam B. aliquando accipit aliquod objectum fortiùs, quàm C., & è converso, & ideo E. est majus in B., quàm in C., & è converso, & hoc idem sequitur de ipso D.; sed quando B. C. D. in æqualitate conveniunt accipiendo aliquod objectum æqualiter, tunc in hac æqualitate E. est remotum ab N. R., quibus N. R. est propinquum, quando majoritas convenit cum uno aut cum duobus individuis ipsius E., & æqualitas illis disconvenit.

5. Priusquàm S. affirmet in triangulis ipsius T., convenit, quòd F. G. discurrant per angulos cujuscunque trianguli, convenit etiam, quòd ipsum S. revolvat se in suis speciebus, scilicet in E. I. N. R., ut sciat, cum qua specie debeat affirmare, & cum qua negare, & cum qua debeat dubitare, & hoc per omnes cameras figuræ ipsius T., & per omnes quæstiones, quæ cum ipsis cameris sunt concordantes.

Camera 10.

[*S. V.*]

1. SEt V. lividum sunt creaturæ ipsius A., ut ipsum S. cum V. livido serviat suo Creatori in cognoscendo opus intrinsecum & extrinsecum.

2. A. diversificavit operationes ipsius S. in V., prout ipsum S. habet differentiam in suis potentiis; nam per E. se habet S. ad Spem, Charitatem, Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem & Temperantiam; & per I. se habet ad V. rubeum; & per N. se habet ad Fidem & Spem: concordantia verò est in hoc, quòd una virtus concordet cum altera; & contrarietas est, quòd virtutes contrarientur vitiis, & è converso.

3. In E. Charitas est principium omnium aliarum virtutum, & in N. per suppositionem Fides est principium omnibus virtutibus, & per E. I. N. Spes est principium omnium aliarum virtutum; & per R. Temperantia est medium Fortitudini & Justitiæ; sed per E. I. N. R. Charitas est finis omnium aliarum virtutum: unde cùm hoc ita sit, prout posuimus triangulum rubeum in S. & in V. livido, simili modo potest poni in S. & in V. rubeo secundùm primam intentionem & secundam.

4. S. est majus in E., quàm in N., ergò est majus per Charitatem, quàm per Fidem, quia nisi hoc esset, K. L. haberent concordantiam cum majoritate, B. C. verò cum minoritate; quod est impossibile: sed quia M. plùs sursùm potest ascendere, quàm D., idcirco formatur æqualitas ipsorum E. N., & in ipsis E. I. N. habent æqualitatem per modum generis, nam sunt ex una eadem communi virtute ipsius S.; non tamen de ipsis E. I. est ita secundùm actum, nam secundùm virtutem oportet, E. semper esse majus, quàm I., cùm diligere sit nobilius, quàm odire; & hoc idem sequitur de I. N. R., secundùm quòd apparet in hoc, quod suprà dictum est; in qua apparentia significatur, quomodo triangulus croceus intrat in S. & V. rubeum, *cùm per unum exemplum habeatur notitia aliorum exemplorum.*

5. Affirmare convenit, V. lividum esse viam, per quam E. I. N. R. tendunt ad Y., & affirmandum est, V. rubeum esse viam, per quam E. I. N. R. tendunt ad Z., & prout S. habet aliquod impedimentum in via, quæ componitur de Y. Z. per E. I. N. R., V. livi-

dum & V. rubeum appropinquant dubitationi; & quo plùs Y. & Z. sunt remota in E. I. N. R., eò plùs augetur negatio ipsius Z., & affirmatio ipsius Y., & destruitur dubitatio.

Camera II.

[*S. X.*]

1. OMne id, quod in S. sequitur per prædestinationem & liberum arbitrium, est creatura & opus ipsius A., in quo opere existit opus ipsius S., scilicet usus, quem S. habet de libero arbitrio; & esse ipsius S. est creatura, & privatio, quam S. habet de Y. in Z., est inclinatio, quam habet ipsum S. ad non esse, quod convenit cum privatione; perfectio, quam habet E. in A., est operatio, & hoc idem sequitur de I., quod movetur ad perfectionem ipsius E., dum ipsum I. dat H. ipsi Z.; meritum, quod S. habet, est creatura, utente S. ipsis Y. Z.; & culpa est operatio ipsius S.; suppositio, quam facit S. cum N., est operatio, in qua incipit demonstratio, ad quam moventur F. G.; immediatè est operatio, quam C. facit inter unum contrarium & alterum; & mediatè est, quando C. per unum medium accipit alterum pro objecto; realitas est in C. secundùm Y.; & ratio est, quando Y. Z. inter se immediatè contrariantur; & potentia est ens ipsius S., quod sumit objectum secundùm Y. aut secundùm Z.: unde cùm hoc ita sit, secundùm dispositionem trianguli lividi, quæ est in S. X., potest per triangulum lividum fieri responsio quæstioni.

2. C. facit differentiam inter realitatem & rationem, quando affirmat prædestinationem, & negat liberum arbitrium, & hæc differentia est secundùm concordantiam & contrarietatem, quam habent potentia & objectum mediatè & immediatè, & ideo esse convenit in S. cum realitate, privatio verò cum ratione; & quoniam perfectio convenit cum C., quantum ad realitatem, & imperfectio convenit cum ipso C., quantum ad rationem, idcirco C. habet culpam & meritum in diversis temporibus propter diversa objecta concordantia inter se & contraria, *& E. transformatur in R.*

3. In camera sapientiæ & perfectionis incipit E., quando accipit prædestinationem pro objecto; sed quando N. negat liberum arbitrium, tunc H. incipit assumere cameram Justitiæ & Perfectionis, & tunc M. diligit primam cameram propter perfectionem, & odit secundam propter imperfectionem, quam M. habet in se; & ideo S. habet ad se ipsum primam intentionem, quæ convenit cum finali causa, & habet ad A. secundam intentionem, quæ convenit cum medio: unde cùm hoc ita sit, secundùm quòd posuimus triangulum rubeum in S. per duas supradictas cameras, eodem modo potest poni secundùm dispositionem, quam X. habet in suis cameris.

4. Prædestinatio major est in E., quàm liberum arbitrium in N. secundùm objectum, realitatem & rationem, & ideo per hanc majoritatem & minoritatem N. priùs se inclinat ad negandum liberum arbitrium, quàm E. ad transformandum se in N.; & hoc idem sequitur, quando E. pro objecto accipit liberum arbitrium, & N. prædestinationem, habente S. in uno tempore Y. per majoritatem, & in alio tempore Z. per minoritatem; & quoniam ipsum S. non potest capere totum A., *transformatur E. in N., & N. in E., per triangulum nigrum*, & per cameram prædestinationis & liberi arbitrii; æqualitas verò trianguli crocei est in ipsa transformatione ipsius E. in N., & ipsius N. in E., transmutante S. sua objecta, quæ in uno eodem tempore in secundis actibus ejusdem S. non possunt recipi, nec sub una specie ipsius S. possunt diversè ingredi nec stare.

5. S. ponit triangulum nigrum in X., prout S. ipsum accipit pro objecto in una camera, & non in altera, per unam speciem, & non per alteram, scilicet quando E. affirmat cum perfectione cameram Sapientiæ & Justitiæ, quia tunc est Y. in ipso E. mediante ipsa camerâ; sed dum negat liberum arbitrium, tunc transformatur in R., aut in N., & dubitat, esse liberum arbitrium aut prædestinationem, & talis dubitatio & negatio sunt propter imperfectionem, quam potentia habet in accipiendo objectum, quod est magis intelligibile & amabile, quàm potentia possit accipere; quia nisi sic esset, esset impossibile, postquam E. accepisset illud objectum, quòd posset ipsum relinquere, & transformari in N.: unde sicut hìc datur exemplum de triangulo nigro in camera prædestinationis & liberi arbitrii, eodem modo per S. potest dari exemplum in aliis cameris ipsius X.

Camera 12.

[*S. Y.*]

1. OPeratio, quam S. habet in Y., per unum modum est creatura in E., & per alium modum in I., & per alium in N.; & illa operatio est ipsius S., prout ipsum S. ordinavit omnes operationes ad unum finem; & illa operatio & finis sunt creaturæ, cùm usus, quem S. habet in creaturis, sit sua operatio.

2. Quoniam differentia est inter E. I. N. R., ideo S. diversimodè inquirit Y., & diversimodè habet ipsum pro objecto, ipsis E. I. N. concordantibus contra Z., seu majori parte ipsius R. contrariante ipsi Z.; & hoc idem, quod sequitur de triangulo viridi in E. I. N. R., sequitur in individuis eorum, hoc est, in B. C. D., & in F. G. H., & in K. L. M., prout in sequenti triangulo rubeo exemplificabimus.

3. In principio, quando S. inquirit Y., tunc incipit cum N., supponendo, possibile esse, Y. inveniri per triangulum nigrum, deinde suppositione factâ discurrit cum F. G. sinè H., per cameras hujus Artis, in quibus ipsum S. non vult ponere H., ut inter F. G. & M., quod diligit Y., non habeatur contrarietas: dum autem per hunc discursum formatur E. habens Y., tunc ipsum E. dat Z. ipsi H., ut I. sit medium, per quod E. habeat Y., & H. habeat Z., & ut finis sequatur, qui est ipsa E. Y.

4. Secundùm ordinationem ipsius E. majus est Y. in C., quàm in B. D., & hoc est propter naturam, quæ est inter potentiam & objectum, quia C. movet suum intelligere ad Y., & B. movet suum recolere ad reddendum Y. ipsi C., & D. diligit Y., quantò plùs Y. intelligitur à C.; & ideo inter C. Y. est majoritas, sed inter B. D. Y. minoritas, & æqualitas existit in virtute ipsius S., de cujus virtute sunt æqualiter B. C. D.; verùm quia I. N. non sunt tam propinqua ipsi Y., sicut E., ideo H. est priùs contra Y., quàm D.; & hoc idem sequitur de M., hoc enim est propter minoritatem, in qua sunt I. N., & propter majoritatem, in qua est E.

5. Affirmare Y. per N., est appropinquare dubitationem affirmationi, & negare Y. per N., est appropinquare dubitationem negationi; sed affirmare Y. per E., est elongare dubitationem ab affirmatione & negatione, & est elongatio ipsius H. ab Y.; *& hæc regula non fallit in ulla camera hujus Artis*, prout triangulus niger potest intrare in cameram ipsorum S. Y.

Camera 13.

[*S. Z.*]

1. SEst creatura ipsius A. sinè Z., quia nisi sic esset, opus, quod S. habet in Z., esset creatura, opus verò, quod habet in Y., non esset creatura; quod est impossibile, cùm Y. conveniat cum esse, & esse cum creatura, Z. verò concordet cum privatione contra creaturam.

2. Differentia est inter S. & Z., quia S. est creatura, Z. verò est inclinatio, quam S. per privationem ipsius Y. in E. I. N. habet in nihilum, quod convenit cum Z. contra esse & contra Y.; & concordantia, quæ est inter S. Z., est tunc, quando E. I. N. sunt contra Y.; sed contrarietas, quæ est inter S. Z., est, dum E. I. N. sunt contra Z., & dum Z. est contra Y.

3. Z. non potest habere principium ex aliqua entitate ipsius S., veruntamen potest habere principium ex inordinatione ipsorum E. I. N.; medium verò, quare Z. incipit per E. I. N., est, quia in E. I. N. transmutatur intentio superiùs & inferiùs, E. tribuente primam intentionem ipsi I., & secundam sibi ipsi; ideo ipsum E. facit primam & finalem intentionem contra realitatem; & hoc idem sequitur de N.

4. Z. potest esse in majori quantitate in E., quàm in I., & in I., quàm in N., & in N., quàm in R.; & hoc ideo, quia quantò magis E. est remotum à minoritate, quàm I., & I., quàm N., & N., quàm R., tantò majus potest esse in subjecto, quod est majus, quàm in subjecto, quod est minus; velut superficies potest esse major in majori corpore, quàm in minori: æqualitas verò est inter S. Z., quando totum E. accipit Z., & totum I. accipit Y. pro objecto, & totum M. diligendo accipit Z. pro objecto, & quando ex E. I. N. formatur R. æqualiter compositum de Z. Y.

5. Quando affirmatio & non ens conveniunt, & negatio & ens, & impossibile & affirmatio, possibile & negatio habent concordantiam, & hæc concordantia est contra concordantiam affirmationis & entis & possibilis, & negationis, non entis & impossibilis, tunc est Z. in S. per E. I. N., atque de ipso Z. oritur dubitatio in N. per R., quod R. continet aliquas partes ipsorum E. I. N., per quas formatur dubitatio, quæ disconvenit cum Z., & convenit secundùm naturam affirmationis vel negationis, quæ fit per angulos trianguli nigri.

Camera 14.

[*T. T.*]

CAmera præsens significat, quomodo quidam trianguli ipsius T. per alios triangulos discurrant, unde hæc camera in quinque partes dividitur, prout quinq; sunt trianguli, ponendo alios in aliis ad dandam

doctrinam perquirendi particulare in universali; ideo secundùm ordinem primò ponendus est triangulus lividus in alios triangulos, deinde per consequens de aliis triangulis procedendum est.

De Triangulo livido.

1. REcolente B., in A. esse æternaliter Justitiam, quæ æternaliter justificat infinitum intelligere sapientiæ, & infinitum velle voluntatis, & recolente B., in A. non esse culpam, & omnem creaturam habere principium, C. format, differentiam esse inter Justitiam & Misericordiam ipsius A., quæ forma est contraria ipsi Y. & realitati, concordans cum Z. & ratione, cùm Justitia & Misericordia ipsius A. sint idem in Essentia, Natura & Unitate, quod C. conveniens cum minoritate nequit realiter diversificare Essentiam ipsius A.; sed sicut speculum obliquum in se repræsentat, obliquitatem esse in facie, quæ in ea non est, sic ipsum C. in se repræsentat, diversitatem esse in A., quæ diversitas in eo non est: unde cùm hoc ita sit, *idcircò quod de divina Justitia & Misericordia & de C. dictum est, hoc idem sequitur de omnibus Dignitatibus ipsius A., sequendo regulam exempli supradicti:* & hoc idem sequitur de contrarietate, scilicet, quòd C., quia intelligit in A. Justitiam, intelligit, quòd A. non diligat S., quod habet E. ad V. Z., quod S. diligitur ab A., quando ipsum S. habet E. ad V. Y.; & ideo C. secundùm rationem contra realitatem accipit in A. pro objecto alterationem volendi secundùm alterationem operis & temporis; quæ alteratio est impossibilis in A.: sed quando C. intelligit A. justum, misericordiosum, inalterabile, æternum, non habens in se majoritatem nec minoritatem, tunc habet concor-1.2. dantiam cum suo Creatore cognoscendo in se ipso minoritatem, & in A. majoritatem.

2. Præterea creatura operando habet in se triangulum viridem, sicut eum habet opus elementorum, quod est creatura, quæ elementa operantur in creatura, & diversificant in se ipsis suum opus, scilicet, quòd ipsa quatuor elementa sunt diversa, concordantia & contraria cum suo opere; sunt diversa, eò quòd ipsa non sunt illud suppositum, quod componunt; nam alia creatura est corpus elementatum, & alia creatura est ignis &c.; & sunt concordantia & contraria in illo corpore secundùm generationem &2.3. corruptionem & qualitates, & secundùm triangulum rubeum & croceum.

3. Nihil de triangulo rubeo potest poni in entitate ipsius A., nisi solùm finis, qui est in A. suamet perfectio, scilicet, quòd A. sine finali intentione non bonificat, neque magnificat, neque intelligit, neque vult in se ipso; quia nisi sic esset, suum bonificare, magnificare &c. convenirent cum minoritate; non tamen ita est de creaturis nec de operibus earum, quia totus triangulus rubeus in eis potest recipi; hoc enim est, quia elementa sunt creaturæ, & sic habent principium, quia ab A. sunt principiata, & eorum opera sunt principiata ab elementis, atque opus eorum est medium, quod tendit de principio usque ad finem, qui est, quando suppositum est perfectum; hoc idem etiam sequitur de triangulo rubeo per triangulum lividum secundùm cætera istis similia.

4. Majoritas & minoritas non cadunt in rem aliquam, quæ sit de natura & entitate ipsius A.; & ideo de necessitate convenit, in A. esse æqualitatem bonitatis, magnitudinis &c. in bonificare, magnificare, æternificare, intelligere, velle &c.: unde cùm hoc ita sit, idcirco de triangulo rubeo & croceo nihil est in A., nisi solùm camera finis & æqualitatis; veruntamen in aliis angulis trianguli lividi recipitur totus triangulus croceus, & de hoc non est dandum exemplum, cum per se sit manifestum.

5. In A. non potest intrare triangulus niger, cùm A. sit suamet veritas immensè & æternaliter; sed quoniam creatura & opus ejus sunt in triangulo rubeo, & quoniam opus ipsius S. est per E. I. N. R., ideo cadit in S. triangulus niger; quod per se manifestè apparet.

De Triangulo viridi.

TRiangulus lividus potest intrare in triangulum viridem isto modo, scilicet, quòd A. sit Creator totius differentiæ, concordantiæ & contrarietatis creatæ; & ideo A. in triangulo viridi est per modum agentis, qui triangulus ipsum recipit in se per modum patientis secundùm operantem & operatum, diversificante ipso A. unam speciem ab alia, & unum individuum ab alio, faciente etiam ipso A. illas creaturas inter se concordantes & contrarias, prout convenit operi extrinseco ipsius A.; & hoc idem sequitur de aliis angulis trianguli lividi in triangulo viridi,

Principium naturale diversificat diversa in medio, per quod virtus ipsius movetur ad finem, sicut ignis simplex, qui est principium caloris existentis in aëre, per quem calorem movetur ignis compositus ad aquam ad destruendam frigiditatem, auferendo ab aqua composita suam materiam, & dando eam suo calori, ut componatur corpus calidæ complexionis; & hoc idem sequitur de E. existente in Y., quod E. est principium ipsius I. habentis Z. pro objecto; & istud I. est medium, per quod E. habeat V. lividum pro objecto, quod objectum est finis, propter quem E. movet I ad V. Z.: unde cùm hoc ita sit, secundùm principium prædictum significatur, totum triangulum ru-4.3. beum esse in viridi.

4. Major differentia est inter differens & contrarium per unum modum, & major inter differens & concordans per alium, sicut differentia, quæ est inter Y. & Z., quæ est major in camera esse & privationis, quàm differentia ipsorum V. Y., ipsis V. Y. concordantibus cum esse contra V. Z., quæ habent concordantiam cum privatione; quæ V. Z. non habent tantam differentiam nec concordantiam, quantam habent V. Y.; *quia sequeretur, quòd naturale principium, quod in*5.3. *medio diversificat & contrariatur, & quod suam virtutem in fine coæquat & concordat, esset contra se in opere naturali; quod est impossibile.*

5. Triangulus niger intrat triangulum viridem affirmando, quòd differentia & concordantia conveniant cum esse, perfectione, affirmatione & majoritate, & quòd differentia & contrarietas conveniant cum privatione, imperfectione, negatione & minoritate; *ideóque non est dubitandum, generationem esse ex differentia & concordantia, & corruptionem esse ex differentia & contrarietate.*

De Triangulo rubeo.

1.3. SIcut *nunc* est in principio, medio & fine, ita & multò melius A. est in omni principio, medio & fine, quæ non sunt V. Z.,1.4. in quibus principio, medio & fine existit A. tanquam Creator, & tanquam agens, & est essentialiter & præsentialiter per bonitatem, magnitudinem &c.; sed de creaturis non est ita, quia creaturarum aliæ sunt principia aliis, agentibus aliis in alias, & orientibus & progredientibus aliis ab aliis, per quarum ortum & progressum formatur triangulus rubeus.

2.3. Differentia est inter principium & principium, sicut in S., in quo E. est unum principiatum, & I. aliud principiatum, & N. aliud, ac R. aliud, quæ principiata sunt de tribus potentiis ipsius S., quæ inter se conveniunt ad essendum diversa principia; & hoc idem sequitur in supposito elementato, in quo ignis existens in quarto gradu caloris, est diversum principium à terra existente in tertio gradu siccitatis; & concordantia duorum principiorum existit in differentia, quam ipsa habent sinè medio, & eorum contrarietas est in hoc, quòd ignis & aqua sunt diversa & contraria fini: unde cùm hoc ita sit, sicut triangulus viridis positus est in principio trianguli rubei, potest idem triangulus poni in medio & in fine, & hoc per se patet.

3. Majus principium, quod sit, vel possit esse, est A., & majus principium, quod est post A. in homine, est causa finalis creata, ad quam B. C. D. movent E. per A., & post istud principium est illud principium, quod est ex B. C. D. ad E.; æqualitas verò, quæ est inter principium & principium, inter medium & medium, finem & finem, & inter principium, medium & finem, potest reperiri secundùm ea, quæ exemplificata sunt de triangulo rubeo in prædicta majoritate & minoritate.

3. Omne principium creatum est affirmabile per E., & non negabile, & est dubitabile per N. R., quæ conveniunt cum dubitatione; & hoc idem sequitur de medio & fine trianguli rubei; id autem, per quod dubitatio cum N. R. convenit in triangulo rubeo, est, ut R. veniat in privationem, & ut N. transmutetur in E. per affirmationem, vel per negationem, quæ sit in Y., aut ut N. permaneat in sua forma, habens Y. affirmando vel negando sinè dubitatione, ut N. in X. conveniat cum camera meriti & suppositionis, donec ipsum N. transformetur in E. per cameram suppositionis & demonstrationis.

De Triangulo croceo.

QUando C. ponit triangulum lividum in croceo, tunc intelligit, A. & majoritatem simul convenire, creaturam verò & minoritatem; & ideo B. recolit, quòd bonitas, magnitudo, æternitas &c. habeant majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate; per quam majorem concordantiam C. intelligit, quòd necessariò conveniat, in A. esse æqualitatem operis intrinseci, quod sit sinè majoritate & minoritate, & quòd majoritas sit secundùm relationē operis extrinseci, quod est in creatura; nisi verò hoc ita esset, C. intelligeret, bonitatem, magnitudinem &c. non posse convenire sinè minoritate; quod est impossibile.

Diffe-

2.4. Differentia est inter majoritatem & majoritatem, & inter majoritatem & minoritatem, ac inter majoritatem & æqualitatem; & hoc idem sequitur inter æqualitatem & æqualitatem, & inter æqualitatem & minoritatem, ac inter minoritatem & minoritatem; & concordantia majoritatis & majoritatis est major, quàm concordantia majoritatis & æqualitatis, majoritatis & minoritatis; & concordantia æqualitatis & æqualitatis est major, quàm concordantia æqualitatis & majoritatis, æqualitatis & minoritatis; 1.5. & hoc est, quando æqualitas est in rebus majoribus, ubi non est minoritas: unde, prout de concordantia diximus in triangulo croceo, eodem modo potest intelligi, dictum esse in ipso triangulo de majoritate, æqualitate & minoritate contrarietatis.

3.4. Principia majoritatis, quæ sinè minori- 2.5. tate nequeunt esse, sunt quantitas, qualitas &c., & ideo subjectum talium principiorum substat majoritati & minoritati, quod subjectum est medium, per quod majoritas existit in fine, & minoritas existit in principio & medio: unde cùm hoc ita sit, convenit, A. esse principium, medium & finem omni majoritati, quæ non potest esse sinè minoritate; hoc idem etiam sequitur de omni æqualitate existente composità ex majoritate & minoritate, descendente majoritate ad minoritatem, & ascendente mino- 3.5. ritate ad majoritatem; veruntamen de æqualitate ipsius A. non est ita; nam convenit, eam esse absque majoritate & minoritate; quia nisi esset, foret impossibile, quòd per triangulum rubeum ipsa esset super majoritatem & minoritatem, & super æqualitatem compositam de majoritate & minoritate.

5.4. Major majoritas, quam affirmatio potest habere, existit in affirmabilitate ipsius A.; & major majoritas, quam negatio potest habere, existit in negabilitate ipsius A., & hoc idem sequitur de æqualitate; nam af- 4.5. firmabilitas ipsius A. est, quòd C. affirmet in A. id, quod est A., & est de entitate, natura & opere ejus; negabilitas verò est, quòd C. neget, esse A. id, quod non est A., & quòd neget in A. id, quod in eo non est, neque est de entitate, natura & opere ejus: unde major dubitatio, quam S. possit habere, est dubitare in A. per confusam affirmationem & negationem: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd S. absolutè affirmet in A. omnem nobilitatem, & neget in eo omnem vilitatem; & ideo convenit, quòd affirmet, in A. esse æqualitatem bonitatis & bonificandi, magnitudinis & magnificandi, & sic de aliis, & æqualitatem bonitatis, magnitudinis &c.: etiam de unitate & essentia ipsius A. convenit necessariò esse æqualitatem, quæ est affirmabilis: unde cùm hoc ita sit, *secundùm hanc prædictam regulam significatur regula & doctrina, quomodo in triangulo croceo ponatur triangulus niger per creaturas.*

De Triangulo nigro.

1.5. A Et creatura & operatio sunt entia affirmabilia, ergo non negabilia; quia si essent negabilia, & non affirmabilia, sequeretur, quòd ens & affirmatio haberent concordantiam cum privatione, & non ens & negatio cum esse; quod est impossibile, quæ impossibilitas non cadit in dubitationem.

2.5. Differentia, concordantia & contrarietas est in triangulo nigro, quia una affirmatio convenit secundum E., altera secundùm I., altera secundùm N., & altera secundùm R., & hoc idem sequitur de negatione; sed dubitatio non cadit in E. I., sed solùm in N. R.: unde cùm hoc ita sit, secundùm quod in E. I. N. R. dictum est de differentia & de triangulo nigro, data est regula, quomodo per illud idem exemplum potest dari doctrina de concordantia & contrarietate, quæ conveniunt cum triangulo nigro.

3.5. In principio trianguli nigri convenit, quòd F. G. discurrant per figuras & per cameras hujus Artis, & quòd F. recolat, & G. intelligat, secundùm quæ principia & quas cameras conveniat affirmare, dubitare vel negare, & quousque E. sit in Y., & I. in Z., non convenit fieri solutionem, & semper convenit servare principia hujus Artis in suis conditionibus; & per hoc medium discurrit principium per triangulum nigrum usque ad finem, qui est objectum hujus Artis, *& in hac regula existit hæc Ars tota*, quæ regula contrariatur ipsi R. & dubitationi.

4.5. Major dubitatio, quam S. possit habere, est de A., dubitante S. per N. R., ipsum A. esse aut non esse, vel in A. esse id, quod in ipso est, aut quod in ipso non est; ergò major affirmatio & negatio, quam S. potest habere, est per E. I., diligente D. id, quod est A., & odiente H., non esse A., & id esse in A., quod in eo non est: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, in A. esse omne id, per quod E. possit esse majus in V. Y., & I. in V. Z.; quoniam si non sic esset, sequeretur, quòd camera magnitudinis & virtutis contrariaretur cameræ creaturæ & majoritati;

tatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd major æqualitas, quæ in E. possit esse, sit affirmare, in A. esse æqualitatem, & quòd I. neget, in A. esse inæqualitatem.

Camera 15.
[*T. V.*]

1. IMpossibile est, quòd totus triangulus lividus possit existere in V., cùm V. lividum sit creatura, & V. rubeum sit vitium, & sic convenit, eum esse extra creaturam & in creatura; est extra creaturam, in quantum A., quod comprehendit totam creaturam, non potest terminari in creatura, nec in opere creaturæ; & ideo convenit, opus ipsius A. immensè existere extra creaturam; igitur convenit, opus immensum esse in A.; quia si non esset, A. concordaret cum majoritate, & totum suum opus cum minoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, V. rubeum existere extra A. & opus ejus, & ipsum existere in opere creaturæ contra V. lividum, quod est opus ipsius A.; & si hoc non ita esset, esset impossibile, A. esse extra minoritatem creaturæ; quod est impossibile.

2. Per T. intelligit G. triangulum viridem, & per triangulum viridem, quem F. recolit in V., intelligit G., quomodo conveniat inquirere particulare in camera ipsorum T. V., quæ est universale principium ad inquirendum particulare artificialiter, scilicet, quòd propter differentiam & concordantiam Fidei, Spei &c. contra differentiam & concordantiam gulæ, luxuriæ &c. potest G. intelligere majorem differentiam & contrarietatem ipsorum V. lividi & rubei, & F. potest recolere majorem æqualitatem inter unam virtutem & alteram, & inter unum vitium & alterum; & per hanc majoritatem & æqualitatem prædictam significatur particulare objectum huic Arti.

3. T. est compositum de principiis, & ideo in principio, quando F. G. inquirunt virtutes vel vitia, recurrendum est ad ipsum T., ut cum illis principiis, quæ magis convenientia sunt in ipso T. ad inquirendum particulare, inquirant F. G. ipsa Y. Z. per V., ut V. Y. sint objecta ipsi E., & V. Z. ipsi I., & ut per hoc medium sit finis, scilicet camera E. A.

4. Triangulus croceus est in T., ut ponatur in V., & ut majoritas habeat concordantiam cum V. livido, & minoritas cum V. rubeo, & ut æqualitas sit inter unam virtutem & alteram, ad destruendam æqualitatem, quæ est inter unum vitium & alterum; nam major majoritas virtutis convenit ad destruendam æqualitatem unius vitii cum altero, quàm sit majoritas & minoritas, quæ est inter unum vitium & alterum.

5. In V. affirmatio habet concordantiam cum E., & negatio cum I.; & ideo V. lividum habet concordantiam cum E., & V. rubeum cum I., & dubitatio est in N. R., ut F. G. tanto tempore discurrant per V., donec figuraverint & formaverint prædictam concordantiam discurrentibus F. G. per omnes angulos ipsius T.

Camera 16.
[*T. X.*]

1. IN T. est triangulus lividus, in quo est A., & ideo convenit secundùm cameram ipsorum T. X., quòd per omnes cameras ipsius A. & ipsius X. inquiratur, quomodo A. est unum, & quomodo ipsum est Essentia & Dignitates, & quomodo creatura est sensualis, intellectualis & animalis, & quomodo operatio est intellectualis, naturalis & artificialis, & prout convenit, hæc principia in suis conditionibus conservari, & prout ipsa meliùs cadunt in unam cameram, quàm in alteram ipsius A. & ipsius X., debet inveniri particulare, quod quæritur; *& hæc Regula nunquam fallit.*

2. In X. intrat triangulus viridis, quia differentia est inter unam cameram & alteram, & concordantia est inter unã cameram & alteram, & hoc mediatè vel imediatè; hoc idem sequitur de contrarietate: unde cùm hoc ita sit, secundùm Artem convenit, F. G. discurrere cum toto triangulo viridi per omnes cameras ipsius X., donec habeant illam cameram, quæ meliùs convenit solutioni, quàm aliæ cameræ, & secundùm illam cameram conservantem triangulum convenit, formari Y. ipsi E., & Z. ipsi H.

3. Triangulus rubeus intrat in X. sub tali conditione, scilicet, quòd per omnes cameras ipsius X. inquirantur principium, medium & finis quæstionis, & hoc idem fiat in solutione salvis angulis trianguli, & in ipso triangulo ponatur triangulus niger, prout eum unà cum aliis triangulis convenit intrare in hunc triangulum; & hæc ordinatio & regula informabit Y. ipsi E., & Z. ipsi H., & concordabit dubitationem & non ens, & affirmationem & ens.

4. Convenit, F. G. discurrere cum triangulo croceo per omnes cameras ipsius X., ut possint repræsentare Y. ipsi E., & Z.

ipsi I., recolente F. alios triangulos, & intelligente G. concordantiam, quæ de omnibus triangulis convenit in illa repræsentatione, conservando triangulum viridem in X. contra R. & dubitationem.

5. Sicut cum triangulo nigro convenit F. G. discurrere per cameras ipsius X. miscendo in ipso alios triangulos, ita convenit miscere triangulum nigrum cum aliis triangulis, ut ab illa mixtione possit informari Y. contra Z., & Z. contra Y., & ut E. accipiat ipsum Y., & I. accipiat Z.: *quoniam sicut per digestionem factam in mixto formatur naturaliter suppositum à sensibus sensualibus sentitum, ita per prædictum discursum formatur repræsentatio ipsorum Y. Z., & hæc regula nunquam fallit in hac Arte;* & per istum modum datum de T. X., secundùm quòd jam dictum est, discurrit hæc Ars, & expositio & experientia hujus regulæ est in aliis cameris, ubi datur exemplum super aliqua particularia, ad dandam doctrinam practicæ hujus Artis, & quomodo T. intrat cameram ipsorum A. S. V. X. Y. Z. intrando per suasmet cameras.

Camera 17.
[*T. Y.*]

1. SEcundùm quòd in triangulo livido conveniunt opus ipsius A. & opus creaturæ, convenit Y. investigari per hunc triangulum cum aliis triangulis; & si ipsi F. informetur Y., isto modo convenit F. transformari in B., & G. in C., & H. in D., ad formandum E. Y., & I. Z.; veruntamen si Z. repræsentetur ipsi G. in similitudine ipsius Y., convenit, ipsum G. se ipsum fortificare in F., recolente ipso F. concordantiam operis, quod convenit inter A. & creaturam, A. & ejus opere concordantibus cum majoritate, creaturâ verò & ejus opere concordantibus cum minoritate; contra quam concordantiam semper est Z., dum se repræsentat in forma ipsius Y.

2. Quando G. ponit triangulum viridem in Y., prout in eo posuit triangulum lividum, tunc F. recolit universaliùs Y., quàm cùm solùm recolebat Y. per triangulum lividum; & in majori universalitate ipsius F. augetur G., per cujus augmentum oritur H. contra Z., & F. transformatur in B., & G. in C., & inde oritur D., quod diligit Y.; & hæc augmentatio ascendit per triangulum rubeum, croceum & nigrum, prout Y. est amabile in B. C. per D., & Z. est odibile in F. G. per H.

3. Ad inquirendum Y. per triangulum rubeum convenit, F. discurrere per omnes angulos ipsius T., ut G. intelligat triangulum rubeum ipsius Y.; nam per triangulum lividum intelliget G., ubi incipit Y., & per quod medium oritur & exit in causam finalem; & per triangulum viridem intelliget differentiam inter unum Y. & aliud, & cognoscet, quod est illud Y., quod inquirit, quod sciet concordare cum triangulo nigro per H. Z., ut D. & Y. habeant concordantiam contra Z., prout in triangulo croceo Y. convenit cum majoritate, & Z. cum minoritate.

4. Considerante G., quòd Y. conveniat cum majoritate, & Z. cum minoritate, F. recolit Y. in hoc, quod est in tempore præterito & præsenti; nam sinè tempore præterito F. non posset recolere; & nisi F. recolat in præsenti tempore, G. non poterit considerare: undedum hæc ordinatio ipsorum F. G. est in majoritate, tunc æqualiter repræsentatur Y. ipsis F. G., & minoritas est in H., quando odit Y., cùm officium ipsius H. sit semper odire Z.

5. Triangulum nigrum intrant F. G. ad investigandum Y., in cujus investigatione ipsa citiùs transeunt per dubitationem, quàm per affirmationem, & quàm per negationem, supponendo affirmationem & negationem, ut possint invenire Y., & destruere dubitationem; quod Y. inveniunt destruendo R., recolente F. in investigatione camerarum A. S. T. V. X., ut G. in aliqua camera sive cameris intelligat Y., in quo Y. ipsum G. transformatur in C., unde procedat D. diligens Y., & ut permaneat F., unde oritur G., ex quo G. procedat H. odiens Z.

Camera 18.
[*T. Z.*]

1. AD inquirendum Z. convenit, H. non esse in inquisitione, quia si esset, perturbaret F. G., dum discurrerent per triangulum lividum, in quo non convenit H. sinè Z., nec D. sinè Y., cùm A. & suum opus sit amabile, & creatura & suum opus creaturæ sit amabile, & cùm opus creaturæ sit odibile, dum est contrarium operi, quod est creatura.

2. In triangulo viridi latet Z., ut E. non habeat Y., nam per E. Y. oritur H. habens Z.; & idcirco Z. & confusio differentiæ habent concordantiam in R., quæ concordantia destruit H., quod est magis contrarium ipsi Z. in F., quàm in O., & in G., quàm in P., & hoc est, eò quòd H. movetur per E., quod E. habet Y. contrarium ipsi Z.: unde cum hoc ita sit, secundùm hanc regulam convenit Z. investigari per triangulum viridem cum auxilio aliorum triangulorum.

Per

3. Per triangulum rubeum convenit inquiri Z., quod Z. incipit contra finem ipsius Y.; quoniam sicut principium, medium & finis conveniunt in Y., ita principium, medium & finis ipsius Z. conveniunt contra Y.; & ideo Z. contrariatur triangulo rubeo, in quo Z. invertuntur principium, medium & finis contra Y., per quorum inversionem repræsentatur Z. ipsis F. G., quæ cum justitia tribuunt ipsum Z. ipsi H.

4. Quantò majorem majoritatem Z. habet in E., tantò minus est E. in Y.; & quantò minus Z. est in I., tantò magis augetur in E., & in E. I. potest ipsum Z. esse magis æquale, quàm in N. R., cùm ex E. I. possit fieri major æqualitas, quàm ex N. R., eò quòd E. I. habeant concordantiam cum majoritate, & N. R. cum minoritate.

5. In triangulo nigro apparet Z., dum amittit suam formam, & contrariatur triangulo rubeo; qui triangulus niger amittit suam formam, quando principium affirmationis transmutatur in negationem, & è converso; & hoc idem sequitur de medio & fine: unde cùm hoc ita sit, secundùm hanc *regulam* prædictam potest reperiri Z., & tribui ipsi H., ipsis F. G. concordantibus duos triangulos prædictos in Y., salvando cuilibet eorum suum habitum & suas conditiones discurrentes per suas cameras contra Z.

Camera 19.
[*V. V.*]

1. HÆc camera significat virtutes & vitia, & operationem virtutum & vitiorum, & significat, A. esse Creatorem, & V. lividum esse creaturam & opus ipsius A.; & hæc significatio formatur cum aliis triangulis, prout apparet in aliis triangulis sequentibus.

2. Differentia est inter V. & V., scilicet inter virtutem & virtutem, vitium & vitium, virtutem & vitium secundùm differentiam ipsorum E. I. N. R., & hoc apparet in Figura ipsius V.: præterea differentia est inter virtutem, quæ est V. lividum, & virtutem procedentem ab S. in potentias, quod S. est substantia; nam virtus, quæ de substantia procedit, formatur in B. C. D., F. G. H., M., & virtus, quæ est V. lividum, formatur in E. I. N.; & quia E. I. N. non sunt de entitate potentiarum ipsius S., nec de entitate ipsius S., idcirco neque V. lividum est de entitate ipsius S. neque potentiarum; sed quoniam S. transmittit suam virtutem in potentias, & E. I. N. sunt actus earum, in quibus E. I. N. formatur V. lividum, ideo est concordantia inter virtutem ipsius S., & virtutem, quæ est V. lividum; & quoniam V. lividum & V. rubeum sunt contraria, idcirco est contrarietas inter virtutem substantiæ & V. rubeum.

3. Summum principium ipsius V. lividi est A., & post A. est virtus ipsius S., quod S. suam virtutem influit in tres potentias, quæ sunt principia ipsorum E. I. N., & ipsa E. I. N. sunt principia ipsius V. lividi, quod est medium, per quod virtus ipsius S. movetur per diversa media prædicta ad finem, qui est A.; principium verò ipsius V. rubei est in E. I. N., eò quòd E., quod habet liberum arbitrium, posset habere A. V. Y., & accipit V. Z., & I. accipit A. V. Y., & M. odit ipsa A. V. Y., & medium ipsius V. rubei est in motu, per quem potentiæ operantur contra finem, propter quem sunt, & movent suos actus ad finem contrarium ipsi V. livido.

4. Majoritas convenit cum V. livido, & minoritas cum V. rubeo; & in uno V. livido est majoritas, in alio verò minoritas; & hoc idem sequitur de V. rubeo; & V. majus est in E., quàm in I., & in I., quàm in N., prout majoritas & minoritas conveniunt per E. I. N.; & majoritas est major per concordantiam unius virtutis cum altera, quàm per concordantiam unius vitii cum altero; & major concordantia est, quando virtutes concordant secundùm suam æqualitatem, quàm dum concordant contra vitia; & prout objecta ipsorum E. I. N. habent concordantiam cum majoritate vel cum minoritate, augmentatur vel diminuitur majoritas aut minoritas in ipsis E. I. N.; per quam augmentationem vel diminutionem formatur æqualitas ipsius E. in B. C. D., & ipsius I. in F. G. H.; & prout E. I. N. sunt in majoritate aut minoritate, est æqualitas ipsius V. cum ipsis E. I. N.; & quando una virtus existit in actu, tunc cæteræ virtutes sunt in habitu, in quo sunt æquales, & sunt minores, quàm virtus, quæ est in actu; & idem sequitur de V. rubeo.

5. In V. ingreditur triangulus niger secundùm dispositionem aliorum triangulorum, & ideo convenit affirmare aut negare, aut dubitare in V., prout ipsum V. existit in E. I. N.; nam ipsum V. existit per unum modum in E. I. N. per Fidem, & per alium modum, per Spem &c., eò quòd ipsum V. non tantum continet per Fidem de E. I., quantum de N.; & per Spem V. continet de ipsis E. I. N.; nam de E. continet, in quantum habet A. V. Y.; de I., quia habet H. contra V. Z.; & ideo S. potest sperare per Spem, Justitiam & per Misericordiam; &

id, quod sperat, existit per N., in quo ipsum S. ignorat hoc, quod futurum est; & hoc idem sequitur de aliis virtutibus & vitiis: unde cùm hoc ita sit, idcirco prout V. sequitur dispositionem ipsorum E. I. N., formatur triangulus niger, sequendo regulam aliorum triangulorum.

Camera 20.
[*V. X.*]

1. EXistente triangulo livido in hac camera manifestum est, quòd in camera sit creatura & opus ipsius A. & opus creaturæ; nam per prædestinationem non contradicitur ipsi V. livido, cum quo convenit liberum arbitrium in camera perfectionis justitiæ, sinè qua V. lividum non posset esse, & sinè V. livido non esset usus cameræ in creatura, nec creatura esset subjecta cameræ meriti & culpæ, sinè qua camera totum V. esset & non esset in camera esse privationis; & hoc est impossibile & contradictio.
2. Differentia est inter V. X., prout apparet in figura ipsorum V. X., & est concordantia & contrarietas in dispositione ipsorum E. I. N. R. & ipsorum V. X.; nam in E. concordant prædestinatio & liberum arbitrium, dum S. habet majorem Charitatem erga A., quàm erga se ipsum, & dum I. odit, esse majoritatem vel minoritatem in camera Sapientiæ Justitiæ, & N. diligit in illa camera æqualitatem, & habet spem propter meritum, odiendo culpam, & R. discomponit se ipsum, ut E. I. N. habeant perfectionem in camera realitatis & rationis; & hoc idem sequitur de triangulo viridi in aliis cameris ipsorum V. X. secundùm earum qualitatem.
3. In principio priusquàm respondeatur ad quæstionem, quam convenit determinari per V. X., convenit, F. G. discurrere per V. X., & eligere in ipsis V. X. illas cameras, quæ conveniunt solutioni, faciendo de ipsis cameris principia, discurrentibus ipsis F. G. per alios triangulos ipsius T., & medium sit de una camera & altera, secundùm cameram mediatè & immediatè, & conservetur majoritas realitati, minoritas verò rationi per cameram potentiæ & objecti, & finis sit, quòd V. remaneat in sua forma, concordante N. cum suppositione, & E. cum demonstratione, existente I. contra V. Z.
4. Quando E. pro objecto habet in uno tempore cameram prædestinationis liberi arbitrii, existente ipso E. in uno tempore per unam dictionem hujus cameræ in actu, & in alio tempore per alteram dictionem ejusdem cameræ in habitu, & hoc æqualiter per cameram suppositionis & demonstrationis, tunc E. habet concordantiam cum majoritate, & movet I. ad majoritatem per fortitudinem, per quam tribuit Z. ipsi H., & N. movetur ad Fidem diligendo primam cameram, & odiendo contrarium ejusdem cameræ, & propter hoc destruitur R., per quod R. est dubitatio prædestinationis & liberi arbitrii, quæ dubitatio convenit cum minoritate & cum privatione ipsorum E. I. N.: unde cùm hoc ita sit, ideo prout E. I. N. fortiùs adæquantur per majoritatem, quàm per minoritatem, V. lividum est majus per esse & perfectionem prædestinationis & liberi arbitrii.
5. Per affirmationem prædestinationis & liberi arbitrii augetur V. lividum in virtute, & per negationem hujus cameræ diminuitur ipsum V.; sic ergò S. habet meritum per affirmationem hujus cameræ, & habet culpam per negationem ejus, eò quòd majoritas virtutis habet concordantiam cum esse & perfectione, & minoritas virtutis cum imperfectione & privatione: unde cùm hoc ita sit, omnis dubitatio facta contra prædestinationem & liberum arbitrium convenit cum privatione & culpâ, contra esse & meritum; per quam contrarietatem est concordantia inter dubitationem & V. rubeum.

Camera 21.
[*V. Y.*]

1. HÆc camera significat, quomodo in ipsa debeat poni triangulus lividus, videlicet, quòd A. per totum V. lividum sit Creator ipsius Y., & quòd per V. rubeum illud Y. sit opus ipsius S., quod Y. non est creatura, & convenit cum Z.; cui Y. contrariatur illud Y., quod est in V. livido, quod Y. in V. livido est opus ipsius S. utentis ipso Y. quantum ad finalem intentionem, propter quam Y. est creatura in V. livido.
2. Differentia est inter Y. & Y. per totum V., nam Y. potest esse per totum V., & ipsum V. est in se diversum & contrarium; & ideo sequitur, triangulum viridem esse per V. Y., concordante Y., quod est virtus, cum V. livido, & Y., quod est vitium, cum V. rubeo; cùm verum sit, V. rubeum esse in aliquo homine; & quoniam in V. livido sunt diversæ virtutes, & in V. rubeo diversa vitia, idcirco Y. diversificatur in V. livido & in V. rubeo, cujus diversificatio sequitur dispositionem concordantiæ & contrarietatis, prout ipsæ existunt in E. I. N. R.

In

3. In V. livido una virtus per unum modum est principium cujusdam Y., & altera virtus per alium modum est principium alterius Y.; sicut Fides, quæ est principium ipsius Y. per N., & per cameram suppositionis rationis; & Charitas & Prudentia, quæ per E. sunt principium ipsius Y., quod est per cameram realitatis demonstrationis; & hoc idem sequitur de aliis virtutibus & vitiis, prout trianguli intrant in ipsum V., & prout est medium, per quod principium & finis conveniunt, scilicet, quòd una virtus sit medium alteri virtuti, ut habeat concordantiam cum Y. &c.
4. Illud Y., quod est in V. livido, habet concordantiam cum majoritate, & Y., quod est in V. rubeo, habet concordantiam cum minoritate; & ideo Y., quod convenit cum majoritate, habet concordantiam cum esse, quod convenit cum majoritate, & illud Y. quod convenit cum minoritate, habet concordantiam cum privatione, quæ convenit cum minoritate; & ideo est inæqualitas inter Y., quod est contra Z., & Y., quod convenit cum Z.; per quam inæqualitatem omne Y. existens in V. rubeo potest destrui per Y., quod convenit cum V. livido: præterea Y., quod est in Fide, est per inspirationem, & Y., quod est in prudentia, est per acquisitionem, & sunt majora aut minora, secundùm quòd usus ipsius A. & ipsius S. habent concordantiam cum majoritate vel cum minoritate, & secundùm quòd triangulus croceus existit in E. I. N. R.
5. Quantò plùs Fides affirmat, A. esse Creatorem magni Y., tantò existit ipsa Fides in majori Y., & quantò plùs S. sperat in A., tantò majus est in Y., & quantò plùs E. per Charitatem diligit A., tantò majus est in Y., & quantò plùs I. tribuit H. ipsi Z. per V. rubeum, negando, in A. esse V. rubeum, tantò majus est ipsum I. in Y., in quo sunt F. G. H.; & quantò majus est Y., tantò magis est remotum à dubitatione: unde secundùm hanc *Regulam* demonstratur, quomodo triangulus niger existit in V. Y. secundùm dispositionem aliorum triangulorum & ipsorum E. I. N. R.

Camera 22.
[*V. Z.*]

1. HÆc camera ipsorum V. Z. habet malam significationem, eò quia Z. significat, ipsum V. esse rubeum; sed quando triangulus lividus ponitur in hac camera, tunc significatur, V. lividum esse creaturam ipsius A., neque V. rubeum neque Z. esse creaturam realiter, in quantum contrariatur ipsi V., quod est creatura, per quam V. lividum operatur contra V. rubeum & contra Z.
2. Z. cum V. rubeo diversificat triangulum rubeum in V. livido, *quoniam sicut in vino, quod est calidum & siccum, per corruptionem fit transmutatio caliditatis in frigiditatem in aceto, & siccitas est permanens subjectum in transmutatione unius contrarii in alterum*, ita V. rubeum & Z. contrariantur ipsi V. livido in E. I. N., quæ sunt subjecta contrarietatis, in qua V. rubeum & Z. habent concordantiam, contrariando ipsi V. livido & ipsi Y., transmutando causam finalem ipsorum V. Y. in finem contrarium, scilicet in V. Z.
3. Z. quandoque incipit contra Y. in Fide, quandoque in Spe &c., & quandoque contrariatur ipsi Y. cum uno vitio, quandoque cum alio, & Z. est medium, & E. I. N. R. sunt sua principia, & finis est V. rubeum: unde cùm hoc ita sit, secundùm quòd triangulus rubeus intrat in V. Z. contra V. Y., eodem modo potest intrare in V. Y. contra V. Z.
4. Quantùm V. rubeum habet concordantiam cum Z., in tantùm V. rubeum habet concordantiam cum majoritate, vel cum minoritate, & ideo est æqualitas inter V. rubeum & Z.; & quantò majora sunt V. Z. in E. I. N. R., tantò minora sunt in eisdem V. Y.; & quoniam V. Y. habent concordantiam cum camera esse perfectionis, & V. Z. cum camera privationis imperfectionis, & quoniam prima camera convenit cum majoritate, & secunda cum minoritate, idcirco sequitur, quòd, quantò majora sunt V. Z., tantò melius conveniant cum minoritate, & quantò majora sunt V. Y., tantò majorem habeant concordantiam cum majoritate; & propter hoc tota V. Z. possunt destrui per V. Y.
5. Affirmatio, quæ fit ex V. Z., est contra V. Y., & hoc idem sequitur de negatione, & dubitatio oritur in R., quod continet de V. Z. Y.: igitur ad destruendam dubitationem convenit transmutare V. Y. in E., & V. Z. in I., ut fiat affirmatio & negatio per V. Y. contra V. Z., ipsis E. I. fortificantibus V. Y., & mortificantibus V. Z.

Camera 23.
[*X. X.*]

1. HÆc camera significat modum, secundùm quem T. ponatur in illa, combinando unam cameram ipsius X. cum alia, prout exemplificamus in quæstionibus ipsius

sius X.; sed quia nos breviter tractamus de hac Arte, & brevitas Artis est sufficiens, ideo secundùm abbreviatam sufficientiam dicemus, quomodo T. intret prædictam cameram, & primò dicemus de triangulo livido isto modo: F.G. discurrentia per X. accipiunt cameras pro objecto, in quibus apparet, A. esse prædestinationem & perfectionem, & in quibus apparet, esse creaturam & opus, & hoc idem apparet de cameris, quæ non sunt creaturæ; & hæc apparentia existit in commixtione, quam alii trianguli faciunt cum triangulo livido super cameram supradictam.

2. Differentia realiter est inter prædestinationem & liberum arbitrium, & habent concordantiam per A. in camera Sapientiæ Justitiæ, & habent contrarietatem in camera realitatis & rationis. Differentia est inter esse & privationem, quæ differentia convenit cum contrarietate & cum concordantia per cameram mediatè & immediatè, & per cameram perfectionis imperfectionis; nam immediatè est contrarietas inter esse & privationem, & mediatè habent concordantiam; quia per perfectionem tendit privatio ad esse, & per imperfectionem tendit esse ad privationem. Differentia est inter perfectionem & imperfectionem, & hæc differentia consistit in camera concordantiæ & contrarietatis per cameram mediatè immediatè, quia immediatè inter se contrariantur, sicut ignis & aqua; contrariantur etiam inter se mediatè, velut ignis & aqua, quæ mediatè inter se contrariantur, scilicet per cameram aëris terræ; & hoc idem sequitur de concordantia earum, prout per se satis apparet, sequendo doctrinam elementalis Figuræ. Meritum & culpa continent triangulum viridem secundùm cameram mediatè immediatè, prout apparet in doctrina jam tradita, quando triangulus viridis intrat in cameram perfectionis imperfectionis; & hoc idem sequitur de triangulo viridi in aliis cameris ipsius X., quod sequitur de illo in prædictis cameris. Triangulus viridis intrat in cameram prædestinationis meriti, & prout ista camera exemplificatur per cameram mediatè immediatè, eodem modo intelligendum est, alias cameras X.X. exemplificatas esse, quæ immediatè diversæ sunt vel concordes, & mediatè concordantes vel contrariantes. Isto modo prædestinatio & meritum diversa sunt immediatè, nam prædestinatio est A., & meritum prædestinati est ens creatum, quod A. & ens creatum habent concordantiam mediante prædestinato, nam per illud ens pervenit id, quod prædestinatum est, ad ea, quæ A. scit & judicat; & contrarietas est in R. per cameras realitatis & rationis, potentiæ & objecti, opinante N., in ente prædestinato non esse usum justitiæ, nec in usu justitiæ esse usum perfectæ sapientiæ; & hæc contrarietas est in hoc, quia objectum habet concordantiam cum perfectione, & potentia ipsius S. cum imperfectione.

3. Prædestinatio est principium liberi arbitrii, quia liberum arbitrium est ejus creatura; & ideo est impossibile, prædestinationem, quæ est A., esse contra liberum arbitrium; & medium, per quod homo prædestinatus devenit ad hoc, ad quod est prædestinatus, est liberum arbitrium, quod est in E.I.N.R., contra V.Z., & finis est perfectio hujus cameræ Sapientiæ Justitiæ. Esse creatum est principiatum, & A. est ejus principium, & principium privationis ipsius esse creati est inclinatio, quam habet ens creatum ad id, de quo creatum est, videlicet ad non ens, quod convenit cum privatione, in quo erat ipsum ens, priusquàm esset creatum; & medium ipsius esse & privationis est secundus actus, nam per illum fit elongatio entis à privatione in generatione, ac per eundem fit propinquitas entis & privationis per corruptionem, & habent suum finem, secundùm quòd secundus actus movet ens sursùm per generationem, donec habeat suam perfectionem, vel movet ipsum deorsum per corruptionem, donec ipsum ens cadat in privationem. Prædestinatio est principium ipsius esse creati, & medium est esse creatum, super quod sequitur id, quod scit prædestinatio; & hoc idem sequitur de esse & perfectione; quia in omni ente creato ipsum esse priùs incipit, quàm perfectio, & perfectio priùs, quàm imperfectio; & medium ipsius esse est id, per quod ens tendit ad suam perfectionem, scilicet ad causam finalem, propter quam est creatum: unde cùm hoc ita sit, sicut exemplum datum est in cameris prædictis, quomodo triangulus rubeus in eas ingrediatur, ita potest intelligi, quomodo triangulus rubeus intret in alias cameras ipsius X.

4. Prædestinatio habet concordantiam cum majoritate, & liberum arbitrium cum minoritate, quia prædestinatio est A., & liberum arbitrium est creatura; sed quoniam liberum arbitrium habet concordantiam cum A., in quantum est ejus creatura, & habet concordantiam cum prædestinatione, in quantum E. liberè accipit A.V.Y. pro objecto, & quia habet concordantiam cum Justitia, quæ est A., idcirco est æqualitas inter influentiam prædestinationis & influentiam justitiæ, quas homo prædestinatus recipit, in quibus etiam influentiis est illa æqualitas, per quam E. existit liberum inter V.Y.Z., & hoc idem sequitur de I.N.R. Esse & majoritas concordant, & privatio & minoritas, & privatio mali & majoritas concordant, & privatio boni & minoritas concordant, & æqualitas existit per medium, videlicet per cameram meriti & culpæ. Prædestinatio habet majorem concordantiam cum majoritate, quàm ens creatum, & æqualitas majoritatis & minoritatis est per medium, scilicet per durationem; nam ens creatum tantùm durabit in gloria, quantùm A.: unde cùm hoc ita sit, sicut posuimus triangulum croceum in cameris ipsius X., eodem modo potest poni in aliis cameris per eadem principia, & hoc mediatè vel immediatè.

5. Affirmare prædestinationem est rationaliter negare liberum arbitrium, & affirmare liberum arbitrium est rationaliter negare prædestinationem; & cùm realiter conveniat esse prædestinationem, & conveniat esse justitiam, per quam realiter convenit esse liberum arbitrium, ideo in N.R. formatur dubitatio, quæ provenit ex imperfectione ipsorum N.R. in ratione; quæ dubitatio cadit in privationem, quando E. immediatè affirmat, esse cameram Sapientiæ Justitiæ, & quando I. negat, in hac camera esse contrarietatem per cameram prædestinationis & liberi arbitrii. Affirmare, esse cameram meriti & culpæ, est affirmare cameram prædestinationis & esse, & cameram perfectionis justitiæ; & hæc affirmatio realiter est de necessitate; dubitatio verò existit in ratione, in qua S. per N.R. oblivisci tur, ignorat & odit necessitatem prædictarum camerarum: unde prout *Regula* hic data est de triangulo nigro in prædictis cameris, eodem modo potest intelligi *Regula*, per quam triangulus niger intrat alias cameras ipsius X.

Camera 24.

[*X. Y.*]

1. PRæsens camera significat modum, per quem T. intrat cameram, discurrentibus F.G. per angulos ipsius T., & ponentibus angulos per ipsam cameram causâ inquirendi, quomodo Y. existat creatura & opus per cameras ipsius X. sequendo dispositionem trianguloru ipsius T., ad dandam cognitionem ipsi E. de A. & de cameris ejus.

2. Quanta est differentia prædestinationis & liberi arbitrii, tantum est Y., quod est in differentia; quia nisi hoc esset, sequeretur, quòd differentia existeret in Z; & quanta est differentia & concordantia prædestinationis & liberi arbitrii, tantum est Y.: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, contrarietatem prædestinationis & liberi arbitrii esse in ratione ipsius C., & per concordantiam in realitate, ut contrarietas & Z. conveniant, & realitas & Y. concordent. In camera esse & privationis, perfectionis & imperfectionis, meriti & culpæ &c., Y. habet concordantiam cum esse, perfectione, merito &c., & Z. convenit cum privatione, imperfectione, culpa &c.; & quoniam Y. in majori quantitate convenit cum X., quàm Z., ideo est major differentia & concordantia inter X.Y., quàm inter X.Z., & est major differentia & contrarietas inter X.Z., quàm inter X.Y.: unde cùm hoc ita sit, per istam *Regulam* demonstratur, quomodo triangulus viridis discurrit per cameră X.Y.

3. Si prædestinatio sit contra liberum arbitrium, sequitur, quòd esse sit principium privationis, & perfectio principium imperfectionis, & meritum principium culpæ, cùm perfectio liberi arbitrii sit A., quod est prædestinatio existens idem cum Justitia, quæ dedit principium libero arbitrio; & quoniam impossibile est, ullum contrarium esse principium sui contrarii, (quia si esset, idem finis esset medium multis contrariis,) per hoc demonstratur, quomodo per triangulum rubeum demonstratur camera realitatis liberi arbitrii. Suppositio mediante Y. N. est principium demonstrationis mediante E.I.; & ideo suppositio est principium, & demonstratio est finis, & Y.N.E.I. sunt media, per quæ Y. ipsius N. transformatur in Y. ipsorum E.I. mediante triangulo rubeo.

4. Immediatè est E. majus in realitate, quando in uno tempore B.C.D. pro objecto accipiunt cameram prædestinationis perfectionis, & in alio tempore cameram perfectionis & liberi arbitrii, quàm cùm ipsa B.C.D. mediatè pro objecto accipiunt cameram prædestinationis liberi arbitrii per cameram esse privationis; & ideo minoritas in ratione habet concordantiam cum Z., & majoritas in realitate habet concordantiam cum Y.; æqualitas verò ipsius esse & realitatis est in majori Y., & æqualitas ipsius esse & privationis est in minori Y.; per quam minorem

norem æqualitatem transformatur Y. minus in Z. in camera privationis rationis, per quam transformationem formatur camera dubitationis minoritatis, contra cameram affirmationis majoritatis, quæ per triangulum croceum demonstrat cameram prædestinationis liberi arbitrii, prout dictum est.

5. Priusquàm fiat affirmatio ipsius Y., vel negatio ipsius Z., convenit, F. G. discurrere per omnes cameras ipsius X., tentando, secundùm quam cameram vel cameras convenit affirmatio vel negatio, discurrentibus ipsis F.G. in illa tentatione per cameras ipsius T., concordando affirmationem cum E. & cum majoritate, & negationem cum I. & cum minoritate, & dubitationem cum N.R., quæ habent concordantiam cum privatione: unde cùm hoc ita sit, per hanc *Regulam* significatur Ars, per quam reperitur ipsum Y. in X. cum triangulo nigro.

Camera 25.

[*X. Z.*]

1. IN X. existit camera potentiæ objecti, quæ potentia accipit objectum cum Z. tunc, quando rationalis potentia operatur contra finalem intentionem, propter quam A. creavit eam, aut quando sensitiva potentia, quæ propter influentiam rationalis potentiæ & propter receptionem vegetativæ est inordinata ad accipiendum objectum cum Y.; veluti homo ægrotans, qui opinatur, dulcia esse amara, cujus opinio existit in Z.

2. Differentia est inter potentiam rationalem, sensitivam & vegetativam; nam rationalis potentia est creata cum duabus aliis potentiis, ut habeat istas cameras [E. A. V. Y.][I.V.Z.]; sensitiva verò est creata influentia, quæ à rationali potentia procedit in vegetativam, quæ recipit illam influentiam; & de actione & passione resultat sensitiva potentia, quæ est species habens quinque sensus, ut accipiat sensualia objecta, quibus potentia vegetativa est subjecta, quæ resultatex compositione elementorum, prout apparet in elementali Figura; & vegetativa per influentiam rationalis potentiæ movetur in sensitivam ad accipiendum objecta in hoc, quod sensitiva de ipsa continet per modum generationis, quæ fit de sensitiva in receptione vegetativæ: unde cùm hoc ita sit, ideo secundùm quòd est concordantia inter tres potentias prædictas, existit Y. contra Z.; & prout in eis inordinatur triangulus rubeus, existit Z., quod Z. est diversum secundùm prædictam diversitatem.

3. Potentia rationalis est principium potentiæ sensitivæ, quia in influentia rationali causatur sensitiva, & ipsa potentia rationalis influens suam virtutem in sensitivam influit ipsam sensitivam in vegetativam, in qua est radix per modum receptionis à sensitiva; quæ receptio est per ipsam radicem generabilem, cujus potentiæ vegetativæ principia sunt aliæ duæ potentiæ, videlicet rationalis & sensitiva, quamdiu est participatio omnium trium, & sensitiva potentia est medium, in quo est finis, qui est quinque sensuum sensitivæ, in quibus formatur Z., quod est absentia ipsius Y., quando vegetativa potentia est inordinata ad recipiendam influentiam à rationali potentia, & in radice sensitivæ potentiæ, quam habet in se, existit imperfectio, & per illam inordinationem sensitiva potentia amittit aliquos sensus, in quibus formatur Z., sicut per cæcitatem, vel per catarrum, vel per surditatem, aut etiam per distemperantiam gustûs, per quos sensitiva deficit ad accipiendum objecta, quæ conveniunt cum Y.

4. Majoritas habet concordantiam cum potentia rationali, & minoritas cum potentia vegetativa, & in medio hujus majoritatis & minoritatis est potentia sensitiva; & ideo Z. est majus in una potentia, quàm in altera; quia in illa potentia, in qua Y. meliùs convenit, est Z. majus, quando in ea privat Y.; atque æqualitas potentiæ & objecti convenit, prout Z. potest esse majus contra objectum magis nobile, quàm minùs nobile, & hoc, secundùm quòd ipsum Z. fortiùs contrariatur ipsi Y. in potentia & objecto magis nobilibus, quàm minùs nobilibus.

5. Rationalis potentia affirmat, aut negat, vel dubitat per E. I. N. R., & sensitiva per quinque sensus, *& vegetativa per quatuor potentias, quæ sunt de sua entitate, scilicet appetitiva, digestiva, retentiva & expulsiva*, veruntamen in sensitiva & vegetativa potentia metaphoricè intelligitur, quod dictum est de triangulo nigro: unde cùm hoc ita sit, idcirco secundùm quòd triangulus niger existit in tribus potentiis per triangulum viridem, croceum & rubeum, existit Z. in objectis, quæ tres potentiæ accipiunt; & hoc idem sequitur de Y. in camera ipsorum X. Z. Per hæc præcedentia data est *Regula* & doctrina, quomodo T. ingreditur cameram potentiæ objecti, quæ doctrina est principium regulatum, ut per illud principium sciatur poni T. in aliis cameris ipsius X. per cameram ipsorum X. Z.; *& quoniam hæc Ars est de universalibus principiis*, evitans prolixitatem, idcirco exposita est camera ipsorum X. Z. per cameram supradictam, ad demonstrandum, quomodo in hac Arte unum principium ab altero egrediatur, & quomodo unum principium monstret alia.

Camera 26.

[*Y. Y.*[

1. PRæsens camera significat, quomodo F. G. discurrant cum Y. per cameras ipsorum A. S. T. V. X., & per cameras elementalis Figuræ, & per cameras Principiorum Theologiæ, Philosophiæ & Juris, recolente F. & intelligente G., quomodo in camera bonitatis bonitatis, quæ significatur in *demonstrativa Figura per cameram ipsius A. A.*, Y. est A., quod creavit Y., quod est creatura & opus creaturæ, bonitate per bonificare bonificante Y., quod est creatura, & in ipso Y., quod est creatura, bonificato bonitate bonificante Y., quod est opus ipsius creaturæ; & hoc idem sequitur de aliis cameris ipsius A. & ipsorum S. T. V. X. &c.

2. Differentia est inter Y. & Y., quia unum Y. est ens creatum, & aliud Y. est, quod resultat ex opere, quod E. habet in objecto, quod accipit cum Y.; aliud Y. est, quod resultat ex I. V. Z., aliud verò Y. est, quod est per N., & aliud Y. est, quod est per R.; & hoc idem sequitur in diversitate numeri, quia in tempore, quo est Y. per E., non est illud Y., quod E. habuit in alio tempore, nec est illud Y., quod habuit in alio objecto: unde cùm hoc ita sit, sicut datum est exemplum de Y. in uno angulo trianguli viridis, eodem modo potest intelligi concordantia, quæ est inter unum Y. & aliud, & contrarietas trianguli existit in concordantia, quam unum Y. habet cum alio contra Z.

3. Prout Y. existit in triangulo viridi, significatur, quomodo existit in triangulo rubeo, sequendo dispositionem trianguli crocei; nam illud Y., quod habet concordantiam cum majoritate, est principium illius Y., quod convenit cum minoritate; sicut Y., in quo existit E., est principium illius Y., in quo existit I.; & illud Y., quod resultat per influentiam potentiæ in objectum, est medium, quod est inter potentiam & objectum, per quod medium movetur Y., quod existit in principio, & per illud medium influit suam virtutem, ut transformet se ipsum in Y., in quo oportet existere causam finalem; sicut F., quod format in recolendo Y., ut Y. existat tanto tempore in memorante, donec B. habeat Y. in memorato, & C. in intellecto, & D. in dilecto.

4. Sicut Y. existit in triangulo rubeo, eodē modo existit in triangulo croceo; „ nam „ sicut annuli catenæ simul concatenantur, „ eodem modo concatenantur triangulí alii „ cum aliis: unde per hoc manifestum est, Y. existens in V. livido habere concordantiam cum majoritate, & Y. simplex existens in E. habente V. lividum habere concordantiam cum minoritate, maximè cùm V. lividum sit per finalem intentionem secundùm comparationem illius Y., quod existit in actu simplici ipsorum B. C. D., quæ sunt medium, per quod transit Y. ex B. C. D. in V. lividum; & æqualitas unius Y. cum altero existit in B. C. D., & in E., & in V. livido &c., prout triangulus rubeus & triangulus niger per triangulum viridem concordant.

5. Y. est affirmabile, & Z. est negabile, & dubitatio est supponibilis, & ideo Y. existit in toto triangulo nigro per E. I. N. R. secundùm dispositionem aliorum triangulorum, & super hoc non est dandum exemplum, cùm in participatione triangulorum manifestè appareat omnibus illis, qui sciunt uti ipsis triangulis per E. I. N. R. sequendo *Regulas* hujus Artis & Principiorum ejus.

Camera 27.

[*Y. Z.*]

1. TRiangulus lividus est compositus ex A., creatura & operatione, in quo triangulo convenit ponere Y. Z. secundùm regulam aliorum triangulorum, ad ostendendum, Y. esse creaturam ipsius A., & Y. esse opus ipsius A. & creaturæ, & Z. esse absentiam ipsius Y., & inclinationem ipsius esse ad non esse per opus creaturæ contrarium ipsi Y.; & hoc non oportet exemplificare, cùm in mixtione triangulorum & in discursu ipsorum F. G. per cameras seu per flores hujus Artis manifestè appareat.

2. Differentia est inter Y. & Z., quæ differentia est ens existens in tanta quantitate, quanta est contrarietas, quæ est inter Y. Z.; & quoniam in aliquibus habent concordantiam, scilicet in imperfectione & in V. rubeo, quod est in Y. & in Z. in homine peccatore, ideo illud ens, quod est in eorum concordantia, est minus quàm ens, quod est in eorum contrarietate.

3. In R. fortiùs existit camera ipsorum Y. Z. per triangulum rubeum, quàm in E. I. N.; & ideo Y. Z. transeunt per multa media, priusquàm

usquàm simpliciter sint in E.I.N.; nam in O. est absentia ipsorum B.F. per præsentiam ipsius K., & propter hoc absentia ipsorum B.F., & præsentia ipsius K. sunt principia, quomodo E. habeat Y. in privatione, & Z. in actu; & ideo Z. est principium privationis ipsius Y. in E.; & hoc idem sequitur de P.Q. in E. & in I.N.: unde cùm hoc ita sit, è contrario sensu denotatur, quòd Y. est principium absentiæ ipsius Z., *& medium est in subjecto, quod est R., in quo fit transmutatio, quæ fit de T. in Z., & de Z. in T. per E.I.N., sicut fit de elementis per individua specierum*; sed in hoc est finis, quòd Y. destruat Z., & Z. destruat Y. per E.I.N.

4. Y. habet concordantiam cum majoritate, & Z. cum minoritate, eò quòd Y. & esse, quæ conveniunt cum majoritate, habent concordantiam, & Z. & privatio, quæ conveniunt cum minoritate; & æqualitas ipsorú Y.Z. est in hoc, quòd Y.Z. sunt in V. rubeo, cùm sit verum, V. rubeum esse in aliquo homine, qui per illud V. rubeum existit in Z.

5. Y., quod est contrarium ipsi Z., manifestando se ipsum manifestat Z., & Z. occultando se ipsum occultat ipsum Y.; & ideo affirmatio fortiùs convenit cum Y., quàm negatio, & cum opere illius Z. disconveniunt affirmatio & negatio, & propter hoc ex suo opere resultat dubitatio, quæ in hac Arte destruitur, quando Y. existit in E. & Z. in I. destruentibus R.

Camera 28.
[Z. Z.]

GEneralis regula continetur in hac Arte, quomodo T. ponatur in qualibet camera ipsius Artis, ut Z. sit objectum ipsi I.; & quoniam in inquisitione unum Z. significat alterum Z., idcirco camera ipsorum Z. Z. significat, quòd in ea ponatur T., unde per ordinem primò ponendus est in ea triangulus lividus, deinde alii trianguli consequenter.

1. Igitur secundùm triangulum lividum dicendum est, A. non esse Creatorem ipsius Z., quod cum V. rubeo convenit contra V. lividum; dicendum est etiam, creaturam non facere aliquod Z. ex entitate neque ex naturâ suî; quia si sic, Z. esset aliqua pars creaturæ; sed quia aliqua creatura est contra ordinationem ipsius A. & sui ipsius per V. rubeum, idcirco procedit Z. ex suo opere & oritur Z. ex inordinato opere creaturæ.

2. Differentia est inter Z. & Z., sicut Z. quod est, quòd homo sit asinus, quod esse est Z., & hoc Z. habet concordantiam cum Y.; sed aliud Z. est, quod est objectum ipsi E. habitualiter, quando I. habet Y. pro objecto, quæ E.I. existunt in camera imperfectionis culpæ; & concordantia ipsorum Z. Z. existit in E.I.; & hoc idem sequitur de differentia ipsorum Z. Z. per V. rubeum, & per N. R., & cætera istis similia, in quibus conveniunt Z. Z., prout jam dictum est, aut in quibus contrariantur, sicut Z., quod habet concordantiam cum V. Y., quod contrariatur ipsi Z., quod convenit cum V. rubeo.

3. Z. objectum ipsi E. est principium ipsi Z. objecto ipsi I.; nam E. movet I., & B.C.D. movent per cameram liberi arbitrii & culpæ; & illud Z., quod incipit in N., est principium illi Z., quod est in E.I. tunc, quando E.I. sunt in Z. per consequentiam illius Z., quod est in N.; sicut homo, qui credit per Z. contra A., qui homo habet I. contra V. lividum: medium verò, quod est inter unum Z. & aliud, est subjectum, per quod ipsum Z. movetur ab una specie in alteram, scilicet ab E. in I., & ab I. in N., & ab N. in E. &c.; & finis, propter quem existit Z., est, ut destruatur Y., & ut det formam ipsius esse in se ipso, à quo esse disconvenit ipsum Z., eò quòd convenit cum privatione.

4. Secundùm quòd per triangulum viridem, rubeum & nigrum intrat Z. in triangulum croceum, unum Z. est majus altero Z., & unum Z. est æquale alteri Z.; sicut illud Z., quod magis remotum est ab Y., quod est majus, quàm Z., quod est magis propinquum ipsi Y.; & quantò majus est Z., tanto minus continet de esse, & plus de privatione; & æqualitas, quæ est inter unum Z. & alterum Z., existit in E., quando B. in E. ita fortiter format Z., sicut C., vel sicut D., & è converso.

5. In R. unum Z. habet tantam propinquitatem cum altero, quòd inde resultat dubitatio contra affirmationem & negationem; sed quando E.I.N. unumquodque per se recuperat suas partes ab R., & R. est in privatione, tunc destruitur dubitatio discurrentibus F.G. per cameras hujus Artis cum intentione destruendi ipsum R., in cujus destructione formantur affirmatio & negatio, quæ F.G. pro objecto accipiunt differentiam, quæ est inter unum Z. & aliud, ut E. habeat Y., & I. contrarietur ipsi Z.

Explicit secunda Distinctio, in qua regulantur & conditionantur cameræ nostræ Figuræ; & in qua etiam denotantur & exemplificantur Ars & Doctrina, secundùm quas T. sciatur poni in cameras hujus Artis, discurrentibus ipsis F.G. per illas cameras, per quas ipsa F.G. moventur ad objectum hujus Artis, quod objectum est *tertia Distinctio subsequens*, quæ est ad cognoscendum & diligendum A.

INCIPIT TERTIA DISTINCTIO, QUÆ EST De Intentione.

QUia hæc Distinctio est de Intentione, primò dicendum est, quomodo intentio sit in duabus partibus, videlicet in prima intentione & secunda; prima intentio est causa finalis, & secunda est id, quod se habet ad finem, quæ secunda intentio convenit cum principio & medio, prima verò cum finali causa; & ideo prima intentio habet concordantiam cum majoritate, & secunda cum minoritate; per quam majoritatem & minoritatem movetur principium per medium ad finem: unde cùm hoc ita sit, idcirco objectum hujus Artis est finis, qui finis est cognoscere & diligere A., & secunda intentio existit in aliis terminis hujus Artis, prout cum ipsis convenit.

Hæc Distinctio dividitur in *sedecim Modos*, qui possunt moveri per duos circulos nonæ Figuræ ad formandum cameras hujus Distinctionis, prout formantur cameræ secundæ Distinctionis; sedecim verò Modi sunt hi: *Recolere, Intelligere, Velle, Credere, Contemplari, Invenire, Dirigere, Prædicare, Exponere, Solvere, Judicare, Docere, Disputare, Consulere, Consuescere & Sanare.* Per hos sedecim Modos discurrit hæc Distinctio, & multi alii modi per istos modos sequuntur in hac Arte, qui, prout de istis dabitur exemplum, possunt intelligi secundùm doctrinam hujus Artis.

PRIMUS MODUS.
Recolere.

1. UT secundùm Artem sciatur recolere, convenit F.G. discurrere per cameras hujus Artis, & primò in camera [*aquæ terræ*]; *nam B. habet concordantiam cum siccitate per concavitatem, & cum frigiditate per restrictionem; & per has duas qualitates possunt in B. recipi multa particularia, de quibus formatur universale*, in quo C. invenit id, quod D. petit; & ideo *melancholia* dat majorem subtilitatem, quàm ulla aliarum complexionum: sic igitur bonum est B., concordare cum sua complexione; quæ concordantia significatur in ordinatione prædictæ cameræ.

2. Per cameras [A.S.] [S.S.] denotatur *Regula*, per quam quis sciat recolere, quia prima camera significat, quomodo S. recolit cameras ipsius A.; & secunda camera significat, cũ qua specie ipsum S. debeat recolere illas cameras; *nam quòd B. recolat hanc doctrinam, est per influentiam ipsius A., per quod A. movetur ipsum B. ad multùm altè recolendum*; & altitudo ipsius B. tribuit vigorem ipsis C. D., per quæ ipsum B. ascendit ad recolendum A.: & secunda camera significat, quomodo B. in N. R. debeat requiescere, nam propter nimium recolere ipsum B. est destructibile.

3. Camera S.T. significat, quòd, priusquàm B. memoret, F. discurrat per T. sinè H., ne voluntas tribuat impedimentum ipsi F., & ut F. misceat triangulos ipsius T., ut possit formari Y. ipsi E., & Z. ipsi H.; si verò hæc formatio impediatur, convenit, quòd F. transformetur in K., & G. in L., & H. in M., ut non corrumpatur memoria, & ut ejus virtus conservetur in N., in quo potentialiter existat; quia frequenter accidit, quòd B. destruatur, quando ipsum B. non potest recolere, & D. vult, ut recolat id, quod non potest recolere; per quam destructionem perdit ipsum B. suam virtutem in N.

4. Per cameras [S.V.] [S.X.] [S.Y.] [S.Z.] significatur, quomodo quis sciat recolere, videlicet, quòd S. per V. sciat recolere, quando B. recolit V. lividum, & F. recolit V. rubeum, cùm in illa memoratione conveniat triangulus rubeus cum D.H.; sed quando D. diligit V. rubeum, & H. odit V. lividum,

tunc pervertitur triangulus rubeus, per cujus perverſionem pervertitur ipſum S. in ſuo recolere, & neſcit recolere.

5. Per S. X. declaratur, quomodo S. recolit cameras ipſius X., diligente D. id, quod ei convenit, & odiente H. id, quod ei disconvenit, diſcurrentibus F. G. per cameras ipſius X. cum cameris ipſius T.; nam per hunc diſcurſum C. habebit ſubtilitatem, per quam B. aſcendet ad recolendam ſubtilitatem ipſius C.

6. Per S. Y. & per S. Z. eſt manifeſtum, quòd Y. ſit ratio, quòd B. aſcendat; & quoniam Z. eſt obtenebratio ipſius B., & quia H. odit Z., idcirco B. H. extollunt in altum gradum ipſum S. ad recolendum, & M. diligit id, quod B. F. non ſufficiunt recolere, & ſic per illam dilectionem habet M. appetitum, quòd K. ſe transformet in B.; per quem appetitum fit transmutatio ipſius K. in B., & tunc B. extollit E. in gradum, in quo erat N.: unde cùm hoc ita ſit, idcirco de gradu in gradum aſcendit B. in illis, qui per prædictam doctrinam ſciunt recolere.

SECUNDUS MODUS.

Intelligere.

1. AD dandam doctrinam, quomodo homo ſciat intelligere, convenit formare iſtas cameras [*ignis terra*] [A.S.] [S.S.] [S.T.] [S.V.] [S.X.] [S.Y.] [S.Z.] per quas oportet G. diſcurrere, ſequendo conditiones earum; *nam per primã cameram ſignificatur, quomodo C. purificet ſuum opus per caliditatem & ſiccitatem; quia per caliditatem diſtinguit unum ab altero, & per ſiccitatem evacuat ſubjectum, illud attrahendo ad ſe, & implendo ſemet & ipſum B.*; & ideo exiſtit C. in fronte, ubi eſt paſſio propter nimium calorem & nimiam ſiccitatem, in quibus deſtruitur B., quod cum C. convenit per ſiccitatem: unde cùm hoc ita ſit, convenit, quòd, quicunq; vult ſcire ſubtiliter intelligere, ſciat temperare cameram [ignis terra.]

2. Per cameram A. S. denotatur, quomodo G. diſcurrit cum T. per cameras ipſius A., ſupponente M. id, quod diligit, ut E. poſſit habere cameras ipſius A., à quibus C. habet influentiam ad aſcendendum; nam dum M. in principio odit ſuppoſitionem, tunc C. amittit medium, per quod poſſet venire ad demonſtrationem, & eſt veluti ignis, qui ſinè medio nequit tranſire ad aquam; ſi verò hæc ſuppoſitio in concluſione ſit contra A. & cameras ejus, convertatur M. in H. contra ſuppoſitionem, & D. diligat contrarium ſuppoſitionis, ut C. habeat Y. in cameris ipſius A.

3. Camera S. S. ſignificat, quomodo S. quandoque debet intelligere per C., quandoque per G., & quandoque ignorare, ut formentur N. R., in quibus conſervatur & quieſcit intellectus, quando B. D., F. G. illi deficiunt; & ideo C. quandoque debet intelligere, ſe intelligere, quomodo E. exiſtit in actu, & quandoque G. debet intelligere, ſe non intelligere, quomodo N. exiſtit in actu; & per hanc *Regulam* C. efficitur ſubtile ad intelligendum; tamen prævendum eſt, ne potentia ſenſitiva & imaginativa ipſum C. *incrudeſcant* & deſtruant propter intelligere plus in objectis naturæ earum, quàm in objectis intellectualibus, in quibus C. altiùs poteſt intelligere, quàm in illis, quæ non ſunt ei tam ſimilia in natura.

4. Camera S. T. denotat, quomodo S. diſcurrat per Triangulos ipſius T., ut eos accipiens pro objecto ſciat intelligere & ſe *ſubtiliare* ad intelligendum; nam per triangulum lividum poteſt intelligere, quòd omne, quod eſt, aut eſt A., aut creatura, aut eſt operatio: & per triangulum viridem ſciet cognoſcere differentiam, concordantiam & contrarietatem: & per triangulum rubeum ſciet incipere & accipere media *transmutando* de uno in alterum, ut poſſit pervenire ad finem: per triangulum croceum ſciet cognoſcere, quod & quale objectum ſit majus, vel minus, aut æquale: per triangulum verò nigrum ſciet affirmare, vel negare, vel dubitare; itaque *per hæc omnia S. habet Regulam & Artem ad intelligendum: quoniam ſicut ruſticus habet equum, & neſcit eum equitare, ita S. ſinè T. habet intellectum, & neſcit intelligere.*

5. Camera S. V. ſignificat, quomodo S. ſciat intelligere tribuendo V. lividum pro objecto ipſi D., & V. rubeum ipſi H.; & prout V. habet ſuas cameras, diſcurrat S. per eas, ad conſervandum V. lividum ipſi D., & V. rubeum ipſi H.; & quoniam in *hac Regula* A. eſt adjutor ipſi S., & ipſum S. eſt in via, propter quam eſt creatum, ideo C. G. aſcendunt ad intelligendum ad tam altũ gradum, quòd ſinè doctrina prædicta illuc non poſſent aſcendere ad intelligendum.

6. Per cameram S. X. ſcit C. altè intelligere in X., quando intelligit cameram prædeſtinationis & liberi arbitrii, in qua ipſum C. intelligit, ſe intelligere, eſſe perfectionem, & intelligit, ſe non intelligere totam perfectionem cameræ, quam N. diligit,

ligit, & ſic per excellentem intellectum, quem S. habet in C., & per altam etiam voluntatem, quam habet in N., ſcit intelligere multùm ſubtiliter in cameris ipſius X. diſcurrendo per eas T. mediante.

7. Per cameram S. Y. ſciendum eſt, quomodo S. inquirit Y, unde quando B. recolit iſtam cameram, & ſecundùm eam formatur C. ad ingrediendum Y., tunc exiſtit in *ſubtilitate vehementi* illud Y., quod ipſum C. intelligit, cùm autem nequit intelligere, recurrit ad R., & removet partes ab ea, ut *multiplicet* R., ſi verò propter deſtructionem ipſius R. C. nequeat invenire Y., quod inquirit, *transformatur E. in N.*, quod ſiquidem N. non diſcredit id, quod E. intelligere nequit intelligente C. omne, quod nequit ab homine intelligi non eſſe negabile, nec diſcredibile, quia poſſibile eſſet C. poſſe intelligere omnia omni tempore, quo E. vellet, quod eſt impoſſibile manifeſtè.

8. In camera S. Z. ſignificatur doctrina intelligendi, quia eam docet commixtio, quæ fit de triangulis in ipſa camera; ideo, quicunque vult ſubtiliter intelligere ipſum Z., recurrat ad hanc cameram & attribuat Z. pro objecto ipſi H., ut Y. objectum ſit ipſi D., & etiam, ut objecta ſint propinquiora potentiis ipſius S., ponat ipſum S. frequenter ea in ſuas ſpecies, *quoniam in quantò elementa frequentiùs intrant alia in alia, tantò faciliùs fit digeſtio & formatur ſuppoſitum, quod componunt.*

TERTIUS MODUS.

Velle.

QUicunque Doctrinam habere diligit, ut velle ſciat, ſequatur ea, quæ per iſtas cameras denotantur [FG] [ignis aër] [A S TVXYZ] [EAVY] [IVZ] [MAVY Z] quia prima camera ſignificat, quòd F.G. tanto tempore diſcurrunt per eam, donec formentur aliæ cameræ conſequentes, & per *cameram ignis aëris poteſt F. recolere, & G. intelligere, quomodo oportet velle, quòd cor ſit ipſi cameræ ſubjectum, quia cùm ipſa camera habet concordantiam, cujus cameræ temperantiam oportet eſſe per temperatam humiditatem & caliditatem*, per A. ſiquidem deſignatur, quòd B. recolit & C. intelligit cameras ipſius A., ut D. exaltetur ad diligendum ipſum A. & cameras ipſius; per S. autem deſignatur, quomodo E. ſit in ſecunda camera & I. in tertia, atque M. in quarta, quod quidem M. diligit A. V. Y. & odit V. Z.; per T. quidem ſignificatur, quomodo F. G. per ipſum diſcurrunt, ut primam cameram, ſecundam & tertiam atque quartam formare poſſint. Per V. verò ſignificatur, quòd D. diligit V. lividum & H. odit V. rubeum. Per X. demonſtratur, quòd D. diligit cameras ejus ſecundùm juſtitiam & H. odit culpam, privationem & imperfectionem; atque Y. repræſentat ſe eſſe objectum ipſius D., Z. verò objectum ipſius H. Unde ſecundùm hanc prædictam *regulam* ſignificatur, quomodo ſciri poteſt ars, per quam unusquisque uti ſciat ſuâ voluntate diſcurrentibus F. G. per primam cameram, ut voluntas in aliis cameris velle habeat ordinatum, ſi verò F. G. aliquod habeant impedimentum ad diſcurrendum per primam cameram, oportet ea recurrere ad cameras, quæ ex quatuor elementis & ex A. S. T. V. X. Y. Z. componuntur & ſecundùm earum conditiones oportet F. G. diſcurrere per cameras ipſius A., deinde per cameras ipſorum S. T. V. X. tanto tempore, donec voluntas perfectum actum habeat diligendi.

QUARTUS MODUS.

Credere.

CAmeræ [aëris aquæ] [NAVY] ſignificant, quomodò credere debetur, quia prima camera ſignificat C. non poſſe intelligere, quando ipſum occupatur à multis objectis diverſis & dilectis æqualiter à D., *ſicut phlegma, quod exiſtit ita groſſæ materiæ, quòd propter frigiditatem, quæ reſtringit ipſum, & propter humiditatem, quæ ipſum replet, non poteſt in eo recipi triangulus viridis nec rubeus*, quocirca homines phlegmatici rudis ingenii ſunt & pigri, & accipiunt pro objecto multas ſpecies ignoranter; idcirco formatur ſecunda camera, quæ ſignificat, quòd N. credere oportet id, quod C. negat intelligere ex A. V. Y. & quòd N. diligat A, ſequitur hoc, quod C. intelligere non poteſt, etiam, quòd N. in V. habeat univerſalem voluntatem ad bonum, quod cum V. livido convenit, atque quòd odiat univerſaliter malum, quod cum V. rubeo concordantiam habet, & hoc idem faciat de Y. H., quòd diligat illud ſuper C. G., quicunque fortificare deſiderat credulitatem ſuam contra dubitationem ſive tentationem, oportet eum recurrere ad has cameras [AS] [SS] [ST] [SV] [SX] [SY] [SZ] intelligere in ipſis omne id, quod poterit, & ſic fortè *transformabit* ſuum N. in prædictarum *regulam* camerarum.

QUINTUS MODUS.

Contemplari.

UT homo contempletur A., oportet F. G. discurrere per cameram T. T., ut secundùm regulam triangulorum E. discurrat per cameram A A. & H. per cameram V. Z. & M. super D. in diligendo A., atque per cameram S S. destruatur R., ne in contemplatione sint in absentia camera X X. & camera Y Y., propter discursum, quem F. G. faciunt per cameram T T. recolit B. cameram A A, per quam C. intelligit, quòd camera bonitatis bonitatis existit per omnes alias cameras ipsius A. & è converso. Ideóque C. multùm altè existit contemplando A. & cameras ejus, per cujus C. exaltationem existit D. multùm sublimè diligendo A., propter quam sublimitatem descendit H. multùm fortiter contra V. Z. atque influentia, quam A. influit in E. H., est tam magna, quòd M. superat E H., quia tantùm diligit A., quòd super hoc, quod E. intelligit de A., diligit ipsum A., & odit V. Z., & secundùm regulam S S. sublime opus ipsorum E. I. N. existit ita magnum, quòd R. non habet materiam neque formam, quæ contradicere possit in contemplatione cum esse, nam E. I. N. totas vires suas opponunt in ipsa contemplatione, viribus quorum camera X X. est in ipsa contemplatione cum camera Y. Y., videlicet, quòd sicut prædestinatio & liberum arbitrium existit in summo gradu, quando C. intelligere potest inter opus ipsius A. & creaturæ, ita in contemplatione Y. ipsius E.; & Y. ipsius I. &c. existunt in excellentiori opere, quod in contemplatione existere possit secundùm *regulam* jam prædictam, per quod siquidem opus oriuntur ex corde intimo dulcia suspiria in oculis promoventia dulcedinem lachrymarum & ipsius V. lividi & devotionis augetur in corde fœcunditas, interim dum contemplatio durat; *Quocirca se dat & præparatur, ut sit susceptа scientia infusa à gratia ipsius A.* discurrentibus F. G. per A. T. V. X. Y. Z.

SEXTUS MODUS.

Invenire.

1. HÆc ars est intentione inveniendi particularia in universalibus ipsius artis, quæ quidem particularia sunt in cameris ipsius artis positо T. in ipsis, prout ex hoc data est *regula & experientia* per A. S. T. V. X. Y. Z. & per elementalem figuram. *Unde ad inveniendum particulare in universali principaliter assignantur tres regulæ*, quarum *prima* est perquiri particulare in camera, sive cameris discurrentibus F. G. cum T. per illam cameram, sive cameras ipsius artis, nisi autem reperiatur particulare, quod quæritur secundùm illa exempla, quæ in cameris supradata sunt, oportet F. G. ad *secundam* recurrere regulam scilicet ad quæstiones, quæ in hac arte derivantur, quia in ipsis existit aliqua similitudo, per quam particulare inveniri potest in camera, prout quæstio in ipsa camera destinata est, si verò particulare in quæstionibus nequeat inveniri, oportet in camera sive cameris, cum quibus particulare meliùs convenit, poni T. secundùm conditiones & regulas, per quas ponitur T. in cameris denotantibus particularia, de quibus *exempla & experientiæ* datæ sunt in hac arte, *& hæc est tertia regula.*

2. In principio, quando particulare inquiritur, oportet eligi illam cameram sive cameras, quæ cum eo meliùs conveniunt supponendo per illas cameras ipsum posse inveniri, quia, nisi ita supponeretur, G. quidem virtutem non haberet ad inquirendum illud particulare, neque F. ad recolendum cameras, quæ sunt principia inveniendi particularia in ipsis, quoniam sicut artifex materiam præparat, priusquam domum ædificat, ita oportet inquiri universalia principia, in quibus quæsita particularia inveniantur, quæ siquidem principia oportet esse necessaria, oportet etiam ea supponi, ut per ipsa possint particularia inveniri. Si igitur particulare, quod quæritur, est de *opere naturali*, discurrat T. per elementalem figuram, & formet cameram sive cameras in nona figura, deinde discurrat in illa camera sive cameris, & attribuat affirmationem sive negationem cameram concordantiæ majoritatis & esse perfectionis, atque realitatis potentiæ; si verò particulare, quod quæritur, sit de A. tantùm, perquiratur cum T. in camera A A, & si sit de A. creatura, formatur camera, prout convenit in nona figura, quæ quidem cameræ sunt A. S., A. T. &c.

3. Etiam hæc eadem *regula* non deficit in aliis particularibus perquirendis, salvis tamen conditionibus camerarum ipsius A., tamen majoritate, esse, perfectione & Y. habentibus concordantiam, atque semper affirmetur id, per quod A. sit magis intelligibile & amabile, & hoc idem fiat de S. & de V. livido & de omni eo, quod creaturæ & operi ejus convenit, non tamen incidat contradictio, seu aliquod inconveniens, existens contra A V Y., E. I. N. & contra *regulam* hujus artis.

4. Ad inquirendum & inveniendum particulare sunt necessariæ hæ cameræ [E A V Y.] [I V Z.] [M X. V. Y Z.], quæ sunt objecta, quibus movetur hæc ars, *nam per cameras istis contrarias* [E V Z.] [I A. V Y.] [M A. V Y Z.] *est hæc ars noviter adinventa*, unde, „quicunque particulare in hac arte diligit „invenire, non oportet eum esse rebellem, „neque inertem, nec cespitantem, nec timi„dum, *nec assistentem absque ratione necessaria „dictis Philosophorum, qui opinantes in omni„bus verum dicere in aliquibus erraverunt*, „sed nitatur cameras, quæ bonam habent „significationem, formare contra illas ca„meras, quæ malam habent significatio„nem, & deneget illa particularia omnia, „quæ eum impediunt ad formandum bo„nas cameras & affirmet omnia illa, quæ „eum dirigunt ad formandum illas bonas „cameras, quæ in hac arte ipsi E. objectæ „sunt contra illas cameras, quæ in ipsa arte „ipsi H. sunt objectæ, quia si A. contrarietur nobilioribus & majoribus E. H. hujus artis, contrarietur suæmet majoritati, atque majoritati suæ creaturæ, quod est impossibile manifestè, per quod siquidem impossibile discurrunt omnia principia hujus artis; *& sic, quicunque in hac arte peritus fuerit, & sequitur ejus principia, prout doctrina supradicta est, sciet mediante auxilio ipsius A. secreta naturæ reperire*, habebítque de A. S. T. V. X. Y. Z. cognitionem, *& per se sciet invenire li„bros & compilare*; propterea sciet inquirere, „utrum in antiquis scientiis error incidat, „aut si illi, qui eas invenerint, veram ha„buêre doctrinam, vel si secundùm natura„lem sensum eas ordinaverunt, nam hæc ars „dabit ei *regulam* & doctrinam cognoscen„di, si ignoranter in aliquo erravêre, atque „compellet plùs diligi scientias eorum in „his, in quibus eorum intellectus non à ve„ritatis semita deviârunt.

SEPTIMUS MODUS.

Dirigere.

1. HÆc ars est intentione dirigendi illos, qui erroribus subjacent indigentes arte & doctrinâ, quibus in veritatis semitam dirigantur, *quia ipsa ars communis est omnibus, gentilibus, Judæis, Christianis & Saracenis, atque omnibus gentibus, de quacunque lege sint sive secta. Hoc enim est, quia principia hujus artis generalissima sunt, quibus siquidem principiis perpendi potest manifestè, qualis populus in veritate permanet, vel qualis populus ab erroribus detinetur. Hæc enim ars doctrinam exhibet, quomodo populus existens in veritate potest per Dei auxilium ad veritatem ducere populum, qui suis excæcatur erroribus contra veritatem.*

2. „Tu quicunque existens in Y., per quod „vadis ad A., vis dirigere illos, qui in Z. exi„stunt, per quod tendunt ad supplicia ignis „inferni perpetui, disce diversa idiomata, & „tuum ostende idioma, & hanc artem in „idiomate transferas alieno, quam siquidem „artem intentione, quâ Z. possis destruere, „gratanter doceas illos, quos divinâ gratiâ „converti desideras, quibus sis amabilis, non „tamen terribilis, nec superbus, nec dili„gens dilectione mundanâ, nec injuriosus, „nec vilia verba conferas inter ipsos, nam „talibus vitiis frequenter formari contin„git hanc cameram I. V. Y.

3. Ad dirigendum errantes necessariæ sunt istæ cameræ [E. A V. Y.] [I V Z.] [M A V Y.], quarum prima significat E. recolere, intelligere & diligere A. V. Y., atque per A. significatur, quòd F. G. cum T. discurrant per cameras ipsius A., ut ex ipsis tantam susciplant influentiam & gratiam, quòd cognoscere sciant, quis populus habet E. ad cameras ipsius A. absque aliquo inconveniente ipsarum camerarum ipsius E. in V. Y.

4. Per secundam cameram denotatur, quòd I. debet habere F. G. H. contra V. rubeum & contra Z., quæ quidem V. Z. conveniunt cum errore, & hic error significatur in omni eo, quod contra primam cameram existit; unde tu, quicunque sis, si in veritate existas, oportet te formare primam & secundam meliùs, quàm oporteat illum, qui permaneat in errore, qui quidem error existit contra primam cameram & secundam. Unde tu, qui es in Y., coneris totis viribus formare primam cameram & secundam illi, qui subjacet errori, si verò te dicas non habere possibilitatem, in hoc tu quidem contrariaris cameræ Spei, Fortitudinis, & cum K. contradicis huic arti per cameram Charitatis, Prudentiæ, atque mutas I. in primam cameram, E. verò in secundam obliviscente K. cameram memoriæ veritatis.

3. Per tertiam cameram designatur, supponendum esse ab illo, qui est in Y., quòd Y. majorem habet pietatem, quàm Z., & V. lividum, quàm V. rubeum, & ideo M. diligere debet A., quod cum V. Y. convenit, dis-

conveniens cum V. Z., per quam siquidem disconvenientiam & convenientiam est possibile, omnem errorem posse destrui per primam cameram & secundam, alioquin esse, perfectio, Y. & majoritas non haberent concordantiam, neque privatio, imperfectio, Z. & minoritas convenirent, quod est impossibile.

6. Ad dirigendum errantem oportet F. G. discurrere per omnes cameras hujus artis, oportet etiam illum, qui est in Y. & illum, qui est in Z., convertere ad sequendum regulam hujus artis sine mortis periculo & laboris dubio, neque timere debet se segregari ab uxore, filiis & delitiis temporalibus, cùm error contra Y. sit pejor omnibus rebus de mundo, & removere dubitationem & ostendere veritatem sit meliùs, quàm aliud, quod sub cælo sit.

7. Sicut in hoc capitulo exemplum datum est, quomodo dirigantur illi, qui erroribus subjacent, eodem modo potest doctrina intelligi, quomodo sciatur dirigere homines ab V. rubeo in V. lividum, & ab una virtute in alteram, & ab ira in consolationem, atque ex I. in E., & ex N. in E. I., etiam, quomodo sciatur *converti* E. ex V Z. in V. Y., & I. ex V. Y. in V Z. & de aliis rebus istis similibus sequitur hoc idem discurrentibus F G. per A. S. T. V. X. Y. Z. & per elementalem figuram tanto tempore, quousque formentur istæ cameræ [E. V. Y.] [I. V. Z.]

OCTAVUS MODUS.

Prædicare.

1. HÆc ars doctrina est prædicandi, prout significatur per istas cameras [A S.] [AT.] [AV.] [AX.] [XY.] [XZ.] [ignis aër,] quarum prima significat, quòd E. pro objecto habeat cameras ipsius A., & per hanc primam cameram significatur tertia habente E V. lividum & habente I V. rubeum, quarta verò camera significat, quomodo X. sit materia prædicatori, ut ipsi A. laudem faciat, prout per X. in quinta & sexta camera denotatur, septima camera significat, quomodo prædicator exempla perhibeat secundùm figuram elementalem, sed secunda camera significat, quomodo T. existit in his cameris jam prædictis ad dandum ipsius A. cognitionem & amorem.

2. Secundùm hanc doctrinam prahabitam oportet, quòd prædicator discurrere faciat F G. per ipsas cameras, ut in se ipso & in populo formare possit istas cameras [E. A. V. Y.] [I. V. Z.,] quia, quando C. intelligit opus intrinsecum & extrinsecum, tunc B. D. conveniunt in A V. Y. per C. & E. movet I. contra V. Z., sed quando C. non intelligit A. V. Y., tunc I. non habet perfectum motorem contra V. Z., ideóque prædicator imperfectam habet materiam in sermone suo, & propter defectum memoriæ deficit forma & in sermone suo est imperfectio, per quam deficit populus ad recipiendum sermonis utilitatem.

3. Per cameram [ignis aëris] designatur, quomodo prædicator ordinare debeat intentionem suam, in sermone, quia prout T. existit in camera, prædicator habere debet primam intentionem ad A., secundam verò ad se ipsum & ad populum, cui prædicat, & ideo non debet habere H. contra Y., neque contra V. lividum, quoniam, sicut ignis recipit suum contrarium recipiendo siccitatem, & infundit in suum contrarium calorem suum cum aëris humiditate, ita bonus prædicator per A. suscipit tribulationes & pericula, spernendo vanitates hujus sæculi, & attribuendo Y. contra Z., atque referendo opus intrinsecum & extrinsecum ipsius A., ideóque suscipit influentiam & benedictionem ab A. in sermone suo, ex quo venit influentia populo, cui sermocinatur.

NONUS MODUS.

Exponere.

1. AD exponendum scripturas ipsius A. adinventa est hæc ars, per quam exponi potest textus, prout significant istæ cameræ [E. A V Y.] [I V Z.] [M A V YZ.], quarum prima indicat expositionem esse talem, quòd E. habere potest pro objecto A. V. Y., quia aliquis textus Sacræ Scripturæ non contradicit cameris ipsius A., neque ipsi V. lividoo, neque ipsi Y., neque est contra E., quod est creatura, ut habeat pro objecto A. V. Y., & moveat I. ad V Z., quæ cum A V Y. disconveniunt: si verò expositio non possit fieri secundùm primam cameram, oportet fieri eam secundùm secundam, odiente H. omne, quod est contra A. V. Y., nisi autem fieri possit per secundam cameram, oportet eam fieri per tertiam diligente M. per Fidem, Spem & Charitatem ipsa A. V. Y. & odiente V. Z.; Unde secundùm hanc doctrinam oportet F. G. discurrere per cameras ipsorum A S T. V. X. Y. Z. tanto tempore, donec in expositione formare possint primam & secundam cameram, sequendo conditiones ipsorum A. S. T. V. X. Y. Z.

2. Et quòd hoc sequitur de expositione Theologiæ, illud idem sequitur de expositionibus, quas fieri convenit in Philosophia, & Jure, cùm generalia sint omnibus scientiis hujus artis.

DECIMUS MODUS.

Solvere.

1. AD solvendum quæstiones est hæc ars inventa, quas solvi oportet secundùm significationes camerarum elementalis figuræ & nonæ figuræ, prout breviter exemplum traditur in cameris istis. [Ignis ignis.] [A A.] [S S.] [T T.] [V V.] [X X.] [Y Y.] [Z Z.] Prima quidem camera significat, si quæstio est de igne & de igne, aut de igne & calore, aut de calore & levitate ignis, & sic de aliis, quòd F. G. discurrant per cameram Ignis ignis, & recurrendum est secundùm modum, per quem T. existit in illa camera, & hoc idem sequitur, si quæstio fiat de igne & aëre &c. Scilicet quòd recurrendum est ad cameram ignis aëris, & sic de aliis; si autem quæstio fiet de A. scilicet de bonitate bonitate, aut de bonitate magnitudine, aut de bonitate & bonificare & sic de aliis, oportet F. G. discurrere per cameram A A. & responsionem fieri, secundùm quod T. existit in hac camera, si verò quæstio fiat de A S. aut de A T. & sic de aliis, recurrendum est ad illas cameras, quæ formantur in nona figura, & hoc idem sequitur de S S. & de T T. & sic de aliis.

2. Sex modis oportet F G. discurrere in hac arte, modò per unum modum, modò per alterum. *Primus* enim modus fit in tabula, ubi circulares figuræ existunt. *Secundus* verò est in figuris secundariis, in quibus alia principia sunt cum aliis combinata. *Tertius* quidem existit in triangulis secundæ distinctionis. *Quartus* in cameris quartæ distinctionis. *Quintus* in nona figura. *Sextus verò & ultimus* in imaginatione, videlicet solvere & quærere hoc, quod necesse est per ipsam nonam figuram imaginando figuras per cameras, quæ conveniunt ad respondendum quæstionibus; *Et ad hunc sextum modum moventur omnes alii, cùm ipse sit eorum finis.*

3. Ad doctrinam solvendi quæstiones conveniunt *metaphoræ, similitudines & exempla*, ut inter respondentem & quærentem sit Charitas & Justitia. Ideo priusquam respondeatur quæstioni, oportet quandoque subjungi metaphoram ex elementali figura; quæ metaphora concordantiam habeat cum conclusione, ut ipsa sit commune principium duobus disputantibus.

4. Secundùm hanc doctrinam jam habitam exhibetur modus, quo per artem sciatur responderi quæstionibus & eas solvi, & secundùm illum eundem modum data est doctrina, quomodo sciatur arguere & facere quæstiones per hanc artem sequendo conditiones camerarum prædictarum.

UNDECIMUS MODUS.

Judicare.

1. AD judicandum est multùm hæc ars necessaria, prout in istis cameris significatur [A S.] [A T.] [A V.] [A X.] [A Y.] [A Z.] [ignis terra] [E A V. Y.] [I V Z.] Per A. quidem significatur omnem sententiam existentem pro merito culpæ judicari secundùm quatuor species ipsius S., & secundùm species cameræ ipsius A., & T. significat cameram T T., per quam denotatur triangulos alios poni in aliis ad perquirendum V. lividum & rubeum, ut formetur octava & nona camera, prout significatur per X. in quarta camera, & per Y. in quinta, & per Z. in sexta, & per ignem & terram in septima.

2. Sententia data per artem magis secura est, quàm illa, quæ data est sine arte, nam per hanc artem potest Judex perpendere, si punire debeat per E. vel per I. vel per N. vel per R., aut si plùs debeat punire E. per B., quàm per C., sive per D., quàm per C. & è converso, & hoc idem sequitur de individuis ipsorum I. N. R. Judex etiam scire potest per hanc artem, si S. plùs contrariatur cuidam cameræ ipsius A., quàm alteri, & hoc idem sequitur de V. X., atque potest scire, utrum ipsum S. plùs contrarietur ipsi Y., quàm ipsi Z., & è converso.

3. Plura sunt accidentia sive casus, quæ discurrunt per cameram meriti culpæ, quàm sint casus dictorum decretalium & legum, & quoniam illa accidentia inquiri possunt & inveniri artificialiter per cameras hujus artis, multùm ideo necessaria est hæc ars omni Judici super bonis temporalibus & spiritualibus judicanti, & maximè, cùm opera intrinseca ipsius S. nimis secreta sint per E. I. N. R. Y. Z., quæ quidem opera debent multùm diligenter & subtiliter indagari.

DUODECIMUS MODUS.

Docere.

1. *NOviter est hæc ars inventa intentione docendi, quomodo in brevi tempore sciri possint diversæ scientiæ*, quia secundùm quod significat ista camera F.G. ignis A.S.T.V.X.Y.Z., eodem modo significant istæ cameræ [E A V.Y.] [I V Z.], quomodo Doctor docendo ostendere debet, scholaris verò discurrere discurrentibus F. G. per elementalem figuram, & per A.S.T.V.X.Y.Z. in nona figura, ut E. habere possit A.V.Y. pro objecto, & ut V Z. sint objecta ipsi I.; per „doctrinam hujus artis exaltatur E. in A.V. „Y. & I. in V.Z., & propter exaltationem „ipsorum I. E. est scientia ostensa in brevi „tempore & edocta, & conservatur per uni„versalia principia necessaria, in quibus „conservantur & inveniuntur multa parti„cularia, quæ sine doctrina doctoris inve„niri non possent.

2. Ad docendum hanc artem oportet sequi *regulam*, quæ data est in cameris ipsorum A.S.T.V.X.Y.Z. & in elementali figura & in modo ipsius B., & ipsius C., atque ipsius D., primò tamen oportet addiscì alphabetum, quod principiis hujus artis convenit, oportétque sciri medulliter figuras hujus artis. Deinde procedendum est secundùm ordinationem, quam quæstiones habent in hac arte, scilicet ostendere, quomodo determinari debeant quæstiones per cameras, in quibus denotantur, sicut frequentatio in scientia algorismi convenit, ita in circulari figura electri sive alterius metalli, quæ nona dicitur, in qua comprehenduntur figuræ hujus artis, convenit frequentatio faciendi & solvendi quæstiones *& reducendi alias scientias ad principia hujus artis*, & sic tali frequentatione dicitur & habituatur hæc scientia de facili ab illis, qui dispositionem habent naturalem in C.G., diligente D. ipsa A.V.Y. & H. odiente V.Z.

DECIMUS TERTIUS MODUS.

Disputare.

1. HÆc ars doctrinam exhibet disputandi, prout in his cameris designatur [F G. A.S.T.V.X.Y.Z.] [N R.] [E A.V.Y.] [I V.Z.], nam prima camera significat F. G. discurrere per figuras hujus artis, ut secundam cameram destruere possint, & formare tertiam & quartam cameram, quæ cum affirmatione & cum negatione conveniunt contra dubitationem, quæ convenit cum camera secunda. Unde in principio disputationis oportet ordinari, quod disputationes sequantur regulam hujus artis, prout significatum est in his cameris jam prædictis.

2. In omni disputatione necessariò disputandum est, aut per auctoritates secundùm N., aut per rationes secundùm E.I., & quoniam auctoritates, quæ per N. sunt in Y., contrariari nequeunt ipsi E., quod est in Y., neque I. habenti Z., oportet ideo auctoritates dirigi, & reduci ad E., ut N.R. convertantur in E I., quorum quæstiones oportet supponi in principio disputationis, quia, si negaretur, sequeretur affirmatio, scilicet K. esse fortius, quàm B., & L. quàm C., & M. quàm D., & quòd R. haberet majorem proximitatem cum esse, perfectione, quàm E I., sed quia hoc est impossibile, ergo de necessitate oportet prædictam suppositionem esse in disputatione, ut K.L.M.O.P.Q. frequenter in disputatione superentur à B. C.D., F.G.H., quæ conveniunt cum majoritate, esse & perfectione.

3. In disputatione oportet esse V. lividum de quacunque parte contra V. rubeum, & oportet subjectum disputationis esse Y. per E., & Z. per H., atque oportet, ut in disputatione subjungantur exempla per elementalem figuram, aut per A.S.T.V.X.Y.Z., ut ille, qui existit in Z., compellatur concedere *metaphoras* & exempla esse in Y., sic ut per eas ducatur ad conveniens, sive inconveniens, per possibile aut impossibile.

4. Per has dictas *regulas* & per plures alios modos datur doctrina in hac arte, quomodo doctus artista disputare sciat, & destruere Z. conservando conditiones principiorum, ipsius artis, & negando omnia accidentia, cum quibus principia hujus artis destrui possint.

DECIMUS QUARTUS MODUS.

Consulere.

1. ADinventa est hæc ars intentione conferendi consilium Prælatis, Principibus & aliis submissis, prout significatur in cameris istis [N. A.V.Y.Z.] [R A.V. Y.Z.] [E.A V Y.] [I.V Z.] quia primam cameram & secundam converti oportet in tertiam & quartam, quarum conversionem docet hæc ars fieri discurrentibus F.G. per A.S.T.V.X.Y.Z., ut primas duas dictas cameras destruant & forment duas ultimas cameras, quæ objectæ debent esse omni Prælato & Principi, & omnibus eis submissis secundùm dispositionem trianguli rubei, crocei, viridis & nigri.

2. Per hanc artem scitur præberi consilium sequendo dispositionem elementalis figuræ, quæ significat quomodo S. uti debeat de E.I.N.R. *atque per hanc artem habetur cognitio futurorum* secundùm circumstantias objectas ipsis E.I. contra N.R.

3. Per hanc etiam artem denotatur, quod bonum est amabilius, & quod malum odibilius. *In hac siquidem arte reducuntur ad necessitatem consilia casu fortuito præstita sine artificio.* In qua quidem necessitate existit consilium artificialiter sequendo principia & conditiones hujus artis & ponendo omne Consilium in quæstione, quam secundùm artem denuntiari oportet, & secundùm modum, per quem in hac arte solvuntur quæstiones, quæ in ea continentur, unde cùm omne consilium sit nimis necessarium omni Prælato & Principi & etiam omni homini, multùm ergo est desiderabilis & amabilis hæc ars omni Domino & submissis ei, quòd habere possit eam, & de ea uti sciat & tractare.

4. Omne consilium de particulari sive de particularibus esse oportet, ideóque hæc ars necessaria est ad præstandum consilium aliis, & sibi ipsi, inquirendo particulare sive particularia in universalibus ipsius artis, quæ quidem universalia sunt principia generalia, in quibus particularia inveniuntur, prout datur doctrina & experientia per figuras, per cameras & per quæstiones in locis plurimis hujus artis.

DECIMUS QUINTUS MODUS.

Consuescere.

1. PEr hanc artem scit homo consuescere bonum operari, prout in his cameris significatur [F G A S T V X Y Z] [E A V Y] [I V Z] [E I N R] quia quando F.G. discurrunt per primam cameram, tunc consuescit homo in secunda & tertia camera, quæ cum bonis consuetudinibus & perseverantiis sunt concordes, quidquid vult bene consuescere secundùm secundam & tertiam cameram, sciat ejus F. recolere A. & cameras ejus, & attribuat eas pro objecto ipsi G., ut S. cognoscere faciat B.C.D. in A. & in cameris ejus discurrentibus F.G. per T., & dando V. lividum ipsi E., & V. rubeum ipsi H., & hoc per dispositionem ipsius X., prout potentiæ ipsius S. conveniunt ad accipiendum objectum mediatè vel immediatè, ut cum Y. conveniant & contrarientur ipsi Z.

2. *Secundùm elementalem figuram sunt elementa tam consueta in annulo auri existente uno in altero, ipsis intrantibus uno alterum, & progredientibus uno ab altero per diversitatem & concordantiam & per minimam contrarietatem, quòd ille annulus magis durabilis est, quàm digitus manûs, in quo circumsistit, in quo siquidem digito quatuor elementa non sunt consueta intrare unum in alterum, & progredi unum ab altero, sicut in annulo, eò quia majorem habent contrarietatem in digito illo, quàm in annulo.* Unde, cùm hoc ita sit, ergo per *hanc metaphoram* denotatur, quomodo per hanc artem potest homo consuescere ad fortificandum V. lividum, & ad mortificandum V. rubeum, si sciat applicare F.G. ad discurrendum frequenter per primam cameram præhabitam, ut secunda & tertia camera obstent ipsi R., quod impedit bonas consuetudines & est totius pravi occasio documenti.

DECIMUS SEXTUS MODUS.

Sanare.

1. IN hac arte datur doctrina, secundùm quam sciat homo sanare corporaliter & spiritualiter, prout denotatur in cameris istis [ignis aqua] [R E I N] [E V Z] [I A V Y] [M A V Y Z] quæ quidem cameræ præbent significationem ægritudinis corporalis & spiritualis; quâ quidem significatione significatur sanitas per cameras contrarias istis, quia per *primam* istarum significatur, quòd ignis & aqua contrariantur inter se, quorum contrarietate causatur ægritudo corporum sine temperamento medio aëris & terræ secundùm dispositionem, per quam T. ingreditur cameras elementalis figuræ, quæ significant modum, per quem cura corporalis fieri debeat sequendo ordinem quæstionum, quæ in hac arte determinantur.

2. *Secunda* camera significat infirmitatem ipsius S., quia R., in quantò continet de E. I.N., tantò est imperfectio ipsorum E.I.N., per quam quidem imperfectionem formantur cameræ consequentes, pro quibus S. existit in camera imperfectionis culpæ, sed quando S. discurrit in hac arte per istas cameras

meras [EAVY] [IVZ] [MAVYZ], tunc recuperat sanitatem per cameram perfectionis meriti, quam poterit & sciverit habere sciendo hanc artem, & diligendo ipsius artis principia & doctrinam.

3. Plures sunt modi & regulæ, quibus hæc ars docet, ut ipsa mediante homo sciat sanare se ipsum & proximum suum, sed quia hæc doctrina de ipsis data satis sufficit, & quia de rebus aliis pertractandum est, idcirco explicit Tertia Distinctio sub compendiosis sermonibus, & de Distinctione quarta per consequens tractandum est.

INCIPIT

QUARTA DISTINCTIO,

QUÆ EST

De Quæstionibus.

1. ULtima Distinctio hujus operis dividitur in duas partes, quarum prima existit in 38. quæstionibus, quarum decem sunt de cameris elementalis figuræ, & viginti octo de cameris nonæ figuræ sive figuræ demonstrativæ.

2. Secunda verò Pars existit in tot quæstionibus, quot sunt cameræ in A.S.T.V.X. & in principiis Theologiæ, Philosophiæ & Juris, quia cuilibet cameræ una quæstio assignatur, & ideo sunt quæstiones 1080. cum una quæstione, quæ præcedit in principio istius distinctionis.

3. Quæstiones hujus artis tripartitæ sunt, quia primo modo tractatur de 38. quæstionibus, cameræ quarum significantes solutionem ipsarum quæstionum expositæ sunt per litteram, & hæ tales quæstiones traduntur grosso modo; secundus verò modus subtiliùs traditur, quia cameræ significantes solutionem quæstionum non exponuntur per litteram, imò traduntur simpliciter, ut per earum significata solvantur quæstiones, sed tertius modus & ultimus est de quæstionibus alienis, quæ in hoc volumine non scriptæ sunt, sed solùm per artem determinari debent inquirendo determinationem earum in cameris prædictarum 1080. quæstionum. Et si artista peritus fuerit, confestim solvet eas per cameras, quæ cum eis meliùs sunt concordantes, aut per alias cameras præter istas, quæ tunc fieri debeant, prout hæc ars modum & doctrinam exhibet in cameris, quæ in ea continentur, & hic talis modus subtilior est aliis duobus modis, & est objectum, ad quod movetur hæc ars, & est etiam generale objectum toti arti existens in C.G.

4. Conditiones quarumlibet camerarum, quæ in qualibet quæstione ordinantur ad solvendum, existunt in hoc videlicet, quòd omnes cameræ sequentes primam cameram per concordantiam aut contrarietatem ad ipsam primam cameram dirigantur, & *hæc regula* sequitur per omnes ibi traditas quæstiones.

QUæstio est. Utrum hæc ars sit Demonstrativa?

Solutio. [EAVY] [IVZ] [MAVYZ] [RAVYZ]

F. recolit, quod discurrente G. per A.S.T.V.X.Y.Z. primæ cameræ duæ concordantiam habent cum camera majoritatis finis, atque duæ ultimæ cameræ conveniunt cum camera minoritatis, dubitationis. Et ideo C. intelligit hanc artem demonstrativam esse, quia, nisi ita esset, duæ primæ cameræ in dignitate non excederent duas ultimas secundùm hanc cameram, qui siquidem excessus per se manifestus est in hac arte, in qua quodlibet universale sufficit ad inveniendum multa particularia in quolibet eorum per rationes necessarias, prout exemplificatur in locis plurimis hujus artis.

INCI-

INCIPIUNT

QUÆSTIONES PARTIS I.

De Cameris Figuræ Elementalis.

1. *QUæstio est.* Utrum elementa simplicia intrent compositum cum partibus Essentialibus aut integralibus.

Solutio. [Ignis ignis] [ignis aqua] [TT] [concordantia majoritas] [contrarietas minoritas]

Per istas cameras significatur solutio hujus quæstionis factæ, & ad præsens littera est expositio ipsarum camerarum isto modo, scilicet, quòd prima camera partes essentiales significat, quæ sunt materia & forma ignis, atque secunda camera significat partes integrales, in quantum ignis & aqua differentes sunt & contrarii, in quibus fit pars integralis cum cæteris elementis, quæ siquidem pars est ens elementatum habens materiam & formam constitutum per generationem partium essentialium & divisibile in partes integrales; tertia verò camera quartam & quintam significat, quarta quidem camera significat, quòd in corporibus elementatis potest esse major concordantia per compositionem partium essentialium, quàm per partes integrales, cùm quantitas continua cum partibus essentialibus conveniat in composito corpore: discreta verò cum integralibus concordantiam habeat in corporibus diversis; sed quinta & ultima camera significat, quòd elementa minorem habent contrarietatem in compositione per partes integrales, quàm per essentiales, & quoniam majoritas concordantiæ & contrarietatis conveniat meliùs cum generatione & corruptione, quàm minoritas; idcirco intelligit G. elementa intrare compositum cum partibus essentialibus, & quòd insimul sunt suppositum, quod est integraliter pars omnium quatuor elementorum compositum ex materia & forma, & hoc per se manifestum est in F. discurrente per cameras, in quibus hæc solutio designatur.

2. *QUæritur*, quæ sit causa, quare corpus elementatum producatur ex quatuor elementis, neque sit illa quatuor elementa?

Solutio. [Ignis aër] [aër aqua] [aqua terra] [terra ignis]

Discurrente F. per cameras S. invenit solutionem, prout T. regulatum est in cameris, videlicet: quia elementorum partes oriuntur aliæ in aliis, & egrediuntur aliæ ab aliis, & quia etiam de substantia egrediuntur & in ea permanent, ideóque corpus, quod est substantia, productum est per prædictam transmutationem elementorum, quæ fit per generationem & processionem suppositi existente alterius speciei, quæ non est elementum, neque elementa, quia si corpus esset in una specie cum elemento seu elementis, non fieret prædicta transmutatio, neque generatio neque processio, sed destruetur potiùs opus naturæ.

3. *QUæritur.* Utrum ignis simplex moveat ignem compositum ad aquam simplicem seu compositam.

Solutio. [Ignis aqua] [aqua terra]

Discurrentibus F.G. per cameras, manifestum est ipsi G., quòd ignis simplex majorem habet contrarietatem cum aqua simplici, quàm cum aqua composita, maximè, cùm ignis simplex majorem virtutem habeat, quàm compositus, ideóque ignis simplex virtutem suam movet per ignem compositum motum ab ipso simplici igne contra aquam simplicem, quæ movet aquam compositam, in qua quidem aqua composita ignis simplex movet ignem compositum contra virtutem aquæ simplicis, ut in ipsa aqua composita ignis compositus per virtutem ignis simplicis mortificare possit virtutem aquæ simplicis, sicut terra, quæ in aqua, quam recipit, mortificat virtutem aëris simplicis, & hoc manifestum est, secundùm quod per triangulum viridem, rubeum & croceum hoc significant cameræ per cameram [mediatè immediatè]

4. *QUæritur.* Utrum ignis simplex existat essentialiter in igne composito, an existat virtus ignis simplicis & non ejus essentia?

Solutio. [Ignis terra] [ignis aqua]

In hac quæstione recolit F. dispositionem camerarum, ut G. intelligat solutionem, quam intelligit recolente F., quia, nisi ignis simplex existeret essentialiter in igne composito, destrueretur in aqua ignis compositus, dum aër ignem compositum infunderet, recipiens ab igne simplici calorem, & aqua absque essentia ignis simplicis ignem compositum destrueret existendo in terra, in qua infundit aqua ignem compositum, quem aër attribuit ipsi aquæ, sed per principia essentiæ ignis simplicis conservantis ignem compositum existit ipse ignis simplex

plex cum composito una essentia, & ideo aqua ignem compositum destruere non potest.

5. *Quæritur* Quali modo egrediuntur accidentia de substantia corporali?

Solutio. [Aër aër] [SS] [ignis aqua] [aqua terra]

Quæstione intellectâ G. discurrit per has cameras, cujus discursu S. recolit, quomodo elementa & ipsum S. aliquam habent similitudinem operationis, ideóque G. *per metaphoram* hanc solvit quæstionem, nam de S. egreditur virtus in B.C.D., ex quibus formatur E., quod est compositum ex accidentibus egredientibus de substantia per B.C.D., & ideo F. recolit, quòd de generatione, quæ fit in camera prima, tertia & quarta, egreditur quantitas, qualitas, relatio &c., quia per generationem producitur in esse substantia, quæ existit ens & fons accidentium, quæ accidentia in ea permanent illâ existente ipsis subjectâ.

6. *Quæritur.* Utrum aër majorem habeat concordantiam cum aqua in terra, quàm in igne?

Solutio. [Aër aqua] [ignis terra]

Ad solvendum hanc quæstionem dubitat N. & movet F. per cameras, ut L. transformetur in G., & quoniam F. recolit dispositionem, secundùm quam T. intrat cameras, G. intelligit aërem habere passivam qualitatem in igne, & in terra activam per medium, quod est aqua, quæ habet activam qualitatem in terra, in qua quidem aqua aër habet activam qualitatem & ideo aër majorem habet concordantiam cum aqua in terra, quàm in igne.

7. *Quæritur.* Utrum aër existat in tanta quantitate in igne sicut in terra?

Solutio. [Aër terra] [ignis aqua]

Non oblitum est F. recolere, quomodo aër magnus existit in majori quantitate in terra, quàm in igne, nisi ignis eum renovaret per influxam generationem, nam aër de terra egreditur *mortificatus* transiens in igne, in quo minuitur quantitate propter transitum, sed ignis eum augmentat & renovat in se ipso propter influentiam caloris influxi & humiditate, & hoc propter esum, prout in animalibus apparet, & propter liquorem terræ fertilis in vegetabilibus plantis.

8. *Quæritur.* Utrum accidentia sint ex essentia substantiæ?

Solutio. [Aqua aqua] [SVYZ] [aqua terra] [ignis aër]

Ignorante L. Solutionem, formatur R., veruntamen F. discurrit per cameras, ut G. earum significationem intelligat, in qua intelliget solutionem, quam liquidem solutionem intelligit recolente F., quod quandè E. habet V. Y. pro objecto, ipsa V. Y. non esse de entitate ipsius S., quia impossibile esset E. posse habere V. Z. pro objecto, præterea F. utitur ad recolendum, quomodo S. magis distat à compositione, quàm elementa simplicia, & recolit corpus elementatum esse de eorum entitate, licèt sit in altera specie, quæ non est aliquod elementorum, recolit etiam, quia aqua suam frigiditatem terræ attribuens augmentat eam, veluti pluvia de entitate sua plantas augmentat, unde, dum F. hæc prædicta recolit, convertitur ad recolendum quantitatem descendentem ad minoritatem in substantia per corruptionem, aut per partes integrales, quæ substantia adhæret privationi & elongatur ab esse & majoritate.

9. *Quæritur.* Utrum naturalis appetitus moveat fortiùs perfectionem ad objectum extrinsecum, quàm intrinsecum vel è converso?

Solutio. [Aqua terra] [SVYZ]

L. opinatur, quòd aqua attribuendo frigiditatem terræ & recipiendo ab aëre humiditatem atque mortificando ignem in se ipsa, & in terra, & in aëre habet nobilius objectum, ad quod moveri possit, sed F. recolit, quòd S. in hoc sæculo nequit attingere ad perfectionem suam, quam inquirit cum E. I. N., in qua siquidem perfectione existeret ipsum S. cum E. continuè, si ipsa perfectio existeret in ipso. Unde per hæc, quæ F. recolit, intelligit G. solutionem intelligendo S. esse in Z., dum ipsum S. opinatur invenire fortiùs perfectionem suam intra se, quàm extra, in qua quidem exterioritate ita loquendo existit A. & cameræ ejus, in quo etiam A. & cameris ejus existit E. in Y., dum in eo perfectionem ipsius S. inquirit.

10. *Quæritur.* Utrum communis forma corporis elementati procedat ex formis seu ex materiis accidentalibus existentibus in illo corpore?

Solutio. [Terra terra] [ignis aër] [aër aqua]

Per has cameras recolit F., quomodo quædam forma convenit terræ simplici, & quædam terræ compositæ, ideóque oportet has formas habere diversas materias, quibus ipsæ

ipsæ formæ diversæ sint, & hoc idem intelligit G. in aliis cameris, per quas F. recolit terram habere accidentaliter quandam formam in igne, alteram verò in aëre, atque alteram in aqua; unde cum F. recoluisset, G. intellexit, quòd sicut communis materia elementati oritur ex multis materiis, quæ sunt in cameris, ita communis forma egreditur de formis, quæ per cameras distinctæ sunt, illis cameris existentibus in elementato, quod generatum est per exitum & generationem prædictam, & est corruptibile per contrarium & elementatum exitum & generationem, quæ resultant contra communem formam & materiam illius compositi antedicti.

INCIPIUNT
QUÆSTIONES FIGURÆ DEMONSTRATIVÆ.

11. *Quæritur.* Utrum sit Deus?

Solutio. [AA] [esse perfectio] [privatio imperfectio] [EVY] [IVZ]

Recolente F. hanc quæstionem, G. discurrit per primam cameram, deinde per alias consequentes, quarum significatione intelligit A. esse isto modo, scilicet, quòd si A. sit, contrariantur inter se secunda & tertia camera, si verò nihil sit, imperfectio concordantiam habet cum omni esse, atque omnis perfectio concordantiam habet cum privatione, quæ cum omni imperfectione convenit, sed hoc est impossibile, ergo est aliqua perfectio, & aliquod esse sine privatione & imperfectione, & talis perfectio & esse est A., præterea per quartam & quintam cameram manifestatur A. esse, alioquin sequeretur, quòd E. cum V. Z. posset habere concordantiam, I. verò cum V. Y., habente E. concordantiam cum secunda camera, I. verò cum tertia, hoc autem est impossibile, quia majoritas haberet concordantiam cum tertia camera, & cum V Z., minoritas verò cum secunda camera & cum Y., quod est impossibile manifestè.

12. *Quæritur.* Utrum anima beata possit in gloria cognitionem habere de Deo, posito, quòd Deus in se non habeat opus intrinsecum?

Solutio. [AS.] [magnitudo æternitas] [CD] [esse privatio] [IY] [meritum culpa]

Prima camera significat, quòd F. G. in eam intrant cum T., ut inveniant id, quod significant aliæ cameræ contrariantes scilicet, quòd secunda camera significat perfectionem tertiæ, si A. perfectionem habeat per secundam cameram, sine qua operatione intrinseca immensa & æterna M. posset diligere A. & D. sine C. non posset ipsum diligere, neque C. posset habere virtutem in E. A., atque K. L. M. concordantiam haberent in quarta camera cum esse, B. C. D. verò cum privatione, hoc autem est contra A. & cameras ejus, & habet concordantiam cum quinta camera, quæ cum A. disconvenit, atque in illa quinta camera I. concordantiam haberet cum culpa, quæ cum esse conveniret contra meritum, quod cum privatione haberet concordantiam; si S. cognosceret ipsum A. non habens in se intrinsecum opus.

13. *Quæritur.* Utrum in Deo sit æqualitas bonitatis & bonificandi, magnitudinis & magnificandi æternitatis & æternificandi &c, cum sua sapientia & intelligere, voluntate & diligere?

Solutio. [AT] [magnitudo perfectio] [bonitas pietas] [justitia voluntas] [EA] [IY]

In T. existit triangulus viridis, rubeus & croceus significantes, si in A. & cameris ejus aliqua sit inæqualitas, quia oportet in eo esse totum triangulum viridem & rubeum, etiam de triangulo croceo oportet in eo esse majoritatem & minoritatem, sed hoc est contra A. & cameras ejus, & per hanc talem contrarietatem haberent E. I. concordantiam in quinta & sexta camera, quæ concordantia impossibilis est, cujus impossibilitate denotatur per secundam, tertiam & quartam cameram, quòd in A. oportet esse æqualitatem per omnes cameras ejus, omnibus cameris ejus existentibus in secunda camera & è converso.

14. *Quæritur.* Utrum oporteat esse omne id in Deo, per quod virtutes majorem habeant concordantiam cum esse & vitia cum privatione?

Solutio. [AV] [ignis aqua] [aër terra] [bonitas bonitas] [magnitudo magnitudo] [VV] [YZ]

F. recolit, quòd elementa simplicia, in quantum possunt, per triangulum viridem simul adhærent in compositione, ut quodlibet, quantum patitur fortiùs, à suo con-

trario distare possit, & ideo G. intelligit solutionem hujus quæstionis in reliquis cameris, videlicet, quòd V. lividum habet concordantiam cum A., sed V. rubeum contrarium est ei. Idcirco secundùm quartam & quintam cameram de necessitate oportet esse id esse in A., per quod V. lividum majorem habeat propinquitatem cum magnitudine, V. verò rubeum cum parvitate, quia, nisi in A. esset omne id, per quod V. lividum potest esse majus, & V. rubeum minus, magnitudo ipsius A. haberet in se minoritatem per quartam & quintam cameram, per quam quidem minoritatem V. Y. convenire possunt cum I. & V. Z. cum E. per quartam & quintam cameram, quod est impossibile.

15. *Quæritur.* Utrum Deus habeat libertatem faciendi gratiam homini prædestinato?

Solutio. [AX] [sapientia voluntas] [potestas justitia] [EAVY] [IVZ] [IAVY] [esse privatio] [meritum liberum arbitrium.]

Ingrediente F. in primam cameram, G. intelligens in consequentibus cameris intelligit tertiam cameram esse æqualiter per secundam, in qua essent inæqualiter, nisi A. gratiam facere posset homini prædestinato, nam potestas ipsius A. major foret in ejus sapientia, minor verò in ejus Justitia & voluntate, atque quarta & quinta camera concordantiam haberent cum privatione, sexta verò & septima cum esse, hoc autem est impossibile, & contra octavam cameram, quæ convenit cum esse realitate.

16. *Quæritur.* Utrum Deus possit odire veritatem?

Solutio. [AY] [EY] [IZ] [EZ] [IY] [MYZ]

Per primam cameram, quam F. recolit, discurrit G. cum T. in consequentibus cameris, ideóque intelligit Y. esse amabile in secunda camera & Z. odibile in tertia camera, atque E. I. sunt in quarta & quinta camera odibilia & contra A., in sexta verò camera est Y. minùs dilectum, quàm in secunda, & Z. minùs oditum in ipsa sexta camera, quàm in tertia, unde, si A. odiret seu odire posset Y., ipsum A. per omnes cameras suas haberet concordantiam cum Z., atque E. I. concordantiam haberent cum A., & tertia & quarta camera supradictis, sed hoc est impossibile, per quod C. intelligit A. per omnes cameras suas habere Y., quod in cameris ejus magis est amabile, quàm per B. C. D. in E., E. etiam magis amabile in ipso A., quàm Z. sit odibile per F. G. H. in I.

17. *Quæritur.* Utrum homo falsè Deum credens salvari possit?

Solutio. [AZ] [Fides Spes] [Charitas Justitia] [meritum culpa] [IA] [MA]

Differentia & concordantia sunt in secunda & tertia camera, atque in cæteris cameris est differentia & contrarietas, & quoniam salvatio & damnatio contraria sunt, culpa verò cum Z. conveniat, meritum verò cum salvatione, & quia cum esse & Y. habent concordantiam, privatio verò & Z., ergo benè sequitur, si homo credens in Z. salvus fiat, quòd I. per tertiam cameram possit odire A., & quòd de secunda, tertia, quinta & sexta camera possit fieri concordantia, sed hoc est impossibile & contra cameram primam.

18. *Quæritur.* Quare Bonitas, Charitas, Justitia, virtus, Humilitas non ita sunt possibiles animæ, sicut memoria, intellectus & voluntas?

Solutio. [SS] [AS] [XY] [EVY] [IVZ] [MAVYZ]

Prima camera significat solutionem hujus quæstionis in consequentibus cameris & è converso, quia per S. S., significatur B. C. D., quæ incessanter existerent in secunda & quarta camera, si bonitas, Charitas &c. essent possibiles, cum quibus S. ita haberet operari per cursum naturalem, sicut operatur cum B. C. D. & sic esset in privatione, & esset V. lividum, quod est contradictio, unde sequeretur in tertia camera, liberum arbitrium esse perfectionem, meritum, culpam, suppositionem & demonstationem nihil esse, etiam quinta & sexta camera nihil essent, neque A. in aliqua camera sua Justitiâ uteretur.

19. *Quæritur.* Utrum anima plùs debeat Deum diligere, eò quia operatur bonum, quàm quòd non operatur malum?

Solutio. [ST] [AA] [XX] [VV] [YZ]

In hac quæstione & in cameris ejus recolit F. solutionem ipsius quæstionis, G. intelligente per S. majoritatem ipsius E. in A, & per T. minoritatem, atque per X. X. intelligit, quòd S. plùs deberet diligere A., eò quia non operatur malum, quàm quia operatur bonum, si tamen A. bonum non operaretur in se ipso intelligendo, & diligendo semet ipsum, nam illud bonum, quod A. extra se operatur, non est ita magnum, sicut malum, quod non vult operari, sed quantum illud bonum, quod A. in se operatur, majus est, quàm malum, quod non vult operari, idcirco S. majorem habet perfectionem & meritum in V. livido per Y. contra V. Z. diligendo A., eò quia bonum operatur, quàm diligendo ipsum, eò quia malum non operatur.

20. *Quæritur.* Utrum peccatum sit creatura?

Solutio. [SV] [AV] [EAVY] [IVZ] [EVZ] [IAVY]

Quando F. in prima camera recolit secundam, tertiam, quartam, quintam & sextam cameram, tunc G. intelligit V. Z. non esse creaturas, nam S. creatura est, atque V. Y. creaturæ sunt in E. I., quæ in tertia & quarta camera sunt creaturæ, veruntamen quatenus perversa sunt, & deviata à triangulo rubeo, quorum perversitas est V. Z., quæ sunt opus & habitus ipsorum E. I.

21. *Quæritur.* Utrum in eodem tempore possint intelligi prædestinatio & liberum arbitrium?

Solutio. [SX] [AT] [EN]

Per secundam cameram significatur, quòd A. & majoritas concordantiam habent, creatura verò & minoritas, prout in ipsa camera significatur, & per hoc, quod A. T. denotant, significatur solutio hujus quæstionis in prima & tertia camera, nam per S. X. designatur A. habere majus opus prædestinando & judicando per liberum arbitrium, quàm E. intelligere possit, ideóque E. in eodem tempore sufficere nequit ad intelligendum totam cameram prædestinationis & liberi arbitrii, sed quando E. prædestinationem intelligit, tunc N. tanto tempore conservat liberum arbitrium per suppositionem, credentiam & objectum, quousque E. illud accipiat pro objecto derelinquens prædestinationem, & hoc idem sequitur de N. & prædestinatione.

22. *Quæritur.* Utrum propter memoratam, intellectam & dilectam veritatem commiscentur animæ potentiæ?

Solutio. [SY] [EY] [IZ] [MYZ] [ignis ignis] [aër aqua]

Prout in hac quæstione & cameris ejus denotatur F. recolente ipsam quæstionem & cameras, G. intelligit quatuor elementa commisceri, idcirco F. recolit Y. esse diversimodè objectum ipsi E., & Z. ipsi I., atque Y. Z. ipsis M. R. & hæc talis diversitas non esset, si potentiæ animæ commixtæ essent, & perderent formas suas, neque haberent formas nobiliores, quàm elementa habeant, quæ quidem elementa corruptibilia sunt, quia commiscentur.

23. *Quæritur.* Utrum anima, quæ est bonum, subjecta sit falsitati, quæ est malum?

Solutio. [SZ] [SY] [SV] [ignis terra] [aqua terra]

Recolente F. quartam & quintam cameram, G. intelligit, *quòd sicut siccitas est subjectum passivum, super quod fit transmutatio vini in acetum propter transmutationem caliditatis in frigiditatem*; ita E. I. N. sunt subjectum, in quo fit transmutatio ipsius Y. in Z. contra triangulum rubeum, existente differentiâ inter S. & B. C. D., & inter B. C. D. & E. I. N., quibus siquidem E. I. N. subjecta sunt B. C. D., sub quibus consistit S.

24. *Quæritur.* Utrum homo maximè creatus sit ad cognoscendum & diligendum opus intrinsecum vel extrinsecum ipsius A.?

Solutio. [TT] [AA] [SS] [YZ] [VV]

Camera prima significat, quomodo triangulus unus intrat in alium, quocirca intelligitur, quòd majoritas & nobilior triangulus rubeus significant in secunda camera hujus quæstionis solutionem per omnes cameras sequentes, quia C. D. habent nobilius & majus E. in cognoscendo & diligendo opus intrinsecum ipsius A., quàm extrinsecum, atque triangulus rubeus inde nobilior est in triangulo viridi, croceo & livido contra V. Z., atque ipsa C. D. majorem habent concordantiam cum V. Y., si opus intrinsecum ipsius A. sit finis eorum, ex quo siquidem opere influitur opus extrinsecum ejus, quod non influeretur, si homo creatus esset ad cognoscendum & diligendum se ipsum, qui est opus ipsius A., & qui in se ipso haberet totum triangulum rubeum, quod est impossibile, ergo &c.

25. *Quæritur.* Utrum vitia subjecta sint virtutibus?

Solutio. [TV] [EVY] [IVZ] [aqua terra] [ignis terra]

Cùm F. recolit, *quomodo per triangulum rubeum & per quintam cameram incipit vinum, quod dum acetosum efficitur, transit per quar-*

tam cameram, quæ est medium, per quod venit in quintam cameram, tunc G. intelligit, quòd sicut siccitas est medium patiens, in quo fit transmutatio calidi in frigidum, & frigidi in calidum, ita V.Z. subjecta sunt ipsis V.Y. ipsorum E.I., prout prima camera hîc denotat in secunda & tertia.

26. *Quæritur.* Utrum ens creatum sit per se stans, aut per principium aut per finem?

Solutio. [TX] [AS] [ignis ignis] [EAVY] [mediatè immediatè.]

Per T. recolit F., quòd esse concordantiam habet cum majoritate in fine, cum minoritate in principio & medio, quocirca G. intelligit S. esse existens per A., quod est ejus finis, prout significatur in quarta camera, atque per quintam cameram denotatur S. existere per principium, quod est A. & existit per se, prout per V.Y. significatur, & hoc idem sequitur de tertia camera.

27. *Quæritur.* Utrum Deus mutare possit finem, ad quem creavit creaturam?

Solutio. [TY] [AA] [EAY] [IAY]

Primò recolit F. secundam cameram, deinde primam, & G. intrat in tertiam & quartam cameram, in quibus intelligit solutionem hujus quæstionis, quia per A.A. recolit F. ipsum Y. in T., scilicet, quomodo A. in se habet bonitatem, sapientiam, perfectionem &c. & ideo finis, propter quem creatura creata est, immutabilis est, & ut tertia camera convenire possit cum fine, non tamen quarta, quæ si conveniret cum fine, tertia camera disconveniret cum secunda, quod est impossibile.

28. *Quæritur.* Utrum voluntas in eodem tempore diligere possit & odire?

Solutio. [TZ] [immediatè mediatè] [EIYZ] [potentia objectum]

Recolente F., quod E.I. habent differentiam & concordantiam absque contrarietate, quando E. movet I. contra Z., quod est contra Y., quod ipsum E. pro objecto accipit, G. intelligit hujus quæstionis solutionem; videlicet, quod per secundam & quartam cameram possunt esse E.I. in tertia camera per triangulum viridem & rubeum movente E. ipsum I. atque existente E. in habitu, quando I. habet Z. & è converso, ideóque D.H. mediatè habent unum objectum secundùm finem & principium trianguli rubei, non tamen secundùm medium, in quo habent concordantiam & diversitatem

29. *Quæritur.* Utrum quilibet intellectus sit cum altero idem numero?

Solutio. [VV] [SS] [AS] [ST] [YZ] [EAVY] [IVZ]

Camera prima significat in sexta & septima camera, quòd in secunda camera est triangulus viridis designatus per quartam & quintam cameram, alioquin sequeretur, quòd destructæ forent tertia & quinta camera, eò quia A. esset sine Justitia, neque in quinta camera esset diversitas & contrarietas, quod est impossibile, & ideo G. intelligit hanc solutionem, prout prædictum est.

30. *Quæritur.* Quod est medium existens inter potentiam & objectum?

Solutio. [VX] [EAVY] [IVZ] [ignis aër] [aër aqua] [aqua terra]

Per primam cameram significantur cæteræ cameræ convenientes, in quibus hujus quæstionis solutio manifestatur, verum quia per secundam & tertiam cameram denotantur E.V.Y. esse media, per quæ S. accipit A. pro objecto, atque I.V. rubeum, sunt etiam media, per quæ F.G.H. accipiunt Z. pro objecto. Per alias verò cameras significatur opus, quod est inter ignem & ignem, ignem & aërem &c., quod quidem opus est medium, quod est inter potentiam ignis & objectum scilicet suppositum, ad quod moventur elementa.

31. *Quæritur.* Quare Charitas sit virtus plus generalis, quàm Fides?

Solutio. [VY] [EAVY] [IVZ] [MAVYZ] [esse privatio]

In secunda camera habet E. majus esse, quàm M. in quarta, & I. habet concordantiam cum majoritate in tertia camera, M. verò, quod odit V.Z., cum minoritate convenit in quarta, sed quoniam majoritas cum esse & cum V.Y. habet concordantiam & minoritas cum V.Z., idcirco intelligit G. hanc solutionem secundùm majoritatem & minoritatem prædictam.

32. *Quæritur.* Utrum intellectus sit tantùm contrarius vitiis sicut voluntas?

Solutio. [VZ] [SS] [TT] [ignis aqua] [aër terra]

In quæstione & in cameris ejus significatur solutio, *quoniam sicut speculum in se significat individua vultuum, ita quæstio & cameræ per repræsentationem solutionem, & hæc regula non deficit in hac arte*, & hoc siquidem apparet in supradictis cameris, & in quæstione,

stione, scilicet quod F.G.H. æqualiter movent contra V.Z., per E., ut sicut in quarta & quinta camera per triangulum rubeum est æqualis contrarietas, ita B.C.D. in E., æqualiter existunt contra V.Z. per I. & per triangulum viridem & rubeum, alioquin secunda camera in tertia destrueretur.

33. *Quæritur.* Utrum Deus sit Ens infinitum in essentia & dignitatibus?

Solutio. [XX] [AA] [esse perfectio]

Tertia camera per primam significatur in secunda, in qua intelligit G. solutionem hujus quæstionis recolente F. ipsum T. in secunda camera, quia per T. lividum intelligit opus intrinsecum ipsius A., esse limitatum, si A. finitum esset in essentia & dignitatibus, atque intelligit per triangulum viridem multa A. esse posse, si tertia camera incideret in privationem, etiam per triangulum rubeum intelligit, quòd si A. ab infinitate privaretur, moveretur ejus finita intentio & odiret tertiam cameram, quæ convenit cum infinitate, & per triangulum croceum intelligit, quòd si A. finitum esset, majoritas esset propter minoritatem, non tamen propter infinitatem, contra quam minoritatem existit tertia camera, quæ convenit cum A., sed per triangulum nigrum intelligit A. non esse, nisi infinitas esset, quia sequeretur, quòd tertia camera concordantiam haberet cum minoritate contra majoritatem, atque esse contra se ipsum concordaret cum privatione & perfectio cum imperfectione, sed hoc est impossibile, ergo &c.

Probatum est infinitatem esse in A., & in dignitatibus ejus secundùm ea, quæ jam dicta sunt, *& hæc regula generalis est in tota arte, scilicet, quod ex quolibet triangulo potest fortificari & fieri demonstratio discurrentibus F.G. per cameras, quæ huic conveniunt solutioni.*

34. *Quæritur.* Utrum potentia suum actum moveat propter virtutem sui vel objecti?

Solutio. [XY] [AS] [EAVY] [IAVY]

Per X. significatur camera immediatè mediatè, & illa camera, quæ denotatur in quæstione, atque per Y. significatur, quod secundùm triangulum rubeum oportet objectum existere per Y. in ipso triangulo influentiæ in potentia, propter quod ipse habeat objectum illud secundùm secundam & tertiam cameram, & ideo G. intelligit, quòd de potentia oportet virtutem procedere, quæ moveat suum actum ad accipiendum suum objectum, alioquin esset inordinatio in secunda & tertia camera & ordinatio in quarta, quod est impossibile, & ideo significatur hujus quæstionis solutio in camera immediatè mediatè, prout jam dictum est.

35. *Quæritur.* Utrum potentia objectum accipiat intra se vel extra?

Solutio. [XZ] [ignis terra] [aër aqua] [EAVY] [IVZ]

Quæstionis hujus responsio significatur in prima camera, secundâ & tertiâ indicantibus *per metaphoram* quartam & quintam cameram & è converso. Nam ignis ad se siccitatem attrahit, quam recipit à terra, & eam ejicit extra se in aërem, quem calefacit, quæ quidem ejectio fit ab igne, eò quia aqua venit in ipsum ignem cum terra, in quantum ipsam terram infrigidat, ideóque opus intrà producitur & apparet extrà, hoc est in elementato. Et hoc idem sequitur de B.C.D. in E., & de F.G.H. in I., quia, quando E. est in A.V.Y., tunc existit intra B.C.D. per opus, atque existit extrà per A.V.Y., quæ non sunt B.C.D., & hoc idem sequitur de I., quod existit in V.Z., alioquin impossibile esset Z. esse in X. propter culpam, imperfectionem, privationem, & rationem, atque esset possibile potentiam & objectum & opus, intùs & extrà nihil esse, & sic mediatè & immediatè essent in privatione.

36. *Quæritur.* Utrum peccatum, cùm nihil sit, possit esse occasio alicujus?

Solutio. [YY] [SS] [EAVY] [EVZ] [ignis ignis]

Solutio hujus quæstionis significatur per ipsas cameras, quia tertia camera est finis ipsius S., non tamen quarta camera, imò potiùs contrariatur ejus fini, & propter hoc tertia camera habet concordantiam cum esse, quarta verò cum non esse, & quoniam ipsi quartæ cameræ subjicitur ipsum S., ideo peccatum est occasio alicujus rei, quamvis nihil sit, scilicet peccatum esse occasionem pœnæ & privationis finis ipsius S., quoniam sicut ignis simplex est occasio compositi, ita peccatum, quod nihil est, existit occasio pœnæ & privationis boni, quando existit in re, hoc est in S. existente in quarta camera, & veluti ignis existit occasio hominis, licèt ipse non sit homo, ita Y. existens in tertia camera est occasio ipsius esse,

esse, quamvis illud non sit ipsum ens, in quo est, atque Z., quod est in quarta camera, est occasio peccati & culpæ, licèt ipsum non sit peccatum neque culpa.

37. *Quæritur.* Quæ est plùs demonstrabilis aut veritas aut falsitas?

Solutio. [YZ][EAVY][IVZ][IAVY][XX]

Y. habet concordantiam cum esse & perfectione, Z. verò cum privatione & imperfectione primo X. ultimæ figuræ significante concordantiam primam in secunda & tertia camera, & significante ultimo X. ipsius figuræ ultimæ secundam concordantiam in quarta camera & in quinta, unde per hoc solvitur hæc quæstio in hac tali significatione.

38. *Quæritur.* Utrum voluntas odiens falsitatem sit ita propinqua veritati sicut falsitati?

Solutio. [ZZ][EY][IZ][XX]

X. Primum ultimæ cameræ significat potentiam, ultimum verò X. significat objectum, atque secunda camera significat, quòd H., quod odit Z., propinquius est ipsi Y., quàm ipsi Z., eò quia per D. movetur, sed quoniam E. oportet esse in habitu, quando H. odit Z., idcirco H. immediatè propinquius est ipsi Z., quàm ipsi Y., veruntamen mediatè est ipsum H. propinquius ipsi Y., quàm ipsi Z., prout dictum est, & ideo significatur, quomodo per triangulum viridem in prima camera, utrum E., quod est in secunda camera, distet de Z. tantùm, sicut I. propter ipsum E., & solutio hujus quæstionis existit in solutione prædictæ quæstionis, secundùm quod per prædictas cameras dictum est & significatum.

Expliciunt quæstiones, quæ solutæ sunt juxta litteram exponentem figuras & ostendentem, quomodo per cameras perscrutanda est solutio quæstionis.

INCIPIUNT

QUÆSTIONES PARTIS II.

Quæ tantummodo solvuntur per Figuras.

OMnes istæ quæstiones subsequentes per camerarum figuras solvuntur tantummodo, prout cameræ significant earum solutiones, & quia omnis quæstio suam præcedit solutionem, idcirco post quamlibet quæstionem sua sequitur solutio per cameras sibi debitè assignatas. Quicunque autem in cameris solutionem ignorabit percipere, recurrat ad ipsas cameras discurrente T. per eas secundùm *regulam*, quæ in præcedentibus quæstionibus data est, servando tamen doctrinam, secundùm quam T. discurrit per ipsas cameras, & sic servatâ regulâ & diligenter consecutâ, quod quæritur, plenariè invenietur. *Et hæc talis regula generalis est solutionibus omnium quæstionum, quæ sunt de A. S. T. V. X. T. Z. & de Principiis Theologiæ, Philosophiæ & Juris*, sed primò de A. dicendum est tanquam de nobiliori, deinde dicendum est de aliis consequenter.

De Quæstionibus de A. sive de Deo.

1. *Quæritur.* Utrum Deus est in se ipso?

Solutio. [Bonitas bonitas][esse perfectio][privatio imperfectio][TT][SVYZ]

2. *Quæritur.* Utrum divina bonitas & bonificare suum æqualem habeant magnitudinem?

Solutio. [Bonitas magnitudo][AA][SS][AT][potestas justitia][æternitas nobilitas]

3. *Quæritur.* Utrum bonitas potestatem habeat in æternitate?

Solutio. [Bonitas æternitas][AT][SV][esse perfectio][majoritas finis][Justitia largitas]

4. *Quæritur.* Utrum dignitates sint in Deo?

Solutio. [Bonitas potestas][AS][AT][VV][YZ][EAVY][IVZ]

5. *Quæritur.* Utrum divinæ dignitates sint una in altera absque differentia unius ab altera?

Solutio. [Bonitas sapientia][magnitudo potestas][esse perfectio][largitas nobilitas][SV][AT]

6. *Quæritur.* Utrum beati, qui sunt in gloria, diligant Deum æqualiter in essentia & opere suo?

Solutio. [Bonitas voluntas][AA][Charitas Justitia][majoritas æqualitas]

7. *Quæritur.* Utrum opus, quod Deus habet in se intrinsecè, sit essentiale vel accidentale?

Solutio. [Bonitas virtus][magnitudo æternitas][perfectio Justitia][majoritas minoritas][esse privatio][EA][IA][differentia contrarietas]

Quæ-

8. *Quæritur.* Utrum substantia dicatur in Deo propriè aut impropriè?

Solutio. [Bonitas veritas][AT][XX][essentia dignitates][actus forma]

9. *Quæritur.* Utrum in Deo sit gloria per bonificare, quod sit glorificare?

Solutio. [Bonitas gloria][AT][vita actus][magnitudo voluntas][Justitia nobilitas]

10. *Quæritur.* Utrum Deus sit demonstrabilis plùs per similitudinem, quàm per dissimilitudinem?

Solutio. [Bonitas perfectio][magnitudo nobilitas][EAVY][IVZ][ST][SS][XX]

11. *Quæritur.* Utrum in Deo possit esse relatio?

Solutio. [Bonitas Justitia][pietas perfectio][Deus operatio][dignitates actus][EA]

12. *Quæritur.* Quia Deus se intelligit & diligit, utrum idem sequitur tantum bonum, sicut est suum intelligere & diligere?

Solutio. [Bonitas largitas][magnitudo Justitia][pietas voluntas][esse perfectio]

13. *Quæritur.* Utrum bonitas & bonificare suum sint absque compositione?

Solutio. [Bonitas simplicitas][magnitudo æternitas][esse perfectio][actus relatio]

14. *Quæritur.* Utrum Deus sit demonstrabilis plùs per actus dignitatum, quàm per ipsas dignitates?

Solutio. [Bonitas nobilitas][AA][AT][AS][AX][XY]

15. *Quæritur.* Utrum Dei misericordia sit essentia aut potentia?

Solutio. [Bonitas misericordia][magnitudo æternitas][essentia actus][immediatè mediatè][esse privatio]

16. *Quæritur.* Utrum divinum Dominium sit æternum?

Solutio. [Bonitas dominium][AT][AV][dignitates relatio][ST]

De Magnitudine.

1. *Quæritur.* Utrum possibilitas & impossibilitas habeant in Deo æqualem magnitudinem?

Solutio. [magnitudo magnitudo][AA][æternitas perfectio][Justitia largitas]

2. *Quæritur.* Utrum divina magnitudo sit magis immensa propter æternitatem, quæ æternificet æternum bonum specificatum, quàm sine bono specificato æternaliter?

Solutio. [Magnitudo æternitas][potestas Justitia][sapientia voluntas][actus relatio]

3. *Quæritur.* Utrum magnitudo, quam Deus habet in intelligere, velle, glorificare, bonificare, possit esse immensa in velocitate?

Solutio. [Magnitudo potestas][æternitas gloria][voluntas Justitia][esse perfectio]

4. *Quæritur.* Utrum divina sapientia possit esse tam magna in se ipsa sine intrinseco opere specificativo, sicut est cum ipso opere specificativo?

Solutio. [Magnitudo sapientia][æternitas virtus][potestas voluntas][simplicitas nobilitas]

5. *Quæritur.* Utrum divina voluntas velit esse in bonitate, magnitudine, æternitate, sicut bonitas, magnitudo, æternitas sunt in ea?

Solutio. [Magnitudo voluntas][Justitia largitas][perfectio nobilitas][gloria simplicitas]

6. *Quæritur.* Utrum divina magnitudo tantam habeat virtutem in bonitate, æternitate, potestate &c. sicut in sapientia & voluntate?

Solutio. [Magnitudo virtus][potestas Justitia][gloria perfectio][voluntas largitas][simplicitas nobilitas]

7. *Quæritur.* Utrum in Deo possit esse aliquod opus, ex quo non sequatur contradictio, quod quidem opus possit esse contradictio humano intellectui?

Solutio. [Magnitudo veritas][AS][esse perfectio][prædestinatio liberum arbitrium]

8. *Quæritur.* Utrum sit Deus intelligibilis & amabilis plùs per opus intrinsecum, quàm extrinsecum?

Solutio. [Magnitudo gloria][æternitas perfectio][bonitas voluntas][sapientia Justitia]

9. *Quæritur.* Utrum Deus possit esse causa imperfectioni?

Solutio. [Magnitudo perfectio][pietas sapientia][voluntas Justitia][simplicitas nobilitas]

10. *Quæritur.* Utrum aliqua divina dignitas existens in altera sit limitata?

Solutio. [Magnitudo Justitia][æternitas potestas][voluntas perfectio][gloria largitas][simplicitas nobilitas][essentia actus][EA]

11. *Quæritur.* Utrum divina largitas possit impedire immensum & æternum donum?

Solutio. [Magnitudo largitas] [AA] [AT] [dignitates actus] [forma relatio]

12. *Quæritur.* Utrum simplicitas divina potest esse in tanta magnitudine absque simplificare, sicut cum simplificare?

Solutio. [Magnitudo simplicitas] [bonitas æternitas] [potestas gloria] [ignis ignis]

13. *Quæritur.* Quid sit Deus?

Solutio. [Magnitudo nobilitas] [AA] [essentia actus] [dignitates relatio] [esse perfectio] [vita forma]

14. *Quæritur.* Utrum sit magna culpa, ut Deus uti possit magnâ misericordiâ?

Solutio. [Magnitudo misericordia] [AV] [AZ] [EAVY] [IAVY] [esse perfectio] [privatio imperfectio] [immediatè mediatè] [actus relatio]

15. *Quæritur.* Utrum vitia & falsitas haberent in Deo majorem magnitudinem, si in eo essent, quàm in alio ente?

Solutio. [Magnitudo dominium] [ST] [EVZ] [IAVY] [MAVYZ] [RAVYZ] [ignis aqua] [ignis terra]

De Æternitate.

1. *QUæritur.* Utrum Deus & æternitas sunt idem ens?

Solutio. [Æternitas æternitas] [AA] [bonitas magnitudo] [potestas nobilitas] [voluntas Justitia] [EA] [esse perfectio]

2. *Quæritur.* Utrum divina potestas possit in æternitate possificare æquale & simile opus sibi ipsi & æternitati?

Solutio. [Æternitas potestas] [AT] [AY] [voluntas Justitia] [simplicitas nobilitas]

3. *Quæritur.* Utrum Deus sit æternaliter intelligibilis & intellectus realiter?

Solutio. [Æternitas sapientia] [AV] [actus relatio] [esse perfectio] [Justitia nobilitas]

4. *Quæritur.* Utrum Deus sit amabilis plùs per se, quàm per creaturam?

Solutio. [Æternitas voluntas] [bonitas magnitudo] [Justitia simplicitas] [AS]

5. *Quæritur.* Utrum divina virtus possit augmentari vel diminui operando, an non operando?

Solutio. [Æternitas virtus] [magnitudo potestas] [majoritas æqualitas] [AA] [dignitates actus] [actio relatio] [esse privatio] [majoritas minoritas]

6. *Quæritur.* Utrum divina sapientia oporteat habere ita intelligere in æternitate sicut in se ipsa?

Solutio. [Æternitas veritas] [voluntas Justitia] [simplicitas nobilitas]

7. *Quæritur.* Utrum æternificare & glorificare habeant in Deo concordantiam, sicut æternitas in gloria?

Solutio. [Æternitas gloria] [actus relatio] [esse perfectio] [magnitudo Justitia]

8. *Quæritur.* Utrum divina perfectio esset nequaquam imperfectio, priusquam mundus esset?

Solutio. [Æternitas perfectio] [AA] [AX] [EAVY] [IVZ]

9. *Quæritur.* Utrum divina Justitia damnatos conservat perpetuò, postea quam misericordia eis non parcit?

Solutio. [Æternitas Justitia] [EA] [IA] [mericum culpa] [nobilitas dominium]

10. *Quæritur.* Cùm Deus sit Deus, utrum velit esse Deus?

Solutio. [Æternitas largitas] [dignitates actus] [magnitudo voluntas] [AA]

11. *Quæritur.* Utrum in Deo oporteat ita perficere seu perfectionare sicut velle in æternitate?

Solutio. [Æternitas simplicitas] voluntas perfectio] [actus relatio] [Justitia nobilitas]

12. *Quæritur.* Utrum per multiplicationem infiniti numeri dignitatum possit in Deo nobilitas augmentari?

Solutio. [Æternitas nobilitas] [magnitudo largitas] [voluntas perfectio] [potestas sapientia] [EA]

13. *Quæritur.* Utrum divina misericordia habeat imperfectionem magnitudinis, eo quia mundus non est æternus?

Solutio. [Æternitas misericordia] [magnitudo perfectio] [AT] [AX] [dignitates actus]

14. *Quæritur.* Utrum divinum dominium sit immensum?

Solutio. [Æternitas dominium] [AT] [magnitudo Justitia] [simplicitas nobilitas]

De Potestate.

1. *QUæritur.* Utrum in divina natura sit esse concordantia & æqualitas?

Solutio. [Potestas potestas] [AA] [bonitas magnitudo] [æternitas perfectio] [esse privatio] [simplicitas nobilitas] [EA] [IAVY]

2. *Qua-*

2. *Quæritur.* Utrum divina sapientia tantam habeat potestatem in bonitate, magnitudine &c. sicut in intelligere?

Solutio. [Potestas sapientia] [voluntas Justitia] [bonitas magnitudo] [æternitas nobilitas]

3. *Quæritur.* Utrum divina voluntas potestatem habeat in infinire, cùm humana voluntas potestatem habeat in velle ad infiniri?

Solutio. [Potestas voluntas] [magnitudo æternitas] [dignitates actus] [forma relatio] [esse perfectio] [EA]

4. *Quæritur.* Utrum divina potestas, quæ possificat in se ipsa intelligendo, diligendo, possificando, & magnificando ejiciat extra se virtutem suam?

Solutio. [Potestas virtus] [AA] [AT] [magnitudo æternitas] [principium finis]

5. *Quæritur.* Utrum Deus aliquod ens possit facere, quod scit se non facturum esse?

Solutio. [Potestas veritas] [magnitudo Justitia] [actus relatio] [concordantia æqualitas] [EA] [IA]

6. *Quæritur.* Utrum divina potestas possit in se facere id, per quod habeat gloriam?

Solutio. [Potestas gloria] [bonitas magnitudo] [sapientia voluntas] [Justitia largitas] [actus relatio] [AS] [AZ]

7. *Quæritur.* Quare mirantur homines de mirabilibus Dei, posteaquam omnem potestatem habet?

Solutio. [Potestas perfectio] [NA] [RA] [EVZ] [IVY] [esse privatio] [ignis aër]

8. *Quæritur.* Utrum divina potestas tantam habeat perfectionem, quantam vult ejus voluntas?

Solutio. [Potestas Justitia] [magnitudo æternitas] [simplicitas nobilitas] [actus relatio]

9. *Quæritur.* Utrum divina potestas tantum largiri possit, sicut est ejus magnitudo?

Solutio. [Potestas largitas] [magnitudo æternitas] [simplicitas Justitia] [bonitas voluntas]

10. *Quæritur.* Utrum omnes actus divinarum dignitatum possint esse in qualibet dignitate?

Solutio. [Potestas simplicitas] [magnitudo æternitas] [AA] [EA] [IA] [majoritas minoritas]

11. *Quæritur.* Utrum divina potestas sit ita nobilis in possificare, sicut Dei sapientia in intelligere & voluntas ipsius in amare?

Solutio. [Potestas nobilitas] [bonitas perfectio] [magnitudo æternitas] [voluntas Justitia] [EA]

12. *Quæritur.* Utrum divina potestas possit tantum propter misericordiam, sicut propter æternitatem & magnitudinem?

Solutio. [Potestas misericordia] [AA] [AT] [AX] [actus relatio]

13. *Quæritur.* Utrum Deus possit esse Dominus, posito, quod posset peccare?

Solutio. [Potestas dominium] [AA] [voluntas Justitia] [esse privatio] [EA] [IA]

De Sapientia.

1. *QUæritur.* Utrum in Deo sit sapientia, ut intelligat, aut utrum intelligat, ut sit sapiens?

Solutio. [Sapientia sapientia] [AA] [magnitudo æternitas] [TT] [majoritas æqualitas] [Deus operatio] [XX] [actus prima intentio]

2. *Quæritur.* Utrum divina voluntas diligat id totum, quod scit divina sapientia?

Solutio. [Sapientia voluntas] [magnitudo æternitas] [bonitas Justitia] [CG] [DH]

3. *Quæritur.* Utrum Dei sapientia possit intelligere intelligentem & intellectum absque virtute specificativa?

Solutio. [Sapientia virtus] [bonitas magnitudo] [voluntas gloria] [perfectio Justitia] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua] [ignis terra] [CY] [HZ]

4. *Quæritur.* Utrum sit licitum dicere, quòd divina sapientia diligit, & quòd divina voluntas scit?

Solutio. [Sapientia veritas] [AY] [AZ] [AA] [actus relatio] [EAY] [IZ]

5. *Quæritur.* Utrum Deus sciat numerum infinitum?

Solutio. [Sapientia gloria] [AA] [AS] [AT] [dignitates actus] [forma relatio] [EA] [realitas ratio]

6. *Quæritur.* Utrum Dei sapientia majorem habeat perfectionem, cùm intelligit perfectionem suam, quàm cùm intelligat se intelligere plus, quàm aliquod aliud ens?

Solutio. [Sapientia perfectio] [bonitas magnitudo] [AT] [Deus majoritas] [AX] [esse privatio]

7. *Quæritur.* Utrum Deus diligat magnum actum sapientiæ, postquam diligit magnificum in sapientia?

Solutio. [Sapientia Justitia] [magnitudo voluntas] [largitas simplicitas] [EA] [MA] [RA]

8. *Quæritur.* Utrum divina sapientia intelligendo largificet per bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem, voluntatem &c.?

Solutio. [Sapientia largitas] [bonitas magnitudo] [æternitas potestas] [voluntas virtus] [AT] [Deus majoritas]

9. *Quæritur.* Quare compositio plùs distet à Deo, quàm ab angelo?

Solutio. [Sapientia simplicitas] [magnitudo æternitas] [actus relatio] [AS]

10. *Quæritur.* Utrum in Deo sit intentio sua?

Solutio. [Sapientia nobilitas] [magnitudo potestas] [voluntas Justitia] [dignitates relatio] [forma ordinatio] [actus actio]

11. *Quæritur.* Utrum divina misericordia parcere possit homini præscito?

Solutio. [Sapientia misericordia] [AX] [esse perfectio] [realitas ratio] [AT] [Deus majoritas] [creatura minoritas] [VV]] Spes Charitas] [AA] [magnitudo Justitia] [largitas nobilitas]

12. *Quæritur.* Utrum Deus possit esse Dominus, licèt virtutes & vitia in homine nihil essent?

Solutio. [Sapientia dominium] [AX] [esse privatio] [perfectio imperfectio] [immediatè mediatè] [actus relatio]

De Voluntate.

1. *QUæritur.* Utrum divina voluntas, quæ diligit & divina voluntas, quæ odit, sint idem?

Solutio. [Voluntas voluntas] [AA] [EY] [IZ] [Justitia misericordia]

2. *Quæritur.* Utrum divina voluntas majorem habeat virtutem in velle, quàm in nolle & è converso?

Solutio. [Voluntas virtus] [magnitudo æternitas] [Justitia nobilitas] [dignitates relatio] [EY] [IZ] [ignis ignis]

3. *Quæritur.* Utrum divina voluntas diligat, quod veritas verificet in hoc, quod à voluntate diligitur?

Solutio. [Voluntas veritas] [bonitas magnitudo] [Justitia largitas] [dignitates actus] [forma relatio]

4. *Quæritur.* Utrum divina voluntas habeat bonitatem specificatam in gloria sua propter velle, propter volens, & propter volitum?

Solutio. [Voluntas gloria] [magnitudo potestas] [Justitia nobilitas] [ignis ignis] [EA]

5. *Quæritur.* Utrum oporteat esse in Deo omne id, per quod creatura esset Deus?

Solutio. [Voluntas perfectio] [magnitudo æternitas] [potestas gloria] [bonitas Justitia] [veritas nobilitas]

6. *Quæritur.* Utrum omne, quod in Deo est, sit Deus?

Solutio. [Voluntas Justitia] [potestas sapientia] [forma ordinatio] [operatio æqualitas] [magnitudo æternitas] [largitas nobilitas]

7. *Quæritur.* Utrum divina voluntas se possit totam attribuere?

Solutio. [Voluntas largitas] [magnitudo potestas] [sapientia Justitia] [gloria perfectio] [simplicitas nobilitas]

8. *Quæritur.* Utrum forma actûs voluntatis Dei, qui actus est velle, idem sit cum forma voluntatis?

Solutio. [Voluntas simplicitas] [magnitudo æternitas] [Justitia simplicitas] [EA] [IA]

9. *Quæritur.* Utrum placeat divinæ voluntati, quod attribuatur ei omnis nobilitas?

Solutio. [Voluntas nobilitas] [magnitudo æternitas] [potestas Justitia] [EA] [IA]

10. *Quæritur.* Utrum Deus majus habeat placitum parcendo, quàm puniendo?

Solutio. [Voluntas misericordia] [AA] [SX] [realitas ratio] [YZ]

11. *Quæritur.* Utrum oportet Deum esse Dominum, esto, quòd malum non esset?

Solutio. [Voluntas dominium] [magnitudo nobilitas] [Justitia largitas] [præcepta prima intentio] [gloria ævum]

De Virtute.

1. *QUæritur.* Utrum Deus majorem habeat intellectum in diligendo se, quàm in diligendo creaturam?

Solutio. [Virtus virtus] [AT] [actus relatio] [prima intentio secunda intentio]

2. *Qua-*

2. *Quæritur.* Utrum justum sit divinam virtutem esse in veritate?

Solutio. [Virtus veritas] [magnitudo æternitas] [voluntas Justitia] [EA] [IA]

3. *Quæritur.* Quid est major virtus, quam creatura habere possit in gloria?

Solutio. [Virtus gloria] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [Deus creatura] [concordantia majoritas] [perfectio immediatè]

4. *Quæritur.* Utrum in divina perfectione sit virtus perfectiva?

Solutio. [Virtus perfectio] magnitudo æternitas] [voluntas Justitia] [potestas sapientia] [largitas nobilitas] [ignis ignis] [EA] [IA]

5. *Quæritur.* Utrum divina virtus possit esse immensa & æterna justificando in Justitia?

Solutio. [Virtus Justitia] [bonitas magnitudo] [potestas voluntas] [perfectio largitas] [sapientia simplicitas] [concordantia æqualitas]

6. *Quæritur.* Utrum divina virtus minorificet magnitudinem suam largificando de suâmet essentia per bonitatem, æternitatem &c.?

Solutio. [Virtus largitas] [magnitudo æternitas] [potestas simplicitas] [esse perfectio] [majoritas æqualitas] [ignis ignis]

7. *Quæritur.* Utrum divina virtus simplicitati contradicat habendo actum intrinsecum?

Solutio. [Virtus simplicitas] [magnitudo nobilitas] [bonitas æternitas] [potestas voluntas]

8. *Quæritur.* Utrum virtuti divinæ sit operari nobilitas aut vilitas?

Solutio. [Virtus nobilitas] [bonitas magnitudo] [potestas voluntas] [perfectio Justitia] [EA] [IZ] [esse privatio]

9. *Quæritur.* Utrum divina virtus existebat sine actu in misericordia, tunc quando mundus non erat, quia non habebat, cui parceret?

Solutio. [Virtus misericordia] [AT] [XX] [magnitudo æternitas] [actus relatio] [realitas ratio] [esse privatio]

10. *Quæritur.* Utrum in divino Dominio esset defectus virtutis, si Deus non intelligeret, neque justificaret?

Solutio. [Virtus dominium] [AX] [AS] [EAVY] [IVZ]

De Veritate.

1. *QUæritur.* Utrum per totam veritatem divinam, quæ est immensa, existat veritas creata, quæ terminata est?

Solutio. [Veritas veritas] [AA] [magnitudo sapientia] [voluntas Justitia] [AT] [Deus majoritas] [creatura minoritas] [differentia æqualitas] [AX] [dignitates actus] [forma relatio]

2. *Quæritur.* Utrum falsificare sit contra glorificare?

Solutio. [Veritas gloria] [AZ] [EVY] [IVZ] [EVZ] [IVY] [meritum culpa] [immediatè mediatè] [esse privatio]

3. *Quæritur.* Utrum perficere seu perfectionare contradicat verificare?

Solutio. [Veritas perfectio] [magnitudo æternitas] [Justitia simplicitas] [esse privatio]

4. *Quæritur.* Utrum divina Justitia plùs possit in se verificare, quàm creatura per injuriam in se possit falsificare?

Solutio. [Veritas Justitia] [magnitudo æternitas] [potestas voluntas] [AT]

5. *Quæritur.* Utrum divina largitas possit esse in tanta magnitudine voluntatis, sicut divina veritas in sapientia?

Solutio. [Veritas largitas] [AA] bonitas potestas] [gloria perfectio]

6. *Quæritur.* Utrum divina veritas verificando in bonitate, magnitudine, æternitate contradicat simplicitati cujuscunque dignitatis?

Solutio. [Veritas simplicitas] [AA] [magnitudo nobilitas] [SX] [realitas ratio] [YZ]

7. *Quæritur.* Utrum divina veritas sit magis nobilis verificando misericordiam, quàm Justitiam?

Solutio. [Veritas nobilitas] [Justitia misericordia] [magnitudo æqualitas] [AT]

8. *Quæritur.* Utrum Dei veritas verificet per misericordiam, quando divina Justitia aliquem punit peccatorem?

Solutio. [Veritas misericordia] [magnitudo æternitas] [Justitia voluntas] [AA]

9. *Quæritur.* Utrum divina veritas sit causa, ut sit dominium?

Solutio. [Veritas dominium] [AX] [Justitia perfectio] [esse privatio] [AS] [EA] [IZ]

De Gloria.

1. *QUæritur.* Utrum in Deo possit esse gloria in gloria absque distinctione essentiæ?

Solutio. [Gloria gloria] [magnitudo æternitas] [voluntas Justitia] [dignitates relatio] [majoritas æqualitas]

2. *Quæritur.* Utrum divina potestas possit in se glorificare & perficere seu perfectionare?

Solutio. [Gloria perfectio] [AT] [magnitudo æternitas] [actus relatio] [majoritas æqualitas] [concordantia finis]

3. *Quæritur.* Utrum in Deo sit tanta gloria per bonificare, magnificare, æternificare, glorificare &c. sicut per intelligere & amare?

Solutio. [Gloria Justitia] [concordantia æqualitas] [simplicitas nobilitas] [AA]

4. *Quæritur.* Utrum divina largitas largiri possit tantam gloriam, sicut est divina magnitudo?

Solutio. [Gloria largitas] [magnitudo æternitas] [voluntas simplicitas] [potestas Justitia]

5. *Quæritur.* Utrum glorificari in Deo contradicat simplicitati?

Solutio. [Gloria simplicitas] [voluntas Justitia] [perfectio nobilitas] [concordantia æqualitas]

6. *Quæritur.* Utrum Deus sit glorioſior per gloriari, quàm per nobilitare?

Solutio. [Gloria nobilitas] [AA] [dignitates actus] [forma relatio] [esse privatio]

7. *Quæritur.* Utrum inter gloriam & misericordiam Dei sit differentia?

Solutio. [Gloria misericordia] [actus relatio] [principium finis] [majoritas minoritas]

8. *Quæritur.* Utrum Deus majorem habeat gloriam, eò quia Deus est, quàm si Dominus non esset?

Solutio. [Gloria dominium] [AT] [AV] [AX] [actus relatio]

De Perfectione.

1. *QUæritur.* Utrum Deo sufficiat creare unum punctum solum, si ejus opus esset extrinsecum & non intrinsecum?

Solutio. [Perfectio perfectio] [dignitates relatio] [actus forma] [esse privatio]

2. *Quæritur.* Utrum id, quod est in perfectione Dei, sit in eo propter ejus indigentiam?

Solutio. [Perfectio Justitia] [AA] [magnitudo æternitas] [XX] [esse liberum arbitrium]

3. *Quæritur.* Utrum plus foret imperfectionis, quàm perfectionis, si Deus nihil esset?

Solutio. [Perfectio largitas] [AT] [essentia ens] [substantia accidens] [majoritas negatio] [minoritas affirmatio] [TX] [privatio impossibile]

4. *Quæritur.* Utrum oporteat in Deo esse omne id, quod operatur, sive facit in se?

Solutio. [Perfectio simplicitas] [magnitudo æternitas] [TT] [veritas essentia] [EA] [IA] [affirmatio negatio] [substantia accidens]

5. *Quæritur.* Utrum Dei potestas, cum qua sapientia intelligere potest, & potestas, cum qua voluntas velle potest, idem sint cum potestate, quæ est in Dei perfectione?

Solutio. [Perfectio nobilitas] [magnitudo æternitas] [voluntas Justitia] [gloria simplicitas]

6. *Quæritur.* Utrum divina misericordia ferat passionem, quando Justitia punit peccatorem?

Solutio. [Perfectio misericordia] [TT] [finis finis] [concordantia æqualitas] [EZ] [EA]

7. *Quæritur.* Quare oporteat Deum esse Dominum, posteaquam habet in se omnem perfectionem?

Solutio. [Perfectio dominium] [AT] [nobilitas finis] [prima intentio secunda intentio] [AX] [immediatè mediatè]

De Justitia.

1. *QUæritur.* Utrum divina Justitia sit ita magna in bonitate, magnitudine &c. sicut in se ipsa?

Solutio. [Justitia Justitia] [TT] [essentia essentia] [majoritas majoritas] [æqualitas æqualitas]

2. *Quæritur.* Utrum divina Justitia faciat potestatem largificare tantum, sicut magnitudo impendere potest?

Solutio. [Justitia largitas] [bonitas voluntas] [ignis ignis] [esse majoritas]

3. *Quæritur.* Utrum Justitia esset in Dei simplicitate, quando extra naturam suam simplificat, si non simplificaret in natura sua intrinseca?

Solutio. [Justitia simplicitas] [AA] [sapientia voluntas] [compositio minoritas]

4. *Quæritur.* Utrum divina Justitia justificare possit absque nobilitate id, quod justificat?

Solutio. [Justitia nobilitas] bonitas potestas] [actus relatio] [esse privatio]

5. *Quæritur.* Utrum oporteat esse magnum meritum & magnam culpam, ut Deus uti possit magnâ Justitiâ & magnâ misericordiâ?

Solutio. [Justitia misericordia] [AT] [magnitudo majoritas] [TV] [majoritas Charitas] [XX] [esse privatio]

6. *Quæritur.* Utrum Deus sit Dominus, ut utatur Justitiâ?

Solutio. [Justitia dominium] [AA] [magnitudo æternitas] [AT] [æternitas principium] [dignitates relatio]

De Largitate.

1. *QUæritur.* Utrum in Deo largitas & largificare habeant æqualitatem in magnitudine bonitatis, potestatis, æternitatis, sapientiæ & voluntatis?

Solutio. [Largitas largitas] [AA] [simplicitas nobilitas] [forma relatio] [TT] [veritas essentia] [substantia accidens]

2. *Quæritur.* Utrum divina largitas largificari possit de divina entitate & natura?

Solutio. [Largitas simplicitas] [AA] [potestas potestas] [AT] [veritas essentia] [AA] [esse perfectio]

3. *Quæritur.* Quæ sit major nobilitas divinæ largitati aut quòd de entitate sua largificet, aut de entitate creaturæ?

Solutio. [Largitas nobilitas] [AT] [actus majoritas] [principium finis]

4. *Quæritur.* Utrum Deus faciendo misericordiam largificet de se ipso?

Solutio. [Largitas misericordia] [EA] [AT] [Deus creatura] [veritas substantia]

5. *Quæritur.* Utrum in Deo largitas & dominium æqualem habeant relationem & actum?

Solutio. [Largitas dominium] [AA] [magnitudo æternitas] [TT] [creatura minoritas] [XX] [immediatè mediatè] [esse privatio]

De Simplicitate.

6. *QUæritur.* Utrum oporteat in Deo esse illam simplicitatem, per quam ipse plùs distet à compositione?

Solutio. [Simplicitas simplicitas] [magnitudo æternitas] [voluntas Justitia] [actus relatio] [esse privatio]

2. *Quæritur.* Sicut punctus propter majorem minoritatem est simplicior, utrum Deus propter majorem majoritatem sit simplicior?

Solutio. [Simplicitas nobilitas] [AT] [magnitudo ens] [minoritas non ens] [concordantia æqualitas] [voluntas Justitia]

3. *Quæritur.* Utrum Dei misericordia compolita sit ex relatione?

Solutio. [Simplicitas misericordia] [TT] [veritas essentia] [differentia contrarietas] [actus relatio] [realitas ratio]

4. *Quæritur.* Quod sit majus dominium, quod simplicitas habere possit super compositionem?

Solutio. [Simplicitas dominium] [dignitates actus] [magnitudo æternitas] [veritas substantia] [Deus creatura]

De Nobilitate.

1. *QUæritur.* Utrum omnis nobilitas, in qua nulla sit imperfectio aut vilitas, debeat Deo attribui?

Solutio. [nobilitas nobilitas] [voluntas Justitia] [potestas perfectio] [EA] [IZ]

2. *Quæritur.* Utrum nobiliorem actum, qui considerari possit, oporteat in Deo esse?

Solutio. [nobilitas misericordia] [magnitudo Justitia] [bonitas æternitas] [dignitates relatio] [AT] [Deus majoritas] [creatura minoritas]

3. *Quæritur.* Utrum honor deceat aliquem hominem non solùm causa honorandi Deum?

Solutio. [nobilitas dominium] [prima intentio secunda intentio] [immediatè mediatè]

De Misericordia.

1. *QUæritur.* Utrum divina misericordia tantum retribuat præmiando, quantum aufert divina Justitia puniendo?

Solutio. [Misericordia misericordia] [AT] [veritas essentia] [magnitudo æqualitas] [TX] [majoritas minoritas] [realitas ratio] [immediatè mediatè]

2. *Quæritur.* Utrum Dei misericordia & dominium sit in tanta magnitudine, sicut magnitudo potestatis sapientiæ & voluntatis Dei?

Solutio. [Misericordia dominium] [Justitia æternitas] [magnitudo perfectio] [EA]

De Dominio.

Quæritur. Utrum divinum dominium majorem habeat nobilitatem in justis, quàm in peccatoribus?

Solutio. [Dominium dominium] [simplicitas nobilitas] [actus relatio] [perfectio Justitia]

Incipiunt Quæstiones de Anima & primo de B.

1. *Quæritur.* Utrum sit anima?
Solutio. [BB] [AS] [ST] [SV] [SX] [SY] [SZ]
2. *Quæritur.* Utrum omnes animæ Christianæ sint ex una anima generali omnibus animabus?
Solutio. [BC] [SS] TV] [VV] [AS] [XX]
3. *Quæritur.* Utrum sit differentia inter animam & potestates ejus?
Solutio. [BD] [ST] [ignis ignis] [ignis aër] [EINR]
4. *Quæritur.* Utrum sit differentia inter memoriam & intellectum?
Solutio. [BE] [KL] [CD] [BC] [NR]
5. *Quæritur.* Utrum communis actus memoriæ, intellectûs & voluntatis sit compositus ex partibus artificialibus aut naturalibus?
Solutio. [BF] [EINR] [ignis ignis] [creatura operatio]
6. *Quæritur.* Utrum memoria voluntatem moveat ad volendum recolere virtualiter aut localiter?
Solutio. [BG] [SS] [XX] [VV] [ignis ignis] [ignis terra]
7. *Quæritur.* Utrum memoria voluntatem moveat, aut actum ipsius voluntatis?
Solutio. [BH] [ST] [XX] [actus relatio] [prima intentio secunda intentio]
8. *Quæritur.* Utrum anima ferat in se totam passionem, dum voluntas odit id, quod ipsa vellet diligere?
Solutio. [BI] [EN] [ignis ignis] [ignis aqua] [ignis terra] [ignis aër]
9. *Quæritur.* Utrum oblivisci sit diminutio memoriæ & utrum recolere sit augmentum ejus?
Solutio. [BK] [AS] [ST] [SV [XX]
10. *Quæritur.* Utrum intelligere augmentetur per multiplicationem accidentium aut partium eorum?
Solutio. [BL] [EN] [IR] [ST] [potentia objectum]
11. *Quæritur.* Utrum voluntas possit velle absque recolere?
Solutio. [BM] [EA] [NA] [majoritas minoritas] [meritum culpa]
12. *Quæritur.* Utrum memoria oblivisca-tur propter cessationem recolendi, aut propter diminutionem virtutis?
Solutio. [BN] [AA] [perfectio Justitia] [AX] [meritum culpa]
13. *Quæritur.* Utrum memoria in eodem tempore possit recolere & oblivisci?
Solutio. [BO] [RR] [EI] [KM] [TX] [differentia objectum]
14. *Quæritur.* Utrum in eodem tempore sint activæ & passivæ tres potentiæ animæ?
Solutio. [BP] [EINR] [XX] [ignis ignis] [aër terra]
15. *Quæritur.* Utrum anima possit habere æquale meritum vel æqualem culpam propter recolere, intelligere & diligere?
Solutio. [BQ] [EAVY] [IAVY] [NAVZ] [RAVY]
16. *Quæritur.* Utrum actus potentiis animæ uniantur vel dividantur per formas aut per partes?
Solutio. [BR] [ST] [XX] [ignis aër] [aqua terra]

De C.

1. *Quæritur.* Utrum intellectus agens & intelligens passibilis differant in essentia?
Solutio. [CC] [BF] [DH] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër]
2. *Quæritur.* Utrum intellectus se ipsum intelligat, dum intelligit voluntatem?
Solutio. [CD] [AS] [KM] [potentia objectum] [concordantia æqualitas]
3. *Quæritur.* Utrum intellectus intelligat priùs se ipsum, quàm speciem, quam accipit pro objecto?
Solutio. [CE] [SS] [DH] [BF] [CG] [ignis ignis] [forma relatio] [XX]
4. *Quæritur.* Utrum intellectus sit mobilis per transmutationem unius objecti in alterum?
Solutio. [CF] [AA] [ignis ignis] [ignis aqua]
5. *Quæritur.* Utrum Charitas tantùm ascendere possit per intellectum, sicut Fides per voluntatem?
Solutio. [CG] [EA] [NA] [SS] [SV]
6. *Quæritur.* Utrum virtus animæ diversificetur, priusquam sit in potentiis?
Solutio. [CH] [SS] [TT] [finis finis] [æqualitas æqualitas] [prima intentio secunda intentio]
7. *Quæritur.* Utrum intellectus priùs incipiat intelligere in intellectualibus, quàm in sensualibus?
Solutio. [CI] [EA] [ignis ignis] [ignis aqua] [immediatè mediatè]
8. *Quæritur.* Utrum sit gravius ad intelligendum entitatem substantiæ, quàm qualitatem & naturam substantiæ?
Solutio. [CK] [LM] [TT] [operatio majoritas] [creatura minoritas] [EX]
9. *Quæritur.* Utrum ignorare sit privatio intelligendi seu actus ignorantiæ?
Solutio. [CL] [esse privatio] [potentia actus] [majoritas actio]
10. *Quæritur.* Utrum anima rationalis sit ens aggregatum ex materia & forma?
Solutio. [CM] [SS] [AS] [SV] [XX] [YZ]
11. *Quæritur.* Quare memoria se plùs habeat ad passionem, quàm intellectus, & plùs intellectus, quàm voluntas?
Solutio. [CN] [SS] [MA] [EA] [XX] [liberum arbitrium meritum]
12. *Quæritur.* Utrum potentiæ animæ sint de ipsius animæ essentia, aut utrum sint qualitates ortæ ex virtute ejus?
Solutio. [CO] [SS] [VV] [ignis ignis] [ignis aqua] [aër terra] [AX]
13. *Quæritur.* Utrum actus potentiarum animæ oriantur in animæ essentia?
Solutio. [CP] [ST] [AS] [ignis ignis] [ignis aër] [SA]
14. *Quæritur.* Utrum intellectus actionem habeat in voluntate aut è converso, & utrum memoria subjecta sit illi actioni?
Solutio. [CQ] [ST] [forma materia] [prima intentio secunda intentio]
15. *Quæritur.* Utrum intellectus veraciùs accipiat speciem sensualem, quàm imaginativa?
Solutio. [CR] [ST] [AS] [VX] [YZ] [ignis ignis] [ignis terra]

De D.

1. *Quæritur.* Utrum voluntas & velle suum sint ejusdem naturæ?
Solutio. [DD] [AS] [VV] [YZ] [esse privatio] [meritum culpa]
2. *Quæritur.* Utrum in gloria actus voluntatis sint perfecti actibus memoriæ & intellectûs & è converso?
Solutio. [DE] [AS] [SX] [ignis ignis] [ignis aër]
3. *Quæritur.* Quare memoria, quæ recolit, quando voluntas odit, se habet plùs ad passionem, quàm cùm recolit, quando voluntas diligit?
Solutio. [DF] [principium finis] [motus forma] [majoritas minoritas]
4. *Quæritur.* Quare anima requiescit diligendo & laborat odiendo?
Solutio. [DG] [AS] [SS] [XX] [VV] [YZ] [ignis aër] [ignis aqua]
5. *Quæritur.* Quare liberum arbitrium meliùs conveniat cum voluntate diligente, quàm odiente?
Solutio. [DH] [AS] [VV] [YZ] [XX] [prima intentio secunda intentio]
6. *Quæritur.* Utrum anima passiva sit per virtutem & activa per potentias?
Solutio. [DI] [SV] [ST] [forma materia] [SS] [AA]
7. *Quæritur.* Utrum in potentiis animæ, aut in actibus earum sit actio & passio.
Solutio. [DK] [MAVY] [EAVY] [IVZ] [ignis ignis] [ignis terra]
8. *Quæritur.* Utrum in qualibet potentia animæ sit actio & passio?
Solutio. [DL] [EI] [MR] [SS] [VV] [YZ] [AS] [SX]
9. *Quæritur.* Utrum voluntas, quæ diligit id, quod intellectus intelligit, sit amabilior, quàm voluntas, quæ diligit id, quod non intelligit intellectus?
Solutio. [DM] [EAVY] [MAVY] [esse privatio] [majoritas minoritas]
10. *Quæritur.* Quare per magnum velle generatur dubitatio hujus, quod est in veritate memoratum, intellectum & dilectum?
Solutio. [DN] [SS] [esse privatio] [perfectio imperfectio] [RR] [BD] [BC]
11. *Quæritur.* Utrum in creatione animæ rationalis crearetur sensitiva potentia & influentia, quam de ea recipit vegetativa?
Solutio. [DO] [AS] [ST] [TX] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]
12. *Quæritur.* Utrum forma, quæ anima est corpori, distincta sit à forma, quam anima per se habet?
Solutio. [DP] [SS] [forma materia] [SV] [SX] [AS] [ignis aër]
13. *Quæritur.* Ex quo & in quo oriuntur actus potentiarum & unde generantur?
Solutio.

Solutio. [DQ] [SS] [VV] [YZ] [XX] [ignis ignis] [ignis aqua] [ignis aër] [ignis terra]

14. *Quæritur.* Utrum rationalitas aut rationari transeat per potentias, aut actus potentiarum transeant per rationem ratiocinando?.

Solutio. [DR] [EIN] [ignis ignis] [XX] [VV] [TT] [SS]

De E.

1. *QUæritur.* Utrum velle potest tantùm augeri per intelligere, sicut per recolere, & utrum recolere possit tantùm augeri per intelligere sicut per velle?

Solutio. [EE] [EAVY] [IVZ] [MAVYZ] [SS]

2. *Quæritur.* Utrum dubitatio propinquior sit cuidam potentiæ, quàm alteri?

Solutio. [EF] [GHI] [KLMN] [OPQR] [SS]

3. *Quæritur.* Utrum intellectus eodem tempore possit intelligere diversa objecta?

Solutio. [EG] [SS] [TT] [ignis ignis] [ignis terra] [NR]

4. *Quæritur.* Utrum in ratione sit aliquis sensus intellectualis communis memoriæ, intellectui & voluntati?

Solutio. [EH] [AS] [EAVY] [IAVY] [XX] [SS] [principium finis] [ST] [ignis ignis]

5. *Quæritur.* Utrum in phantasia sit sensus communis quinque particularibus potentiis sensitivæ potentiæ?

Solutio. [EI] [SS] [principium finis] [ignis ignis] [ignis aqua] [XX]

6. *Quæritur.* Utrum potentiæ passionem habeant alia in alia immediatè aut mediatè?

Solutio. [EK] [XX] [FF] [ignis ignis] [NR] [ignis terra] [ignis aqua]

7. *Quæritur.* Utrum intellectiva potentia extra corpus utatur imaginativâ & sensitivâ potentiâ?

Solutio. [EL] [AS] [XX] [VV] [ignis ignis] [ignis aqua]

8. *Quæritur.* Quod est plùs diligibile, aut anima, aut ejus potentiæ, sive actus ipsarum potentiarum?

Solutio. [EM] [AS] [AA] [SS] [TT] [ignis ignis] [ignis aër]

9. *Quæritur.* Utrum liberum arbitrium majorem habeat magnitudinem in velle per intelligere, quàm per ignorare.

Solutio. [EN] [EAVY] [IVZ] [MAVYZ] [XX]

10. *Quæritur.* Utrum aliqua pars actuum potentiarum possit esse extra ipsas?

Solutio. [EO] [SS] [ignis ignis] [aër aër] [aqua aqua] [terra terra]

11. *Quæritur.* Utrùm memorari, intelligere, velle sint ita propriè animæ, sicut quinque sensus sensitivæ potentiæ?

Solutio. [EP] [SS] [AS] [ST] [SX] [SY] [SZ] [ignis ignis] [ignis terra]

12. *Quæritur.* Utrum quatuor potentiæ vegetativæ potentiæ sint ita propriè sensitivæ potentiæ, sicut quinque potentiæ ipsum sensitivæ sint propriè rationali?

Solutio. [EQ] [SS] [relatio actio] [forma materia] [ignis ignis]

13. *Quæritur.* Utrum rationalis potentia influat virtutem suam absque medio in vegetativam potentiam?

Solutio. [ER] [SS] [ignis ignis] [ignis aqua] [VV]

De F.

1. *QUæritur.* Utrum virtus animæ existat in potentiis in quantitate continua seu discreta?

Solutio. [FF] [EINR] [AS] [SS] [ST] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër]

2. *Quæritur.* Utrum virtus animæ existat quantitas continua seu discreta in actibus potentiarum?

Solutio. [FG] [EINR] [majoritas minoritas] [VV] [YZ] [XX]

3. *Quæritur.* Utrum per imaginationem, operationem & extensionem diversificetur virtus memorativa, intellectiva & volitiva?

Solutio. [FH] [BD] [KM] [XX] [ignis aër] [aqua terra]

4. *Quæritur.* Utrum ex influentia rationalis & sensitivæ potentiæ procedant & nascantur quinque corporis potentiæ?

Solutio. [FI] [EY] [IZ] [ignis ignis] [SS]

5. *Quæritur.* Utrum sensitiva potentia influat in vegetativa & è converso?

Solutio. [FK] [ignis aqua] [EI] [XX]

6. *Quæritur.* Utrum sit motus in influentia, quam intellectiva potentia dat sensitivæ?

Solutio. [FL] [SS] [EAVY] [ignis ignis] [TT]

7. *Quæritur.* Utrum memoria propinquior sit animæ, quàm voluntati?

Solutio. [FM] [SS] [ST] [ignis ignis] [ignis aër]

8. *Quæritur.* Utrum memoria propinquior sit in natura intellectui, quàm actibus suis, scilicet intelligere & memorari?

Solutio. [FN] [SS] [SV] [SX] [SA] [SY] [SZ]

9. *Quæritur.* Utrum memoria sit ens per se stans, aut per animam, & utrum memorari existat per animam aut per memoriam?

Solutio. [FO] [EN] [IR] [AS] [SV] [AX]

10. *Quæritur.* Utrum virtus animæ subjecta sit potentiis aut actibus earum?

Solutio. [FP] [XX] [VV] [ignis ignis] [ignis aër]

11. *Quæritur.* Utrum anima sit passiva in actibus potentiarum & utrum potentiæ in ipsa virtute sint activæ?

Solutio. [FQ] [EINR] [TT] [VV] [XX]

12. *Quæritur.* Utrum potentiæ animæ sint activæ per formam & passivæ per materiam?

Solutio. [FR] [SS] [AS] [SA] [SV] [SY] [SZ]

De G.

1. *QUæritur.* Utrum actus intellectûs existat per totum ipsum intellectum?

Solutio. [GG] [majoritas minoritas] [potentia habitus] [EINR]

2. *Quæritur.* Utrum actus intellectûs existat per totam animam?

Solutio. [GH] [EINR] [AA] [majoritas æqualitas] [creatura minoritas] [differentia concordantia]

3. *Quæritur.* Utrum in humanitate sortis sint distinctæ substantiæ, anima & corpus?

Solutio. [GI] [AS] [majoritas minoritas] [actus relatio] [ignis ignis] [ignis aër]

4. *Quæritur.* Utrum actus intellectûs existat per totam memoriam?

Solutio. [GK] [NR] [MAVY] [ignis terra] [ignis aër] [XX]

5. *Quæritur.* Quomodo rationatur rationalis potentia?

Solutio. [GL] [EAVY] [IVZ] [SS] [ignis ignis] [ignis terra]

6. *Quæritur.* Quomodo imaginativa potentia habeat motum, quando imaginatur?

Solutio. [GM] [NE] [IR] [SS] [ignis ignis]

7. *Quæritur.* Quomodo sentit sensitiva potentia?

Solutio. [GN] [SS] [ignis ignis] [TT] [VV]

8. *Quæritur.* Quomodo vegetat vegetativa potentia?

Solutio. [GO] [RE] [IN] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]

9. *Quæritur.* Quomodo est motus in potentia motiva?

Solutio. [GP] [ignis ignis] [motus forma] [motus materia] [EA] [IZ]

10. *Quæritur.* Utrum in intellectu sit alteratio propter intelligere & ignorare?

Solutio. [GQ] [PR] [ignis ignis] [SS] [XX] [YZ] [VV] [AS]

11. *Quæritur.* Utrum in potentiis animæ sit tanta differentia, sicut in actibus earum?

Solutio. [GR] [SS] [ignis ignis] [ignis aër] [EINR] [EA] [IA] [TT] [XX]

De H.

1. *QUæritur.* Utrum voluntas odiri possit per se, aut utrum ejus diligere seu odire sit odibile?

Solutio. [HH] [SS] [EZ] [IV] [EY] [IZ] [XX]

2. *Quæritur.* Utrum Deus formet actus potentiarum, dum anima eis utitur?

Solutio. [HI] [ST] [SV] [SX] [ignis ignis] [ignis aër]

3. *Quæritur.* Utrum voluntas odire possit aliquod ens corporeum absque imaginatione?

Solutio. [HK] [EINR] [XX] [ignis ignis] [ignis terra]

4. *Quæritur.* Utrum in transmutatione, quæ fit in voluntate odiendo & diligendo fit transmutatio novarum formarum?

Solutio. [HL] [FG] [BC] [MD] [ignis ignis] [aër terra] [EIN]

5. *Quæritur.* Utrum post mortem fiat novarum formarum transmutatio in actibus potentiarum?

Solutio. [HM] [AS] [ST] [SV] [SX] [ignis aër]

6. *Quæritur.* Utrum sine materia possit fieri transmutatio ex forma diligendi in formam odiendi & è converso?

Solutio. [HN] [SS] [EINR] [VV] [ignis ignis] [ignis aër]

7. *Quæritur.* Utrum voluntas augens suum actum diligendo vel odiendo ducat eum per medium?

Solutio. [HO] [SS] [EAVY] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra]

8. *Quæritur.* Quare imaginativa nostra imaginatur antipodes cadere sursum?

Solutio. [HP] [ignis terra] [differentia contrarietas] [CC]

9. *Quæritur.* Utrum potentiæ animæ rationalis misceantur in virtute aut in essentia?

Solutio. [HQ] [SS] [ignis ignis] [ignis aqua] [EINR] [VV]

10. *Quæritur.* Utrum potentiæ animæ possint esse alia in alia?

Solutio. [HR] [BC] [DC] [MK] [SS] [ignis aër] [XX]

De I.

1. *QUæritur.* Utrum potentiæ, scilicet: naturalis sensitiva, vegetativa intrent mixtionem virtualiter seu essentialiter?

Solutio. [II] [EAVY] [MAVY] [ignis ignis] [creatura operatio]

2. *Quæritur.* Utrum potentiæ figurentur in anima, sicut oculi, palpebræ, supercilia, nasus & os figurantur in facie humana?

Solutio. [IK] [formâ demonstratio] [potentia objectum] [SS]

3. *Quæritur.* Quid propinquius est sensitivæ potentiæ aut imaginari aut intelligere?

Solutio. [IL] [esse esse] [majoritas minoritas] [immediatè mediatè] [SS]

4. *Quæritur.* Quare in una scientia diversæ sunt opiniones?

Solutio. [IM] [EY] [NY] [RYZ] [diversitas finis] [ST] [ignis ignis] [ignis aër]

5. *Quæritur.* Utrum anima & corpus sint in homine, aut utrum homo sit in corpore & in anima essentialiter aut localiter?

Solutio. [IN] [NI] [EAVY] [FG] [GF] [ignis ignis] [ignis aqua] [aqua ignis]

6. *Quæritur.* Utrum per humanitatem aut per locum anima sit in corpore aut è converso.

Solutio. [IO] [AA] [SS] [TT] [ignis aër] [ignis terra]

7. *Quæritur.* Utrum anima sit in esse humano sine loco, ita sicut qualitas in quantitate?

Solutio. [IP] [LC] [DA] [ignis aër] [aqua terra] [RR]

8. *Quæritur.* Utrum animæ diversificentur altera ab altera per numerum aut per materiam?

Solutio. [IQ] [EAVY] [EVZ] [MAVYZ] [XX] [ignis aër]

9. *Quæritur.* Utrum in rationali animali sit una forma substantialis aut plures?

Solutio. [IR] [SS] [AS] [ST] [XX] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]

De K.

1. *QUæritur.* Utrum objecta sint in phantasia repræsentabilia potentiis animæ ita distinctè per virtutes specificativas, sicut in camera per lumen & per visum corporalem?

Solutio. [KK] [AS] [SS] [VV] [XX] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum oblivisci & ignorare habeant differentiam & concordantiam?

Solutio. [KL] [MAVY] esse privatio] [E. ens] [N. non ens] [diversitas concordantia]

3. *Quæritur.* Quare anima fastidiatur recolere?

Solutio. [KM] [AS] [ST] [XX] [principium finis] [sensualis intellectualis] [immediatè mediatè]

4. *Quæritur.* Utrum anima rationalis crescat?

Solutio. [KN] [SS] [EAVY] [IVZ] [MAVY] [RR] [EIN] [ignis ignis]

5. *Quæritur.* Utrum omne, quod fit in potentiis animæ, fiat nascente & procedente virtute in opus, aut utrum fiat per influentiam virtutis in opus?

Solutio. [KO] [AS] [EAVY] [IN] [AY] [ignis ignis] [ignis aër]

6. *Quæritur.* Utrum anima diligere possit aliquod ens, quod ipsa non intelligit?

Solutio. [KP] [EA] [EZ] [MA] [SS] [SX] [majoritas minoritas] [esse perfectio] [voluntas Justitia] [DH]

7. *Quæritur.* Quomodo anima movet corpus?

Solutio. [KQ] [EAVY] [IVZ] [MAVYZ] [SA] [ignis aër]

8. *Quæritur.* Quomodo corpus movet animam?

Solutio. [KR] [E. ignis] [I. aqua] [SA]

De L.

1. *QUæritur.* Utrum formæ accidentales animæ sint tantummodo secundus actus rationalis, sensitivæ, vegetativæ potentiæ, aut utrum habeant primos actus & secundos?

Solutio. [LL] [AS] [SS] [ignis ignis] [VV] [XX]

2. *Quæritur.* Utrum anima in Deo possit tantum intelligere per affirmationem sicut per negationem?

Solutio. [LM] [EA] [IA] [SS] [ST]

3. *Quæritur.* Quare anima non intelligit in Deo tantum, sicut ignorat in eo, cùm intelligere ei assimiletur?

Solutio. [LN] [AS] [AT]

4. *Quæritur.* Utrum propter ignorare, oblivisci & odire possit esse privatio alicujus entis?

Solutio. [LO] [IE] [NR] [XX]

5. *Quæritur.* Utrum rationalis potentia generet imaginativam, aut suum imaginari attrahendo ad se sensitivam & vegetativam?

Solutio. [LP] [SS] [ST] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër]

6. *Quæritur.* Quomodo quædam anima alteram animam intelligat?

Solutio. [LQ] [SS] [AS] [SV] [SX] [TT] [ignis ignis] [ignis aqua]

7. *Quæritur.* Utrum anima existens in virtute & anima existens in vitio diversificentur per opus aut per naturam?

Solutio. [LR] [ST] [EAVY] [IAVY] [ignis ignis] [ignis aqua] [XX]

De M.

1. *QUæritur.* Utrum anima possit tantum diligere sicut odire?

Solutio. [MM] [ST] [E. majoritas] [I. minoritas] [EA] [IA] [affirmatio negatio]

2. *Quæritur.* Utrum primus actus animæ sit vita & secundus vivere?

Solutio. [MN] [SS] [EAVY] [IAVY] [MAVYZ] [ignis ignis]

3. *Quæritur.* Quomodo quædam anima loquatur cum altera?

Solutio. [MO] [EE] [EA] [ST] [SX] [ignis ignis] [ignis aqua]

4. *Quæritur.* Utrum intelligendo unâ animâ alteram, sit necessaria imaginatio?

Solutio. [MP] [SS] [AS] [EE] [creatura operatio] [ignis ignis]

5. *Quæritur.* Utrum anima majorem pœnam habeat odiendo, quàm intelligendo & recolendo?

Solutio. [MQ] [IAVY] [EAVY] [XX] [ignis aër] [ignis aqua]

6. *Quæritur.* Utrum voluntas fortis diligens sit intelligibilis, eò quia est voluntas, vel eò quia est diligens?

Solutio. [MR] [SS] [AS] [XX] [ignis ignis] [ignis aër]

De N.

1. *QUæritur.* Utrum anima oblivisci tur & ignorat, cùm sit immortalis.

Solutio. [NN] [EA] [EAVY] [IVZ] [MAVYZ] [ST] [ignis ignis] [ignis aqua]

2. *Quæritur.* Utrum anima sit in peccato aut è converso?

Solutio. [NO] [EA] [AE] [XX] [VV] [ignis ignis]

3. *Quæritur.* Utrum peccatum augeatur in anima absque quantitate?

Solutio. [NP] [EVZ] [IAVY] [MAVY] [ignis ignis] [ignis terra]

4. *Quæritur.* Utrum velle existat in potentia per voluntatem formaliter aut materialiter?

Solutio. [NQ] [SS] [SX] [ignis ignis] [ignis aër]

5. *Quæritur.* Utrum sensitiva potentia habeat propriam materiam in homine?

Solutio. [NR] [SS] [ST] [SV] [XX] [ignis ignis] [ignis terra]

De O.

1. *QUæritur.* Utrum anima sit in partibus essentialibus aut integralibus?

Solutio. [OO] [SS] [materia forma] [BCD] [EINR] [ignis aër]

2. *Quæritur.* Utrum anima majorem pœnam possit sustinere, quàm corpus?

Solutio. [OP] [IAVZ] [MAVY] [ignis ignis] [ignis aqua]

3. *Quæritur.* Utrum peccatrix anima, quæ est forma corpori, remaneat post mortem existendo in prima forma, quam anima per se habet, sicut in secunda forma habet anima sine corpore pœnam in gehenna?

Solutio. [OQ] [AS] [EVZ] [IAVY] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aqua]

4. *Quæritur.* Quare anima rationalis immortalis est, & non inveterascit?

Solutio. [OR] [AS] [SS] [AT] [SV] [SX] [ignis aqua]

De P.

1. *QUæritur.* Quomodo peccat anima?

Solutio. [PP] [OO] [QQ] [EINR] [EVZ] [IAVY] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua] [ignis terra] [prima intentio secunda intentio] [XX]

2. *Quæritur.* Quomodo cadit anima in tentationem?

Solutio. [PQ] [OR] [MYZ] [principium finis] [medium dubitatio] [XX]

3. *Quæritur.* Utrum recolere, intelligere & diligere sint formæ, ex quibus possit componi una forma?

Solutio. [PR] [EAVY] [ignis terra] [aër aqua]

De Q.

1. *QUæritur.* Utrum anima incipiat priùs diligere, quàm odire vel è converso?

Solutio. [QQ] [EA] [IA] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [EVZ]

2. *Quæritur.* Utrum anima plena sit in potentiis suis aut in essentia sua?

Solutio. [QR] [ST] [creatura operatio] [EAVY] [principium finis]

De R.

QUæritur. Utrum anima perficiatur cum quantitate objecti, dilecti, intellecti & memorati, aut cum quantiate virtutis suæ, aut potentiarum suarum vel actibus earum?

Solutio. [RR] [EAVY] [IVZ] [ignis aër] [ignis terra] ignis ignis]

Incipiunt Quæstiones Principiorum hujus Artis, & primò de Deo.

1. *QUæritur.* Utrum sit unus Deus bonus & alius malus?

Solutio. [Deus Deus] [bonitas magnitudo] [æternitas potestas] [AA] [AS] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum mundus sit æternus?

Solutio. [Deus creatura] [AT] [AS] [EAVY] [principium finis] [VV]

3. *Quæritur.* Quod est melius & nobilius opus, quod Deus facere possit?

Solutio. [Deus operatio] [AA] [esse perfectio] [dignitates actus] [forma relatio]

4. *Quæritur.* Utrum Dei dignitates aut ejus essentia agant in creatis?

Solutio. [Deus diversitas] [AA] [TT] [unitas essentia] [actus relatio] [EA]

5. *Quæritur.* Utrum contrarietas contradicere possit concordantiam in Deo esse?

Solutio. [Deus concordantia] [contrarietas minoritas] [creatura operatio] [voluntas Justitia]

6. *Quæritur.* Utrum Deus peccare possit?

Solutio. [Deus contrarietas] [AA] [magnitudo æternitas] [potestas Justitia] [voluntas virtus]

7. *Quæritur.* Utrum nobilior & major finis, quem Deus possit incipere, sit jam inceptus vel incipiendus?

Solutio. [Deus principium] [AA] [dignitates actus] [AS] [medium majoritas]

8. *Quæritur.* Utrum possit esse medium inter Deum & creaturam?

Solutio. [Deus medium] [magnitudo potestas] [voluntas Justitia] [finis majoritas] [EAVY]

9. *Quæritur.* Utrum Deus sit finis omnium finium per opus intrinsecum aut extrinsecum?

Solutio. [Deus finis] [AA] [AT] [ignis ignis] [EAVY] [IAVY]

10. *Quæritur.* Utrum nunc, quod est finitum propter minoritatem, significet nunc, quod est infinitum propter majoritatem?

Solutio. [Deus majoritas] [magnitudo æternitas] [dignitates actus] [tempus motus]

11. *Quæritur.* Utrum Deus per æqualitatem sit magis distans ab inæqualitate, quàm sine æqualitate?

Solutio. [Deus æqualitas] [dignitates actus] [creatura operatio] [esse perfectio]

12. *Quæritur.* Utrum Deus de entitate sua possit facere aliquam partem?

Solutio. [Deus minoritas] [magnitudo æternitas] [potestas Justitia] [EA] [IA]

13. *Quæritur.* Utrum per affirmationem, ut supponatur in Deo esse omnem perfectionem, sequatur aliqua imperfectio?

Solutio. [Deus affirmatio] [magnitudo potestas] [voluntas Justitia] [nobilitas perfectio]

14. *Quæritur.* Utrum propter dubitare Deum esse sequatur aliqua utilitas?

Solutio. [Deus dubitatio] [esse privatio] [magnitudo æternitas] [EVZ] [IAVY]

15. *Quæritur.* Utrum sit licitum negare omne, per quod in Deo esset minoritas?

Solutio. [Deus negatio] [magnitudo æternitas] [potestas Justitia] [esse majoritas] [privatio minoritas] [concordantia contrarietas]

De Creatura.

1. *QUæritur.* Utrum substantia sit, eò quòd accidentia in ipsa sint existentia?

Solutio.

Solutio. [Creatura creatura] [operatio diversitas] [dignitates actus] [EAVY] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Quod sit nobilius opus, quod creatura operari possit?

Solutio. [Creatura operatio] [EA] [IYZ] [EVZ] [IAVY] [ignis ignis] [ignis aër]

3. *Quæritur.* Utrum creatura sit ita ens, sicut locus, qui est, eò quòd contrariet collocatum?

Solutio. [Creatura diversitas] [AT] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua]

4. *Quæritur.* Utrum species sit creatura, vel si sit ita ens commune & actus suorum individuorum, sicut communis sensus est ens & actus particularium sensitivæ potentiæ?

Solutio. [Creatura concordantia] [esse majoritas] [EAVY] [ignis ignis]

5. *Quæritur.* Utrum possit major esse concordantia inter Deum & creaturam, quàm inter creaturam & creaturam?

Solutio. [Creatura contrarietas] [EVZ] [IAVY] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]

6. *Quæritur.* Utrum opus, per quod acquiritur meritum, sit creatura?

Solutio. [Creatura principium] [AT] [SS] [SV] [medium finis] [ignis ignis] [AS]

7. *Quæritur.* Utrum aliqua accidentia per aliquod medium possint esse creaturæ & opera creaturarum?

Solutio. [Creatura medium] [substantia accidens] [dignitates actus] [ignis ignis]

8. *Quæritur.* Utrum homo creatus sit ad opus divinum intrinsecum vel extrinsecum?

Solutio. [Creatura finis] [prima intentio secunda intentio] [AA] [majoritas minoritas]

9. *Quæritur.* Utrum Deus potuisset creasse mundum priùs, & in majori magnitudine, quàm creavit?

Solutio. [Creatura majoritas] [esse privatio] [opus finis] [ignis ignis] [EA] [AA] [dignitates actus] [potestas voluntas] [sapientia Justitia] [realitas ratio]

10. *Quæritur.* Utrum Deus creare posset creaturam infinitam?

Solutio. [Creatura æqualitas] [AA] [dignitates actus] [AT] [EA] [potestas Justitia] [magnitudo æternitas] [actus relatio]

11. *Quæritur.* Utrum Deus creare possit unam creaturam nobiliorem cæteris creaturis?

Solutio. [Creatura minoritas] [EIA] [NA] [EA] [potestas voluntas] [sapientia Justitia] [magnitudo nobilitas]

12. *Quæritur.* Utrum homo possit habere majorem scientiam per affirmationem vel negationem?

Solutio. [Creatura affirmatio] [EA] [IA] [prima intentio secunda intentio]

13. *Quæritur.* Utrum aliqua creatura possit esse extra se?

Solutio. [Creatura dubitatio] [NA] [IA] [EVZ] [ignis ignis] [ignis aër] [operatio finis] [AA] [EA]

14. *Quæritur.* Utrum falsa negativa sit creatura?

Solutio. [Creatura negatio] [AA] [voluntas Justitia] [EY] [prima intentio secunda intentio]

De Operatione.

1. *QUæritur.* Utrum accidentia sint in substantia aut è converso?

Solutio. [Operatio operatio] [creatura finis] [AT] [ignis ignis] [ignis aqua] [EAVY] [IAVY]

2. *Quæritur.* Utrum sit differentia inter hominem & substantiam?

Solutio. [Operatio differentia] [medium finis] [majoritas minoritas] [ignis ignis]

3. *Quæritur.* Utrum homo sit opus procedens per virtutem animæ & corporis, vel sit mixtio animæ & corporis?

Solutio. [Operatio concordantia] [AS] [SS] [differentia finis] [ignis ignis] [EAVY]

4. *Quæritur.* Utrum in opere naturali possit esse generatio absque contrarietate & compositione?

Solutio. [Operatio contrarietas] [AA] [AT] [EA] [ignis ignis] [ignis aqua] [motus firmamentum]

5. *Quæritur.* Utrum quodlibet elementum incipiat suum opus ex entitate sua priùs, quàm ex entitate alterius elementi?

Solutio. [Operatio principium] [medium finis] [ignis ignis] [AA] [EA]

Quæritur. Utrum artifex producat formam artificialem per suum opus, vel per processum virtutis procedentis per materiam & per formam naturalem?

Solutio. [Operatio medium] [differentia fi-

tia finis] [E. ignis] [creatura majoritas] [immediatè mediatè]

7. *Quæritur.* Quale opus habet nobiliorem finem, aut intrinsecum aut extrinsecum?

Solutio. [Operatio finis] [AA] [SS] [EA] [ignis ignis] [ignis aër]

8. *Quæritur.* Quod opus majus est aut creare aut resuscitare?

Solutio. [Operatio majoritas] [principium finis] [ignis ignis] [ignis aqua] [AA] [prima intentio secunda intentio] [SAVY] [IVZ] [EA]

9. *Quæritur.* Utrum opus existens totum æquale possit esse corruptibile?

Solutio. [Operatio æqualitas] [AA] [SS] [EA] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra]

10. *Quæritur.* Utrum opus naturale habeat in aliquo tempore finem?

Solutio. [Operatio majoritas] [AA] [prima intentio secunda intentio] [EA]

11. *Quæritur.* Utrum artifex facere possit aliquam partem essentialem, vel integralem, vel accidentalem?

Solutio. [Operatio affirmatio] [differentia negatio] [majoritas minoritas] [ignis aër] [SVY]

12. *Quæritur.* Utrum accidentia substantiæ sint partes operales procedentes de substantia per opus partium essentialium & integralium?

Solutio. [Operatio dubitatio] [Deus creatura] [finis majoritas] [EA] [IA]

13. *Quæritur.* Utrum opus sensuale priùs sit in intellectu, quàm in sensu?

Solutio. [Operatio negatio] [medium finis] [motus minoritas] [ignis ignis] [ignis aqua] [potentia objectum] [AA] [EA] [gloria ævum]

De Differentia.

1. *QUæritur.* Utrum per diversitatem substantiæ & accidentium sit differentia inter esse & essentiam?

Solutio. [Differentia differentia] [creatura operatio] [principium finis] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum differentia esse & essentiæ sit per differentiam substantiæ & accidentium?

Solutio. [Differentia concordantia] [medium finis] [forma materia] [esse privatio]

3. *Quæritur.* Utrum inter formam, quæ est in potentia, & formam, quæ est in actu, sit contrarietas.

Solutio. [Differentia contrarietas] [ignis ignis] [ignis aqua] [aqua aqua]

4. *Quæritur.* Utrum opus plùs possit diversificare per concordantiam, quàm per contrarietatem?

Solutio. [Differentia principium] [esse privatio] [majoritas minoritas]

5. *Quæritur.* Utrum appetitus naturalis major sit existentibus elementis inter se contrariis, aut concordantibus?

Solutio. [Differentia medium] [principium finis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]

6. *Quæritur.* Utrum perfectio substantiæ sit intra vel extra substantiam?

Solutio. [Differentia finis] [EA] [ignis ignis] [AA] [SS] [SV] [ignis aqua]

7. *Quæritur.* Utrum sit major differentia inter Deum & hominem, quàm inter Deum & lapidem?

Solutio. [Differentia majoritas] [esse privatio] [EA] [ignis ignis] [EZ] [AA]

8. *Quæritur.* Utrum in aliquo ente possit esse distinctio rerum æqualium in omnibus nobilitatibus?

Solutio. [Differentia æqualitas] [Deus operatio] [magnitudo potestas] [voluntas Justitia]

9. *Quæritur.* Utrum ex majori differentia possint procedere finis & concordantia majores?

Solutio. [Differentia minoritas] [ignis ignis] [ignis aqua] [AA] [EA] [IA]

10. *Quæritur.* Utrum elementa possint esse alia in aliis absque diversitate essentiæ?

Solutio. [Differentia affirmatio] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [AA] [SS] [EAVY]

11. *Quæritur.* Utrum dubitatio crearetur vehementiùs per diversitatem, quàm contrarietatem vel è converso?

Solutio. [Differentia dubitatio] [TX] [esse concordantia] [privatio contrarietas] [majoritas minoritas]

12. *Quæritur.* Utrum diversificetur entitas substantiæ ab entitate accidentium, eò quod diversæ sint à potentiis, quibus diversificetur virtus substantiæ?

Solutio. [Differentia negatio] [privatio minoritas] [esse affirmatio]

De

De Concordantia.

1. *QUæritur.* Utrum sint aliqua, in quibus sit concordantia absque contrarietate?

Solutio. [Concordantia concordantia] [AA] [EAVY] [IVZ] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum sit magis impossibile contrarietatem esse in ente, in quo sit concordantia, quàm è contrario?

Solutio. [Concordantia contrarietas] [AA] [ignis ignis] [SS] [VV] [esse perfectio]

3. *Quæritur.* Utrum sit justum majorem concordantiam esse in principio, quàm inter principium & principiatum?

Solutio. [Concordantia principium] [AA] [dignitates actus] [forma relatio] [ignis ignis] [ignis aër] [prima intentio secunda intentio]

4. *Quæritur.* Utrum Deus possit ita creare creaturam in se ipso, sicut creat accidentia in substantia?

Solutio. [Concordantia medium] [AT] [SS] [ignis ignis] [forma relatio] [EA]

5. *Quæritur.* Quæ est major concordantia, quam Deus facere possit?

Solutio. [Concordantia finis] [AA] [AS] [ignis ignis] [dignitates actus] [forma relatio]

6. *Quæritur.* Utrum sit major concordantia inter medium & finem, quàm inter principium & finem.

Solutio. [Concordantia majoritas] [AA] [ignis ignis] [ignis aqua] [medium majoritas] [differentia æqualitas]

7. *Quæritur.* Utrum in concordantia rerum æqualium possit esse contrarietas?

Solutio. [Concordantia æqualitas] [AA] [TT] [ignis ignis] [EA]

8. *Quæritur.* Utrum major concordantia sit inter formam & materiam, quàm inter substantiam & ejus accidentia?

Solutio. [Concordantia minoritas] [esse privatio] [ignis ignis] [prima intentio secunda intentio]

9. *Quæritur.* Utrum homo possit habere majorem concordantiam cum Deo per affirmationem, quàm per negationem?

Solutio. [Concordantia affirmatio] [AA] [prima intentio secunda intentio] [EA] [IA]

10. *Quæritur.* Quare dubitatio majorem habet concordantiam cum minoritate, quàm cum majoritate?

Solutio. [Concordantia dubitatio] [NAVY] [EAVY] [IVZ]

11. *Quæritur.* Quare negatio concordantiam habet cum privatione, & affirmatio cum esse?

Solutio. [Concordantia negatio] [A. esse] [majoritas affirmatio]

De Contrarietate.

1. *QUæritur.* Utrum substantia sit corruptibilis propter materiam, & materia propter accidentia?

Solutio. [Contrarietas contrarietas] [TT] [principium accidentia] [finis substantia] [esse privatio] [XX]

2. *Quæritur.* Utrum Deus possit dare principium alicui enti absque contrarietate?

Solutio. [Contrarietas principium] [AA] [TX] [VV] [ignis ignis]

3. *Quæritur.* Utrum contrarietas & concordantia concordare possint per aliquod medium?

Solutio. [Contrarietas medium] [TT] [ignis ignis] [ignis aqua] [EI]

4. *Quæritur.* Utrum elementa appetant esse species, quas componunt?

Solutio. [Contrarietas finis] [ignis ignis] [ignis aqua] [principium medium]

5. *Quæritur.* Utrum Deus consentiat majorem contrarietatem esse, quæ sit possibilis?

Solutio. [Contrarietas majoritas] [AA] [Deus concordantia] [dignitates actus] [forma relatio] [differentia affirmatio]

6. *Quæritur.* Utrum in contrarietate rerum æqualium possit esse concordantia?

Solutio. [Contrarietas æqualitas] [ignis aqua] [aër terra]

7. *Quæritur.* Quare minoritas habet concordantiam cum impossibili, majoritas cum possibili?

Solutio. [Contrarietas minoritas] [AA] [finis æqualitas] [ignis ignis] [dignitates actus] [differentia majoritas]

8. *Quæritur.* In quo affirmatio & negatio possunt esse magis contrariæ?

Solutio. [Contrarietas affirmatio] [EA] [IA] [majoritas concordantia]

9. *Quæritur.* Utrum dubitatio contrariatur fortiùs affirmationi, quàm negationi?

Solutio. [Contrarietas dubitatio] [TT] [NA] [EA] [prima intentio secunda intentio]

10. *Quæritur.* Utrum affirmatio contradicat vehementiùs negationi, quàm è converso?

Solutio. [Contrarietas negatio] [TT] [majoritas minoritas] [EI]

De Principio.

1. *Quæritur.* Utrum sit unum principium vel plura?
   Solutio. [Principium principium] [AA] [SS] [ignis aër] [EA] [IVZ]
2. *Quæritur.* Utrum natura priùs incipiat accidentia, quàm substantiam, ut illa sint instrumenta, cum quibus fiat forma & materia, è quibus producatur substantia?
   Solutio. [Principium medium] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua]
3. *Quæritur.* De quo facit natura accidentia, si non sint de entitate substantiæ?
   Solutio. [Principium finis] [medium minoritas] [TT] [esse privatio]
4. *Quæritur.* Utrum substantia majorem habeat propinquitatem principiis suis, quàm accidentibus suis?
   Solutio. [Principium majoritas] [medium finis] [differentia minoritas] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua] [forma materia]
5. *Quæritur. Utrum aliquod medium possit esse de rebus æqualibus?*
   Solutio. [Principium æqualitas] [AA] [EA] [ignis ignis] [ignis aër] [affirmatio negatio] [differentia concordantia] [contrarietas finis]
6. *Quæritur.* Utrum mundus principiatus sit ad suúmmet finem?
   Solutio. [Principium minoritas] [AT] [AA] [AS] [SA]
7. *Quæritur.* Utrum affirmatio sit principium negationis?
   Solutio. [Principium affirmatio] [EA VY] [IVZ] [prima intentio secunda intentio]
8. *Quæritur.* Utrum dubitatio incipiat intra se vel extra?
   Solutio. [Principium dubitatio] [NVZ] [EAVY] [IVZ] [ignis ignis]
9. *Quæritur.* Utrum principium substantiæ incipiat intra se vel extra substantiam?
   Solutio. [Principium negatio] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua] [majoritas affirmatio] [differentia concordantia]

De Medio.

1. *Quæritur.* Quod est nobilius medium, quod possit esse inter Deum & hominem?
   Solutio. [Medium medium] [AA] [magnitudo æternitas] [Deus creatura] [AT]
2. *Quæritur.* Utrum aliquod medium possit esse forma aliqua activa & passiva?
   Solutio. [Medium finis] [TT] [ignis ignis] [ignis aqua] [IVZ] [EAVY]
3. *Quæritur.* Utrum Deus possit facere medium in rebus infinitis?
   Solutio. [Medium majoritas] [magnitudo æternitas] [dignitates actus] [finis finis] [AA] [TT]
4. *Quæritur.* Utrum homo sit medium existens inter corpus & animam?
   Solutio. [Medium æqualitas] [concordantia finis] [ignis ignis] [ignis terra]
5. *Quæritur.* Utrum Deus possit facere medium existens inter infinitum & finitum?
   Solutio. [Medium minoritas] [AT] [AA] [Deus creatura] [potestas voluntas]
6. *Quæritur.* Per quod medium affirmatio & negatio possint melius concordare contra dubitationem?
   Solutio. [Medium affirmatio] [AA] [dignitates actus] [AT] [Deus creatura] [XX] [suppositio demonstratio]
7. *Quæritur.* Per quod medium dubitatio procedit ab esse & privatione?
   Solutio. [Medium dubitatio] [NAVYZ] [RAVYZ] [ignis aër]
8. *Quæritur.* Quare est Justitia in homine, cùm neget calorem non esse ex entitate ignis?
   Solutio. [Medium negatio] [differentia finis] [principium minoritas] [ignis ignis] [ignis aër] [AA] [concordantia æqualitas]

De Fine.

1. *Quæritur.* Utrum aliquis finis perfectus sit sine opere?
   Solutio. [Finis finis] [AA] [dignitates actus] [SS] [EIN] [ignis ignis]
2. *Quæritur.* Quis est perfectior finis, aut æqualitas, aut majoritas?
   Solutio. [Finis majoritas] [AA] [magnitudo æternitas] [voluntas Justitia] [SS] [EA] [ignis ignis] [ignis aër]
3. *Quæritur.* Utrum in aliquo ente primus actus & secundus possint esse æquales?
   Solutio. [Finis æqualitas] [AA] [dignitates actus] [forma relatio] [TT]

4. *Quæritur.* Quis actus major est aut primus aut secundus?
   Solutio. [Finis minoritas] [AA] [æqualitas concordantia] [EA] [majoritas affirmatio] differentia negatio] [ignis ignis]
5. *Quæritur.* Si ignis haberet lignorum sufficientiam, utrum posset ardere per totam quintam essentiam?
   Solutio. [Finis affirmatio] principium medium] [forma materia] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua] [contrarietas minoritas]
6. *Quæritur.* Utrum finalis causa, quare dubitatio est, sit suppositio verorum?
   Solutio. [Finis dubitatio] [suppositio demonstratio] [NAVYZ] [EAVY] [IVZ]
7. *Quæritur.* Utrum affirmatio sit causa finalis negationis?
   Solutio. [Finis negatio] [EAVY] [IVZ] [prima intentio secunda intentio]

De Majoritate.

1. *Quæritur.* Utrum majoritas possit esse absque minoritate?
   Solutio. [Majoritas majoritas] [AA] [magnitudo nobilitas] [concordantia æqualitas] [creatura minoritas] [differentia contrarietas]
2. *Quæritur.* Utrum per æqualitatem possit influi major virtus, quàm per majoritatem?
   Solutio. [Majoritas æqualitas] [magnitudo æternitas] [principium finis]
3. *Quæritur.* In quo ente possit esse major concordantia majoritatis & minoritatis?
   Solutio. [Majoritas minoritas] [AT] [EA] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aqua] [TT]
4. *Quæritur.* Quæ sit major affirmatio, quæ de Deo possit fieri?
   Solutio. [Majoritas affirmatio] [AA] [CA] [ignis ignis] [ignis terra] [dignitates actus]
5. *Quæritur.* De quibus potest esse major dubitatio?
   Solutio. [Majoritas dubitatio] [AS] [AA] [NA] [EA] [IA]
6. *Quæritur.* Quæ sit major negatio, quæ possit fieri?
   Solutio. [Majoritas negatio] [AA] [AT] [dignitates actus] [forma relatio]

De Æqualitate.

1. *Quæritur.* Utrum æqualitas & coæquare possint esse absque minoritate?
   Solutio. [Æqualitas æqualitas] [AA] [dignitates actus] [magnitudo æternitas]
2. *Quæritur.* Utrum punctus & peccatum æqualem habeant minoritatem?
   Solutio. [Æqualitas minoritas] [ignis ignis] [EVZ] [EIAVY] [contrarietas finis]
3. *Quæritur.* Utrum ex rebus veris possit fieri inæqualis affirmatio?
   Solutio. [Æqualitas affirmatio] [EY] [IZ] [MYZ] [prima intentio secunda intentio] [AA]
4. *Quæritur.* Utrum omnis dubitatio importet culpam?
   Solutio. [Æqualitas dubitatio] [EI NR] [prima intentio secunda intentio] [YZ]
5. *Quæritur.* Utrum æqualitas possit esse tanta per negationem, sicut per affirmationem?
   Solutio. [æqualitas negatio] [EI] [majoritas minoritas] [esse privatio]

De Minoritate.

1. *Quæritur.* Utrum nunc possit esse per minoritatem distinctum & indivisibile?
   Solutio. [Minoritas minoritas] [AA] [majoritas majoritas]
2. *Quæritur.* Utrum per sensualia possit fieri major affirmatio, quàm per intellectualia?
   Solutio. [Minoritas affirmatio] [EA VY] [MAVY] [ignis ignis] [ignis aqua]
3. *Quæritur.* Utrum minorem dubitationem oporteat esse de veris aut de falsis?
   Solutio. [Minoritas dubitatio] [EA VY] [IVZ] [majoritas minoritas]
4. *Quæritur.* Quare negatio minor sit affirmatione?
   Solutio. [Minoritas negatio] [EAVY] [IVZ] [majoritas minoritas]

De Affirmatione.

1. *Quæritur.* Quæ significat veriorem affirmationem, aut lætitia aut tristitia?
   Solutio. [Affirmatio affirmatio] [EA VY] [IVZ] [RVYZ]
2. *Quæritur.* Utrum affirmatio & dubitatio possint habere æqualitatem & concordantiam?
   Solutio. [Affirmatio dubitatio] [TT]

3. *Quæritur.* Quare affirmatio habeat concordantiam cum diligere & negatio cum odire?

Solutio. [Affirmatio negatio] [EI] [prima intentio secunda intentio] [YZ]

De Dubitatione.

1. *Quæritur.* In qua potentia animæ incipit priùs dubitatio?

Solutio. [Dubitatio dubitatio][KHM] [esse privatio] [TT]

2. *Quæritur.* Utrum dubitatio meliùs conveniat cum affirmatione, quàm cum negatione?

Solutio. [Dubitatio negatio] [NR] [EI] [majoritas minoritas]

De Negatione.

Quæritur. Utrum negatio esset, si peccatum nihil esset?

Solutio. [Negatio negatio] [EAY] [principium finis] [esse privatio]

Incipiunt Quæstiones De Virtutibus & Vitiis, & primò de Fide.

1. *Quæritur.* Utrum augmentatio sapientiæ & Charitatis sit contra magnitudinem Fidei?

Solutio. [Fides Fides] [bonitas magnitudo] [voluntas Justitia] [habitus actus] [NA] [EA]

2. *Quæritur.* Utrum divina sapientia influat tantum veritatis per Fidem, sicut divina Justitia per Spem?

Solutio. [Fides Spes] [NA] [EA] [IZ] [NY] [EY] [VV]

3. *Quæritur.* Quæ est magìs volita à divina voluntate, aut Fides aut Charitas?

Solutio. [Fides Charitas] [NAVY] [EAVY] [magnitudo Justitia] [veritas gloria]

4. *Quæritur.* Quæ magìs distet à privatione, aut Fides aut Justitia?

Solutio. [Fides Justitia] [NAVY] [EAVY] [IVZ] [differentia finis]

5. *Quæritur.* Utrum Deus sit plùs credibilis, quàm intelligibilis?

Solutio. [Fides prudentia] [NA] [EA] [magnitudo æternitas] [veritas perfectio] [majoritas minoritas] [prima intentio secunda intentio]

6. *Quæritur.* Utrum fortitudo sit fortior per scientiam, quàm per Fidem?

Solutio. [Fides fortitudo] [NA] [EA] [IZ] [majoritas finis]

7. *Quæritur.* Utrum Fides sit per acquisitionem, sive per infusionem?

Solutio. [Fides Temperantia] [KL] [MA] [sapientia veritas] [principium finis] [AB]

8. *Quæritur.* Quæ habet majus objectum in Deo, aut Fides aut Justitia aut prudentia?

Solutio. [Fides gula] [ignis ignis] [terra terra] [majoritas æqualitas]

9. *Quæritur.* Utrum forma Fidei existat in materia?

Solutio. [Fides luxuria] [ignis ignis] [VV] [immediatè mediatè] [substantia accidens]

10. *Quæritur.* Utrum Fides & avaritia majorem habeant contrarietatem in majoritate, quàm in minoritate?

Solutio. [Fides avaritia] [aqua terra] [esse privatio] [NZ] [IZ].

11. *Quæritur.* Utrum Fides magìs contraria sit superbiæ in humilitatis magnitudine, quàm in parvitate?

Solutio. [Fides superbia] [esse majoritas] [privatio minoritas] [AA] [AT] [TX]

12. *Quæritur.* Utrum major Fides sit magìs amabilis, quàm minor?

Solutio. [Fides acedia] [bonitas magnitudo] [voluntas Justitia] [sapientia veritas] [NAVY]

13. *Quæritur.* Utrum scientia possit augeri per magnitudinem Fidei vel per parvitatem?

Solutio. [Fides invidia] [suppositio demonstratio] [finis majoritas] [potentia objectum]

14. *Quæritur.* Utrum Fides major possit existere super intellectum, quàm super imaginationem?

Solutio. [Fides ira] [ignis aër] [ignis aqua] [diversitas finis] [principium medium]

De Spe.

1. *Quæritur.* Utrum Spes, quæ existit in majori Fide, possit esse major, quàm Spes, quæ in minori Fide existit?

Solutio. [Spes Spes] [magnitudo Justitia] [AA] [EAVY] [IVZ]

2. *Quæritur.* Utrum major desperatio possit

esse contra majorem Charitatem & è converso?

Solutio. [Spes Charitas] [bonitas magnitudo] [Justitia nobilitas] [esse privatio]

3. *Quæritur.* Utrum Spes & Justitia majorem habeant concordantiam per bonitatem & sapientiam divinam, quàm per bonitatem & justitiam divinam?

Solutio. [Spes Justitia] [AA] [NAVY] [EAVY] [IVZ]

4. *Quæritur.* Utrum virtutes se commisceant formaliter aut materialiter?

Solutio. [Spes prudentia] [AA] [SS] [ignis ignis] [differentia concordantia]

5. *Quæritur.* Quando quædam virtus est in actu, utrum cæteræ sint in potentia aut in habitu?

Solutio. [Spes fortitudo] [aër aër] [EI] [prima intentio secunda intentio]

6. *Quæritur.* Utrum quædam virtus possit esse in altera?

Solutio. [Spes temperantia] [AA] [aqua aqua] [aqua terra] [EAY] [IAZ] [VV] [AA]

7. *Quæritur.* Quare sunt virtutes & vitia?

Solutio. [Spes gula] [Deus creatura] [concordantia medium] [Justitia memoria] [EAVY] [IVZ] [prima intentio secunda intentio] [VV] [XX] [intelligentia immediatè] [SA]

8. *Quæritur.* Utrum virtutes & vitia se possint appropinquare, distrahere & commiscere?

Solutio. [Spes Luxuria] [EINR] [ignis ignis] [ignis aqua] [ignis terra] [ignis aër] [differentia contrarietas]

9. *Quæritur.* Utrum magnitudo Spei conveniat meliùs diviti, quàm pauperi?

Solutio. [Spes avaritia] [EA] [IVZ] [prima intentio secunda intentio] [medium finis]

10. *Quæritur.* Utrum Spes mortificet fortiùs superbiam cum majori humilitate, quàm cum minori?

Solutio. [Spes superbia] [majoritas esse] [minoritas privatio] [ignis aqua]

11. *Quæritur.* Quomodo se colligant & illaqueant virtutes aliæ in aliis?

Solutio. [Spes acedia] [EAVZ] [VZ] [NAVYZ] [RAVYZ] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [prima intentio secunda intentio] [immediatè mediatè]

12. *Quæritur.* Utrum quælibet virtus existat per cæteras virtutes?

Solutio. [Spes invidia] [ignis aër] [ignis terra] mixtio digestio] forma materia]

13. *Quæritur.* Quomodo virtutes & vitia sunt magìs contraria?

Solutio. [Spes ira] [AA] [AS] [AT] [AV] [AY] [AZ] [EAVY] [IAVY] [ignis aqua]

De Charitate.

1. *Quæritur.* Utrum habeatur major Charitas, sciendo id, quod Deus est, quàm sciendo id, quod Deus non est?

Solutio. [Charitas Charitas] [EA] [IA] [majoritas minoritas] [prima intentio secunda intentio]

2. *Quæritur.* Utrum homo debeat plùs Deum diligere, in quantum Deus plùs illi tribuit de prosperitatibus hujus mundi?

Solutio. [Charitas Justitia] [magnitudo æternitas] [bonitas perfectio] [EA] [IA] [immediatè mediatè] [prima intentio secunda intentio]

3. *Quæritur.* Utrum Charitas possit esse major per scientiam, quàm per credentiam?

Solutio. [Charitas prudentia] [Fides acedia] [EAVY] [NAVY]

4. *Quæritur.* Utrum fortitudo possit esse in Charitate augmentando se absque augmentatione Charitatis?

Solutio. [Charitas fortitudo] [Fides prudentia] [concordantia majoritas]

5. *Quæritur.* Utrum imaginatio possit esse major in temperantia, quàm in Charitate?

Solutio. [Charitas temperantia] [EA] [IA] [VV] [ignis aër] [ignis aqua]

6. *Quæritur.* Utrum objecta, quæ accipit anima, sint ejus complementum aut virtutes ejusdem?

Solutio. [Charitas gula] [EA] [EVY] [IVZ] [prima intentio secunda intentio]

7. *Quæritur.* Utrum luxuria priùs incipiat in potentia volitiva, imaginativa aut sensitiva?

Solutio. [Charitas luxuria] [finis majoritas] [SS] [SV] [EA] [ignis ignis]

8. *Quæritur.* Utrum Charitas & largitas majorem habeant concordantiam in magnitudine, quàm odium & avaritia?

Solutio. [Charitas avaritia] [AA] [EAVY] [IVZ] [terra terra]

9. *Quæritur.* Utrum Charitas & superbia formentur in eadem animæ potentia.

Solutio. [Charitas superbia] [SS] [EVY] [IVY] [AA] [Justitia misericordia]

10. *Quæritur.* Utrum Charitas & acedia majorem habeant contrarietatem in largitate, quàm in superbia?

Solutio. [Charitas acedia] [AA] [voluntas largitas] [æternitas Justitia]

11. *Quæritur.* Utrum Charitas contradicat invidiæ cum virtutis influentia vel cum actu?

Solutio. [Charitas invidia] [EAVY] [IVZ] [RVYZ] [ignis aër] [aër aër]

12. *Quæritur.* Utrum luxuria possit esse in potentia intellectiva absque sensitiva?

Solutio. [Charitas ira] [B D] [ignis aqua] [SV]

De Justitia.

1. *QUæritur.* Utrum sit injuria, omne quod est contra magnitudinem Justitiæ increatæ & creatæ?

Solutio. [Justitia Justitia] [bonitas magnitudo] [voluntas largitas] [avaritia acedia]

2. *Quæritur.* Utrum Justitia major esse possit per prudentiam, quàm per fidem?

Solutio. [Justitia prudentia] [EAVY] [IVZ] [MAVYZ]

3. *Quæritur.* Utrum Justitia majorem habeat concordantiam cum fortitudine per Charitatem, quàm per Spem?

Solutio. [Justitia fortitudo] [AA] [EA] [prima intentio secunda intentio]

4. *Quæritur.* Utrum in Justitiam, quæ est in actu, per temperantiam, quæ est in habitu, sit influentia aut actus?

Solutio. [Justitia temperantia] [EAVY] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aqua]

5. *Quæritur.* Utrum Justitia possit coæquare pœnam contra culpam cum jejuniis & eleemosynis?

Solutio. [Justitia gula] [EAVY] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aqua]

6. *Quæritur.* Utrum Justitia puniat luxuriam in forma aut in materia?

Solutio. [Justitia luxuria] [BCDE] [FGHI] [KLMN] [OPQR] [ignis aqua] [ignis ignis]

7. *Quæritur.* In quo ipsorum (BCD) debet Justitia plùs punire avaritiam?

Solutio. [Justitia avaritia] [EN] [liberum arbitrium culpa] [prima intentio secunda intentio]

8. *Quæritur.* Utrum memoria, intellectus & voluntas possint majorem habere concordantiam in Justitia, quàm in superbia?

Solutio. [Justitia superbia] [EA] [IA] [aër aër] [aër aqua] [aqua terra]

9. *Quæritur.* Quare plures homines sint in vitiis, quàm in virtutibus, cùm magnitudo major possit esse in virtutibus, quàm in vitiis?

Solutio. [Justitia acedia] [IA] [EVY] [ignis ignis] [dignitates actus]

10. *Quæritur.* Utrum virtutes sint propinquiores animæ, quàm substantiæ?

Solutio. [Justitia invidia] [EAVY] [IVZ] [ignis aër]

11. *Quæritur.* Utrum Justitia puniat culpam in actibus potentiarum, aut in potentiis, aut in substantia?

Solutio. [Justitia ira] [IAVY] [EVZ] [immediatè mediatè] [magnitudo misericordia]

De Prudentia.

1. *QUæritur.* Utrum prudentia sit de entitate actuum memoriæ, intellectûs & voluntatis?

Solutio. [Prudentia prudentia] [EAVY] [EVZ] [INR] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Quæ virtus agit in alteram, aut illa, quæ est in actu, aut illa, quæ est in habitu?

Solutio. [Prudentia fortitudo] [VV] [AT] [actus majoritas] [forma materia]

3. *Quæritur.* Utrum omnes virtutes possint esse in una, veluti accidentia generalia in substantia?

Solutio. [Prudentia temperantia] [actus habitus] [EIN] [ignis ignis] [gula ira]

4. *Quæritur.* Utrum prudentia habet primum actum & secundum?

Solutio. [Prudentia gula] [actus habitus] [EVY] [IVZ] [ignis aër]

5. *Quæritur.* Utrum prudentia possit esse per totum hominem?

Solutio. [Prudentia luxuria] [immediatè mediatè] [SS] [ignis aër]

6. *Quæritur.* Utrum virtutes & vitia convenire possint?

Solutio. [Prudentia avaritia] [TT] [ignis aqua] [aër terra]

7. *Quæritur.* Quare homo potest habere plùs Charitatis, quàm prudentiæ?

Solutio. [Prudentia superbia] [DM] [CGL] [majoritas minoritas]

8. *Quæritur.* Utrum Fides & prudentia per suppositionem & demonstrationem valeant convenire?

Solutio. [Prudentia acedia] [VV] [contrarietas concordantia] [XX]

9. *Qua-*

9. *Quæritur.* Quæ potest esse major, aut prudentia aut invidia?

Solutio. [Prudentia invidia] [EA] [IA] [ignis ignis] [ignis aqua]

10. *Quæritur.* Utrum prudentia sit tantùm necessaria magnæ iræ, sicut magno gaudio?

Solutio. [Prudentia ira] [Charitas fortitudo] [EI] [prima intentio secunda intentio]

De Fortitudine.

1. *QUæritur.* Utrum virtutes habeant augmentum vel detrimentum cum quantitate continua aut discreta?

Solutio. [Fortitudo fortitudo] [VV] [EVY] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aër]

2. *Quæritur.* Utrum virtutes augmentum suscipiant virtute oriente & procedente de substantia in opus?

Solutio. [Fortitudo temperantia] [AS] [EA] [IVZ] [ignis ignis] [VV]

3. *Quæritur.* Utrum fortitudo majorem habeat concordantiam cum Justitia per se, vel quia injuriæ contradicit?

Solutio. [Fortitudo gula] [actus habitus] [appetitus potentia] [XX] [ignis ignis] [ignis aër]

4. *Quæritur.* Utrum luxuria sit primus actus vel secundus entis declinantis ad nihilum?

Solutio. [Fortitudo luxuria] [Deus creatura] [esse privatio] [medium finis]

5. *Quæritur.* Utrum avaritia habeat primum actum & secundum realiter?

Solutio. [Fortitudo avaritia] [realitas ratio] [immediatè mediatè] [Deus creatura] [habitus actus] [esse privatio]

6. *Quæritur.* Utrum peccatum priùs incipiat in anima, quàm in corpore vel è converso?

Solutio. [Fortitudo superbia] [EAVY] [principium finis] [ignis ignis] [ignis aqua]

7. *Quæritur.* Quare in destructione unius virtutis destruuntur cæteræ?

Solutio. [Fortitudo acedia] [IA] [EVZ] [medium finis]

8. *Quæritur.* Utrum fortitudo possit esse major imaginando pericula, quàm mortificando iram?

Solutio. [Fortitudo invidia] [Spes Charitas] [EIN] [ignis ignis]

9. *Quæritur.* Quare fortitudo magis apta est magnitudini in majoritate iræ, quàm in minoritate?

Solutio. [Fortitudo ira] [AS] [meritum culpa] [Charitas Justitia] [ignis aqua]

De Temperantia.

1. *QUæritur.* Utrum primus actus & secundus temperantiæ differant in essentia?

Solutio. [Temperantia temperantia] [BF] [CG] [DH] [ignis ignis] [ignis aër]

2. *Quæritur.* Quare præcipitur fieri jejunium?

Solutio. [Temperantia gula] [EAVY] [IVZ] [ignis aqua]

3. *Quæritur.* Quomodo temperantia mortificat luxuriam?

Solutio. [Temperantia luxuria] [EAVY] [IVZ] [ignis aqua] [ignis aër]

4. *Quæritur.* Utrum temperantia per se contradicat fortiùs avaritiæ, quàm cum largitate?

Solutio. [Temperantia avaritia] [habitus actus] [immediatè mediatè] [ignis aqua] [ignis aër]

5. *Quæritur.* Utrum Deus sit ita magnus super abundantiam, sicut super superbiam, cùm temperantia & majoritas conveniant, superbia verò & minoritas?

Solutio. [Temperantia superbia] [AA] [magnitudo æternitas] [TV] [principium finis]

6. *Quæritur.* Utrum temperantia acediæ fortiùs contradicat cum Charitate, quàm cum Justitia?

Solutio. [Temperantia acedia] [Charitas Justitia] [prima intentio secunda intentio]

7. *Quæritur.* Utrum invidia majorem importet culpam in divite, quàm in paupere?

Solutio. [Temperantia invidia] [majoritas secunda intentio] [medium finis]

8. *Quæritur.* Quare ira plùs subitò eveniat, quàm temperantia?

Solutio. [Temperantia ira] [EAVY] [IVZ] [EVZ] [IAVY] [XX] [ignis ignis] [ignis aqua]

De Gula.

1. *QUæritur.* Utrum vitia inter se commisceantur?

Solutio. [Gula gula] [esse privatio] [forma materia] [potentia actus] [habitus actus]

2. *Quæritur.* Quomodo corpus peccare potest?

Solutio. [Gula luxuria] [ignis ignis] [ignis

[ignis aër] [ignis aqua] [secunda intentio finis]

3. *Quæritur.* Quod est majus peccatum, aut gula, aut avaritia?

Solutio. [Gula avaritia] [ignis terra] [ignis aër] [EVZ] [IAVY]

4. *Quæritur.* Utrum hypocrisis sit ita magnum peccatum per gulam, sicut per luxuriam?

Solutio. [Gula superbia] [EVZ] [IAVY] [contrarietas majoritas] [aër terra] [aër aqua]

5. *Quæritur.* Per quod peccatum potest homo tentari frequentiùs?

Solutio. [Gula acedia] [NR] [aqua terra] [aër terra]

6. *Quæritur.* Quare invidia majorem habeat concordantiam cùm superbia, quàm cum gula?

Solutio. [Gula invidia] [IAVY] [ignis terra] ignis aër]

7. *Quæritur.* Quare gula & ira majorem habeant concordantiam in famelico, quàm in saturo?

Solutio. [Gula ira] [ignis aër] [aër aqua]

De Luxuria.

1. *QUæritur.* In qno diversificatur unum peccatum ab altero, suppositò, quòd peccatum nihil sit?

Solutio. [Luxuria luxuria] [EINR] [creatura operatio] [ignis ignis] [ignis aër]

2. *Quæritur.* Utrum luxuria & avaritia possint per largitatem fortiùs contrariari, quàm concordari?

Solutio. [Luxuria avaritia] [prima intentio secunda intentio] [contrarietas finis]

3. *Quæritur.* Quare quædam vitia vehementiùs conveniunt intra animam, quàm alia?

Solutio. [Luxuria superbia] [VV] [SS] [XX] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua]

4. *Quæritur.* Quare eadem materia possit esse subjecta formæ luxuriæ, & formæ acediæ?

Solutio. [Luxuria acedia] [EINR] [ignis ignis] [aër terra]

5. *Quæritur.* Utrum luxuria & invidia possunt esse ejusdem operis?

Solutio. [Luxuria invidia] [EVZ] [IVY] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër]

6. *Quæritur.* Utrum vitia aliud objectum habeant, non solùm destructionem virtutum?

Solutio. [Luxuria ira] [esse privatio] [principium finis] [EAVY] [IAVY]

De Avaritia.

1. *QUæritur.* Utrum avaritia eodem tempore contradicat esse & privationi?

Solutio. [Avaritia avaritia] [AA] [VV] [culpa ævum]

2. *Quæritur.* Quæ fortiùs suo contrario contradicat, aut avaritia aut superbia?

Solutio. [Avaritia superbia] [AA] [magnitudo æternitas] [principium finis]

3. *Quæritur.* Quod peccatum est magis generale aut avaritia aut acedia?

Solutio. [Avaritia acedia] [bonitas largitas] [magnitudo æternitas]

4. *Quæritur.* Quæ contradicat fortiùs Spei, aut avaritia, aut invidia?

Solutio. [Avaritia invidia] [Justitia largitas] [Spes Charitas]

5. *Quæritur.* Utrum avaratia & ira majorem habeant concordantiam in divite, quàm in paupere?

Solutio. [Avaritia ira] [differentia contrarietas] [majoritas minoritas]

De Superbia.

1. *QUæritur.* Utrum Charitas plùs contradicit superbiæ, quàm humilitati?

Solutio. [Superbia superbia] [bonitas voluntas] [magnitudo æternitas] [misericordia dominium]

2. *Quæritur.* Utrum acedia plùs possit contradicere Charitati, quàm superbia humilitati?

Solutio. [Superbia acedia] [AA] [SV] [XX] [YZ]

3. *Quæritur.* Quare unum vitium potest esse sine altero & una virtus sine altera?

Solutio. [Superbia invidia] [potentia actus] [habitus actus] [esse privatio]

4. *Quæritur.* Utrum per patientiam possit esse meritum tantum, sicut per charitatem?

Solutio. [Superbia ira] [Charitas majoritas] [patientia minoritas] [EI]

De Acedia.

1. *QUæritur.* Utrum subjectum acediæ sit ens?

Solutio. [Acedia acedia] [VV] [IA] [EZ] [esse privatio] [principium finis]

2. *Quæritur.* Utrum vitium maneat in anima post mortem peccatoris?

Solutio. [Acedia invidia] [superbia ira] [differentia finis]

3. *Quæritur.* Utrum acedia possit existere sine ira?

Solutio. [Acedia ira] [IA] [bonitas magnitudo] [Justitia nobilitas]

De Invidia.

1. *QUæritur.* Quæ fortiùs producat pœnam, vel Justitia vel peccatum?

Solutio. [Invidia invidia] [IA] [Deus majoritas] [creatura minoritas]

2. *Quæritur.* Utrum anima in alio sæculo peccare possit?

Solutio. [Invidia ira] [principium medium] [differentia finis] [culpa ævum] [EVZ] [IVY]

De Ira.

QUæritur. Utrum homo iratus possit habere tantam patientiam, sicut homo lætus?

Solutio. [Ira ira] [EA] [IVZ] [VV] [prima intentio secunda intentio]

Incipiunt Quæstiones Prædestinationis.

1. *QUæritur.* Utrum prædestinatio conveniat meliùs divinæ sapientiæ, quàm divinæ Justitiæ & quàm cœteris dignitatibus Dei?

Solutio. [Prædestinatio prædestinatio] [AA] [veritas essentia] [concordantia æqualitas] [magnitudo æternitas]

2. *Quæritur.* Quid sit Deus?

Solutio. [Prædestinatio esse] [sapientia largitas] [concordantia æqualitas] [magnitudo æternitas] dignitates actus]

3. *Quæritur.* Utrum prædestinatio possit in Deo contradicere Justitiæ, potestati, largitati & voluntati?

Solutio. [Prædestinatio perfectio] [realitas ratio] [YZ] [EINR] [AA]

4. *Quæritur.* Utrum supponere liberum arbitrium esse, sit contra prædestinationem?

Solutio. [Prædestinatio meritum] [AA] [sapientia Justitia] [dignitates actus]

5. *Quæritur.* Utrum sapientia & Justitia æqualiter influant in prædestinatum & præscitum?

Solutio. [Prædestinatio suppositio] [AA] [esse perfectio] [AV] [ignis ignis]

6. *Quæritur.* Utrum forma divina possit in hoc mundo speculari?

Solutio. [Prædestinatio immediatè] [Justitia mediatè] [Deus operatio] [magnitudo æternitas] [dignitates actus]

7. *Quæritur.* Utrum potestas, quæ habet perficere id, quod scit sapientia, ostendat magnitudinem sapientiæ, & utrum sapientia ostendat magnitudinem in hoc, quòd scit liberum arbitrium esse?

Solutio. [Prædestinatio realitas] [voluntas Justitia] [dignitates relatio]

8. *Quæritur.* Utrum potentia intelligentiæ possit tantum intelligere, intelligendo liberum arbitrium, sicut intelligendo prædestinationem?

Solutio. [Prædestinatio potentia] [prima intentio secunda intentio] [AA]

9. *Quæritur.* Utrum prædestinatio & liberum arbitrium sint realiter?

Solutio. [Prædestinatio liberum arbitrium] [sapientia Justitia] [dignitates actus] [concordantia æqualitas]

10. *Quæritur.* Utrum divina potestas distet à coactione, sicut sapientia ab ignorantia?

Solutio. [Prædestinatio privatio] [esse perfectio] [AA] [aër aër]

11. *Quæritur.* Utrum Deus sit excellentior in magnitudine & nobilitate per essentiam, quàm causa essendi prima causa mundi?

Solutio. [Prædestinatio defectus] [AA] [AT] [ignis ignis] [ignis aër]

12. *Quæritur.* Utrum prædestinatus peccet, cùm se supponat damnari posse?

Solutio. [Prædestinatio culpa] [VY] [VZ] [EA] [Justitia meritum]

13. *Quæritur.* Utrum prædestinatio ostendat nihil esse realiter id, per quod Deus apparet coactus facere id, quod scit sapientia?

Solutio. [Prædestinatio demonstratio] [esse realitas] [ratio privatio]

14. *Quæritur.* Utrum prædestinatus damnari possit?

Solutio. [Prædestinatio mediatè] [potestas perfectio] [sapientia Justitia] [AA]

15. *Quæritur.* Quomodo realitas & ratio diversificentur in prædestinatione & libero arbitrio?

Solutio. [Prædestinatio ratio] [EA] [NA] [RA] [ignis ignis] [ignis aqua]

16. *Quæritur.* Quid est objectum magis habituatum, per quod in hoc mundo possit haberi cognitio de Deo?

Solutio.

Solutio. [Prædestinatio objectum] [dignitates actus] [AA] [AS] [AT] [AV] [XX] [YZ]

De Esse.

1. *Quæritur.* Utrum prædestinatio & libertas æqualem habeant entitatem & naturam in Deo?
Solutio. [Esse esse] [AA] [magnitudo æternitas] [dignitates relatio]
2. *Quæritur.* Utrum illa entitas sit divina, in qua ipsa scit non esse coactionem neque limitationem nobilitatis?
Solutio. [Esse perfectio] [AA] [ignis ignis] [ignis aqua] [immediatè realitas]
3. *Quæritur.* Utrum prædestinatio possit esse contra meritum?
Solutio. [Esse meritum] [prædestinatio liberum arbitrium] [sapientia Justitia] [ignis ignis]
4. *Quæritur.* Utrum suppositio majorem habeat concordantiam cum virtute, quàm cum falsitate?
Solutio. [Esse suppositio] [YZ] [finis majoritas] [demonstratio ratio]
5. *Quæritur.* Utrum differentia potestatis sit ita magna in posse id, quod non faciet, sicut in posse facere id, quod faciet?
Solutio. [Esse immediatè] [AA] [magnitudo æternitas] [dignitates actus]
6. *Quæritur.* Utrum in specie sit differentia inter esse & essentiam?
Solutio. [Esse realitas] [BCDE] [ignis ignis] [dignitates actus]
7. *Quæritur.* Quomodo potentia intellectiva potest meliùs invenire & judicare esse?
Solutio. [Esse potentia] [AA] [AS] [AT] [AV] [AX] [AY] [AZ] [ignis ignis] [ignis aër]
8. *Quæritur.* Utrum esse divinum sit libertas & necessitas, unde sequatur id, quod scit sapientia?
Solutio. [Esse liberum arbitrium] [magnitudo æternitas] [actus relatio] [ignis ignis]
9. *Quæritur.* Per quod medium possit plùs distare ens à privatione?
Solutio. [Esse privatio] [AA] [actus relatio] EA] [ignis ignis]
10. *Quæritur.* In quo esse & imperfectio possint inter se fortiùs adversari?
Solutio. [Esse defectus] [perfectio privatio] [AA] [ignis ignis]
11. *Quæritur.* Utrum peccatum sit intra vel extra potentias & actus animæ?
Solutio. [Esse culpa] [IAVY] [EVZ] [ignis aër] [ignis aqua]
12. *Quæritur.* Utrum possit fieri major demonstratio de majori & nobiliori esse, quàm de minori?
Solutio. [Esse demonstratio] [EAY] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]
13. *Quæritur.* Utrum privatio possit contradicere esse sicut è converso?
Solutio. [Esse mediatè] [AA] [EAVY] [EVZ] [ignis aër] [aqua terra]
14. *Quæritur.* Utrum aliquod ens majorem habeat realitatem per informationem, quàm per materiam?
Solutio. [Esse ratio] [AA] [dignitates relatio] [creatura operatio] [ignis ignis]
15. *Quæritur.* Quare mulier vellet esse vir & non è converso?
Solutio. [Esse objectum] [majoritas minoritas] [privatio imperfectio] [AA] [ignis ignis]

De Perfectione.

1. *Quæritur.* Utrum divinæ dignitates tantam habeant potestatem & nobilitatem, quòd homo possit super hoc, quod operantur potentiæ, intelligere esse contradictio?
Solutio. [Perfectio perfectio] [AA] [dignitates relatio] [potentia objectum] [prædestinatio liberum arbitrium] [majoritas minoritas] [realitas ratio]
2. *Quæritur.* Quod est majus meritum, quod potest esse?
Solutio. [Perfectio meritum] [EI] [IA] [ignis ignis] [ignis aqua]
3. *Quæritur.* Utrum sub suppositione demonstrari possit divina perfectio?
Solutio. [Perfectio suppositio] [NA] [EA] [AA] [actus relatio] [ignis ignis] [ignis aqua]
4. *Quæritur.* Utrum divina perfectio possit esse absque aliquo medio?
Solutio. [Perfectio immediatè] [AA] [magnitudo æternitas] [dignitates actus]
5. *Quæritur.* Quare numerus infinitus est contra perfectionem, cùm perfectio & infinitas concordantiam habeant?
Solutio. [Perfectio realitas] [AA] [EA] [ignis ignis] [ignis aqua]
6. *Quæritur.* Utrum potentia amittat objectum propter imperfectionem sui ipsius, vel actûs sui vel objecti?
Solutio. [Perfectio potentia] [immediatè mediatè] [meritum culpa] [principium finis]

7. *Quæri-*

7. *Quæritur.* Utrum prædestinatio libero arbitrio contradicat vel è converso?
Solutio. [Perfectio liberum arbitrium] [prædestinatio contrarietas] [AA] [EA]
8. *Quæritur.* Utrum imperfectio potiùs deveniat in privationem propter perfectionem, quàm è converso?
Solutio. [Perfectio privatio] [AA] [YZ] [ignis ignis] [ignis aqua] [ignis aër] [ignis terra]
9. *Quæritur.* Utrum major sit concordantia inter esse & perfectionem, quàm inter privationem & defectum?
Solutio. [Perfectio defectus] [esse privatio] [concordantia majoritas] [EY] [IZ] [ignis ignis] [ignis aqua]
10. *Quæritur.* Utrum realiter sit differentia inter peccatum & injuriam?
Solutio. [Perfectio culpa] [EVY] [IAVZ] [MAVYZ] [ignis aër] [ignis aqua] [VV]
11. *Quæritur.* Utrum divina perfectio sit demonstrabilis tota?
Solutio. [Perfectio demonstratio] [AA] [dignitates relatio] [actus forma] [ignis ignis] [EA]
12. *Quæritur.* Utrum divina voluntas culpam habeat, quia vult, quòd potestas omne id faciat, quod sapientia scit, quòd faciet, & quia non vult, quòd potestas faciat id, quod facere potest, cùm sapientia sciat, quòd non faciet illud?
Solutio. [Perfectio mediatè] [potestas sapientia] [magnitudo æternitas] [forma ordinatio]
13. *Quæritur.* Utrum ratio majorem habeat concordantiam cum perfectione, quàm imperfectione?
Solutio. [Perfectio ratio] [realitas privatio] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua] [YZ]
14. *Quæritur.* Quod est majus & nobilius objectum, quod in Deo possit habere homo?
Solutio. [Perfectio objectum] [AA] [dignitates actus] [forma ordinatio] [magnitudo æternitas] [Deus operatio]

De Merito.

1. *Quæritur.* Utrum propter bonitatem, magnitudinem, æternitatem Dei oporteat intelligere gratiam & libertatem, sicut propter sapientiam oporteat intelligere prædestinationem & necessitatem?
Solutio. [Meritum meritum] [Justitia simplicitas] [sapientia perfectio] [AA]
2. *Quæritur.* Utrum per demonstrationem possit esse totum meritum, sicut per suppositionem?
Solutio. [Meritum suppositio] [EA] [NN] [principium finis]
3. *Quæritur.* Utrum divina largitas absque medio largiatur?
Solutio. [Meritum immediatè] [AA] [ETA] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aqua]
4. *Quæritur.* Utrum meritum privari possit?
Solutio. [Meritum realitas] [prædestinatio liberum arbitrium] [sapientia Justitia]
5. *Quæritur.* Utrum motiva potentia moveatur?
Solutio. [Meritum potentia] [AS] [SV] [XX] [ignis ignis] [ignis aër] [principium finis]
6. *Quæritur.* Quomodo liberum arbitrium existat inter potentiam & actum ejus?
Solutio. [Meritum liberum arbitrium] [SS] [EINR] [ignis aqua] [aër terra] [medium finis]
7. *Quæritur.* Utrum meritum sit magis amabile, quàm pœna odibilis?
Solutio. [Meritum privatio] [EA] [IA] [ignis terra] [ignis aër] [medium finis]
8. *Quæritur.* Utrum meritum meliùs conveniat cum divina Justitia, quàm cum sapientia?
Solutio. [Meritum defectus] [realitas ratio] [AA] [ignis aqua] [ignis aër] [aër aqua]
9. *Quæritur.* Utrum meritum & culpa inter se obstare possint absque medio?
Solutio. [Meritum culpa] [EINR] [VV] [ignis ignis] [ignis aqua]
10. *Quæritur.* Utrum magnitudo largitatis divinæ contradicat merito?
Solutio. [Meritum demonstratio] [Deus creatura] [misericordia dominium]
11. *Quæritur.* Utrum meritum sit medium existens inter animam & ejus potentias, aut inter potentias & suos actus?
Solutio. [Meritum medium] [EAVY] [IA] [VV] [ignis aër] [aqua terra]
12. *Quæritur.* Utrum in ratione, quæ est contra realitatem, possit esse meritum?
Solutio. [Meritum ratio] [NAVY] [principium finis] [aër aqua] [aër terra]
13. *Quæritur.* Utrum falsitas subjectum haberet absque objecto?

Solutio. [Meritum objectum] [immediatè mediatè] [affirmatio negatio]

De Suppositione.

1. *Quæritur.* Utrum divinæ dignitates sint magis demonstrabiles, quàm suppositibiles? *Solutio.* [Suppositio suppositio] [A A] [Deus majoritas] [creatura minoritas]
2. *Quæritur.* Utrum inter Fidem & scientiam sit aliquod medium? *Solutio.* [Suppositio immediatè] [V X] [ignis ignis] [ignis aqua] [N E]
3. *Quæritur.* Utrum suppositio conveniat meliùs per intellectivam potentiam, quàm per sensitivam? *Solutio.* [Suppositio realitas] [E I N R] [Fides prudentia] [aër aër] [aër aqua]
4. *Quæritur.* Utrum sine suppositione potentia intellectiva possit dirigi in scientia ad inveniendum & judicandum? *Solutio.* [Suppositio potentia] [N E I Y Z] [ignis ignis] [ignis aër]
5. *Quæritur.* Utrum liberum arbitrium conveniat meliùs cum suppositione, quàm cum demonstratione? *Solutio.* [Suppositio liberum arbitrium] [N Y Z] [E Y] [I Z] [aër aër] [aër aqua]
6. *Quæritur.* Quare suppositio, quæ cum ignorantia convenit, contradicit fortiùs privationi, quàm contrario ipsius privationis, quod est esse? *Solutio.* [Suppositio privatio] [principium finis] [prima intentio secunda intentio] [Y Z]
7. *Quæritur.* Utrum propter suppositionem possit sequi plus perfectionis, quàm imperfectionis? *Solutio.* [Suppositio defectus] [A A] [dignitates relatio] [aqua terra]
8. *Quæritur.* Utrum fiat demonstratio dominii operis intrinsecè propter suppositionem, quòd Deus agat & non agat de necessitate in suo intrinseco opere prædicto? *Solutio.* [Suppositio culpa] [A A] [A S] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]
9. *Quæritur.* Utrum suppositio sit principium scientiæ aut credentiæ? *Solutio.* [Suppositio demonstratio] [V Y] [E Y] [I E] [Fides prudentia]
10. *Quæritur.* Utrum suppositio esset necessaria, si peccatum nihil esset? *Solutio.* [Suppositio mediatè] [meritum culpa] [E I N R] [A A] [Y Z]
11. *Quæritur.* Utrum sit creatura id, quòd per Z. existit in ratione? *Solutio.* [Suppositio ratio] [principium medium] [finis majoritas]
12. *Quæritur.* Quare homo plus terretur existere in siccitate terræ altissimæ, quàm infimæ? *Solutio.* [Suppositio objectum] [N E] [esse privatio] [majoritas minoritas] [ignis aër] [ignis aqua]

De Immediatè.

1. *Quæritur.* Utrum inter oblivisci & ignorare sit medium? *Solutio.* [Immediatè immediatè] [B C] [A A] [ignis ignis]
2. *Quæritur.* Utrum æternitas & misericordia sint realiter absque medio? *Solutio.* [Immediatè realitas] [A A] [A T] [aër aqua] [aër terra]
3. *Quæritur.* Utrum potentia sensitiva sit activa per formam in quinque sensualibus & passiva per materiam? *Solutio.* [Immediatè potentia] [S S] [esse privatio] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër]
4. *Quæritur.* Quod est objectum absque medio liberi arbitrii? *Solutio.* [Immediatè liberum arbitrium] [meritum culpa] [medium finis] [prima intentio secunda intentio]
5. *Quæritur.* Quare homo vivus majorem terribilitatem habeat de homine mortuo, quàm de alio animali mortuo? *Solutio.* [Immediatè privatio] [esse perfectio] [ignis ignis] [ignis aër]
6. *Quæritur.* Utrum inter perfectionem & imperfectionem possit esse medium? *Solutio.* [Immediatè defectus] [privatio esse] [Deus creatura] [A A] [ignis ignis]
7. *Quæritur.* Utrum à condemnatis in inferno videatur Deus immediatè? *Solutio.* [Immediatè culpa] [I A] [E V Z] [ignis aqua] [ignis terra]
8. *Quæritur.* Utrum demonstratio meliùs conveniat per formam, quàm per materiam? *Solutio.* [Immediatè demonstratio] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]
9. *Quæritur.* Utrum divina bonitas bonificat in homine justo, priusquam natus esset, cùm divina sapientia eum sciret, & divina voluntas eum diligeret? *Solutio.* [Immediatè mediatè] [dignitates relatio] [A A] [simplicitas nobilitas]
10. *Quæritur.* Utrum inter salvationem & damnationem sit medium? *Solutio.* [Immediatè ratio] [liberum arbitrium] [V V] [E I N R]
11. *Quæritur.* Quis quinque sensuum potentiæ sensitivæ conveniat meliùs cum suo objecto? *Solutio.* [Immediatè objectum] [principium medium] [finis majoritas] [ignis ignis] [ignis aër]

De Realitate.

1. *Quæritur.* Utrum Deus quicquam facere possit, quod non sit contradictio, licèt in eo videatur contradictio secundùm potentiam intellectivam? *Solutio.* [Realitas realitas] [ratio minoritas] [A A] [actus relatio] [ignis ignis] [ignis aqua]
2. *Quæritur.* Utrum quinque sensus tantam habeant realitatem per sensitivam potentiam, sicut per intellectivam? *Solutio.* [Realitas potentia] [immediatè mediatè] [majoritas minoritas] [aqua aqua] [aqua terra]
3. *Quæritur.* Utrum liberum arbitrium sit creatum intentione salvationis, an intentione damnationis? *Solutio.* [Realitas liberum arbitrium] [A T] [E A V Y] [I V Z] [aër aër] [aër aqua]
4. *Quæritur.* Utrum realitas & privatio convenire possint? *Solutio.* [Realitas privatio] [liberum arbitrium ratio] [Y Z] [ignis aqua]
5. *Quæritur.* Utrum imperfectio aliquam realitatem habeat substantialem? *Solutio.* [Realitas defectus] [principium medium] [finis perfectio] [ignis ignis] [ignis aqua]
6. *Quæritur.* Utrum culpa existat in ratione aut in realitate? *Solutio.* [Realitas culpa] [E V Z] [I A V Y] [ratio objectum] [esse privatio]
7. *Quæritur.* Utrum ex majori realitate possit major demonstratio exhiberi? *Solutio.* [Realitas demonstratio] [A A] [dignitates actus] [relatio ordinatio]
8. *Quæritur.* Utrum realitas lapidis existat nobilior in potentia intellectiva, quàm in ipso lapide? *Solutio.* [Realitas mediatè] [principium finis] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]
9. *Quæritur.* Utrum id, quod Deus facit, existat realiter in potentia intellectiva, & utrum id, quod Deus potest facere & non faciet, sit tantùm in ratione? *Solutio.* [Realitas ratio] [A A] [esse privatio] [perfectio defectus] [principium finis]
10. *Quæritur.* Utrum in universali sit minus realitatis, quàm in particulari? *Solutio.* [Realitas objectum] [immediatè mediatè] [principium finis] [esse privatio] [forma materia] [ignis ignis] [ignis aqua] [aër terra] [E A V Y]

De Potentia.

1. *Quæritur.* Utrum secundus actus potentiæ attrahatur per formam procedens per materiam? *Solutio.* [Potentia potentia] [A A] [S S] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër]
2. *Quæritur.* Quare potentia tantummodo cum objecto possit inferre carnale desiderium? *Solutio.* [Potentia liberum arbitrium] [E A V Y] [I A V Z] [meritum culpa] [A A]
3. *Quæritur.* Utrum potentia suos actus moveat ad objectum per accidentia, vel ipsa potentia moveatur per ipsa? *Solutio.* [Potentia privatio] [meritum culpa] [ignis ignis] [ignis aqua] [forma materia]
4. *Quæritur.* Utrum accidentia potentiam moveant ad objectum vel è converso? *Solutio.* [Potentia defectus] [perfectio liberum arbitrium] [E A V Y] [aër aër] [aër aqua]
5. *Quæritur.* Quod ipsorum (B. C. D.) priùs accipiat objectum? *Solutio.* [Potentia culpa] [meritum culpa] [differentia principium] [medium finis]
6. *Quæritur.* Quod objectum conveniat meliùs cum potentia, aut veritas aut falsitas? *Solutio.* [Potentia demonstratio] [E A V Y] [I V Z] [V Z] [A A] [ignis ignis] [ignis aqua]
7. *Quæritur.* Utrum potentia intellectiva possit ascendere ad objecta intellectualia absque imaginatione, cùm præter imaginari descendere nequeat ad sensibilia objecta? *Solutio.* Potentia mediatè] [E A V] [I A Y] [majoritas minoritas] [ignis ignis]
8. *Quæritur.* Utrum objectum possit tan-

tum appropinquari potentiæ per rationem sicut per realitatem?

Solutio. [Potentia ratio] [EINR] [immediatè mediatè] [majoritas minoritas] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua] [AA]

9. *Quæritur.* Quare potentia intellectiva sit magis apta ad divinam sapientiam intelligendam, quæ se intelligit, quàm gloriam & cæteras Dignitates Dei?

Solutio. [Potentia objectum] [AASXX] [ignis ignis] [ignis aër]

De Libero arbitrio.

1. *QUæritur.* Utrum liberum arbitrium sit potentia activa & passiva?

Solutio. [Liberum arbitrium liberum arbitrium] [BCD] [immediatè mediatè] [FGH] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum liberum arbitrium sit æqualiter per actum essendi & per actum operandi?

Solutio. [Liberum arbitrium privatio] [realitas ratio] [CL] [forma ordinatio]

3. *Quæritur.* Utrum Deus cogere possit liberum arbitrium?

Solutio. [Liberum arbitrium defectus] [bonitas magnitudo] [sapientia voluntas] [Justitia largitas] [immediatè mediatè]

4. *Quæritur.* Utrum in homine liberum arbitrium & ratio sint æquales potentiæ in virtute?

Solutio. [Liberum arbitrium culpa] [EAVY] [IVZ] [sapientia Justitia] [bonitas largitas]

5. *Quæritur.* Utrum cor & cerebrum hominis per rationis influentiam sint loca specificata, ubi existit liberum arbitrium?

Solutio. [Liberum arbitrium demonstratio] [potentia objectum] [BCD] [habitus actus]

6. *Quæritur.* Quare liberum arbitrium est propinquius voluntati, quàm memoriæ & intellectui?

Solutio. [Liberum arbitrium mediatè] [DH] [VV] [YZ] [immediatè objectum]

7. *Quæritur.* Utrum memoria, intellectus & voluntas possint habere suos actus realiter absque libero arbitrio?

Solutio. [Liberum arbitrium ratio] [immediatè mediatè] [EINR] [ignis ignis] [ignis terra]

8. *Quæritur.* Utrum post mortem permaneat liberum arbitrium in anima?

Solutio. [Liberum arbitrium objectum] [EAVY] [Charitas Justitia] [IVZ]

De Privatione.

1. *QUæritur.* Utrum privatio sit creatura & utrum nihil habeat principium?

Solutio. [Privatio privatio] [immediatè mediatè] [principium finis] [ignis ignis] [ignis aër] [EA] [IVZ] [magnitudo æternitas] [Deus creatura]

2. *Quæritur.* Utrum privatio possit contradicere esse absque imperfectione?

Solutio. [Privatio defectus] [esse mediatè] [perfectio mediatè]

3. *Quæritur.* Utrum Deus possit tantum privare sicut creare, & utrum possit facere, quòd nihil sit sine ente?

Solutio. [privatio culpa] [EAVY] [IVZ] [prima intentio secunda intentio] [ignis ignis] [principium finis]

4. *Quæritur.* Utrum veritas possit tantum contradicere falsitati, sicut è converso?

Solutio. [Privatio demonstratio] [esse perfectio] [EAVY] [IAVY] [YZ] [NAVYZ]

5. *Quæritur.* Utrum omne ens existeret plus in privatione, quàm in se ipso, si Deus nihil esset?

Solutio. [Privatio mediatè] [principium medium] [secunda intentio esse] [majoritas negatio]

6. *Quæritur.* Utrum privatio esse contradicat unum alteri per aliquod medium, & utrum nihil sit ab æterno?

Solutio. [Privatio ratio] [esse realitas] [perfectio imperfectio] [ignis ignis] [ignis aqua]

7. *Quæritur.* Utrum aliquod objectum privare possit secundum objectum potentiæ intellectivæ?

Solutio. [Privatio objectum] [AA] [SS] [VV] [XX] [ignis ignis] [ignis aqua]

De Defectu.

1. *QUæritur.* Utrum inter perfectionem & imperfectionem possit esse medium?

Solutio. [Defectus defectus] [principium medium] [finis perfectio] [ignis aqua]

2. *Quæritur.* Utrum imperfectio esset, si peccatum nihil esset?

Solutio. [Defectus culpa] [bonitas magnitudo] [Justitia largitas] [AA]

3. *Quæritur.* Utrum imperfectio sit perfectio, cùm una per alteram demonstraretur?

Solutio. [Defectus demonstratio] [prima intentio secunda intentio] [medium finis]

4. *Quæritur.* Quare potentia volitiva frigiditatem appetat, quæ non est de ejus natura?

Solutio. [Defectus mediatè] [Justitia prudentia] [ignis aër] [ignis terra]

5. *Quæritur.* Quare infirmus habens frigiditatem, desiderat frigiditatem?

Solutio. [Defectus ratio] [esse privatio] [DH] [ignis terra] [aër aqua]

6. *Quæritur.* Utrum ignis ad suum objectum velociùs moveatur corrumpendo, quàm generando?

Solutio. [Defectus objectum] [esse privatio] [EA] [ignis ignis] [ignis aqua]

De Culpa.

1. *QUæritur.* Utrum sit major culpa cognoscere Deum & odire eum, quàm ignorare eum & odire eum?

Solutio. [Culpa culpa] [IAVY] [NAVY] [EAVY] [prima intentio secunda intentio]

2. *Quæritur.* Utrum abscondere culpam sit peccatum?

Solutio. [Culpa demonstratio] [EAY] [IVZ] [principium finis]

3. *Quæritur.* Quod est medium inter finem, propter quem homo est, & culpam, quæ in ipso est?

Solutio. [Culpa mediatè] [EINR] [ignis aër] [aqua terra]

4. *Quæritur.* Utrum ratio tantum potest contra culpam, sicut demonstratio?

Solutio. [Culpa ratio] [EAVY] [IVZ] [MAVYZ] [ignis aër] [ignis aqua]

5. *Quæritur.* Utrum culpa augmentetur in potentia sensitiva & vegetativa in augmentatione, quam facit in potentia volitiva?

Solutio. [Culpa objectum] [AS] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]

De Demonstratione.

1. *QUæritur.* Quæ trium specierum demonstrationis sit potissima?

Solutio. [Demonstratio demonstratio] [bonitas magnitudo] [concordantia æqualitas] [majoritas minoritas] [esse privatio] [realitas ratio] [actus relatio]

2. *Quæritur.* Quare de Deo non potest fieri demonstratio ita apparenter, sicut de creatura?

Solutio. [Demonstratio mediatè] [Fides prudentia] [EAVY] [NAVY] [ignis ignis] [forma ordinatio] [finis majoritas]

3. *Quæritur.* Utrum demonstratio possit esse tam magna in intellectu, sicut ratio in Fide?

Solutio. [Demonstratio ratio] [EAVY] [NAVY] [esse privatio]

4. *Quæritur.* Utrum objectum demonstrationis majorem habeat concordantiam cum veritate, quàm cum falsitate?

Solutio. [Demonstratio objectum] [EAVY] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aqua]

De Mediatè.

1. *QUæritur.* Utrum accidentia substantiæ possint esse de entitate alicujus medii existentis inter esse & privationem?

Solutio. [Mediatè mediatè] [principium finis] [EA] [ignis ignis] [YZ]

2. *Quæritur.* Utrum virtus potentiæ intellectivæ existat per totum spatium, quod est inter ipsam & objectum intellectum?

Solutio. [Mediatè ratio] [differentia finis] [EAVY] [ignis ignis] [ignis aqua]

3. *Quæritur.* Quare potentia volitiva possit influere virtutem suam in Charitatem plùs per unum objectum, quàm per alterum?

Solutio. [Mediatè objectum] [realitas liberum arbitrium] [aër aër] [aër aqua]

De Ratione.

1. *QUæritur.* Utrum ratio sit potentia, vel si sit, aggregat actus potentiarum?

Solutio. [Ratio ratio] [realitas potentia] [objectum actus] [misericordia dominium]

2. *Quæritur.* Utrum divinæ dignitates diversificent realitatem & rationem vel è converso?

Solutio. [Ratio objectum] [Deus majoritas] [creatura minoritas] [dignitates relatio]

De Objecto.

QUæritur. Utrum objecta universalia sint necessaria tantùm sicut particularia?

Solutio. [Objectum objectum] [prima intentio secunda intentio] [principium finis] [ignis ignis]

Inci-

Incipiunt Quæstiones

De Principiis Theologiæ, & primò de Essentia.

1. *Quæritur.* Utrum divina essentia sit in essentia absque differentia suî ipsius?

Solutio. [Essentia essentia] [A A] [magnitudo æternitas] [dignitates actus] [potestas voluntas] [ignis ignis] [E C] [esse privatio]

2. *Quæritur.* Utrum oporteat ita essentiare in essentia, sicut vivere in vita?

Solutio. [Essentia vita] [veritas essentia] [dignitates relatio] [simplicitas nobilitas] [magnitudo æternitas]

3. *Quæritur.* Utrum divinæ dignitates sint in essentia, & è converso absque differentia dignitatum & essentiæ?

Solutio. [Essentia dignitates] [magnitudo æternitas] [potestas Justitia] [sapientia voluntas] [relatio ordinatio]

4. *Quæritur.* Utrum divinæ dignitates operentur de essentia?

Solutio. [Essentia actus] [A A] [immediatè realitas] [esse perfectio] [magnitudo æternitas] [Justitia largitas] [simplicitas nobilitas] [ignis ignis] [E A]

5. *Quæritur.* Utrum in essentia sit forma exemplar actibus dignitatum?

Solutio. [Essentia forma] [A A] [magnitudo simplicitas] [S S] [V V] [X X] [ignis ignis]

6. *Quæritur.* Utrum in Deo relatio intelligentis & intellecti volentis & voliti sit in tanta magnitudine essentiæ, sicut intelligens & intellectus in nolente & nolito?

Solutio. [Essentia relatio] [concordantia æqualitas] [realitas actio] [magnitudo voluntas]

7. *Quæritur.* Utrum in essentia sit ordo essentialis absque aliquo accidente?

Solutio. [Essentia ordinatio] [A A] [Justitia largitas] [gloria privatio] [esse privatio]

8. *Quæritur.* Utrum in essentia sit passio propter actionem dignitatum?

Solutio. [Essentia actio] [bonitas magnitudo] [æternitas nobilitas] [magnitudo potestas] [esse perfectio] [ignis ignis] [ignis aër]

9. *Quæritur.* Utrum tam mirabilia de Deo credi oportet, sicut sunt considerabilia de ejus essentia?

Solutio. [Essentia articuli] [V A] [E A] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]

10. *Quæritur.* Utrum homo plùs obligatus sit ad cognoscendum divinas dignitates, quàm essentiam?

Solutio. [Essentia præcepta] [bonitas magnitudo] [voluntas Justitia] [ignis ignis] [ignis aqua]

11. *Quæritur.* Utrum inter essentiam & essentiare sit necessaria expositio?

Solutio. [essentia expositio] [dignitates actus] [forma relatio] [ignis ignis]

12. *Quæritur.* Utrum in Deo sint idem essentia & esse?

Solutio. [Essentia prima intentio] [A A] [magnitudo æternitas] [ignis ignis] [esse privatio']

13. *Quæritur.* Utrum Deus & Deitas idem sint?

Solutio. [Essentia secunda intentio] [concordantia æqualitas] [potestas Justitia] [E A]

14. *Quæritur.* Utrum in essentia disconveniant essentiare, si in gloria contrariae gloriari?

Solutio. [Essentia gloria] [magnitudo nobilitas] [actus forma] [voluntas Justitia]

15. *Quæritur.* Utrum condemnati ad pœnam inferni habeant de divina essentia cognitionem?

Solutio. [Essentia pœna] [I A V Y] [E V Z] [ignis aqua] [culpa ævum]

16. *Quæritur.* Utrum ævum conveniat meliùs ad essendum actus æternitatis, quàm essentiæ?

Solutio. [Essentia ævum] [actus relatio] [Justitia nobilitas] [concordantia æqualitas]

De Vita.

1. *Quæritur.* Utrum in Dei vita disconveniat vivere?

Solutio. [Vita vita] [magnitudo æternitas] [essentia voluntas] [dignitates actus] [forma ordinatio] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum actus divinarum dignitatum sit vivere in vita?

Solutio. [Vita dignitates] [magnitudo nobilitas] [voluntas Justitia] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]

3. *Quæritur.* Utrum vivere conveniat meliùs vitæ, quàm sapientia voluntati?

Solutio. [Vita actus] [essentia dignitates] simplicitas nobilitas] [E A]

4. *Quæritur.* Utrum in Dei vita sit forma & è converso?

Solutio. [Vita forma] [magnitudo æternitas] [actus relatio] [dignitates ordinatio] [ignis ignis]

5. *Quæritur.* Utrum Dei vita vivat per aliquam additionem sive necessitatem?

Solutio. [Vita relatio] [dignitates actus] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua] [Deus majoritas]

6. *Quæritur.* Utrum vivere in Deo possit esse ordo vitæ absque distinctione?

Solutio. [Vita ordo] [dignitates actus] [forma relatio] [ignis ignis]

7. *Quæritur.* Utrum vivere sit in Deo absque actione & passione?

Solutio. [Vita actio] [magnitudo æternitas] [bonitas perfectio] [Justitia largitas] [potestas voluntas] [sapientia virtus]

8. *Quæritur.* Utrum Dei vita sit exemplar homini, quomodo vivere debeat?

Solutio. [Vita articuli] [E A V Y] [I V Z] [N A V Y] [ignis ignis] [ignis aër]

9. *Quæritur.* Utrum vita activa sit per mandatum & vita contemplativa per consilium?

Solutio. [Vita præcepta] [prima intentio secunda intentio] [meritum culpa] [forma materia]

10. *Quæritur.* Utrum vivere, intelligere &c. oporteant esse diversificata in Deo?

Solutio. [Vita expositio] [essentia dignitates] [actus relatio] [forma ordinatio]

11. *Quæritur.* Utrum in Deo sit vivere propter vitam vel è converso?

Solutio. [Vita prima intentio] [A A] [X X] [magnitudo æternitas] [perfectio immediatè] [esse mediatè]

12. *Quæritur.* Quare homo desiderat plùs vivere, quàm mori?

Solutio. [Vita secunda intentio] [E A V Y] [I V Z] [immediatè mediatè] [appetitus alteratio] [differentia finis]

13. *Quæritur.* Utrum Dei vita sit gloria vitæ beatorum?

Solutio. [Vita gloria] [A S] [E A] [Justitia misericordia] [largitas dominium]

14. *Quæritur.* Utrum ignorare, odire, malificare, minorificare &c. sit pœna & Dei vita?

Solutio. [Vita pœna] [sapientia voluntas] [bonitas magnitudo] [dignitates relatio]

15. *Quæritur.* Utrum dœmones mori desiderant?

Solutio. [Vita ævum] [æternitas privatio] [esse perfectio] [ignis ignis] [ignis aqua]

De Dignitatibus.

1. *Quæritur.* Utrum aliqua divinarum dignitatum possit esse in se ipsa absque relatione?

Solutio. [Dignitates dignitates] [actus forma] [relatio ordinatio] [esse perfectio] [E A]

2. *Quæritur.* Utrum per omnes dignitates sit actus extrinsecus?

Solutio. [Dignitates actus] [A A] [A T] [bonitas magnitudo] [æternitas Justitia] [Deus majoritas]

3. *Quæritur.* Utrum aliqua Dei dignitas possit esse sine actu?

Solutio. [Dignitates forma] [actus ordinatio] [magnitudo nobilitas] [ignis aqua]

4. *Quæritur.* Utrum in Deo realiter sint dignitates & relatio, vel secundùm rationem?

Solutio. [Dignitates relatio] [actus forma] [magnitudo æternitas] [potestas sapientia] [voluntas Justitia] [bonitas largitas]

5. *Quæritur.* Utrum sine relatione divinæ dignitates possent eadem essentia esse?

Solutio. [Dignitates ordinatio] [Justitia simplicitas] [largitas nobilitas] [actus forma]

6. *Quæritur.* Utrum in Deo sint plures dignitates, quàm anima justa in ea accipiat similitudines?

Solutio. [Dignitates actus] [magnitudo æternitas] [Justitia nobilitas] [Deus majoritas] [creatura minoritas]

7. *Quæritur.* Utrum de divinis dignitatibus oporteat credi & intelligi mirabilia & amabilia?

Solutio. [Dignitates articuli] [A A] [magnitudo æternitas] [potestas Justitia] [actus relatio]

8. *Quæritur.* Utrum Deus faciendo bonam gratiam & misericordiam det præceptum vel consilium?

Solutio. [Dignitates præcepta] [prima intentio secunda intentio] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [meritum culpa]

9. *Quæritur.* Utrum divinæ dignitates possent esse in specifica virtute absque recolere?

Solutio. [Dignitates expositio] [R A V Y Z] [I A] [esse defectus] [perfectio privatio]

10. *Quæritur.* Utrum per virtutem & actus dignitatum augmentetur essentia?

Solutio. [Dignitates prima intentio] [magnitudo æternitas] [forma relatio]

11. *Quæritur.* Utrum aliqua divinarum dignitatum debeat diligi secundùm suam intentionem?

Solutio. [Dignitates secunda intentio] [AA] [bonitas magnitudo] [æternitas simplicitas]

12. *Quæritur.* Utrum beati habebunt æqualiter gloriam in qualibet divinarum dignitatum?

Solutio. [Dignitates gloria] [forma ordinatio] [actus relatio] [Justitia largitas] [misericordia dominium] [simplicitas nobilitas]

13. *Quæritur.* Utrum damnatis sit major pœna in hoc, quòd non vident dignitates Dei, quàm in hoc, quòd intelligunt & odiunt ævum?

Solutio. [Dignitates pœna] [magnitudo potestas] [sapientia Justitia] [dignitates actus] [forma ordinatio] [E V Z] [I A V Y] [ignis ignis] [ignis aër]

14. *Quæritur.* Utrum aliquod non habens finem possit esse creatura?

Solutio. [Dignitates ævum] [magnitudo æternitas] actus relatio] [principium medium]

De Actibus.

1. *QUæritur.* Utrum in actibus divinarum dignitatum sit aliqua distinctio?

Solutio. [Actus actus] [A A] [essentia dignitates] [E A] [forma relatio]

2. *Quæritur.* Utrum forma & actus possint in Deo habere concordantiam & æqualitatem?

Solutio. [Actus forma] [dignitates relatio] [bonitas magnitudo] [æternitas nobilitas] [ignis ignis]

3. *Quæritur.* Utrum veritas divina habeat actum intrinsecum?

Solutio. [Actus relatio] [essentia dignitates] [forma ordinatio] [Justitia nobilitas]

4. *Quæritur.* Utrum Deus in gloria se manifestet in omni, quod est, & quod non est?

Solutio. [Actus ordinatio] [veritas Justitia] [gloria differentia] [E A] [I A] [I A V Z] [ignis ignis]

5. *Quæritur.* Utrum in Deo actus & actio sint eadem relatio?

Solutio. [Actus actio] [A A] [magnitudo æternitas] [potestas voluntas] [Justitia nobilitas]

6. *Quæritur.* Utrum intelligentiæ potentia exaltetur in virtute, si intelligat in Deo actum intrinsecum per omnes dignitates?

Solutio. [Actus articuli] [N A] [Fides Charitas] [Spes Justitia] [E A] [dignitates relatio] [magnitudo virtus]

7. *Quæritur.* Utrum homo sit magis obligatus ad unam dignitatem, quàm ad alteram?

Solutio. [Actus præcepta] [Justitia nobilitas] [bonitas magnitudo] [sapientia voluntas] [E A]

8. *Quæritur.* Utrum omnem expositionem oporteat dirigi, prout actus dignitatum Dei sunt exemplar potentiæ intellectivæ & volitivæ?

Solutio. [Actus expositio] [Deus principium] [Deus medium] [Deus finis] [A A] [A T]

9. *Quæritur.* Utrum omne, quod est in Deo actus, sit per æqualitatem & concordantiam?

Solutio. [Actus prima intentio] [magnitudo æternitas] [dignitates relatio] [A A] [E I]

10. *Quæritur.* Utrum alius actus esse possit absque secunda intentione?

Solutio. [Actus secunda intentio] [A A] [A T] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra]

11. *Quæritur.* Utrum beati Angeli majorem habeant gloriam in divino actu intrinseco, quàm extrinseco?

Solutio. [Actus gloria] [bonitas magnitudo] [Justitia largitas] [dignitates relatio]

12. *Quæritur.* Utrum actus dignitatum inferunt pœnam dæmonibus immediatè aut mediatè?

Solutio. [Actus pœna] [A V] [A X] [magnitudo gloria] [Charitas ira] [esse privatio] [I A] [ignis aqua]

13. *Quæritur.* Utrum divina bonitas posset privare ævum?

Solutio. [Actus ævum] [potestas Justitia] [meritum culpa] [principium finis]

De Forma.

1. *QUæritur.* Utrum omne, quod in Deo est, sit forma realiter vel secundùm rationem?

Solutio. [Forma forma] [esse privatio] [actus relatio] [esse perfectio] [E A]

2. *Quæritur.* Utrum in Deo bonitas informet suum bonificare & magnitudo suum magnificare?

Solutio. [Forma relatio] [A A] [S S] [X X] [ignis ignis] [ignis aër] [E A]

3. *Qu-*

3. *Quæritur.* Utrum aliqua forma possit esse absque ordine?

Solutio. [Forma ordinatio] [forma actio] [forma regula] [B C D E] [ignis ignis] [ignis aër]

4. *Quæritur.* Utrum in Deo sit intrinsecè forma agens?

Solutio. [Forma actio] [A A] [magnitudo æternitas] [largitas nobilitas] [dignitates actus] [E A]

5. *Quæritur.* Utrum divina forma sit exemplar articulis vehementiùs per credulitatem, quàm per scientiam?

Solutio. [Forma articuli] [K B] [L C] [M D] [esse privatio] [meritum culpa] [gloria pœna]

6. *Quæritur.* Utrum præcepta fortiùs informent intellectum, quàm voluntatem?

Solutio. [Forma præcepta] [E A V Y] [Y V Z] [prima intentio secunda intentio] [ignis aër]

7. *Quæritur.* Utrum divina forma sit exemplar omni expositioni?

Solutio. [Forma expositio] [veritas veritas] [gloria perfectio] [E A V Y] [I V Z] [ignis ignis] [ignis aër]

8. *Quæritur.* Utrum in Deo sit intentio?

Solutio. [Forma prima intentio] [dignitates actus] [relatio ordinatio] [E A]

9. *Quæritur.* Quare forma conveniat cum prima intentione & materia cum secunda?

Solutio. [Forma secunda intentio] [forma A] [forma actio] [forma majoritas] [forma esse] [forma actus] [ignis ignis]

10. *Quæritur.* Utrum Deus diligat & odiat realiter?

Solutio. [Forma gloria] [realitas ratio] [D H] [actus relatio] [magnitudo nobilitas]

11. *Quæritur.* Utrum in Deo forma sit exemplar pœnæ?

Solutio. [Forma pœna] [dignitates relatio] [I A] [E V Z] [ignis ignis] [E A]

12. *Quæritur.* Quomodo æternitas sit exemplar ævo?

Solutio. [Forma ævum] [bonitas gloria] [Justitia dominium] [meritum culpa]

De Relatione.

1. *QUæritur.* Utrum in divina immensitate & æternitate possit realiter esse relatio?

Solutio. [Relatio relatio] [magnitudo potestas] [magnitudo æternitas] [magnitudo Justitia] [magnitudo perfectio] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum relatio & ordinatio concordantiam & æqualitatem habeant in actibus divinarum dignitatum?

Solutio. [Relatio ordinatio] [magnitudo æternitas] [Justitia nobilitas] [voluntas largitas] [E A]

3. *Quæritur.* Utrum in Deo relatio intelligentis & intellecti, volentis & voliti sit in tanta magnitudine essentiæ, sicut intelligens & intellectus in nolente & nolito?

Solutio. [Relatio actio] [relatio realitas] [relatio magnitudo] [relatio æternitas] [concordantia æqualitas]

4. *Quæritur.* Utrum relatio actuum dignitatum sit credibilis & amabilis?

Solutio. [Relatio articuli] [Justitia præcepta] [E A V Y] [I V Z] [N A]

5. *Quæritur.* Utrum homo obligatus sit ad ostendendum ea, quæ divinæ dignitates significant de se ipsis?

Solutio. [Relatio præcepta] [Justitia dominium] [magnitudo nobilitas] [meritum culpa]

6. *Quæritur.* Quæ expositio sit plùs necessaria, aut illa, quæ conveniat secundùm relationem divinarum dignitatum, aut illa, quæ convenit secundùm Dei opus extrinsecum?

Solutio. [Relatio expositio] [magnitudo veritas] [æternitas nobilitas] [Deus majoritas] [ignis ignis] [ignis aër]

7. *Quæritur.* Utrum relatio & prima intentio valeant contradicere absque secunda intentione?

Solutio. [Relatio prima intentio] [magnitudo æternitas] [potestas perfectio] [largitas nobilitas] [gloria simplicitas]

8. *Quæritur.* Utrum in Deo possit esse relatio absque intentione?

Solutio. [Relatio secunda intentio] [forma ordinatio] [dignitates actus] [ignis ignis]

9. *Quæritur.* Utrum in Deo disconveniat relatio gloriæ, glorificantis, glorificati?

Solutio. [Relatio gloria] [relatio perfectio] [relatio realitas] [E A] [ignis ignis] [dignitates actus]

10. *Quæritur.* Utrum Deus pœnam pateretur, nisi possit infinire?

Solutio. [Relatio pœna] [magnitudo æternitas] [potestas perfectio] [Justitia largitas] [bonitas simplicitas]

11. *Quæritur.* Utrum ævum finem non habens possit esse sine principio?

Solutio. [Relatio ævum] [magnitudo

potestas] [voluntas largitas] [dignitates actus] [Justitia nobilitas]

De Ordinatione.

1. *Quæritur.* Utrum in Deo ordo possit esse absque prioritate & posterioritate?
Solutio. [Ordo ordo] [AA] [æternitas sapientia] [voluntas Justitia] [dignitates relatio]
2. *Quæritur.* Utrum in Deo possit esse ordinatio absque passione?
Solutio. [Ordinatio actio] [magnitudo æternitas] [potestas perfectio] [Justitia largitas]
3. *Quæritur.* Utrum in Deo oporteat esse omnem perfectionem, quæ est in creatura, supposito, quòd nulla in eo sequatur inordinatio?
Solutio. [Ordinatio articuli] [esse perfectio] [privatio defectus] [magnitudo nobilitas] [potestas Justitia]
4. *Quæritur.* Utrum usura sit licita?
Solutio. [Ordinatio præcepta] [Spes Charitas] [acedia invidia] [ignis ignis] [ignis aër]
5. *Quæritur.* Utrum expositio minorem habeat magnitudinem in ordine existente super naturam, quàm in ordine existente per cursum naturæ?
Solutio. [Ordinatio expositio] [AA] [dignitates relatio] [actus forma] [Deus majoritas] [creatura minoritas]
6. *Quæritur.* Ad quem finem ordinentur omnia?
Solutio. [Ordinatio prima intentio] [AA] [Deus operatio] [dignitates relatio]
7. *Quæritur.* Utrum in ævo sit prima intentio & secunda?
Solutio. [Ordinatio secunda intentio] [EA] [Charitas Justitia] [EV] [IA] [acedia ira] [gloria pœna] [majoritas minoritas]
8. *Quæritur.* Utrum ordinatio, quæ in Deo est, sit gloria Angelorum?
Solutio. [Ordinatio gloria] [Justitia largitas] [magnitudo nobilitas] [esse perfectio]
9. *Quæritur.* Utrum in infernali pœna sit ordo?
Solutio. [Ordinatio pœna] [dignitates actus] [forma actio] [pœna ævum] [IA] [ignis aqua]
10. *Quæritur.* Utrum ordinatio possit esse in ævo non habente finem?
Solutio. [Ordinatio ævum] [principium finis] [medium finis] [gloria pœna] [ignis ignis]

De Actione.

1. *Quæritur.* Utrum Deus actionem habeat in nihilum?
Solutio. [Actio actio] [magnitudo potestas] [voluntas æternitas] [Justitia largitas]
2. *Quæritur.* Quid habeat passionem, cùm homo credens & diligens Deum habeat actionem?
Solutio. [Actio articuli] [AA] [dignitates actus] [magnitudo æternitas] [ignis ignis] [potentia objectum]
3. *Quæritur.* Utrum actio, quæ in Deo est, sit æterna?
Solutio. [Actio præcepta] [AA] [magnitudo æternitas] [actus relatio] [Deus creatura]
4. *Quæritur.* Utrum expositio melius conveniat scire, quàm credulitati?
Solutio. [Actio expositio] [E. majoritas] [V. minoritas] [esse privatio]
5. *Quæritur.* Quomodo prima intentio activa sit & secunda passiva?
Solutio. [Actio prima intentio] [EA] [IVZ] [ignis terra] [ignis ignis] [ignis aër]
6. *Quæritur.* Utrum secunda intentio actionem habeat in primam?
Solutio. [Actio secunda intentio] [ignis aqua] [immediatè mediatè] [affirmatio negatio]
7. *Quæritur.* Utrum unum elementum in gloria habet in alterum actionem?
Solutio. [Actio gloria] [gloria Justitia] [essentia forma] [dignitates actus] [concordantia æqualitas]
8. *Quæritur.* Utrum dæmones in inferno actiones habeant alii in alios?
Solutio. [Actio pœna] [immediatè mediatè] [ignis aqua] [majoritas minoritas]
9. *Quæritur.* Utrum meritum & culpa possint esse ævo æquales in magnitudine?
Solutio. [Actio ævum] [EA] [IA] [magnitudo æternitas] [bonitas Justitia] [principium finis] [immediatè mediatè]

De Articulis.

1. *Quæritur.* Utrum homo sine articulis possit esse in via salvationis?
Solutio. [Articuli articuli] [EAVY] [IVZ] [NAVY] [actio præcepta]

2. *Quæritur.* Utrum sit verum, quòd anima concipiat de divino opere intrinseco mirabilia?
Solutio. [Articuli præcepta] [EA] [IVZ] [meritum culpa] [magnitudo minoritas] [principium finis]
3. *Quæritur.* Utrum expositio Sacræ Scripturæ conveniat meliùs articulis, quàm præceptis?
Solutio. [Articuli expositio] [prima intentio secunda intentio] [majoritas minoritas]
4. *Quæritur.* Utrum Deus primam intentionem habeat ad aliquam creaturam?
Solutio. [Articuli prima intentio] [AS] [AT] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]
5. *Quæritur.* Utrum articuli meliùs conveniant potentiæ intellectivæ, quàm volitivæ?
Solutio. [Articuli secunda intentio] [EA] [E. præcepta] [I. præcepta] [NA] [N. præcepta] [concordantia majoritas] [esse privatio]
6. *Quæritur.* Utrum sit resurrectio?
Solutio. [Articuli gloria] [AT] [Justitia largitas] [ignis ignis] [aër aër] [EA]
7. *Quæritur.* Utrum articuli sint demonstrabiles?
Solutio. [Articuli pœna] [EA] [IA] [meritum culpa] [Justitia largitas] [magnitudo nobilitas] [ignis ignis]
8. *Quæritur.* Utrum æternitas sit magis demonstrabilis per æternificare, quàm ævum per Justitiam?
Solutio. [Articuli ævum] [magnitudo æternitas] [Justitia nobilitas] [principium medium]

De Præceptis.

1. *Quæritur.* Quæ trium potentiarum animæ plùs obligata est obedire præceptis divinis?
Solutio. [Præcepta præcepta] [BCD] [EAVYZ] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aër] [immediatè mediatè] [concordantia æqualitas]
2. *Quæritur.* Utrum præcepta oporteat exponi fortiùs secundùm intellectualia, quàm secundùm sensualia?
Solutio. [præcepta expositio] [EAVY] [IVZ] [ignis aër] [aqua terra] [prima intentio secunda intentio]
3. *Quæritur.* Utrum præceptum datum sit illis, qui existunt in via veritatis, ut errantes revocent ab errore?
Solutio. [Præcepta prima intentio] [AV] [Justitia nobilitas] [Fides Charitas] [principium finis]
4. *Quæritur.* Utrum præceptum sit homini, ut Deum honoret, dum videt eum vituperari?
Solutio. [Præcepta secunda intentio] [EAVY] [IVZ] [ignis aqua]
5. *Quæritur.* Utrum vetitum sit homini credere in Deo esse immensam velocitatem in diligendo, intelligendo, bonificando, glorificando &c.
Solutio. [Præcepta gloria] [AA] [magnitudo æternitas] [Justitia largitas] [EA] [ignis ignis]
6. *Quæritur.* Utrum præcepta specificent fortiùs Charitatem, quàm timorem?
Solutio. [Præcepta pœna] [EAVY] [IVZ] [prima intentio secunda intentio] [ignis aër]
7. *Quæritur.* Utrum Deus aliquod præceptum fecit, quod ab hominibus nequeat adimpleri?
Solutio. [Præcepta ævum] [prima intentio secunda intentio] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua] [meritum culpa]

De Expositione.

1. *Quæritur.* Utrum quæstiones in hac arte possent ita bene solvi per litteram sicut per figuram?
Solutio. [Expositio expositio] [BCD] [KLM] [OPQ] [immediatè mediatè] [YZ]
2. *Quæritur.* Utrum expositio spiritualis sit ita specificativa, sicut litteralis?
Solutio. [Expositio prima intentio] [AA] [SV] [ignis aër] [YZ] [Charitas gula]
3. *Quæritur.* Utrum expositio majorem habeat concordantiam cum magnitudine & nobilitate per miracula, quàm per cursum naturæ?
Solutio. [Expositio secunda intentio] [AA] [SS] [ignis ignis] [majoritas minoritas]
4. *Quæritur.* Quare gloria alterius sæculi sit in hoc mundo invisibilis?
Solutio. [Expositio gloria] [perfectio liberum arbitrium] [meritum culpa] [EIN] [VV]
5. *Quæritur.* Quomodo per hanc artem possint exponi scripturæ?

Solutio. [Expositio pœna] [AA] [SS] [TT] [VV] [XX] [YZ] [ignis ignis] [EAVY] [EVZ] [MAVYZ]

6. *Quæritur.* Utrum auctoritates sacræ Scripturæ possint esse contra rationem?

Solutio. [Expositio ævum] [AA] [NA] [EA] [YZ] [finis finis]

De prima Intentione.

1. *Quæritur.* Utrum possit esse concordantia inter duas primas intentiones absque secunda intentione?

Solutio. [Prima intentio prima intentio] [concordantia medium] [principium finis] [ignis aër] [EI]

2. *Quæritur.* Utrum prima intentio possit esse sine secunda?

Solutio. [Prima intentio secunda intentio] [AA] [creatura operatio] [esse privatio] [EA] [IVZ] [ignis aër]

3. *Quæritur.* Utrum in gloria sit prima intentio & secunda?

Solutio. [Prima intentio gloria] [EA] [IVZ] [ignis aqua]

4. *Quæritur.* Utrum aliqua pœna possit esse tantummodo per primam intentionem?

Solutio. [Prima intentio pœna] [EA VY] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aqua]

5. *Quæritur.* Utrum æternitas esset ævum per primam vel per secundam intentionem?

Solutio. [Prima intentio ævum] [Deus majoritas] [creatura minoritas] [Justitia nobilitas]

De secunda Intentione.

1. *Quæritur.* Utrum in magnitudine secundæ intentionis augeatur prima intentio?

Solutio. [Secunda intentio secunda intentio] [concordantia medium] [principium finis] [aër aqua] [EI]

2. *Quæritur.* Utrum anima habeat in gloria majorem cognitionem de se cognoscendo Deum, cùm sit Deo magis dissimilis, quàm similis?

Solutio. [Secunda intentio gloria] [AA] [immediatè mediatè] [esse privatio] [dignitates actus] [forma relatio]

3. *Quæritur.* Utrum gloria vel pœna sit secunda intentio, ad quam homo creatus est?

Solutio. [Secunda intentio pœna] [gloria Justitia] [voluntas nobilitas] [medium finis] [aër aqua]

4. *Quæritur.* Utrum secunda intentio habeat in hoc sæculo tantam concordantiam cum magnitudine, sicut cum ævo?

Solutio. [Secunda intentio ævum] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [EA] [Charitas Justitia]

De Gloria.

1. *Quæritur.* Utrum inter potentiam memorativam intellectivam & volitivam sit in paradiso realis distinctio gloriæ?

Solutio. [Gloria gloria] [EA] [differentia concordantia] [essentia forma] [Justitia largitas] [esse realitas] [perfectio meritum] [dignitates relatio] [forma ordinatio]

2. *Quæritur.* Utrum oporteat omnes quinque sensus corporales esse in gloria?

Solutio. [Gloria pœna] [VV] [esse privatio] [ignis ignis] [ignis aër] [finis ævum] [forma ordinatio] [actus relatio]

3. *Quæritur.* Utrum in ævo sit distinctio inter realitatem & rationem?

Solutio. [Gloria ævum] [AT] [ignis ignis] [ignis aër] [esse perfectio] [meritum culpa]

De Pœna.

1. *Quæritur.* Utrum damnatis sit major pœna hoc, quòd non vident Deum, quàm hoc, quòd intelligunt & odiunt ævum?

Solutio. [Pœna pœna] [AA] [magnitudo æternitas] [principium finis] [EA]

2. *Quæritur.* Utrum potentia intellectiva habebit in ævo pœnam in memorativa & volitiva & è converso?

Solutio. [Pœna ævum] [prima intentio secunda intentio] [differentia contrarietas] [principium finis] [magnitudo Justitia]

De Ævo.

Quæritur. Utrum in ævo sit tempus & quantitas?

Solutio. [Ævum ævum] [dignitates relatio] [forma ordinatio] [esse privatio] [ignis aër]

Incipiunt Quæstiones De Principiis Philosophiæ, & primò de prima Causa.

1. *Quæritur.* Utrum æternitas & infinitas sint de Deo dictæ magis propriè, quàm prima causa?

Solutio. [Prima causa prima causa] [dignitates relatio] [essentia forma] [AA] [ignis ignis] [ignis aër]

2. *Quæritur.* Utrum prima causa moveat omnia sine medio?

Solutio. [Prima causa motus] [AA] [magnitudo æternitas] [esse liberum arbitrium] [natura appetitus] [immediatè mediatè]

3. *Quæritur.* Utrum sint Angeli?

Solutio. [Prima causa intelligentia] [Justitia largitas] [esse privatio] [concordantia majoritas] [ignis ignis] [ignis aër] [EAVY] [IVZ]

4. *Quæritur.* Utrum in Deo melius conveniat unus locus, quàm alter?

Solutio. [Prima causa orbis] [AA] [gloria pœna] [immediatè mediatè] [meritum culpa]

5. *Quæritur.* Utrum Deus sit exemplar omnibus formis?

Solutio. [Prima causa forma universalis] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua] [ignis terra] [EAVY] [IVZ] [intelligentia orbis]

6. *Quæritur.* Utrum prima causa sit mobilis, cùm motus conveniat cum perfectione?

Solutio. [Prima causa materia prima] [differentia contrarietas] [magnitudo æternitas]

7. *Quæritur.* Utrum prima causa possit plùs per effectum suum, quàm ipse effectus in se ipso?

Solutio. [Prima causa natura] [dignitates relatio] [esse privatio] [magnitudo æternitas]

8. *Quæritur.* Utrum prima causa ordinare possit in effectu suo, quòd ex conjunctione simplicium non producetur compositio?

Solutio. [Prima causa elementa simplicia] [AA] [magnitudo potestas] [Justitia largitas] [æternitas nobilitas] [actus relatio] [differentia majoritas]

9. *Quæritur.* Utrum prima causa suam essentiam communicet omnibus creaturis?

Solutio. [Prima causa appetitus] [prima intentio secunda intentio] [differentia finis] [esse privatio]

10. *Quæritur.* Utrum mundus esset in potentia in Deo, priusquam creatura esset?

Solutio. [Prima causa potentia] [AA] [dignitates relatio] [æternitas potestas] [actus forma] [magnitudo perfectio]

11. *Quæritur.* Utrum prima causa possit esse extra effectum suum?

Solutio. [Prima causa habitus] [AA] [magnitudo æternitas] [actus relatio] [dignitates forma] [bonitas perfectio] [principium finis] [potestas voluntas] [liberum arbitrium privatio]

12. *Quæritur.* Utrum prima causa sit purus actus?

Solutio. [Prima causa actus] [dignitates relatio] [forma ordinatio] [ignis ignis] [ignis aër] [principium finis] [EA] [AA]

13. *Quæritur.* Utrum essentia primæ causæ commisceatur essentiæ sui effectûs, cum sit in omni loco?

Solutio. [Prima causa mixtio] [magnitudo æternitas] [perfectio simplicitas] [Justitia nobilitas]

14. *Quæritur.* Utrum prima causa se repræsentet in effectu suo, sicut sol lucem suam in subjecto?

Solutio. [Prima causa digestio] [AA] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [EA]

15. *Quæritur.* Utrum possit esse medium inter primam causam & effectum suum?

Solutio. [Prima causa compositio] [AA] [immediatè mediatè] [esse privatio] [potestas voluntas] [Justitia nobilitas] [perfectio simplicitas] [EVZ]

16. *Quæritur.* Utrum prima causa sit in quolibet suorum effectuum?

Solutio. [Prima causa alteratio] [magnitudo virtus] [æternitas sapientia] [potestas voluntas] [AA]

De Motu.

1. *Quæritur.* Quare motus substantialis sit intra substantiam, & motus accidentalis extra?

Solutio. [Motus motus] [AA] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [EAVY] [IVZ]

2. *Quæritur.* Quomodo Angelus se movet per loca & quomodo habeat objectum?

Solutio. [Motus intelligentia] [intelligentia A.] [AA] [ignis ignis] [habitus actus]

3. *Quæritur.* Utrum moto semel firmamento oporteat ipsum ampliùs moveri?

Solutio. [Motus orbis] [intelligentia A.] [forma appetitus] [natura actus] [principium finis]

4. *Quæritur.* Utrum forma universalis sit mobilis?

Solutio. [Motus forma universalis] [AA] [prima causa intelligentia] [intelligentia orbis] [orbis forma] [principium finis]

5. *Quæritur.* Utrum prima materia moveatur in partes & è converso, & quomodo in se sit immobilis?

Solutio.

Solutio. [Motus materia prima] [AA] [dignitates relatio] [SS] [BCDE] [ignis ignis] [ignis aër]

6. *Quæritur.* Utrum motus sit per totam sphæram ignis?

Solutio. [Motus natura] [intelligentia orbis] [forma appetitus] [habitus mixtio] [digestio compositio]

7. *Quæritur.* Utrum quodlibet elementum moveatur in alterum?

Solutio. [Motus elementa simplicia] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]

8. *Quæritur.* Utrum appetitus naturalis differat numero à motu naturali?

Solutio. [Motus appetitus] [forma materia] [mixtio digestio] [potentia actus] [principium finis]

9. *Quæritur.* Utrum sit motus in forma, quæ est in potentia?

Solutio. [Motus potentia] [mixtio digestio] [forma materia] [ignis ignis] [ignis aër]

10. *Quæritur.* Utrum motus appetitum habeat nobiliorem, quàm statio?

Solutio. [Motus habitus] [AA] [magnitudo æternitas] [dignitates relatio] [ignis ignis] [ignis aër] [principium finis] [affirmatio negatio] [differentia concordantia]

11. *Quæritur.* Utrum actus majorem habeat perfectionem in statione, quàm in motu?

Solutio. [Motus actus] [AA] [principium finis] [ignis aër] [ignis terra] [EA] [EVZ]

12. *Quæritur.* Utrum aër & vapores differant in essentia?

Solutio. [Motus mixtio] [digestio compositio] [aër aër] [aër ignis] [aër aqua] [aër terra]

13. *Quæritur.* Quæ cura sit securior in infirmo aut per similitudinem aut per contrarietatem?

Solutio. [Motus digestio] [appetitus compositio] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]

14. *Quæritur.* Utrum in composito possit esse motus absque tactu unius partis cum altera?

Solutio. [Motus compositio] [mixtio digestio] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]

15. *Quæritur.* Utrum motus possit esse sine loco?

Solutio. [Motus alteratio] [ignis aër] [ignis terra] [EAVY] [IVZ] [AA]

De Intelligentia.

1. *QUæritur.* Quomodo Angeli fruuntur Deo?

Solutio. [Intelligentia intelligentia] [AA] [AS] [ignis ignis] [forma relatio]

2. *Quæritur.* Utrum Angelus firmamentum moveat cum potentia intellectiva vel volitiva?

Solutio. [Intelligentia orbis] [forma materia] [appetitus habitus] [motus compositio]

3. *Quæritur.* Utrum Angelus formam universalem moveat in formis particularibus & è converso?

Solutio. [Intelligentia forma universalis] [appetitus habitus] [immediatè mediatè] [natura potentia] [digestio compositio]

4. *Quæritur.* Utrum Angelus primam materiam diversificet sub quatuor universalibus formis simplicibus?

Solutio. [Intelligentia materia prima] [appetitus habitus] [natura elementa] [ignis aër] [aër aqua] [aqua terra] [ignis terra]

5. *Quæritur.* Utrum Angelus prudentiam habeat in hoc, quod operabitur natura?

Solutio. [Intelligentia natura] [AA] [motus orbis] [actus relatio] [ignis ignis] [ignis aër]

6. *Quæritur.* Utrum Angelus elementa moveat in virtute vel in substantia?

Solutio. [Intelligentia elementa simplicia] [forma materia] [mixtio digestio] [potentia objectum]

7. *Quæritur.* Utrum Angelus tam manifestè sensibilia percipiat sicut homo?

Solutio. [Intelligentia appetitus] [AA] [forma relatio] [dignitates actus] [ignis ignis]

8. *Quæritur.* Utrum Angelus distinctas potentias habeat in essentia?

Solutio. [Intelligentia potentia] [AA] [actus relatio] [gloria pœna] [BCDH]

9. *Quæritur.* Quomodo loquantur Angeli alius cum altero?

Solutio. [Intelligentia habitus] [AA] [dignitates actus] [forma relatio] [Charitas Justitia] [principium finis] [concordantia medium]

10. *Quæritur.* Utrum in Angelo habeatur actus ejus velocitatem?

Solutio. [Intelligentia actus] [AA] [EA] [ignis aër] [Charitas Justitia] [esse perfectio]

11. *Quæritur.* Utrum unus Angelus possit esse in altero?

Solutio. [Intelligentia mixtio] [AA] [forma ordinatio] [ignis ignis] [EAVY]

12. *Quæritur.* Utrum Angelus scientiam habeat per acquisitionem?

Solutio. [Intelligentia digestio] [AA] [forma ordinatio] [immediatè mediatè]

13. *Quæritur.* Quis Angelus magis convenienter loquitur cum homine, vel qui loquitur cum homine dormiente, vel cum homine vigilante?

Solutio. [Intelligentia compositio] [SS] [ignis aqua] [concordantia majoritas]

14. *Quæritur.* Utrum in qualitatibus Angelorum sit alteratio?

Solutio. [Intelligentia alteratio] [AA] [BF] [CG] [DH] [ignis ignis] [ignis aër]

De Orbe.

1. *QUæritur.* Utrum orbis per se moveatur?

Solutio. [Orbis orbis] [immediatè mediatè] [A. intelligentia] [ignis ignis] [ignis aër]

2. *Quæritur.* Utrum orbis influat habitum in universali forma, cum quo habituantur formæ particulares?

Solutio. [Orbis forma universalis] [A. intelligentia] [motus mixtio] [digestio compositio]

3. *Quæritur.* Utrum corpora cœlestia in primam materiam influant, aut in elementa?

Solutio. [Orbis materia prima] [immediatè mediatè] [ignis ignis] [ignis aqua]

4. *Quæritur.* Utrum corpora cœlestia movere possint elementa absque appetitu?

Solutio. [Orbis natura] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aqua] [mixtio digestio]

5. *Quæritur.* Utrum sol sit ignis simplex?

Solutio. [Orbis elementa simplicia] [mixtio digestio] [natura appetitus] [aër aqua] [ignis terra]

6. *Quæritur.* Utrum orbis moveat totam sphæram aquæ?

Solutio. [Orbis appetitus] [mixtio digestio] [operatio alteratio] [ignis terra]

7. *Quæritur.* Utrum compositio ignis existat in potentia & influentia solis?

Solutio. [Orbis potentia] [AA] [magnitudo æternitas] [appetitus habitus] [ignis terra] [ignis aër]

8. *Quæritur.* Utrum luna sit aqua simplex, quæ aqua elementum appellatur?

Solutio. [Orbis habitus] [aqua terra] [mixtio compositio] [appetitus digestio] [ignis aqua]

9. *Quæritur.* Utrum influentia solis sit de essentia ipsius solis?

Solutio. [Orbis actus] [potentia habitus] [digestio compositio] [mixtio alteratio]

10. *Quæritur.* Utrum solis radius sit corpus?

Solutio. [Orbis mixtio] [forma materia] [digestio compositio] [habitus alteratio] [BCDE]

11. *Quæritur.* Utrum, si digestio fieri possit in luna, maximam influentiam solis retardaret?

Solutio. [Orbis digestio] [appetitus actus] [motus alteratio] [ignis ignis] [ignis aqua]

12. *Quæritur.* Utrum splendor, quem luna à sole suscipit, sit retardatio magnitudinis in influentia aquæ?

Solutio. [Orbis compositio] [AA] [ignis ignis] [prima causa intelligentia] [EA] [majoritas finis]

13. *Quæritur.* Utrum figura terræ repræsentetur per solem in obscuritate lunæ, quemadmodum fit repræsentatio in duobus speculis compositis?

Solutio. [Orbis alteratio] [appetitus habitus] [potentia actus] [aqua terra] [ignis aqua]

De Forma.

1. *QUæritur.* Utrum sit forma universalis?

Solutio. [Forma universalis forma universalis] [A. intelligentia] [orbis materia] [appetitus potentia] [natura elementa] [habitus actus] [concordantia majoritas] [principium finis]

2. *Quæritur.* Utrum sit differentia in essentia & natura inter universalem formam & ideam?

Solutio. [Forma universalis materia prima] [AA] [AT] [magnitudo æternitas] [Deus creatura] [dignitates relatio] [ignis ignis] [mixtio compositio]

3. *Quæritur.* Utrum formæ particulares sint activæ & passivæ?

Solutio. [Forma universalis natura] [A. orbis] [actus mixtio] [ignis terra] [ignis aqua] [immediatè mediatè] [materia natura]

4. *Quæritur.* Utrum unum elementum nasci possit & procedere ab altero?

Solutio. [Forma universalis elementa simplicia] [AA] [SS] [VV] [TT] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra]

5. *Quæritur.* Utrum forma, quæ existit in potentia, habeat appetitum?

Solutio.

Solutio. [Forma universalis appetitus] [motus orbis] [mixtio digestio] [materia actus] [compositio alteratio] [aër aqua] [N E I]

6. *Quæritur.* Utrum particulares formæ existentes in potentia in materia sint per formam universalem?

Solutio. [Forma universalis potentia] [motus habitus] [appetitus actus] [digestio compositio]

7. *Quæritur.* Utrum in forma universali sint habituatæ omnes particulares formæ naturales?

Solutio. [Forma universalis habitus] [prima causa motus] [intelligentia orbis] [materia natura] [appetitus actus] [medium finis]

8. *Quæritur.* Utrum forma passionem habeat in qualitate passiva?

Solutio. [Forma universalis actus] [materia natura] [mixtio digestio] [ignis aër] [immediatè mediatè]

9. *Quæritur.* Utrum forma universalis in materia prima occupet locum?

Solutio. [Forma universalis mixtio] [motus compositio] [potentia actus] [ignis ignis] [ignis aër]

10. *Quæritur.* Utrum ignis tantum tribuat calorem, sicut recipit siccitatem?

Solutio. [Forma universalis digestio] [ignis aër] [ignis aqua] [ignis terra] [motus alteratio] [appetitus actus]

11. *Quæritur.* Utrum in principio, quando mundus creatus fuit, universalis forma & prima materia essent Elementorum?

Solutio. [Forma universalis compositio] [privatio elementa] [appetitus potentia] [habitus actus]

12. *Quæritur.* Utrum forma universalis & prima materia sint unum corpus, vel sint natura corporea existentes essentia multorum corporum?

Solutio. [Forma universalis alteratio] [motus orbis] [mixtio digestio] [appetitus compositio] [habitus actus] [potentia habitus] [natura elementa]

De Materia.

1. *QUæritur.* Utrum prima materia sit realiter vel secundùm rationem?

Solutio. [Materia prima materia prima] [intelligentia orbis] [appetitus actus] [potentia habitus] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua]

2. *Quæritur.* Quæ accidentia substantiæ insunt meliùs naturæ materiæ, quàm formæ?

Solutio. [Materia pxima natura] [forma appetitus] [potentia actus] [ignis aër]

3. *Quæritur.* Utrum prima materia sit una per essentiam & distincta per partes?

Solutio. [Materia prima elementa simplicia] [ignis aër] [aqua terra] [appetitus actus] [mixtio digestio] [compositio alteratio]

4. *Quæritur.* Utrum ignis possit esse simplex extra sphæram suam?

Solutio. [Materia prima appetitus] [potentia habitus] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua] [mixtio compositio] [motus actus]

5. *Quæritur.* Utrum prima materia possit esse passiva per compositionem in secunda materia, eò quòd ipsa propter simplicitatem suam in se nequeat esse passiva?

Solutio. [Materia prima potentia] [motus orbis] [natura elementa] [mixtio compositio] [ignis aër] [ignis terra]

6. *Quæritur.* Utrum passio sit perfectio primæ materiæ?

Solutio. [Materia prima habitus] [motus orbis] [appetitus actus] [esse privatio] [ignis terra] [ignis aqua] [I V Z]

7. *Quæritur.* Utrum ex actibus primæ materiæ producatur passiva qualitas?

Solutio. [Materia prima actus] [appetitus habitus] [forma digestio] [ignis terra] [aqua terra]

8. *Quæritur.* Utrum materia possit esse in materia, & forma in forma?

Solutio. [Materia prima mixtio] [motus orbis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [differentia concordantia] [natura appetitus] [esse privatio]

9. *Quæritur.* Utrum accidentia per formam procedant de materia?

Solutio. [Materia prima digestio] [B C D E] [ignis aër] [mixtio compositio]

10. *Quæritur.* Utrum prima materia sit in quantitate continua seu discreta?

Solutio. [Materia prima compositio] [motus forma] [orbis elementa] [mixtio digestio] [potentia actus]

11. *Quæritur.* Utrum tenebræ sint elementorum mixtio in lucis absentia]

Solutio. [Materia prima alteratio] [motus orbis] [aqua aqua] [mixtio digestio]

De Natura.

1. *QUæritur.* Utrum natura producatur in particularia formæ universalis & primæ materiæ?

Solutio.

Solutio. [Natura natura] [prima causa motus] [intelligentia orbis] [principia habitus] [principium medium] [concordantia finis] [ignis aër]

2. *Quæritur.* Quando composuerint elementatum formæ simplices elementorum, ubi sint, si non sint in ipso elementato?

Solutio. [Natura elementa simplicia] [forma materia] [motus orbis] [potentia actus] [appetitus habitus]

3. *Quæritur.* Quare lapis cadens majorem habet motum, quantò plus suo centro appropinquat?

Solutio. [Natura appetitus] [A A] [S S] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua] [esse privatio] [immediatè mediatè]

4. *Quæritur.* Utrum sint elementa simplicia id, quod non potest intrare compositionem?

Solutio. [Natura potentia] [motus orbis] [forma materia] [appetitus actus] [ignis aër] [ignis terra]

5. *Quæritur.* Quâ naturâ influat mare Angliæ?

Solutio. [Natura habitus] [motus orbis] [potentia alteratio] [ignis aër] [ignis aqua] [mixtio digestio] [forma compositio]

6. *Quæritur.* Quâ naturâ sit mare salsum?

Solutio. [Natura actus] [motus orbis] [ignis terra] [terra terra] [ignis ignis] [mixtio alteratio] [V R]

7. *Quæritur.* Utrum ignis majorem habeat levitatem, quàm aqua ponderositatem?

Solutio. [Natura mixtio] [digestio compositio] [motus alteratio] [Justitia temperantia] [aër terra]

8. *Quæritur.* Utrum ignis, si non calefaciat, non à terra recipiat siccitatem?

Solutio. [Natura digestio] [A A] [largitas simplicitas] [ignis aqua] [principium finis]

9. *Quæritur.* Utrum naturæ conveniat meliùs simplificare, quàm componere?

Solutio. [Natura compositio] [forma materia] [motus orbis] [appetitus actus] [A A] [S S] [X X] [ignis ignis] [ignis aër] [temperantia gula]

10. *Quæritur.* Utrum sit necessarium, quòd elementa sint in numero tantùm quatuor?

Solutio. [Natura alteratio] [forma materia] [appetitus potentia] [habitus habitus] [mixtio digestio] [motus compositio]

De Elementis simplicibus.

1. *QUæritur.* Utrum ex simplicibus elementis possint fieri partes essentiales vel integrales?

Solutio. [Elementa simplicia elementa simplicia] [motus orbis] [forma materia] [mixtio digestio] [ignis ignis] [S S]

2. *Quæritur.* Utrum elementa simplicia sint corpora vel extra naturam corpoream?

Solutio. [Elementa simplicia appetitus] [motus orbis] [forma materia] [ignis ignis] [aqua aqua] [Justitia fortitudo] [habitus actus] [mixtio digestio]

3. *Quæritur.* Utrum aliquod elementum habeat per se motum?

Solutio. [Elementa simplicia potentia] [immediatè mediatè] [orbis forma] [ignis ignis] [ignis terra] [E I] [natura alteratio]

4. *Quæritur.* Utrum ignis alteram formam habeat in habitu præter illam, quæ suæ pertinet qualitati?

Solutio. [Elementa simplicia habitus] [prima causa motus] [intelligentia orbis] [forma materia] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [appetitus actus]

5. *Quæritur.* Utrum ignis majorem habeat concordantiam cum operatione aëris, quàm terræ?

Solutio. [Elementa simplicia actus] [appetitus potentia] [mixtio digestio] [mixtio compositio] [natura alteratio] [orbis forma]

6. *Quæritur.* Utrum unum elementum simplex possit esse in altero?

Solutio. [Elementa simplicia mixtio] [digestio compositio] [natura elementa] [natura alteratio] [motus orbis] [forma materia] [appetitus potentia] [A A] [E I] [ignis aër] [ignis aqua]

7. *Quæritur.* Utrum calor & lux ignis sint eadem potentia?

Solutio. [Elementa simplicia digestio] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [motus orbis] [forma materia] [compositio digestio] [D H] [H R] [R R]

8. *Quæritur.* Utrum ignis intrare posset compositionem, si esset per se siccus?

Solutio. [Elementa simplicia compositio] [orbis digestio] [appetitus actus] [ignis ignis] [ignis aqua] [esse privatio]

9. *Quæritur.* Utrum tenebræ sint propter privationem illuminandi & calefaciendi?

Solutio. [Elementa simplicia alteratio] [motus orbis] [ignis aër] [ignis aqua] [ignis terra] [habitus actus] [mixtio digestio] [D H]

De Appetitu.

1. *Quæritur.* Utrum naturalis appetitus sit potentia activa & passiva?
Solutio. [Appetitus appetitus] [immediatè mediatè] [intelligentia orbis] [motus habitus] [ignis aër] [ignis terra] [BCDE] [forma materia]
2. *Quæritur.* Utrum appetitus moveat sine medio formam de potentia ad actum?
Solutio. [Appetitus potentia] [ignis ignis] [ignis aër] [motus orbis] [habitus actus] [immediatè mediatè] [principium finis]
3. *Quæritur.* Utrum appetitus existat in virtutibus, quas Deus dedit verbis, lapidibus & herbis?
Solutio. [Appetitus habitus] [AA] [actus relatio] [EAVY] [motus forma] [ignis ignis]
4. *Quæritur.* Quare adamas h. e. magnes contradicat ferro & Jaspis sanguini in fluere?
Solutio. [Appetitus actus] [esse privatio] [AA] [ignis ignis] [motus orbis] [appetitus compositio]
5. *Quæritur.* Utrum terra majorem habeat ponderositatem in aëre, quàm in igne?
Solutio. [Appetitus mixtio] [ignis terra] [aër terra] [forma materia] [DH]
6. *Quæritur.* Quare mulus non generat?
Solutio. [Appetitus digestio] [AA] [concordantia æqualitas] [ignis aër] [ignis aqua] [differentia minoritas] [motus alteratio]
7. *Quæritur.* Utrum compositio in substantia sit magis appetibilis, quàm simplicitas in accidentibus?
Solutio. [Appetitus compositio] [AA] [magnitudo simplicitas] [esse privatio]
8. *Quæritur.* Utrum substantia sit magis corruptibilis per partes essentiales, vel integrales vel accidentales?
Solutio. [Appetitus alteratio] [forma materia] [ignis ignis] [ignis aër] [habitus actus]

De Potentia.

1. *Quæritur.* Utrum ignis ex entitate sua calefaciat in elementato?
Solutio. [Potentia potentia] [ignis ignis] [AA] [magnitudo largitas] [esse perfectio] [appetitus actus]
2. *Quæritur.* Utrum forma existens in habitu sit potentia?
Solutio. [Potentia habitus] [habitus actus] [digestio alteratio] [esse privatio]
3. *Quæritur.* Quod est medium, per quod sanitas & infirmitas inter se adversantur?
Solutio. [Potentia actus] [habitus mixtio] [digestio alteratio] [RR] [ignis aër] [ignis aqua]
4. *Quæritur.* Utrum illud sit materia prima, unde procedit forma, in qua non recipitur materia tota?
Solutio. [Potentia mixtio] [AA] [ignis ignis] [esse perfectio] [esse privatio]
5. *Quæritur.* Utrum elementa simplicia, quæ movent & moventur ad compositionem, habeant aliam vitam, an solum potentiam sensitivam?
Solutio. [Potentia digestio] [prima causa motus] [orbis natura] [forma materia] [immediatè mediatè] [affirmatio negatio]
6. *Quæritur.* Utrum potentia vegetativa sit de natura corporea aut corpus?
Solutio. [Potentia compositio] [forma materia] [appetitus actus] [natura habitus]
7. *Quæritur.* Utrum illa forma, quæ movetur ad actum, moveat alteram formam?
Solutio. [Potentia alteratio] [appetitus habitus] [ignis ignis] [NA] [EA] [actus relatio]

De Habitu.

1. *Quæritur.* Utrum ignis habeat in habitu siccitatem propter influentiam orbis sui vel terræ?
Solutio. [Habitus habitus] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [EY] [IZ]
2. *Quæritur.* Utrum habitus sit propinquior actui, quàm potentiæ?
Solutio. [Habitus actus] [principium medium] [appetitus finis] [esse privatio] [aër terra]
3. *Quæritur.* Utrum ex multitudine habituum possit fieri mixtio?
Solutio. [Habitus mixtio] [VV] [forma materia] [appetitus actus] [principium finis]
4. *Quæritur.* Utrum habitus producatur per formam, materiam & privationem?
Solutio. [Habitus digestio] [EVY] [NVY] [ignis aër] [ignis aqua] [appetitus actus]
5. *Quæritur.* Utrum habitus sit medium compositum ex potentia & actu?
Solutio. [Habitus compositio] [motus appetitus] [potentia actus] [aër aqua]

6. *Quæritur.* Utrum lux & calor in igne & aëre sint in eodem habitu?
Solutio. [Habitus alteratio] [ignis ignis] [ignis aqua] [esse privatio] [EAVY]

De Actu.

1. *Quæritur.* Utrum calor oriatur & procedat ab igne simplici in ignem compositum per elementum?
Solutio. [Actus actus] [forma materia] appetitus potentia] [habitus mixtio] [ignis ignis]
2. *Quæritur.* Utrum elementum existens simplex intret mixtionem?
Solutio. [Actus mixtio] [natura elementa] [appetitus potentia] [habitus digestio] [virtus majoritas]
3. *Quæritur.* Utrum lumen ex essentia & natura sua generet aliud lumen, dum una candela incenditur ab altera?
Solutio. [Actus digestio] [AA] [EA VY] [IVZ] [orbis forma] [motus materia] [ignis ignis] [ignis aër]
4. *Quæritur.* Quomodo intrant elementa compositionem & quomodo existunt simplicia?
Solutio. [Actus compositio] [AA] [BCDE] [ignis ignis] [ignis aër] [forma materia] [motus orbis] [natura elementa] [appetitus potentia]
5. *Quæritur.* Utrum formæ, quæ deveniunt in privationem, remaneant in habitu in universali forma & in materia prima?
Solutio. [Actus alteratio] [prima causa intelligentia] [principium finis] [motus orbis] [potentia appetitus] [esse perfectio] [EA] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]

De Mixtione.

1. *Quæritur.* Utrum mixtio sit in tanta quantitate in digestione, sicut in compositione?
Solutio. [Mixtio mixtio] [appetitus actus] [RN] [EI] [ignis ignis] [ignis aër]
2. *Quæritur.* Utrum per digestionem fiat vacuum mixtionis & repletio compositionis?
Solutio. [Mixtio digestio] [esse privatio] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [EAVY] [IVZ]
3. *Quæritur.* Utrum in multiplicatione partium multiplicetur universale?
Solutio. [Mixtio compositio] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [forma materia] [motus alteratio] [EAVY]
4. *Quæritur.* Utrum totum sit locus suarum partium?
Solutio. [Mixtio alteratio] [forma materia] [ignis aër] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aqua]

De Digestione.

1. *Quæritur.* Utrum unus locus possit esse in altero?
Solutio. [Digestio digestio] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [EAVY] [IVZ] [motus alteratio] [forma materia]
2. *Quæritur.* Utrum ignis calefacit objectum humiditatis, aut humiditatem?
Solutio. [Digestio compositio] [principium medium] [forma materia] [appetitus actus]
3. *Quæritur.* Quare materia in generatione plùs distet ab esse, quàm forma, & quare in corruptione sit propinquior?
Solutio. [Digestio alteratio] [motus natura] [appetitus actus] [AA]

De Compositione.

1. *Quæritur.* Utrum elementatum conservetur per formas simplices aut per communem formam?
Solutio. [Compositio compositio] [forma materia] [ignis ignis] [aër aër] [aqua aqua] [terra terra] [appetitus actus]
2. *Quæritur.* Utrum communis forma, quæ cum communi materia conveniens componit corpus, habet ita locum specificum in corpore, sicut habet communis sensus cum quinque particularibus?
Solutio. [Compositio alteratio] [ignis ignis] [ignis aër] [appetitus potentia] [habitus actus] [motus intelligentia] [forma materia]

De Alteratione.

Quæritur. Utrum alteratio incipiat priùs in forma, quàm in materia?
Solutio. [Alteratio alteratio] [motus intelligentia] [forma materia] [ignis ignis] [ignis aër] [appetitus actus] [esse privatio]

Incipiunt Quæstiones
De Principiis Juris, & primò de forma Juris.

1. *Quæritur.* Quæ sit forma in Jure?
Solutio. [Forma forma] [AA] [SS] [VV] [EAVY] [IVZ] [ignis aër] [habitus actus]
2. *Quæritur.* Utrum forma & materia & privatio sint generalia principia Juris?

Solutio. [Forma materia] [appetitus alteratio] [esse privatio]

3. *Quæritur.* Utrum jus majorem habeat dependentiam ad formam, quàm ad materiam?

Solutio. [Forma jus] [A S] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [potentia objectum]

4. *Quæritur.* In quo existit forma juris communis?

Solutio. [Forma commune] [Charitas Justitia] [A A] [ignis aër] [minoritas æqualitas]

5. *Quæritur.* Utrum materia juris communis sit tantùm necessaria, sicut forma juris specialis?

Solutio. [Forma speciale] [concordantia majoritas] [appetitus actus]

6. *Quæritur.* Quomodo quoddam jus convenit cum altero?

Solutio. [Forma naturale] [A S] [S S] [ignis ignis] [commune speciale] [principium finis]

7. *Quæritur.* Utrum electio sit magis necessaria per jus naturale, quàm per positivum?

Solutio. [Forma positivum] [A A] [E I Y Z] [ignis ignis] [substantia accidentia] [prima intentio secunda intentio]

8. *Quæritur.* Quomodo divinæ dignitates influant jus?

Solutio. [Forma canonicum] [dignitates actus] [B C D] [F G H] [V V] [Y Z]

9. *Quæritur.* Utrum in Jure civili habeat forma majorem concordantiam cum Justitia, quàm materia in divino?

Solutio. [Forma civile] [prima intentio secunda intentio] [appetitus actus] [A A] [ignis ignis]

10. *Quæritur.* Utrum Judex avarus sit magis recusabilis, quàm superbus?

Solutio. [Forma consuetudinale] [A A] [largitas simplicitas] [ignis terra] [ignis aër]

11. *Quæritur.* Quomodo debeat fieri judicium?

Solutio. [Forma theoricum] [naturale practicum] [E A V Y] [I V Z] [digestio compositio] [orbis elementa]

12. *Quæritur.* Utrum jus sit plùs amandum, quàm timendum?

Solutio. [Forma practicum] [D H] [E Y] [I Z] [prima intentio secunda intentio]

13. *Quæritur.* Quomodo misceantur alia jura cum aliis?

Solutio. [Forma nutritivum] [mixtio digestio] [V V] [prima intentio secunda intentio] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua]

14. *Quæritur.* Utrum forma Juris Canonici sit magis naturalis, quàm Juris civilis?

Solutio. [Forma comparativum] [A A] [S S] [ignis ignis] [ignis terra] [medium finis]

15. *Quæritur.* Utrum jus possit esse in majori magnitudine in una potentia animæ, quàm in altera?

Solutio. [Forma antiquum] [D H] [C. ignis] [B. aqua] [differentia concordantia] [prima intentio secunda intentio]

16. *Quæritur.* In quod trium potest esse jus in majori magnitudine, aut in Judice, aut in actore, aut in reo?

Solutio. [Forma novum] [D H] [D. liberum arbitrium] [motus forma] [orbis materia] [prima intentio secunda intentio] [Charitas Fortitudo]

De materia Juris.

1. *QUæritur.* Quæ sit materia Juris?

Solutio. [Materia materia] [concordantia medium] [principium finis] [aër terra] [ignis aqua]

2. *Quæritur.* Utrum jus oriatur ex materia & forma?

Solutio. [Materia jus] [B C D E] [ignis ignis] [ignis aër] [appetitus actus] [potentia habitus]

3. *Quæritur.* In quo existit materia Juris communis?

Solutio. [Materia commune] [speciale speciale] [naturale canonicum] [concordantia æqualitas] [motus mixtio]

4. *Quæritur.* Quomodo jus in multas species diversificatur?

Solutio. [Materia speciale] [D H] [V V] [finis finis] [prima intentio secunda intentio]

5. *Quæritur.* Utrum materia Juris naturalis sit plùs tenenda, quàm forma Juris positivi?

Solutio. [Materia naturale] [N Y] [E Y] [I Z] [theoricum practicum] [majoritas minoritas] [esse privatio]

6. *Quæritur.* Utrum jus priùs incipiat in potentia intellectiva, quàm in volitiva?

Solutio. [Materia positivum] [A A] [actus relatio] [voluntas Justitia] [M Y Z] [C Y Z] [D H] [Y Z]

7. *Quæritur.* Utrum jus priùs præeat in potentia volitiva, quàm in intellectiva?

Solutio. [Materia canonicum] [D. liberum arbitrium] [Y Z] [C Y Z] [meritum culpa]

8. *Quæritur.* Utrum scientia Theologiæ sit Simoniæ magis contraria, quàm scientia Juris?

Solutio. [Materia civile] [forma naturale] [ignis terra] [ignis aqua] [A A]

9. *Quæritur.* Utrum Jus in consuetudine plùs sequatur materiam, quàm formam?

Solutio. [Materia consuetudinale] [prima intentio secunda intentio] [naturale positivum]

10. *Quæritur.* Utrum Judex priùs inquirere debeat materiam juris, quàm formam?

Solutio. [Materia Theoricum] [differentia finis] [ignis aër] [ignis aqua]

11. *Quæritur.* Utrum secundùm jus appellandum sit de sententia, quæ veram formam habet, materiam verò corruptam?

Solutio. [Materia practicum] [nutritivum comparativum] [differentia concordantia] [potentia actus] [appetitus habitus]

12. *Quæritur.* Utrum jus nutriri possit ex vitiis?

Solutio. [Materia nutritivum] [prima intentio canonicum] [secunda intentio civile]

13. *Quæritur.* Quod jus est substantiale, & quod accidentale?

Solutio. [Materia comparativum] [E A] [E V Z] [I V Z] [prima intentio secunda intentio] [ignis aër] [ignis aqua] [ignis ignis]

14. *Quæritur.* Utrum Justitia & injuria sint plùs contraria in intellectu & voluntate, quàm in memoria, & plùs in intellectu, quàm in memoria & voluntate?

Solutio. [Materia antiquum] [sapientia voluntas] [Justitia simplicitas] [magnitudo largitas]

15. *Quæritur.* Utrum materia Juris antiqui corrumpatur in ortu per cessionem & & conservationem Juris novi?

Solutio. [Materia novum] [motus orbis] [mixtio digestio] [ignis ignis] [forma alteratio]

De Jure.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus?

Solutio. [Jus Jus] [E A V Y] [I V Z] [creatura operatio] [appetitus actus]

2. *Quæritur.* Quare Jus est?

Solutio. [Jus commune] [A A] [Charitas Justitia] [E Y] [Y Z] [V V]

3. *Quæritur.* Quomodo Jus investigatur?

Solutio. [Jus speciale] [E A V Y] [I V Z] [ignis ignis] [ignis terra] [ignis aër] [ignis aqua] [commune naturale]

4. *Quæritur.* Quomodo jus invenitur?

Solutio. [Jus, naturale] [Charitas Charitas] [Justitia Justitia] [ignis ignis] [ignis aër]

5. *Quæritur.* Quomodo Jus conservatur?

Solutio. [Jus, positivum] [commune naturale] [canonicum civile] [A A] [ignis ignis] [ignis aqua]

6. *Quæritur.* Utrum Jus civile sit plùs imaginabile, quàm Jus canonicum?

Solutio. [Jus, canonicum] [A A] [ignis ignis] [Spes Charitas] [Justitia luxuria]

7. *Quæritur.* Utrum jus canonicum sit magis intelligibile, quàm civile?

Solutio. [Jus, civile] [E A] [E V Y] [I A] [I V Z] [ignis ignis] [theoricum practicum]

8. *Quæritur.* Quare jus consuetudinale conveniat meliùs juri civili, quàm juri canonico?

Solutio. [Jus, consuetudinale] [forma materia] [mixtio alteratio] [esse privatio]

9. *Quæritur.* Utrum jus existat in majori magnitudine in theorico, quàm in practico?

Solutio. [Jus, theoricum] [forma materia] [principium finis] [Charitas Justitia]

10. *Quæritur.* Utrum jus positivum possit esse antè, quàm jus naturale?

Solutio. [Jus, practicum] [N V Y] [E V Z] [I V Y] [nutritivum comparativum] [A A] [immediatè mediatè]

11. *Quæritur.* Quomodo jus nutriatur?

Solutio. [Jus, nutritivum] [Charitas prudentia] [concordantia æqualitas] [ignis ignis] [principium medium]

12. *Quæritur.* Utrum Jus sit actus virtutum vel potentia per se stans?

Solutio. [Jus, comparativum] [antiquum novum] [E V Y] [I V Z] [habitus actus] [digestio alteratio]

13. *Quæritur.* Quomodo jus debeat allegari?

Solutio. [Jus, antiquum] [A A] [E A V Y] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua] [prima intentio secunda intentio]

14. *Quæritur.* Quomodo Jus debeat constitui?

Solutio. [Jus, novum] [forma materia] [A A] [ignis ignis] [E A V Y] [I V Z]

De Jure Communi.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus commune?

Solutio. [Commune commune] [speciale speciale] [concordantia æqualitas] [principium finis] [ignis ignis] [E E] [I I] [V V]

2. *Quæ-*

2. *Quæritur.* In quo est major Charitas, vel in jure communi vel in speciali?

Solutio. [Commune speciale] [commune majoritas] [speciale minoritas] [prudentia fortitudo] [AA]

3. *Quæritur.* Utrum necessitas sit contra jus?

Solutio. [Commune naturale] [prima intentio secunda intentio] [ignis aqua] [nutritivum alteratio] [forma materia] [Charitas Justitia] [fortitudo temperantia]

4. *Quæritur.* Utrum pauper habeat jus in bonis divitis?

Solutio. [Commune positivum] [naturale speciale] [Charitas Justitia] [prudentia invidia]

5. *Quæritur.* Utrum doctrina sit magis necessaria homini infideli, quàm eleemosyna pauperi?

Solutio. [Commune canonicum] [EA] [IVZ] [medium finis] [prima intentio secunda intentio]

6. *Quæritur.* Utrum propter suspicionem debeat alicui tradi quæstio in tormentis?

Solutio. [Commune civile] [materia nutritivum] [NY] [EY] [IZ] [immediatè mediatè]

7. *Quæritur.* Utrum licitum sit occidere infidelem absque prædicatione & doctrina?

Solutio. [Commune consuetudinale] [Charitas Justitia] [Fides Spes] [prudentia fortitudo]

8. *Quæritur.* Utrum bona intentio condemnari possit secundùm jus & è converso?

Solutio. [Commune Theoricum] [NZ] [Fides Charitas] [RR] [principium finis] [immediatè mediatè] [materia nutritivum]

9. *Quæritur.* Utrum in hoc mundo sit plùs juris, quàm injuriæ?

Solutio. [Commune practicum] [esse privatio] [EAVY] [IAVZ] [ignis aër] [ignis aqua]

10. *Quæritur.* Utrum jus speciale sit magis conservabile, quàm commune secundùm jus naturale?

Solutio. [Commune nutritivum] [naturale positivum] [immediatè mediatè] [acedia invidia]

11. *Quæritur.* Quomodo jus calumnietur?

Solutio. [Commune comparativum] [NEIR] [canonicum civile] [prima intentio secunda intentio] [YZ] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]

12. *Quæritur.* Utrum jus esset, si culpa non esset?

Solutio. [Commune antiquum] [motus orbis] [ignis aër] [ignis terra] [EAY] [principia objectum]

13. *Quæritur.* Quod est jus magis dilatorium aut novum, aut antiquum?

Solutio. [Commune novum] [nutritivum comparativum] [forma materia] [NY] [EY] [appetitus actus] [habitus digestio]

De Jure Speciali.

1. *QUæritur.* Quid sit jus speciale?

Solutio. [Speciale speciale] [commune concordantia] [principium finis] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum Fides & prudentia habeant virtutem specificam in jure speciali & naturali?

Solutio. [Speciale naturale] [NY] [EY] [IZ] [Suppositio demonstratio]

3. *Quæritur.* Utrum in forma juris communis sint æquales formæ juris specialis?

Solutio. [Speciale positivum] [prima intentio secunda intentio] [ignis aër] [ignis terra]

4. *Quæritur.* Quæ trium potentiarum animæ plus peccet in perjurio?

Solutio. [Speciale canonicum] [D. prima intentio] [B. C. secunda intentio] [HY] [motus orbis]

5. *Quæritur.* Utrum reus habeatur tam suspectus sicut actor?

Solutio. [Speciale civile] [AA] [DH] [ignis aër] [ignis terra] [forma materia]

6. *Quæritur.* Utrum consuetudo plùs specificet jus speciale, quàm commune?

Solutio. [Speciale consuetudinale] [forma materia] [nutritivum novum] [digestio alteratio]

7. *Quæritur.* Quomodo jus doceatur?

Solutio. [Speciale Theoricum] [AA] [SS] [VV] [ignis ignis] [EAVY] [IVZ]

8. *Quæritur.* Utrum practica Juris naturalis sit in majori usu, quàm Juris positivi?

Solutio. [Speciale practicum] [NYZ] [EY] [IZ] [ignis aër] [ignis aqua] [ignis terra]

9. *Quæritur.* Utrum simili crimine debeat plùs puniri civis, quàm rusticus?

Solutio. [Speciale nutritivum] [EINR] [mixtio digestio] [esse privatio] [majoritas minoritas]

10. *Quæritur.* Utrum civis debeat habere majus privilegium, quàm rusticus?

Solutio. [Speciale comparativum] [ignis ignis] [concordantia majoritas] [EAVY] [IVZ]

11. *Quæritur.* Quomodo jura particularia inveniantur in jure universali?

Solutio. [Speciale antiquum] [AS] [TV] [XY] [RZ] [ignis aër] [ignis aqua]

12. *Quæritur.* Utrum pauper homo sit in testimonio acceptabilior, quàm mulier dives?

Solutio. [Speciale novum] [substantia accidens] [esse privatio] [aër aër] [aër aqua]

De Jure Naturali.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus naturale

Solutio. [Naturale naturale] [AA] [dignitates relatio] [SS] [EAVY] [IVZ] [aër aër] [aër aqua] [aër terra]

2. *Quæritur.* Quomodo Jus existat in potentia rationali?

Solutio. [Naturale positivum] [SS] [BCDE] [FGHI] [appetitus actus] [potentia habitus]

3. *Quæritur.* Quomodo jus existat in potentia memorativa?

Solutio. [Naturale canonicum] [potentia objectum] [suppositio ratio] [mixtio digestio] [realitas demonstratio] [BAVY] [FVY]

4. *Quæritur.* Quomodo jus existat in potentia intellectiva?

Solutio. [Naturale civile] [differentia concordantia] [contrarietas finis] [habitus actus] [forma materia] [EAVY] [IVZ]

5. *Quæritur.* Quomodo jus existat in potentia volitiva?

Solutio. [Naturale consuetudinale] [motus orbis] [meritum liberum arbitrium] [DAVY] [HVZ]

6. *Quæritur.* Quod est objectum juris?

Solutio. [Naturale theoricum] [EAVY] [IVZ] [MAVYZ]

7. *Quæritur.* Quomodo Philosophia in Jure debeat allegari?

Solutio. [Naturale practicum] [prima causa forma] [potentia actus] [EINR] [ignis ignis] [ignis aër]

8. *Quæritur.* Quomodo jus est opinabile?

Solutio. [Naturale nutritivum] [materia forma] [meritum contrarietas] [NR] [ignis aqua] [mixtio alteratio]

9. *Quæritur.* Quomodo jus est imaginabile?

Solutio. [Naturale comparativum] [AA] [SS] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis aqua]

10. *Quæritur.* Quomodo jus existit in sensu communi quinque sensibus corporalibus?

Solutio. [Naturale; antiquum] [BCDE] [ignis aër] [ignis aqua] [orbis natura]

11. *Quæritur.* Quomodo jus existit in quinque sensibus corporalibus?

Solutio. [Naturale, novum] [potentia objectum] [forma materia] [habitus actus]

De Jure positivo.

1. *QUæritur.* Quid sit jus positivum?

Solutio. [Positivum positivum] [voluntas dominium] [motus materia] [ignis aër] [ignis aqua] [suppositio ratio] [NR]

2. *Quæritur.* Utrum jus canonicum plus timendum sit, quàm civile?

Solutio. [Positivum canonicum] [EAVY] [IVZ] [prima intentio secunda intentio]

3. *Quæritur.* Cui advocato credendum est, aut illi, qui allegat jus naturale, aut illi, qui allegat jus positivum?

Solutio. [Positivum civile] [prima intentio secunda intentio] [forma materia] [differentia finis] [VV]

4. *Quæritur.* Utrum consuetudo conveniat melius cum jure naturali, quàm cum positivo?

Solutio. [Positivum consuetudinale] [forma materia] [medium finis] [esse privatio]

5. *Quæritur.* Utrum in Jure sit tam necessaria Philosophia, sicut in Medicina?

Solutio. [Positivum theoricum] [AA] [SS] [ignis ignis] [prima intentio secunda intentio] [EAVY] [IVZ]

6. *Quæritur.* Utrum homicidium sit plùs timendum per jus naturale, quàm per positivum?

Solutio. [Positivum practicum] [AA] [Charitas Justitia] [prudentia fortitudo] [EINR]

7. *Quæritur.* Utrum secundùm jus naturale vel positivum, mulier plus puniri debeat per luxuriam, quàm vir?

Solutio. [Positivum nutritivum] [EINR] [differentia majoritas] [VV] [potentia liberum arbitrium] [meritum culpa] [esse privatio]

8. *Quæritur.* Utrum matrimonium plùs se habeat ad jus naturale, quàm ad positivum?

Solutio. [Positivum comparativum] [AA] [SS] [ignis ignis] [actus relatio] [forma ordinatio] [VV]

9. *Quæritur.* Utrum matrimonii copula sit tanta in practica, sicut in theorica?
Solutio. [Positivum antiquum] [principium finis] [forma materia] [positivum nutritivum] [differentia concordantia]
10. *Quæritur.* Utrum advocatus sit ita obligatus ad advocandum per testimonium, sicut Judex ad judicandum?
Solutio. [Positivum novum] [forma materia] [prima intentio secunda intentio] [potentia liberum arbitrium]

De Jure Canonico.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus Canonicum?
Solutio. [Canonicum canonicum] [misericordia dominium] [ævum nutritivum] [ignis ignis] [actus relatio]
2. *Quæritur.* Quomodo Jus canonicum & civile diversificatur per misericordiam & Justitiam?
Solutio. [Canonicum civile] [Charitas Justitia] [Justitia fortitudo] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]
3. *Quæritur.* Utrum infamia magis punienda sit in Jure canonico, quàm in civili?
Solutio. [Canonicum consuetudinale] [prima intentio secunda intentio] [EAVY] [IVZ]
4. *Quæritur.* Utrum condemnatio inferat majus damnum reo, quàm actori?
Solutio. [Canonicum Theoricum] [Charitas Fortitudo] [meritum culpa] [orbis natura]
5. *Quæritur.* Utrum jus canonicum sit magis probabile, quàm civile?
Solutio. [Canonicum practicum] [AA] [SS] [ignis ignis] [orbis forma] [prima intentio secunda intentio] [esse privatio] [YZ]
6. *Quæritur.* Utrum per culpam puniatur tantùm Episcopus, sicut Abbas?
Solutio. [Canonicum nutritivum] [DH] [VV] [YZ] [forma materia] [differentia majoritas]
7. *Quæritur.* Utrum Jus Canonicum sit magis contrarium Simoniæ, quàm jus civile avaritiæ & luxuriæ?
Solutio. [Canonicum comparativum] [AA] [EA] [VY] [IVZ] [majoritas minoritas] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]
8. *Quæritur.* In qua trium potentiarum animæ existat melius prælatio in Prælato?
Solutio. [Canonicum antiquum] [C. Justitia] [actus relatio] [theoricum nutritivum]
9. *Quæritur.* In qua trium potentiarum animæ existat melius religio?
Solutio. [Canonicum novum] [DM] [Spes Charitas] [ignis ignis]

De Jure Civili.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus Civile?
Solutio. [Civile civile] [D. Justitia] [HVZ] [secunda intentio materia] [aqua terra]
2. *Quæritur.* Utrum in jure civili sit confessio tam necessaria, sicut in canonico?
Solutio. [Civile consuetudinale] [EA VY] [IVZ] [ignis ignis] [aër terra]
3. *Quæritur.* Utrum in Jure canonico sit magis necessaria pœnitentia, quàm in civili punitio?
Solutio. [Civile Theoricum] [EVY] [IVZ] [NR] [mixtio digestio]
4. *Quæritur.* Utrum sit jus prædestinatum?
Solutio. [Civile practicum] [meritum liberum arbitrium] [EI] [VZ] [appetitus actus] [AA]
5. *Quæritur.* Utrum clericus puniri debeat potiùs per jus civile, quàm per jus canonicum?
Solutio. [Civile nutritivum] [Charitas Justitia] [Fides Spes] [ignis ignis]
6. *Quæritur.* Utrum Sacerdos peccatis parcere possit?
Solutio. [Civile comparativum] [AA] [magnitudo largitas] [Justitia misericordia] [ignis ignis] [Fides Spes]
7. *Quæritur.* Utrum jus antiquum sit tantùm necessarium sicut novum?
Solutio. [Civile antiquum] [BD] [NR] [ignis aqua] [motus orbis]
8. *Quæritur.* Utrum satisfactio & punitio possit fieri melius per jus canonicum, quàm civile?
Solutio. [Civile novum] [EINR] [ignis ignis] [ignis aqua] [motus orbis]

De Jure Consuetudinali.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus consuetudinale?
Solutio. [Consuetudinale consuetudinale] [materia alteratio] [appetitus forma] [differentia concordantia]
2. *Quæritur.* Utrum Judex possit ita bene investigare jus per metaphoras similes, sicut per contrarias?
Solutio. [Consuetudinale theoricum] [AA] [EE] [II] [DH] [ignis ignis] [ignis aqua] [motus orbis]

3. *Quæ-*

3. *Quæritur.* Utrum affirmatio & negatio habeant in jure æqualem dignitatem?
Solutio. [Consuetudinale practicum] [AA] [SS] [YY] [ignis ignis] [DH] [esse privatio]
4. *Quæritur.* Quæ est magis evitanda in procuratore, aut ignorantia aut avaritia?
Solutio. [Consuetudinale nutritivum] [NR] [IVY] [meritum culpa] [gloria ævum] [AA] [esse privatio]
5. *Quæritur.* Utrum quædam consuetudo possit calumniari per alteram?
Solutio. [Consuetudinale comparativum] [EAV] [IVZ] [immediatè mediatè] [ignis ignis]
6. *Quæritur.* Utrum antiqua consuetudo tantùm tenenda sit, sicut nova?
Solutio. [Consuetudinale antiquum] [forma materia] [medium finis] [ignis ignis] [ignis aqua]
7. *Quæritur.* Utrum consuetudo majorem habeat concordantiam cum jure novo, quàm cum antiquo?
Solutio. [Consuetudinale novum] [principium finis] [medium finis] [esse privatio] [appetitus alteratio]

De Jure Theorico.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus Theoricum?
Solutio. [Theoricum theoricum] [EAVY] [IVZ] [ignis ignis] [AA]
2. *Quæritur.* Utrum jus oritur de theorica & procedit in practica?
Solutio. [Theoricum practicum] [suppositio demonstratio] [EAVY] [IVZ] [ignis aër] [appetitus actus] [intelligentia orbis]
3. *Quæritur.* Quare reddere sit gravius, quàm dare?
Solutio. [Theoricum nutritivum] [EA] [magnitudo largitas] [principium finis] [avaritia invidia] [esse privatio]
4. *Quæritur.* Quare forma juris conveniat cum Theorica & materia cum practica?
Solutio. [Theoricum comparativum] [AA] [ignis ignis] [ignis aqua] [ignis aër]
5. *Quæritur.* Cui testi melius credendum est, aut læto aut irato?
Solutio. [Theoricum antiquum] [AA] [SS] [ignis ignis] [DH] [affirmatio negatio]
6. *Quæritur.* Utrum Judex priùs possit invenire veritatem per relationem, quàm per æqualitatem?
Solutio. [Theoricum novum] [AA] [actus relatio] [orbis natura] [esse privatio] [ignis ignis] [ignis aër]

De Jure practico.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus practicum?
Solutio. [Practicum practicum] [EI VYZ] [ignis aër] [ignis terra] [principium medium]
2. *Quæritur.* Utrum testamentum possit calumniari tantùm contra intellectum testatoris, sicut contra voluntatem ejus?
Solutio. [Practicum nutritivum] [forma materia] [esse privatio] [CD]
3. *Quæritur.* Quomodo fiat comparatio unius juris cum altero?
Solutio. [Practicum comparativum] [AA] [SS] [VV] [ignis ignis] [prima intentio secunda intentio]
4. *Quæritur.* Utrum Philosophia in Jure debeat allegari?
Solutio. [Practicum antiquum] [prima causa forma] [potentia actus] [EINR] [ignis ignis] [ignis aër]
5. *Quæritur.* Utrum practica juris conveniat intellectui per formam & voluntati per materiam?
Solutio. [Practicum novum] [ignis ignis] [ignis aër] [differentia concordantia] [forma materia]

De Jure nutritivo.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus nutritivum?
Solutio. [Nutritivum nutritivum] [principium medium] [EAVY] [IVZ] [ignis ignis] [ignis aër] [ignis terra] [ignis aqua]
2. *Quæritur.* Utrum jus plùs nutriatur per materiam, quàm per formam?
Solutio. [Nutritivum comparativum] [principium medium] [concordantia finis]
3. *Quæritur.* Utrum Jus positivum nutriat naturale vel è converso?
Solutio. [Nutritivum antiquum] [potentia actus] [prima intentio secunda intentio] [ignis ignis] [aër aqua] [ignis terra]
4. *Quæritur.* Utrum inter Jus & injuriam sit aliquod medium?
Solutio. [Nutritivum novum] [consuetudinale antiquum] [appetitus actus] [potentia habitus] [ignis aër]

De Jure Comparativo.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus comparativum?
Solutio. [Comparativum comparativum] [FGASTVXYZ] [ignis ignis]

2. *Quæritur.* Utrum aliquod jus possit contra se mutare aliud jus?

Solutio. [Comparativum antiquum] [forma materia] [nutritivum novum] [ignis ignis] [compositio alteratio]

3. *Quæritur.* Utrum oporteat jus novum plùs comparari ad formam, quàm ad materiam?

Solutio. [Comparativum novum] [principium finis] [antiquum medium] [esse privatio]

De Jure antiquo.

1. *QUæritur.* Quid sit Jus antiquum?

Solutio. [Antiquum antiquum] [esse perfectio] [habitus actus] [concordantia æqualitas] [forma materia] [principium finis] [EAVY] [IVZ]

2. *Quæritur.* Utrum transmutatio juris novi fiat magis in materia, quàm in forma?

Solutio. [Antiquum novum] [mixtio digestio] [actus alteratio] [ignis aër] [ignis terra]

De Jure novo.

QUæritur. Quid sit Jus novum?

Solutio. [Novum novum] [appetitus actus] [digestio alteratio] [majoritas finis]

Explicit Ars Demonstrativa
in Nomine Domini
Conservationi cujus & auxilio eam submittimus, qui regnat per omnia sæcula Verus Deus.
Amen.

)I(

IHS

BEATI
RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
LECTURA
SUPER FIGURAS
Artis Demonstrativæ.

DEus Pater & Domine, qui Deificativus es, & Deificans æternaliter & immensè, Domine Deus Fili, qui Deificativus es & Deificabilis sine fine, Domine Deus sancte Spiritus, qui Deificatus & Deificabilis in æqualitate Patris & Filii cum omni perfectione bonitatis & magnitudinis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, &c. Procedis incessabiliter ab utroque, qui omnes tres unus Deus consistis, una æterna & infinita Majestas glorioßissima, una pura & simplex essentia, pura forma sine materia, purus actus operans incessanter, ut te tui discant cognoscere & amare; Ego indignus famulus tuus hanc Lecturam incipio super figuras Artis Demonstrativæ ad exaltationem & magnificentiam tuæ glorioßissimæ Trinitatis, cui honor est & imperium per infinita sæculorum sæcula Amen.

1. QUoniam Deus multùm est recolibilis, intelligibilis & amabilis, est ideo multùm nobis necesse, ut eo fruamur speculantes eum recolendo, intelligendo & amando in tota anima nostra & viribus ejus, quod est ultimus finis ejus, ad hoc siquidem hanc artem duximus declarandam, quæ instrumentum est actibus animæ, quo primâ intentione & secundâ in suis gradibus conservatis sciet ipsa anima in omnibus, quæ intellectus humanus potest concipere, breviter perscrutari & cognoscere veritatem.

2. Considerandum est igitur huic arti esse quadruplicem causam, quæ similiter aliis scientiis convenit, videlicet quis est auctor, forma, materia & finis. Auctor hujus dicitur Deus esse, ad cujus magnificentiam hæc ars facta est, de Auctore autem immediato curandum non est, qui vilis est & peccator; materia verò sunt figuræ & termini ipsius artis. *Forma similiter est sumpto universali descensio ad particularia*, quæ siquidem descensio est regulatus discursus actuum animæ per triangulorum T. mixtionem in

cæteros terminos figurarum, per quorum ordinatam mixtionem resultat hujus, quod quæritur, necessaria veritatis affirmatio vel falsitatis negatio, quas finem dicimus hujus artis. Titulus est: *Incipit ars demonstrativa*, quam propter suam generalitatem non solùm parti, sed etiam toti Philosophiæ novimus esse viam, unde ad materiam nostram, scilicet ad prædictas figuras, super quas intendimus prosequi, accedamus. Hæ dividuntur in 12. figuras, scilicet in A. S. T. V. X. Y. Z. in elementalem, & figuram demonstrativam, figuram Theologiæ, Philosophiæ & Juris, sed de priori parte tanquam de nobiliori, cùm sit nostra prima intentio, ut prædiximus, tractandum est primitus & inde de cæteris consequenter.

De Prima Figura A.

1. FIgura A. Dei esse supponitur, quæ dividitur in duas partes, scilicet in figuram primam & secundam, quarum prima circularis est, secunda verò triangularis, super primam sic procedendum est. *Hæc præsens ars, de qua nunc agere intendimus, investigativa est, existens breve compendium artificialiter investigandi unumquodque particulare in universali suo*, combinando terminos figurarum in S. T. salvis semper conditionibus omnium figurarum.

2. *Propterea sumimus figuram A. esse quoddam universale, suum particulare habens subjectum, quod est Deus*, in quo sunt omnia, quæ ad bonitatem & nobilitatem pertinent in summo gradu perfectionis. Hanc siquidem positionem intendimus esse probabilem discurrentibus S. T. sinè aliquo inconvenienti per secundam figuram ipsius A. unde ponendum est A. esse quoddam summum ens nobilissimum & perfectissimum & ipsum esse unum & trinum, bonum, magnum &c.

3. Istâ positione factâ consequenter considerare debemus in essentia ipsius A. esse unum Patrem, unum Filium, unum Spiritum Sanctum, his tribus existentibus una eadem perfecta & simplex essentia, & quolibet eorum existente perfectè & simpliciter totam illam eandem essentiam unoquoque ipsorum in numero personaliter existente distincto ab altero.

4. Factâ simpliciter istâ positione considerare debemus Patrem esse bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem, sapientiam & voluntatem, virtutem, veritatem, gloriam, perfectionem, justitiam, largitatem, simplicitatem, nobilitatem, misericordiam, Dominium, hoc similiter sequitur de Filio & Spiritu Sancto circa dignitates quæ in circulo prioris figuræ A. continentur.

5. Præterea speculari debemus in hac benignissima essentia esse Deificativum, Deificabile, Deificare, Deificatum, unificativum, unificabile, unificare, unificatum, similiter essentificativum, essentificabile, essentificare, essentificatum, & hoc respectu personarum, atque dignificativum, dignificabile, dignificare, dignificatum, hoc idem etiam sequitur de bonificativo, bonificabili &c. & magnificativo, magnificabili &c. & per consequens de omnibus dignitatibus Dei.

6. Patrem enim intelligimus esse Deificativum, unificativum &c. & Filium, quoad ejus filiationem intelligimus Deificabilem, unificabilem &c. atque Patrem & Filium in Spiritum Sanctum Deificativos, unificativos &c. Spiritu Sancto existente Deificabili unificabili &c.

7. Patrem consideramus Deificativum unificativum &c. de se ipso in Filium & Spiritum sanctum; Patrem & Filium de una eadem essentia numero esse Deificativos &c. atque Spiritum Sanctum de ipsa eadem Deificabilem &c.

8. Iterum considerandum est Patrem Deificare, unificare &c. semetipsum in Filium, Filium semet ipsum in Spiritum Sanctum, Spiritum Sanctum semetipsum fruendo Patre & Filio & se ipso. Quoniam alius est Pater, alius est Filius, alius est Spiritus Sanctus, ipse Pater unificat se esse Patrem in Filium, & Spiritum Sanctum productum esse ex se ipso Patre, atque Filius se esse productivum producendo Spiritum Sanctum, ipso Sancto Spiritu existente unificato in æqualitate Patris & Filii & per totam Deitatem, unitatem, essentiam, atque per omnes divinas dignitates.

9. Iterum considerare debemus Patrem cum Filio & Spiritu Sancto se unificare essendo una eadem numero divina essentia bona, immensa, æterna, potens &c. Hoc idem sentimus de Filio & Sancto Spiritu & cum Patre fruendo ipso Patre. Similiter hoc intelligimus de Sancto Spiritu cum Patre & Filio fruendo eis, in qua siquidem fruitione est Pater in Filio & è converso, & Pater & Filius in Spiritu Sancto & è converso una eadem numero Deitas, essentia, una gloriosissima majestas omnipotens & immensa, ut in Deitate, unitate, essentia, dignitatibus A. nulla sit otiositas, de necessitate sequitur in Deitate Deificare, atque in unitate ipsius unificare & hoc idem similiter sequitur de infinitivis verborum per totam essentiam divinam atque per omnes dignitates, alioquin foret otiositas dignitatis Deitatis, unitatis &c, quod non solùm est impossibile sed valde inconveniens, ne summum ens sit in privatione.

10. Præterea ex Deificare unificare &c. sequitur Deificativus, Deificabilis, unificativus unificabilis &c. similiter ut non cesset esse Deificativus unificativus &c. sequitur Deificabilis Deificatus, unificabilis unificatus &c. Hoc idem sequitur de essentificativo &c. alioquin impossibile foret in A. esse operationem intrinsecam, scilicet productionem personarum.

11. Præterea quicquid est in essentia Paternitatis, est sine majoritate & minoritate, unde sequitur, quòd Pater Deificando, unificando, bonificando, magnificando, æternificando, possificando, intelligendo, diligendo se in Filium, producit de se ipso ipsum Filium. Hoc idem sequitur de ipso Filio producendo Spiritum Sanctum.

12. Similiter Pater intelligendo producit Filium, atque volendo producit ipsum Spiritum Sanctum, ita quòd unificativus, qui Pater est, distinguit suum intelligere à velle suo respectu distinctionis Filii & Spiritûs Sancti, veruntamen unificat eodem numero suum intelligere & velle, ut sint unus Pater filii, unus productor Spiritûs Sancti, & hoc siquidem producit ipse Pater, ut de suo Filio & de suo Spiritu Sancto sit magnificativus in se ipso.

13. Quoniam in Deitate Pater de toto se ipso producit Filium, & quoniam Spiritus Sanctus de toto Patre & Filio productus est, sufficit esse unum Patrem, unum Filium & unum Spiritum Sanctum, aliter non esset in essentia A. magnificativus, magnificabilis & magnificatus per totam unitatem, bonitatem, magnitudinem &c. quod est impossibile.

14. Quoniam Pater de toto se ipso producit Filium, ideo intelligit & diligit eum, veluti semetipsum, bene ergo sequitur suam voluntatem velle Filium esse sibi Patri æqualem in Deitate, in unitate, in essentia, in bonitate &c. Ergo sua voluntas odit non esse filium sibi æqualem in Deitate &c. & quod hìc similiter sequitur de Patre in Filium, sequitur è converso de ipso Filio à Patre producto, unde sequitur, quod Spiritus Sanctus procedit ab utroque volente Patre suum Filium esse sibi æqualem & è converso cum eadem voluntate, ergo apparet manifestè distinctio inter productionem Filii & productionem Spiritûs Sancti.

15. Nisi in essentia A. foret Pater, qui de sua immensa & æterna Deitate, unitate, bonitate &c. produceret Filium, non sufficeret largitas largificare magnificativo per totam immensitatem & æternitatem bonitatis, potestatis &c. unde sequeretur esse in A. otiositatem, cessabilitatem & per consequens imperfectionem, quia ibi esset minoritas & indigentia, quæ omnia valde impossibilia sunt.

16. Si in essentia A. non esset Spiritus Sanctus, sequeretur illam æqualitatem, quam vult habere Pater cum Filio suo in Deitate unitate &c. & è converso non esse Deum, unde sequeretur in A. esse accidens vel aliquod ens non sufficiens esse Divina substantia, quod est impossibile.

17. Quia in essentia A. est bonificativus, magnificativus &c. est ideo bonitas in magnitudine & è converso & consequenter inter bonitatem & magnitudinem est concordantia & similiter etiam, quia in essentia A. est bonificativus, magnificativus &c. in se, & de se, & ad se, & per se, est ideo æqualitas & fruitio in ipsa Dei essentia.

18. Præterea, quoniam in essentia A. sunt simplificativus, simplificabilis, simplificare & simplificatus per totam immensitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. distat ideo multò magis compositio à simplicitate ipsius A., quàm si in ejus essentia non essent prædicti scilicet simplificativus simplificabilis &c., similiter per hunc modum remotionis seu distantiæ intelligendum est malificativum, parvificativum, privificativum &c. esse in essentia ipsius A.; Deificativus enim conservat in essentia A. Deificabilem nunquam deficere, similiter unificativus nunquam in ea esse separabile unificabile hoc idem sequitur similiter de bonificativo, magnificativo &c., propter quod sequitur impossibile in essentia Dei esse cessabile, mobile, terminabile, ignorabile &c.

19. Hæc positio facta de A., velut in his præmissis continetur, quæ similiter multiplicari potest per plures alias necessarias rationes, videtur esse probabilis de se ipsa, prout per illas lineas transversales, quæ sunt in prima figura ipsius A. denotatur significando secundùm

dùm prædictam suppositionem omnem concordantiam absque aliqua contrarietate, omnem nobilitatem absque aliqua vilitate, omnem bonitatem absque aliqua militia, omnem magnitudinem absque aliqua parvitate, & sic de singulis esse in ipsa glorioſissima Dei essentia.

20. Deus intelligit se & diligit se, tamen Deus Pater intelligendo & amando se, non producit se, sed producit Filium & Spiritum Sanctum & Deus Pater bonificando se, magnificando se, æternificando se & sic de aliis dignitatibus non producit se, sed bonificat, magnificat, æternificat se in Filio & in Spiritu Sancto producendo de se Filium & Spiritum Sanctum, communicando se in bonitate, magnitudine, æternitate &c. & dando Filio & Spiritui Sancto bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c. & hoc, quod facit Pater Filio per modum generationis, facit Filius Spiritui Sancto per modum processionis.

21. Spiritus Sanctus intelligit & diligit se, tamen non producit se, & bonificat, magnificat, æternificat se in Patre & Filio, esto, quòd non producat, sed fruitur Patre & Filio, intelligendo, diligendo, bonificando, magnificando, æternificando, sic & multò magis absque omni comparatione, sicut homo justus, qui intelligendo & amando Deum bonificat, magnificat, æternificat Deum in se ipso, non quòd bonificet, magnificet, æternificet Deum, in quantum Deus, sed quia, in quantum homo, bonificat, magnificat, æternificat se ipsum in Deo, intelligendo & amando Deum, sic ùt in Deo per intelligere & diligere se, suum intelligere & diligere distinguuntur per personas, sic per suum bonificare, magnificare, æternificare &c. sequitur distinctio in divinis.

22. Hæc siquidem positio talis facta de prima figura A. imprimenda est in B. C. D., ut E. suscipiat eam pro objecto, I. verò suum oppositum vel contrarium, quoniam omne particulare, quod ex ipsa figura quæritur, discurrentibus S. T. per eam secundùm tenorem prædictæ positionis, invenitur isto modo in affirmatione necessaria, si prædictæ positioni sit concordans, vel in negatione necessaria, si positioni præhabitæ contradicit. *Hæc autem regula generalis est per totam artem, velut per totam ipsam artem manifestè apparet. Et notandum est hanc præmissam positionem primæ figuræ esse regulam generalem ad secundam figuram & similiter ad alias figuras hujus artis, per quam siquidem positionem E. in A. V. T., & I. in V. Z. mirabiliter exaltantur.*

De secunda Figura A.

1. SEcunda figura A. dividitur in 136. cameras, quælibet quarum mediantibus S. T. est universale, in quo quidem universali omne particulare, quod de A. quæritur, invenitur per scrutinium seu per inquisitionem ipsorum S. T. in ipsa camera, ipsis tamen S. T. sic regulatè discurrentibus, quòd nullatenus positioni præhabitæ repugnent, nec destruantur ipsorum S. T. conditiones. Unde notandum est, quòd, quicunque per S. T. hanc figuram de A. nec non cœteras hujus artis figuras regulatè scit pertractare, patefiet illi rerum notitia, notis rebus modus solvendi, arguendi, determinandi patebit ei, quibus complementum hujus artis plenariè consequetur.

2. Ad primam ergo cameram hujus secundæ figuræ accedamus, quæ in se continet has duas dictiones, videlicet: *bonitas, bonitas*, per quarum primam intelligimus divinam essentiam, per secundam verò ejus actum, scilicet bonificare, magnificare &c. per quod necessariò sequitur in ipso esse, & ipsius essentia bonificativus, bonificabilis, bonificare, bonificatus, & sic cœteræ cameræ hujus figuræ similiter declinari debent.

3. Sed ad prolixitatem nimiam evitandam, quæ intellectibus est confusionis & fastidii generatrix, exemplificare intendimus per tres cameras vel per duas tantùm cujuslibet figuræ secundariæ modum & *regulam* artis hujus, *nam, quod de uno sequitur, id habetur de pluribus & unius notitia indicium est plurium rum;* ad primam igitur cameram veniamus.

De prima camera secundæ figuræ A.

1. OPortet in hujus artis principio per triangulum lividum in præsuppositi camera artistam discurrere sic dicentem: Deus est bonificativus bonificabilis, bonificare, bonificatus; In divinis autem bonificativus intelligitur Pater, Filius verò bonificabilis, atque bonificativus est Pater, bonificativus est Filius, sanctus verò Spiritus bonificabilis, Filius à solo Patre bonificatus est, sed Sanctus Spiritus ab utroque: bonificare quidem est actus operandi seu producendi, quæ omnia intelligit C., ut B. recolat totam bonitatis essentiam esse intrinsecè operantem absque cessatione unificante unificativo totam operationem bonitatis &c. in una eadem essentia, quæ est unum A. in bonificativo, bonificabili &c., oppositum verò odit I., ideo ne in ipso A. sit otiositas, quæ ab actu malitiæ non discordat.

Præterea unificativus bonificativum & bonificabilem per tantam imminentem & æternitatem unificat, quòd inde sequitur E. esse creabile ad recolendum, intelligendum & volendum A. in suo actu existendi & operandi, scilicet bonificandi &c., & I. ad oppositum, atque N., ut ea de bonificativo, bonificabili &c. nitatur per fidem supponere, quæ E. I. fruentia bonificativo & bonificabili nequaquam attingere possunt.

Præterea bonificativus unificativus & productivus in bonitate A. unum idem facit esse per totum unificabilem, essentificabilem, ut in essentia A. non sit malificativus, otiosificativus, minorificativus, qui sunt I. objectabiles, ut E. sibi sumat bonificativum, productivum in operatione intrinseca per totam divinam essentiam.

2. Differentiam esse id est, distinctionem inter bonificativum & bonificabilem intelligibile est in E., atque differentiam non esse in divinis ab I. est odibile, ideo ne bonificativus & bonificabilis sint in privificativo & privificabili, qui conveniunt contra unificativum & unificabilem, incessativum & incessabilem, qui ipsis E. N. sunt objectabiles, ipso N. tamen diligente A., alioquin ipsi bonificativus & bonificabilis essent ipsi I. objectabiles, per quod essent ambo alius malificativus & alius malificabilis, quod est impossibile.

Præterea quoniam in A. sunt unificativus & unificabilis per totum bonificativum & bonificabilem, unificat ideo unificativus secum unificabilem, ne sit differentia in essentia A., aliter unificativus non esset ab E. diligibilis in magnificativo unitatis, sed potiùs ab I. odibilis, quod est impossibile.

3. Bonificativus in essentia A. principium est bonificabilis, licèt in textu dicatur triangulum rubeum in A. non esse, quod alio modo intelligitur, nam auctoris artis intentio fuit in A. non esse triangulum rubeum respectu terminationis & limitationis, in proposito autem intelligit E. principium esse sine tempore, quantitate, & materia, ut in bonitate A. odiat I. non esse principium sine fine mediante unificativo & unificabili per totum bonificare & bonificatum, ut bonificativus & bonificabilis sint ipsi E. sufficientivus & sufficientibilis in magnificatione trianguli rubei per totam declinationem Cameræ bonitatis.

4. Inter bonificativum & bonificabilem non cadit majoritas, nec per consequens minoritas, necessarium est ergo æqualitatem in eis esse, alioquin bonificativus, unificativus, magnificativus &c. cum I. convenirent contra E., quod est impossibile, quod siquidem impossibile ab E. intelligitur, ut I. oppositum habeat pro objecto.

5. Concordantia bonificativi & possificativi in bonitate A. consistit in tantæ magnitudinis excellentia, quòd omnia ipsius concordantiæ affirmabilia sunt nullo tamen sequente inconvenienti, quod cum malitia concordantiam habet, hoc itaque non est negabile neque dubitabile, cùm E. pro objecto habeat unificativum, magnificativum, æternum, immensum, &c. per totum bonificativum & bonificabilem, Possificativum & possificabilem, & ista sufficiant de prædictis.

Dictum est de camera *bonitatis bonitatis* discurrente S. investigando per. T. juxta ordinem positionis prædictæ, per cujus investigationem artista, si peritus fuerit, doctrinam datam intelliget & modum investigandi omne particulare, quod ex divina bonitate sequitur salvando positionem præhabitam de S. T. factam in camera supradicta, *perquam notandum est, si affirmatio ipsi suppositioni convenit, teneatur, vel si contraria vel oppositum fuerit, accipiatur ejus oppositum scilicet negatio. Hæc autem regula generalis est & infallibilis in hac arte.*

De secunda Camera secundæ Figuræ A.

1. REcolibile est in E. magnificativum & magnificabilem esse idem numero in essentia A., eò quòd in ipso E. est intelligibile unificativum esse magnificativum in bonificabili, æternificabili &c. alioquin esset intelligibile in I. bonificativum, & magnificativum non esse idem numero per totum bonificabilem, æternificabilem &c. quod est impossibile, quoniam si foret possibile, unificativus divinæ essentiæ foret odibilis atque magnificativus minorificabilis.

2. Unificativus in divina essentia non posset esse idem numero cum magnificativo, immenso & æterno in proprietate personali, si non distingueret unificabilem à se ipso

conservans eum videlicet unificando in se ipsum, ut nequaquam ab ipso essentialiter distinguatur, istud enim est, quare E. creabile est, ut recolatur, intelligatur & diligatur, & ad ejus oppositum est I. creabile scilicet ad odiendum illud non ita esse, ut ipsum I. cum E. concordet adversùs contrariabile increabile, quod siquidem contrariabile cum parvitate convenit.

3. Principinm in divina essentia ita est per totum magnificativum, magnificabile, magnificare, magnificatum, quod est sine tempore & sine quantitate & sine materia, hoc enim est in N. credibile & in E. intelligibile, alioquin foret in I. odibile, quod est impossibile, est ergo tantùm ipsum principium, quod sine tempore, sine quantitate, sine materia magnificativus principiabile & principiatum incipit in magnitudine bonitatis, æternitatis &c. mediante unitate, in qua unificativus & unificabilis unificando coæquantur per totam magnitudinem bonitatis, ut sint unus finis idem numero, scilicet unificativus, magnificativus, unificabilis, magnificabilis.

4. Præterea ita sunt magnificativus & magnificabilis conjuncti vel uniti cum tanta magnitudine unitatis, quòd distincti alter ab altero in personarum proprietates sunt idem numero in una eadem ipsius A. essentia vel unitate, & ut hoc ab E. potiùs intelligeretur & diligeretur, fuit ipse unificabilis, qui est magnificabilis, in humanam naturam incarnabilis, ut C. intelligeret maximam separationis impossibilitatem magnificativi & magnificabilis, ab una & eadem unitate vel essentia, quam dicimus A. esse.

Præterea E. recolit, si in essentia A. non possit esse ab æterno magnificativus & magnificabilis & magnificatus idem numero intelligit in bonificativo æterno minorificabilem & minorificatum, quod est impossibile & quia est impossibile, est ideo in I. odibile, & in N. incredibile.

Similiter ita magnificat magnificativus, qui est Pater, in se magnificabilem, qui est Filius, quòd est in essentia sua humanitas Christi Deificabilis cum immenso & æterno magnificabili, ut ipse magnificabilis illum hominem super omne, quod creatum est, majorificet ad evidentiam, quomodo magnificabilis est magnificativus in majorificabilem super omnes & singulas Creaturas.

5. Nullum affirmativum, quod cum magnificativa concordet, repugnat magnificabili in A., hoc enim est, quia magnificativus, magnificabilis, magnificare, magnificatus in A. conveniunt, per quod sequitur, quicquid de A. affirmetur vel negetur per modum concordantiæ inter magnificativum & magnificabilem esse objectum E., hujus autem oppositum esse objectum I., nec istud est dubitabile, quia non esset A. sine minorificabili, quod est impossibile manifestè.

De Tertia Camera secundæ Figuræ A.

1. Recolibile est in E. scilicet A. esse diligibile propter bonificativum in magnificabili & propter magnificativum in bonificabili, alioquin essent in I. unificativus unificabilis per totam essentiam A. odibiles, quod est impossibile & in N. incredibile, quia sic essent in bonitate malificabiles & in magnitudine parvificales & in unitate separabiles atque in essentia diversificabiles.

Præterea manifestum est nobis creaturam esse bonificabilem & magnificabilem, cùm ille bonificativus, magnificativus, qui est A., eam bonificet & magnificet, unde sequitur bonificabilem & magnificabilem essentiæ ipsius A. esse in ipsa essentia ipsius A., qui bonificabilis & magnificabilis ab eodem bonificativo & magnificativo bonificetur & magnificetur, ne ipse bonificativus & magnificativus sit operativus in majori magnitudine extra essentiam sui ipsius A. bonificans, magnificans creaturam limitatam & temporalem, quam in ipsa essentia bonificans & magnificans, bonificabilem & magnificabilem & unificabilem ex ipsa essentia &c. ipsius essentiæ immensum & æternum, hoc siquidem clarè recipitur in E. & suum oppositum in I., velut in prima positione primæ figuræ A. & in Camera bonitatis bonitatis & magnitudinis magnitudinis apparet manifestè.

2. Quoniam in essentia A. bonificativus, magnificativus unus idem est & bonificabilis magnificabilis similiter unus idem est, ideo in I. est differentia essentiæ ipsius A. odibilis, quod quidem I. ab E. movetur ad odiendum in essentia A. esse differentiam, ut unificativus non contrarietur bonificabili & magnificabili, & ne in bonificativo sit parvificabile, neque in magnificativo malificabile, sed ut potiùs sit concordantia inter bonificativum & bonificabilem, magnificativum & magnificabilem in distinctione bonificativi à magnificabili & è converso, hoc autem de necessitate sequitur, alioquin essentia A. atque unificativum, bonificativum & magnificativum non sufficerent ipsis E. I. bonificando magnificando ipsa E. I., quod est impossibile, quoniam, si esset possibile neque E. neque I. creabilia forent.

3. Ita est unificativus idem numero cum bonificativo magnificativo, quod in essentia A. est principiabile, Deificabile, hoc autem intelligibile est in E., sed non in I., quod est ideo, quia bonificativus, magnificativus, unificativus, & bonificabilis, magnificabilis, unificabilis per tantam magnitudinem unitatis conjuncti sunt, quòd in essentia A. non est nisi unus finis tantùm absque differentia, quoniam nisi ita esset, non foret ipsius A. essentia sine differentia & per consequens, neque bonificativus ipsius essentiæ sine malificativo ipsius essentiæ, neque magnificativus sine parvificabili, neque unificativus sine separabili, quod est impossibile & incredibile.

4. Similiter ita est bonificativus in magnificabili & è converso, quòd in E. non est intelligibile, sed potiùs in I. odibile, parvificabile esse in bonificabili, & malificabile esse in magnificabili, unde sequitur, in A. non esse majorificabile, nec per consequens minorificabile. Ergo necessariò sequitur in eo esse æqualificabilis, qui æqualificabilis est bonificativus bonificabili & magnificativus magnificabili & bonificativus magnificabili & è converso. Hoc autem est in E. intelligibile, & in N. supponibile atque oppositum in I. odibile.

5. Affirmare in essentia A. bonitatem esse idem cum magnitudine absque bonificativo & magnificativo, absque bonificabili & magnificabili, absque bonificare & magnificare, & per consequens absque bonificato & magnificato est affirmatio in I. odibilis, oppositum autem ejus in E. diligibile. Unde sequitur non esse dubitabile prædictam affirmationem esse in Z., ejus autem oppositum videlicet negationem esse in Y. nec istud est dubitabile, quia sequeretur, quòd in bonificativo esset minorificativum & in magnificativo malificativum, quod est valde impossibile.

Et ista sufficiant de figura A., *quoniam ista est via ad infinitam mulditudinem rationum de A. faciendarum*, secundum quod ponendo S. T. discurrimus & discurrendo exemplificavimus in tribus cameris antè dictis, nunc autem de S., ût breviùs & utiliùs poterimus, prosequemur.

De Prima Figura S.

Largè sumendo dicendum est, tres esse animas sive modos vel species animarum, videlicet vegetativam, sensitivam, rationalem, sed ad præsens duabus primis omissis de ultima videlicet de rationali dicendum est, quam S. in hac arte nominamus.

Istud igitur S. in duas figuras dividitur, in primam scilicet & secundam, velut in textu hujus artis apparet, & quoniam S. in hac arte positum est, ut in ipso & per ipsum particularia quæsita inveniri possint, utile est ideo de ipso S. talem non improbabilem fieri positionem, per quam ipsum S. impectoratum sit in E. scholarium huic arti deditorum, atque impectoratum notetur in eorum B. C. D., aliter F. G. possent minimè discurrere, nec de particularibus ipsius S. quæsitis reddere rationem. Nos igitur in hoc remedium apponentes primam figuram describimus in hunc modum, secundùm quod scriptum est in illa *Tabula, quæ Chaos* appellatur.

S. in tribus gradibus existit, Primus enim gradus existit ab æterno in illa Idea, quæ est A., nam ipsum A. recolibile est, intelligibile & diligibile, secundus verò gradus est existentia ipsius S. in se ipso à creatione sua, sed tertius gradus & ultimus est de potentiis ipsius S. & operationibus earum, unde priùs de primo gradu, postea de cæteris dicendum est.

De Primo Gradu S.

A In se est bonificativus, magnificativus &c. atque bonificabilis magnificabilis &c. & etiam bonificatus, magnificatus &c. ideo est recolibilis, intelligibilis & volibilis per tantam magnitudinem, quòd est creabile S., ut ipsum S. de tota essentia, de tota virtute sua, de toto esse suo habeat A. pro objecto, scilicet recolendo intelligendo volendo, quoniam totum S. creatum est ad fruendum A. unde sequitur, quòd S. ex tota sua essentia, ex tota virtute, ex tota natura sua fruatur eo, alioquin magnificativus ipsius A. non esset magnificabilis extra essentiam suam per S., quod est inconveniens, ut in bonificativo ipsius A. non sit minorificati-

ficativus, neque malificativus, S. existente isto modo in æternitate A. sanè intelligendo tamen ipso S. nihil existente reale in se ipso, influxum fuit per ipsius A. virtutem & magnitudinem benignitatis, largitatis &c. in secundum gradum per modum creationis.

De Secundo Gradu S.

1. UT A. recoleretur à recolentia & cognosceretur ab intelligentia & diligeretur à volentia, creavit eas aggregatas in unum ens, quod est S. existens substantia spiritualis, habens tantùm formam & materiam spiritualem. Creata fuit igitur recolentia in distincta essentia recolitivi & recolibilis, hoc idem sequitur similiter, de intelligentia & volentia, ideo ut recolitivus haberet in se suum recolibile, & intellectivus in se suum intelligibile, atque volitivus in se suum volibile, quoniam, nisi hoc ita esset, foret quidem significativus habens de sua essentia significabile, nobilior recolitivo, intellectivo & volitivo, quod est impossibile. Patet ergo, quòd recolitivum habet suum recolibile, hoc idem sequitur similiter de intellectivo & volitivo; unde sequitur, quòd ex his tribus aggregatur una forma, & ex recolibili, intelligibili & volibili una materia, ex qua forma & ex qua materia aggregatum est esse animæ habens substantiam Spiritualem ex forma & materia compositam, quæ siquidem forma & materia sunt ipsa anima, & anima nihil aliud est, nisi illa sola forma & illa sola materia, & ideo accidit illi substantia elementata, in qua substantia elementa non sunt species illæ substantiæ animæ. Sicut enim in elementato alia est forma, alia est materia ignis, differentes tamen ad invicem in essentia respectu quantitatis intensæ, sed existentes idem in essentia igneitatis respectu quantitatis extensæ, sic & multò melius recolitivum & recolibile differunt, quoad specificam & particularem essentiam, quas habent intensivè ex parte formæ & materiæ, sed sunt idem numero in essentia & quantitate communibus, quas habent extensivè, eò quòd forma est per totam materiam & è converso, & hoc similiter de intelligentia & volentia intelligendum est.

2. Præterea in essentia animæ habet recolentia suam propriam intensam quantitatem, eò quòd essentia sua recolitiva est & recolibilis, & hoc similiter sequitur suo modo de intelligentia & volentia, insimul autem totæ tres unam habent quantitatem extensam per totam substantiam animæ, eò quòd ipsarum trium essentiarum tota altera est in altera, ideo resultat insimul una essentia, quæ pars est hominis, alteram verò essentiam vel partem hominis dicimus esse corpus, his partibus aggregatis in unum altera in alteram fit homo.

3. Notandum est, quòd quemadmodum de substantia S. & de ejus essentiis atque quantitatibus exemplificavimus, similiter intelligendum est de ipsius qualitate & relatione, actione, passione, situ, habitu, ut intelligatur, quomodo S. creatum est & situatum intellectualiter, formaliter & materialiter, substantialiter & accidentaliter, quoniam talis positio seu descriptio via est & medium, per quod artista, si non ignorans fuerit, poterit omne particulare, quod ex S. quæretur, invenire.

De Tertio Gradu S.

1. MAnifestum est esse S., ut prædiximus, eò quòd cum corpore sit homo recolens, intelligens, volens A., sed quoniam ipsum S. ad corpus habet dependentiam, eò quòd cum ipso corpore diligit esse homo & ipse homo plurima recolere, intelligere & velle indiget, necesse est, propter humani corporis fragilitatem ipsum S. posse corpus regere recolendo, intelligendo & volendo, modò illud, modò aliud secundùm fragilis corporis necessitatem, itaque per accidens dicuntur in S. aliæ potentiæ, quarum alia recolit, alia intelligit, alia diligit, sive odit objecta, quæ non sunt A., ex quibus E. I. N. R. oriuntur.

2. Hæ quidem potentiæ, de quibus ipsa E. I. N. R. oriri intelligimus, non differunt essentialiter à recolentia, intelligentia & volentia, in quibus S. in secundo gradu prædiximus esse, quemadmodum ignis compositus ab igne simplici non differt essentialiter; Sed quoniam S. secundùm suum ultimum finem non est creatum, ut principaliter recolat, intelligat, & diligat aliud præter A., dicuntur ideo potentiæ illæ lumina, per quæ ipsum S. in inferioribus sumit objecta, dicuntur etiam potentiæ, quoniam A. propter suam largitatem, libertatem & benignitatem dedit ipsi S. potestatem recolendi, intelligendi & volendi aliud præter ipsum A., aliter A. per magnitudinem non influeret extra se largitatem, libertatem, benignitatem, quod est impossibile, neque S. simul cum corpore potuisset esse homo.

3. Præterea B. C. D. dicuntur potentiæ ipsius S., nam ipsum S. acquirit meritum producens E. cum B. C. D., ut ipsum E. habeat V. Y., hoc idem similiter sequitur de F. G. H. in V. Z., & de M. in V. Y. Z., veruntamen illæ potentiæ, unde E. I. N. oriuntur, unum idem sunt cum esse ipsius S., differunt tamen ab ipso esse virtualiter, quemadmodum ignis in aqua, ab igne in aëre differt virtualiter, licèt secundùm specificam essentiam sint unum idem, itaque esse ipsius S. majus est virtualiter in A., quàm in semet ipso, & quàm in corpore, & quàm in E. I. N., eò quòd totum S. creatum est ad fruendum A. tantùm.

4. Præterea sciendum est, quòd S. de illo lumine, de quo influit E., influit I., veruntamen, quia E. nobilior actus est, quàm I., sequitur per accidens differentiam esse inter illa duo lumina ex parte recipientis, non autem ex parte influentis, ergo bene videtur B. C. D., F. G. H. cum his actibus idem esse superius in essentia, distinguuntur tamen prout nunc exemplificatum est, similiter distinguuntur, eò quòd S. est actus recolentiæ, intelligentiæ & volentiæ, tanquam suppositum, quod est actus formæ & materiæ, E. I. autem non sunt actus substantiæ ipsarum, scilicet recolentiæ &c. sed quoniam E. I. in inferioribus sunt tanquam accidentia, dicuntur ideo in S. esse potentiæ distinctæ per accidens ab esse animæ, à quibus E. I. N. R. oriuntur.

5. Præterea in S. dicuntur esse potentiæ distinctæ à recolentia, intelligentia & volentia constituentibus esse ipsius S., nam ipsum S. ex parte finis in se continet radicem essendi forma corpori mediante potentiâ vegetativâ & potentiâ sensitivâ, cum quibus ipsum S. potest homo esse, unde post separationem ipsius S. à Corpore, ipsum S. naturaliter appetit sibi corpus.

Dictum est de positione ipsius S. satis sufficienter, nam per hunc modum potest artista perpendere, quomodo S. in tribus existit gradibus antedictis speculans ipsum S. in esse suo, atque in diversis actibus suis, velut exemplificavimus in prædictis. Hæc siquidem positio, quoniam probabilis est, teneatur, exprimenda in E., ut F. G. discurrere non ignorent per ipsam positionem affirmando, quicquid eis, quæ diximus, convenit, negando suum oppositum, secundùm illam doctrinam, quæ sequitur inferiùs, ubi T. in ipsius S. Cameras artificiosè subintrat.

De Secunda Figura S.

SEcunda figura ipsius S. in 136. cameras dividitur, sed ut non in prolixitatem nimiam incidamus, quia illud, quod per pauca potest intelligi, frustra in plurima protrahi non oportet, novimus exemplificationem hujus secundæ figuræ esse sufficientem, deducendo T. in has tres cameras, quæ sequuntur.

De Camera E E.

1. SUppositâ hac camerâ EE. vel isto termino S., primum E. intelligendum est esse S., secundum E. verò potentiæ ipsius S., nam ex hoc, quòd A. est recolibile, intelligibile & amabile, sunt recolentia, intelligentia & volentia creabiles, ex quibus est primum E., scilicet esse ipsius S., & quoniam A. est specificum & proprium recolibile recolitivi ipsius S. & specificum & proprium intelligibile intellectivi, quod similiter sequitur de volitivo ipsius S., ipso A. non existente de essentia ipsius S., sequitur ideo, ipsum S. esse prius formam, quàm materiam, ejus enim materia sibi est per accidens, eò quòd A. creat illi formæ materiam scilicet recolibile, intelligibile & volibile, quæ sunt de essentia ipsius formæ, ut se possit recolere, intelligere & velle, aliter non haberet operationem in se, nec in alio, neque foret esse ex forma & materia constitutum.

2. Differentia manifesta est inter B. C. D. in E., eò quòd aggregatum est ex B. C. D., differentia est in B., eò quòd aggregatum est ex recolitivo & recolibili, hoc idem similiter sequitur secundùm se de C. D. Differentia est inter unum recolibile & alterum sicut patet de A., quod est proprium recolibile ipsius S. in secundo gradu, sed in tertio gradu habet recolitivum suum proprium recolibile de suâmet essentia & præter ista habet ipsum recolitivum plura recolibilia, de aliena essentia, sicut pomum, lapidem &c. hoc idem similiter sequitur de intelligentia & volentia suo modo.

3. Præterea concordantia est inter B. C. D. mediante A., quod est proprium & specificum objectum ipsorum B. C. D. ex parte formæ, atque contrarietas est inter B. C. D.

quando forma plùs tendit ad alienum objectum, quàm ad proprium & specificum.

3. A. est principium ipsi E., quia ipsum A. est creativum, quod etiam A. fuit recolibile, intelligibile & volibile, priusquam E. fuisset recolitivum, intellectivum & volitivum, unde sequitur, quòd recolibile, intelligibile & volibile, quæ sunt A., sunt principium illorum scilicet recolibilis, intelligibilis & volibilis, quæ sunt subsstantiæ ipsius S., per quod sequitur S. mediante A. in paradiso recolere, intelligere & diligere semet ipsum & objecta, quemadmodum homo mediante speculo videt faciem suam; unde patet primum recolibile &c. quæ sunt A. esse finem secundi recolibilis &c.

Præterea in hoc sæculo recolit S. per extraneum recolibile suum specificum recolibile &c. sed in sempiterno sæculo recolet suum specificum recobile absque medio, ideo intelligitur differentia inter hoc temporaneum sæculum & perpetuum, similiter intelligenda est differentia inter S. & potentias ejus, sicut in præhabitis tribus gradibus continetur.

4. Majoritas est in S., quando E. habet AVY. & I. habet V. Z. Minoritas verò ipsius S. est, quando E. habet alia objecta accidentalia, quæ non sunt A., & I. alia objecta, quæ non sunt V. Z. Æqualitas autem ipsius S. est, dum agit æqualiter, mediante B. C. D.

5. Affirmabile est, quemadmodum A. est recolibile &c. ita recolitivum & recolibile &c. ejusdem naturæ esse per accidens creabilia, oppositum autem hujus affirmationis est negabile, ergo nulla est hic dubitatio.

Nunc dictum est, quomodo T. in EE. positum est particulariter, quoniam si totaliter poneretur, in prolixitatem nimiam tenderemus, & notandum est similter T. debere poni in V. X. Y. Z.

De Camera II.

1. A. Non est nolibile secundùm se esse corpus, eò quòd ipsum A. non est corpus, nec habet aliquem defectum, sed est nolibile per accidens ipsum A. esse corpus, ut nullam habem defectùs vel indigentiæ patiatur, ideo A. creavit in S. nolentiam, quæ habet in se nolitivum & nolibile, quod siquidem nolitivum influitur ab E., quod movet I. ad recolendum, intelligendum & nolendum, & sic habemus in I. totum triangulum lividum.

2. Differentiam inter F. & G. H. intelligimus, quia G. ponit species in F. ad recolendum, ut H. odiat illas, itaque F. recolendo habet concordantiam cum G. H., sed quando G. vult recuperare illas species, quas in F. congregavit, ut habeat suum intelligibile, & F. appetit alias, ut habeat suum recolibile, tunc accidentaliter cadit contrarietas inter F. G., similiter de H. sequitur illud idem, *per hanc siquidem contrarietatem contingit transmutationem fieri de I. in E. vel in N. vel quandoque in R.*

3. Quemadmodum in simplicibus medicinis alterum elementum principium est alterius, velut ignis in pipere principium est aliorum, ita sequitur respectu causæ quandoque F., quandoque G., quandoque H. esse principium accipiendi objecta, sicut patet, dum F. accidentaliter aliquod peccatum recolit, & H. similiter illud odit vehementer, tunc G. tam fortiter illud intelligit, donec F. fortissime recolit illud idem, medium autem, quod est inter F. G. H., sunt illæ species vel termini, qui, velut apparet, in T. triangulorum angelis continentur, & finis eorum scilicet F. G. H. est B. C. D. principaliter, si E., prout decet, A. V. Y. habeat pro objecto.

4. Quantò I. plus formæ, quàm materiæ in se continet, tantò ipsum majus est, æqualitas autem est inter formas ipsorum F. G. H. atque inter materias eorundem, quocirca ipsum I. majus ex parte subsstantiæ, quàm accidentium esse videtur.

5. Finis ipsorum F. G. est negatio, quæ cadit in H., finis verò ipsius H. est F. G. discurrere ad inveniendum debitam negationem, ut E. debitam affirmationem inveniat, sic, ut in N. R. dubitatio destruatur.

Dictum est, quomodo T. mediantibus suis 15. angulis in I. positum est, unde per *hanc regulam*, quam hic subjunximus, patet via & regula, per quam peritus Artista quadraginta quinque terminos prædictarum camerarum angulorum ipsius T. sciet prædictæ cameræ I I. regulariter applicare, servans integram positionem antedictam & ordinem & regulam ipsorum terminorum, de quibus non exemplificamus ulteriùs, ut fastidium & prolixitatem nimiam evitemus.

Sicut E. I. per T. deduximus, similiter aliæ cameræ secundæ figuræ *S.* deducendæ sunt, intelligendo T. in qualibet illarum, sicut in E. I. positum est, quoniam fastidium est & prolixitas verba similia replicare, unde per primam cameram sic procedamus.

De Camera B B.

Primum B. significat memoriam recolentem, secundum verò B. significat actum ipsius memoriæ, qui est recolere, per quod habemus hanc declinationem, videlicet recolitivum, recolibile, recolitum, hoc idem similiter sequitur de C C. & de omnibus litteris usque ad S., salvis regulis primæ positionis factæ de S. *Hæc regula generalis est ad investigandum omne particulare, quod de S. quæri potest*, prout in cameris de E E. & I I. exemplificavimus discurrente T. per eas.

De Camera B C.

Per B. denotatur primus actus & secundus memoriæ & per C. sequitur hoc idem de intellectu, & propter hoc sequitur B. esse recolitivum, & C. esse recolibile & è converso C. esse intellectivum & B. intelligibile.

De Camera B D. & B E.

Similiter ût prædictum est, B. est recolitivum & D. est recolibile atque D. volitivum & B. volibile, insimul autem cum C. producunt secundum actum ipsius E., sed primus actus ipsius E. sunt ipsa prima B C D., quæ sunt esse ipsius S., unde quoad præsens intelligitur esse dictum de camera B D. & B E.

De Camera B F.

Quoad primos actus suos B. F. sunt idem essentialiter & idem numero, distinguuntur autem respectu finis per secundos actus suos ex eo, quòd secundus actus ipsius B. habet suum finem in D., secundus verò actus ipsius F. habet suum finem in H.

De Camera B G.

Est actus movens G. mediante F., eò quòd E. movet I., & non è converso; & ideo quando B. recolit, est G. in habitu seu in dispositione, quòd per B. veniat ad actum, ut I. aliquod objectum accipiat.

De Camera B H.

Per B. denotatur E, & per H. denotatur I., & quia E. cum majoritate convenit, I. verò cum minoritate: sequitur, quòd recolibile ipsius B. priùs est recolitum in E., quàm recolibile ipsius F. sit recolitum in I., etiam recolibile ipsius F. priùs est recolitum ex parte D., quàm ex parte H., ad denotandum A. in essentia ipsius S. priùs esse recolibile per naturam, quàm recolibile ipsius recolitivi existens de essentia ipsius B.

De Camera B I.

Quando B. recolit I. per quendam angulum T., tunc recolit illud per unum modum, dum autem recolit illud per alium angulum ipsius T., recolit similiter illud idem per alium modum, ita quòd per tot angulos, quot continentur in T., potest I. in recolere ipsius B. diversificari, ût per se patet.

De Camera B K.

Est memoria recolens habens in se suum principale recolibile essentiæ ipsius B., sed habet in se aliud principalius vel principalissimum recolibile non essentiæ ipsius S., quod dicimus esse A, quia nihil ita principaliter recolendum est sicut A., prout patet in præhabita positione. Præterea C. D. &c. sunt recolibilia ipsius B., hoc idem sequitur de aliis objectis, quæ non sunt de essentia ipsius B., unde, si contingat B. inordinatum esse in suis primariis recolibilibus, sequitur K. quod est privatio actuum ipsius B.

De Camera B L.

B Mediante L. transmutatur in K., & è converso K. mediante G. vel F. transmutatur in B., similiter mediante B. transmutatur L. in C., & è converso mediante K. quod patet; nam L. existente in actu, privatur secundus actus ipsius B. & ipsius C., per consequens induentium se formas ipsorum K. L., sed dum B. recuperat suum habitum naturalem, destruuntur K. L. & C. recuperat suum actum.

De Camera B M.

Quando C. cameram B. M. speculatur in angulis majoritatis & minoritatis, tunc intelligit B. cum majoritate & M. cum minoritate absolutè convenire, eò quòd B. cum C D. convenit, & M. cum K. L., veruntamen quando M. suum diligibile principale diligit, quod est A., & B. suum recolibile essentiæ suæ recolit, tunc C. intelligit B. cum minoritate, sed M. cum majoritate convenire.

De Camera B N.

Recolibile ipsius B. per K. L. M. existit in N, & ideo, quia M. cum esse, K. L. autem cum privatione conveniunt, est B. appetibile ab M., ut ipsum M. se possit in D. transformare, similiter quando B. mediantibus C. D. passionem sustinet, tunc appetit in K. se transferre, *& hoc modo fit ad invicem transmutatio inter B & N.*

De Camera BO.

OEx B. F. K. compositum est, unde quando B. perfectè recolit, vel K. perfectè obliviscitur, tunc O. corrumpitur, sed quando B. imperfectè recolit, & K. imperfectè obliviscitur, tunc O. generatur. *Hæc autem generatio vel corruptio est luminis intellectualis.*

De Camera BP.

CSpeculans per T. cameram BP. intelligit, quòd P. plùs distat à B, quàm O., sed O. plùs, quàm P. est ipsi B. oppositum, hoc autem per se probabile est.

De Camera B.Q. & B.R.

OPpositio ipsius B. ipsi Q. non resistente ipso Q. *est multiplicatio virtutis* ipsius B., similiter oppositio ipsius Q. ipsi B. non resistente ipso B. *est diminutio virtutis* ipsius B., hoc idem similiter sequitur de B. O. P. in R. & ista sufficiant de tota linea ipsius B.

Secundùm igitur has regulas, de quibus exemplificavimus in supradicta linea ipsius B., exemplificari potest in lineis ipsorum C. D. F. G. &c. discurrente T. per eas suo modo, *nam unius regula plurimorum est exemplum, quia id, quod de uno dicitur, idem vel simile de multis aliis dicendum est. Præterea unius regula multarum diversarum regularum est præceptio*, si T. subtiliter & artificiosè intraverit, nam sicut regula una, vel unum significatum resultat positis C D. vel C E., & sic de aliis vel D. E. vel D. F. & sic mixtim de aliis per unum angulum vel triangulum ipsius T., sic alia similiter inde resultat regula per alium angulum vel triangulum ipsius T. in prædictis litteris, itaque qui per totum voluerit discurrere in innumerabiles incidet rationes, *hæc enim est tota substantia hujus artis de unoquoque per innumerabiles rationes reddere veritatem.*

De prima Figura T.

SIcut in textu scriptum est, T. in duas figuras dividitur, in primam scilicet & secundam, unde ad majorem evidentiam & cognitionem, primæ quandam positionem præmittimus ipsius T. essentiam denotantem, quæ fundamentum vel firmamentum est artistæ ad concludendum, ad arguendum, & solvendum in figura secunda, ut autem scientiam cujuslibet trianguli possimus ostendere meliùs, positionem cujuslibet eorum ordinavimus faciendam.

De Triangulo livido.

1. VElut in prima figura ipsius T. scriptum est, in primo angulo trianguli lividi continetur Deus, in quo unitatem, essentiam & dignitates intelligimus, ùt supra scriptum est, per Deum enim intelligimus Deificativum, Deificabile & Deificare, Deificatum per totam unitatem, per totam essentiam & per omnes dignitates ejus, similiter per ejus unitatem intelligimus unificativum, unificabile & unificare, unificatum per totam Deitatem, per totam essentiam & per omnes dignitates ejus. Hocidem similiter intelligimus de essentia Dei & dignitatibus ejus, hoc viso cæteri anguli omnes discurrere debent ingredientes hunc summum angulum tali conditione, ut prædicta positio nullatenus destruatur, & ista sufficiant de primo angulo trianguli lividi & ad secundum sic procedamus.

Creatura tripliciter consideratur, scilicet sensualis, intellectualis & animalis, sicut in ipsa figura patet, & quia creatura est, creator est A., quem intelligimus creativum, creaturam verò creabilem scilicet producibilem de nihilo, discurrant igitur cæteri anguli omnes in hunc angulũ tali conditione, quòd non destruatur scilicet A. esse & fuisse creativum, & omnem creaturam ab eo creabilem de nihilo conservantem omnem creaturam esse sensualem vel intellectualem &c.

Similiter in tertio angulo intelligimus operationem esse triplicem, sicut patet in figura, scilicet intellectualem &c. Intrent igitur cæteri anguli in hunc tertium angulum tali pacto, quòd necessariò in operatione inveniamus operativum, operabile & operatum, intellectualia, naturalia, artificialia, ita quòd A. in se ipso sit incessans operativus, operabilis, operatus, atque extra se ipsum operativus, omnis verò creatura operabilis & operata ab eodem; & ista sufficiant de primo triangulo.

De Triangulo viridi.

2. SUper totum triangulum viridem scriptum est inter sensuale & sensuale &c. unde ponentes primum istorum, deinde alios in Deo sic discurrere debemus per omnes alios angulos, quòd necessariò intelliganus Deificativum & Deificabilem, unificativum & unificabilem &c. esse distinctos scilicet Deificativum unificativum &c. esse distinctivum, concordativum & nullo modo contrariativum, atque Deificabilem, unificabilem &c. esse distinguibilem, concordabilem & nullo modo contrariabilem; simili modo creaturam & operationem, atque triangulum rubeum croceum & nigrum debet ingredi hic triangulus viridis, salvis semper formis & conditionibus omnium triangulorum.

De Triangulo rubeo.

3. TRiangulum rubeum secundùm totum & partes ejus debent ingredi omnes alii trianguli & è converso, ita ut fiat eorum debita mixtio, id est salvis conditionibus omnium triangulorum, quod, nisi ita fiat, generatur in eorum mixtione confusio & per confusionem occupatio inveniendi quodvis particulare in universali suo.

De Triangulo croceo.

4. SUper triangulum croceum scriptum est inter substantiam & substantiam &c. sicut patet, qui triangulus secundùm se declinatur, sicut cæteri trianguli, scilicet majorificativum, majorificabile, majorificatum, minorificativum, minorificabile, minorificatum, hoc idem sequitur de æqualificativo &c. Unde ponendo in Deo majoritatem, ponimus in eo majorificativum &c. & per consequens minorificativum &c. quæ sunt destructio æqualificativi &c. in Deificativo Deificabili &c. in unificativo unificabili &c. & sic de aliis, per quam siquidem falsam positionem facilè destruimus conditionem primi anguli lividi, cujus destructio impossibilis est, relinquitur ergo per totum Deum esse æqualificativum, similiter juxta modum istum ponendus est totus triangulus croceus per omnes alios triangulos sic, ut sicut non debet esse contra conditionem prædicti anguli lividi, ita nec debet aliorum conditionibus triangulorum repugnare.

De Triangulo nigro.

5. SImiliter conditiones trianguli nigri, quas indestructibiles novimus, destruere præsumimus in aliorum triangulorum mixtione, si affirmamus illud, quod est negabile per omnes triangulos & è converso & dubitabile, negabile, affirmabile pervertimus, quod est impossibile. *Nunc de positione ipsius T. dictum est, quam dicimus esse universale, ex quo quodvis particulare elicitur*, si secundùm subjacentiam ipsius T. ejusdem conditiones servabuntur illæsæ, sicut prædictum est, amodò ad secundam figuram ipsius T. declarandam intendamus.

De secunda Figura. T.

HÆc secunda figura ipsius T. in 120. cameras dividitur, de quibus omnibus similiter, ùt in plerisque locis supradiximus, exemplificare nequimus, ne in prolixitatem nimiam & peritis inutilem incidamus, unde similiter, sicut de tribus cameris in qualibet supradictarum figurarum exemplificavimus, de tribus cameris tantùm hujus figuræ intendimus declarare, ut similiter per ipsarum exemplificationem appareat via per cæteras discurrendi.

De Camera Deus Deus.

1. SCiendum est igitur, per quem modum cæteræ cameræ ipsius T. sunt discurrentes ad investigandum omne particulare, quod ex præsuppositа camera quæritur, quæ una cum cæteris cameris ipsius T. est universale, ex quo particulare quæri debet à speciebus ipsius S. isto modo: Deus est ipse Deificativus Deificabilis &c. sicut in prima positione dictum est supra, aliter ipse Deus non esset, unde, quia ipse Deus est, est secundus angulus lividus scilicet creatura creabilis &c. ut ipse Deus sit recolitus, intellectus & volitus à creatura sensuali, intellectuali & animali, quæ est homo compositus ex sensualitate & intellectualitate; simplicem autem intellectualitatem creavit Deus scilicet angelum ad recolendum &c. ipsum A., *unde creatio est artificialis operatio ipsius A.*, producentis creaturas extra se de nihilo, ut recolatur, intelligatur & diligatur illa gloriosa operatio intrinseca, quam Deus de se habet in se intellectualem & naturalem, quam nisi haberet, esset otiosus in se ipso, quod est impossibile.

2. Differentiam esse intelligimus, quæ est distinctio inter Deificativum & Deificabilem, nam ipse Deificativus, unificativus, essentificativus est Pater, Deificabilis verò &c. est Filius, hoc idem sequitur de Spiritu Sancto, sine autem differentia reali non esset in Deo magnificativus in Deificabili &c. quod est impossibile. Veruntamen differentia sensualis in Deo esse non potest, eò quòd esset in A. natura corporea, quod est impossibile, est ergo intellectualis in eo differentia & hoc per tantam concordantiam, quòd unificativus est essentificativus, qui Deificativus est, unificat & essentificat unificabilem & essentificabilem, qui Deificabilis est per tantam

magnitudinem unitatis & essentiæ, quòd Deificans & Deificatus sunt una sola Deitas, unitas, essentia; & quoniam in Dei essentia tanta est concordantia, quòd æterna est & immensa, ergo nihil est in ea de contrarietate.

3. In essentia Dei est Pater principiativus & Filius principiabilis ab eodem, atque Pater & Filius principiativi sunt, Spiritus Sanctus verò principiabilis ab eisdem, & hoc per totam Deitatem, unitatem &c. aliter non esset in A. Deificativus &c. nec per consequens operativus, immensus &c. per quod sequererur, Deum non esse, quod est impossibile, nec tamen intelligendum est in A. esse tempus, quantitatem, materiam, cùm principium ejus sit in magnificativo immenso & æterno per immensum & æternum bonum principiabile, unde patet, in ipso A. non esse medium extremitatum, nec mensurationis, quantitatis, veruntamen est in eo medium conjunctionis, scilicet unionis vel unitatis, nam Pater est æqualiter tota illa unitas & Filius æqualiter tota illa eadem unitas, atque æqualiter Spiritus Sanctus tota illa eadem unitas essentiæ & dignitatum, & quoniam in eo est immensitas & æternitas, non est in ipso finis terminans, nec finis privans, est autem in eo finis id est summa intentio producendi Deificabilem, unificabilem &c. de Deificativo, unificativo &c. per totam Deitatem, unitatem &c. & per totam immensitatem & æternitatem bonitatis, nam sine ista intentione non essent Deificativus, Deificabilis per Deitatem, unitatem & essentiam in immensa perfectione bonitatis &c. quod est impossibile.

4. Inter Deificativum & Deificabilem &c. non est majorificativus, neque per consequens minorificativus, nam Deificativus de semet toto producit Deificabilem, aliter non esset unificativus per totam Dei essentiam immensus in bonitate, magnitudine, æternitate &c. quod est impossibile; ergo patet in Deo esse æqualificativum & æqualificabile immensum & æternum substantialiter sine aliquo accidente esse unum Deum.

5. Affirmatio affirmans in essentia Dei esse Deificativum & Deificabile, unificativum & unificabile &c. non est contra magnificativum & magnificabile, bonificativum & bonificabile &c. quoniam, si ita esset, sequeretur, quòd negatio cum bonificativo, magnificativo &c. conveniret sine bonificabili, magnificabili &c. hoc autem est contradictio absque dubitatione entis non entis, possibilis, impossibilis.

Per prædicta patet, per quem modum in supradicta camera scilicet Deus Deus E. affirmando posuit triangulos T. derivans de se I. ad negandum oppositum, ut in perquirendo particulare salvis positionibus factis de A. B. C. & salvis angulis T. atque speciebus S. possint E A V Y., & I V. Z inveniri.

De Camera Creatura Creatura.

1. QUemadmodum T. in supradicta camera, scilicet Deus Deus, assumptum est, ita in præsenti camera assumendum est, & ideo per triangulum lividum procedamus isto modo, sicut supradictum est: A. est Deitas habens in se de tota semet ipsa Deificativum, Deificabile, Deificare, Deificatum, quod similiter sequitur de ipsius unitate & dignitatibus, ideo ab ipso est creatura creabilis in sensualitate, intellectualitate & animalitate, ut his conjunctis sit homo habens totis viribus S. ad prædicta. Eriam creabilis est creatura in simplici intellectualitate scilicet angelus, ut totam ipsam intellectualitatem habeat similiter totis viribus ad eandem, unde Deum creare prædictas creaturas est nobilis operatio artificialis vel extrinseca Dei, sed ad imitandum illam glorioſissimam Dei operationem intrinsecam, quæ naturalis est & intellectualis, influxit Deus & influit propter magnam suam largitatem bonitatis & sapientiæ, operationem naturalem & intellectualem creaturis suis scilicet Angelis, hominibus, orbi, elementis & omnibus, quæ ab eis generantur.

2. Similiter sicut nec Deus operatur intra se, sed extra se artificialiter, ita nec creatura, unde per prædicta apparet, omnem creaturam esse subjectam aut differentiæ existenti inter sensuale & sensuale, sicut inter ignificativum, ignificabile ejusdem essentiæ vel alienæ, aut differentiæ existenti inter sensuale & intellectuale ejusdem substantiæ, sicut inter sensitivum & intellectivum in homine, vel alienæ, sicut inter ignificativum & intellectivum, unde pro hoc & simili modo sciendum est esse concordantiam & contrarietatem creaturarum sicut in pluribus locis prædictum est.

3. Deus creativus est, omnis verò creatura creabilis, id est, ex nihilo factibilis ad similitudinem Dei, prout creaturæ secundùm magis & minus recipere possunt de duratione vel nobilitate, per quæ tempus & quantitas

titas denotantur, ut de tota illa similitudine fruantur ipso Deo, istud siquidem est creaturæ principium quadruplicis causæ.

Præterea in principio creavit A. Chaos & in chaos semina causalia, scilicet formas specificas & materias secundarias, genera, species, differentias, proprietates & accidentia individuis speciebus existentibus potentialiter in primo gradu creaturarum, velut in chaos manifestè patet, si T. per ipsum artificiosè discurrat.

Præterea creavit Deus in principio primum hominem, primum asinum, primum dactilum & sic de omnibus animatis terræ, & iste secundus gradus ipsius chaos à Deo creatus est ex antecedenti gradu, similiter ex isto secundo gradu successivè multiplicando productus est tertius creaturis multiplicantibus sua similia usque modo, nam primus homo secundum genuit & plures alios, & secundi tertios &c. primo gradu influente in tertium, sine quo primo nulla animantia terræ esse possent.

Præterea medium extremitatum creaturæ sensualis, quæ est corporea, est, quicquid corporis inter duo extrema clauditur per modum quantitatis extensæ, medium verò creaturæ intellectualis patere potest per modum quantitatis intensæ, sicut C. in B., quod est usque ad ultimum punctum, ad quem B. potest attingere; vel considerare possumus intellectuale medium extremitatum in chaos, quicquid est de primo principio primi gradûs usque ad ultimum finem tertii. Medium verò mensurationis sensualis est, quia quanta est materia corporis, tanta est forma ipsius, nam, in quantò materia est quantificabilis, in tantò forma est quantificativa. Medium verò intellectualis mensurationis est, scilicet, quanta est in anima vel in angelo recolentia, tanta est intelligentia, & similiter in Deo, quantus est Deificativus &c. etiam tantus est Deificabilis &c. quod tamen impropriè dictum est, sed quia Deificativus infinitus est in essentia, similiter & Deificabilis in illa eadem essentia atque medium conjunctionis sensualis vel intellectualis, vel etiam animalis est illud, per quod forma & materia conjunguntur in unum suppositum. Finis autem scilicet causa finalis creaturæ sensualis est, sicut solis est lucere, oculi videre, arboris fructificare, gladii scindere, sed creaturæ intellectualis est, sicut scientiæ sciri, angeli vel animæ frui operatione Dei intrinsecâ. Finis terminationis eorundem est corpus terminari in naturam sensualem, & S. terminari in naturam intellectualem. Finis privationis est in eis, sicut corruptio vel alteratio vel casus earum in non esse.

4. In triangulo croceo existit omnis creatura, nam aliquod suppositum, sive sit sensuale, sive sit intellectuale, nobilius est in substantia & accidente, aut in substantia solùm, vel in accidente solùm, altero supposito sensuali vel intellectuali, aut secundum eadem est æquale eidem, nam anima nobilior est corpore in substantia & accidente, homo nobilior est asino in substantia & accidente, anima fruendo Deo nobilior, quàm fruendo se ipsâ, intelligibile, quod est de essentia intellectivi, nobilius est illo intelligibili, quod non est de essentia alicujus intellectivi & sic de aliis.

Æqualitas autem animæ & corporis est respectu finis scilicet hominis, similiter æqualitas substantiæ sensualis est, sicut inter asinum & asinum, qui similiter aliquoties æquales sunt in accidente vel in comparatione unius accidentis ad alterum, hoc idem similiter sequitur in intellectualibus.

Propterea cadit triangulus croceus in omnes creaturas per formam & materiam isto modo, quoniam forma est quantificans qualificans &c. in materia, & est quantitas, qualitas &c. in ipsa materia ab ipsa forma materiâ existente in quantitate qualitate &c. & è converso producente formâ, omnia ista accidentia ex virtute materiæ, itaque majoritas formæ convenit, minoritas verò materiæ, atque majoritas materiæ, sed minoritas accidentibus, materiâ & formâ existentibus una substantia, ideo æqualitas formæ & materiæ est, eò quòd ambæ simul sunt una substantia, unde omnia ista sunt creaturæ, nam ad hunc finem talem successivè creata sunt.

5. Affirmatio affirmans S. vel intelligentiam esse ens intellectuale, vel lapidem esse ens sensuale, vel hominem esse ens sensuale & intellectuale affirmat impossibilitatem non entis & necessitatem entis, quod est Y., & per hanc affirmationem patet negatio ad oppositum & in hoc nulla est dubitatio, & ista sufficiant de camera creatura creatura, nunc ad sequentem cameram accedamus.

De Camera Deus Creatura.

1. CAmera operationis & operationis ponenda est in præsuppositа camera scilicet

licet Deus creatura isto modo; Deus duplicem habet operationem, scilicet intrinsecam & extrinsecam, intrinseca ejus operatio est de Deificativo unificativo &c. in Deificabilem unificabilem &c. Ista siquidem operatio est naturalis, intellectualis & voluntaria, non autem artificialis, nam ejus operatio extrinseca, ut supradiximus est artificialis Deo producente creaturas de nihilo per secundum gradum & tertium creationis, nam isto modo Deus utitur creaturis in rebus sensualibus, intellectualibus & animalibus, operatio autem creaturæ est, quando creatura naturaliter habet in se operationem naturalem sicut formæ & materiæ, vel intellectualem sicut intellectus in suum intelligere, vel quando habet ex se operationem naturalem, sicut est operatio ignis calefacientis aquam, vel operationem intellectualem, sicut S. accipere Deum pro objecto, vel artificialem, sicut ædificare domum, & ideo per prædicta patere potest affirmatio illius, quod conservat ea, quæ nunc diximus, vel negatio, si repugnet.

2. Quoniam in Deo Pater vult producere & producit Filium sibi æqualem, & ex hoc odit inæqualem sibi producere, producit ideo tempus, quantitatem, materiam creatam sensualem, intellectualem, animalem, unde sequitur, tempus, quantitatem &c. esse aliquid reale, aliter volentia Patris minoritati conveniret in rebus creatis per modum diversitatis, eò quòd creatura à Deo magis distinguitur, si illud sit aliquid reale in creatura, quod Pater odit esse in Filio, quàm si nihil creatum esset, & quia Pater & Filius habendo concordantiam producunt ipsum Spiritum Sanctum, qui est ipsa concordantia amborum, produxit ipsa Deitas creaturas sensuales animales & potissimè intellectuales ad videndum illam corum summam concordantiam non esse sensualem, sed purè & simpliciter intellectualem, unde manifestè patet, creaturas in sensualitate, animalitate & intellectualitate creatas esse ad cognoscendum per simile & dissimile concordantiam & differentiam inter Patrem & Filium in divinis. Præterea, quia in intrinseca Dei productione non est contrarietas, sequitur peccatum nihil esse, nam eò quòd peccatum contradicit esse, est ipsum indignum existendi aliquid, ut sine aliqua contrarietate productio in divinis esse cognoscatur.

3. In Deo est bonitas, bonificativus & bonificabilis, magnificativus & magnificabilis, similiter in creatura est bonificativus & bonificabilis &c. sed quoniam in creatura est majoritas & per consequens minoritas in bonitate & magnitudine, Deo habente majorem concordantiam cum creatura mediante majoritate, quàm minoritate, sequitur creaturam esse principiabilem ex virtute magnitudinis bonificativi & bonificabilis, magnificativi & magnificabilis &c. aliter Deitas, creabilitas & principiabilitas majorem haberent concordantiam in minori quantitate virtutis, quàm in majori, quod est impossibile & contra concordantiam primæ causæ & effectûs, itaque esset malum malibile, ut prima causa non esset ultimus finis terminabilis, quod est similiter impossibile.

Præterea sicut creatura principiata est in virtute Trinitatis, ut per majoritatem principiativi & principiabilis significatum est, ita sciendum est creaturam principiatam esse in majori principio, quàm creatura recipere potuit ab operatione Deitatis mediante unificativo & unificabili &c. per totam bonitatem bonificativum bonificabile &c. aliter sequeretur operationem Dei intrinsecam convenire minoritati per totam operationem Dei extrinsecam productam in principio temporis & quantitatis &c. quod est impossibile, per quod impossibile oppositum est necessarium, unde per prædicta patet Incarnatio Filii Dei manifestè, ut per operationem extrinsecam sit omnis creatura principiata & principiabilis in majoritate finis & medii ad significandum magnitudinem operationis intrinsecæ in Deo sine privatione, sine termino, sine extremitate extensa & mensurabili & absque ulla conditione defectûs.

4. Cùm in Deitate, unitate, essentia & dignitatibus Dei sint magnificativus magnificabilis, magnificare magnificatus per totam ipsam Deitatem unitatem &c. impossibile est in Deo esse majoritatem vel minoritatem, ergo est necessarium esse in eo æqualitatem magnificativi & magnificabilis per totam Deitatem, aliter esset in A. minoritas magnificativi &c. atque creaturarum accidentia majoritati convenirent, earúmque substantia minoritati, & per consequens sensualitas majoritati, intellectualitas verò minoritati, nec non esset æqualitas privationi propinquior minoritate, quæ omnia patenter impossibilia sunt eis, qui per T. discurrere non ignorant.

5. Quic-

5. Quicquid est in A., affirmabile est, oppositum autem negabile, ergo nihil est in eo dubitabile, hoc siquidem sequitur de creaturis, unde, si in Deitate, unitate &c. sit negabile Deificativum & Deificabile &c. sequitur creativum & creabile esse negabilia in sensitivo & sensibili, in intellectivo & intelligibili, in animativo & animabili, eò quòd Deitati meliùs competunt Deificativus Deificabilis &c. quàm creaturæ creativus creabilis &c. Quoniam si creaturæ convenirent meliùs creativus creabilis &c., major esset operatio Dei extrinseca, quàm intrinseca, per quod sequeretur defectum esse in magnificativo magnificabili &c. quod est impossibile, ergo negabile necessariò & per consequens non dubitabile, & ista quoad præsens sufficiant de Figura T.

De prima Figura V. & primò in generali.

1. VIrtutes & vitia per Figuram V. denotantur, quæ in duas partes dividitur, sicut patet, ut autem ad majorem totius V. cognitionem per essentiam S. & potentias ejus valeamus accedere, ad primam partem positionem assignare decrevimus isto modo, sicut suprà positum est: S. est ex recolentia, intelligentia & volentia ens aggregatum, recolentiâ habente de sémet ipsa totum derivativum suum, scilicet recolitivum, recolibile & cætera. Hoc idem sequitur secundùm se de intelligentia & volentia, itaque S. est ens recolitivum intellectivum & volitivum, quod recolitivum &c. in essentia S. nihil aliud est, quàm actus recolitivi & recolibilis, intellectivi & intelligibilis &c. qui siquidem actus est recolere, intelligere &c.

2. Præterea quando S. se recolit vel aliud, tunc illud recolere distinctum est ab illo recolere, quod ex forma & materia ipsius S. productum cum intellectivo & volitivo est essentia ipsius S., & hoc per se patet, nam secundum recolere prædictum non habet recolibile, recolitivum de essentia ipsius S., & sciendum est hunc secundum actum ad A. creatum esse, ut ipsum S. de tota essentia sua fruatur ipso A., cùm ad hoc ipsum S. sit creatum, nam ipsum A. est principale recolibile intelligibile & volibile ipsius S., sed ad prædictum recolere &c. quod S. habet ad se vel ad aliud, sequuntur per accidens potentiæ ipsius S. scilicet B. C. D. E. F. G. H. distinctæ à recolentia, intelligentia & volentia, unde productum est esse ipsius S., quod quidem esse creatum est ad habendùm A. pro objecto, ût prædictum est, nec tamen prædictas potentias sic ab illo esse distinctas dicimus, quoniam sunt de essentia ipsius S., veruntamen ab eadem distinctæ sunt per accidens, nam de B. C. D. E. F. G. H. non sequitur esse ipsius S., quia similiter cætera objecta præter A. non sunt objectabilia toti essentiæ sive toti esse ipsius S., & hoc propter finem, ad quem S. creatum est, quæ siquidem objecta sunt V. Y. vel V. Z., ad quæ accipienda E. de B. C. D. & I. de F. G. H. sumpserunt originem, scilicet E. ad V. lividum, sed I. ad V. rubeum.

3. Sicut nunc diximus, B. C. D. sunt ipsius S. potentiæ per accidens, unde sequitur E. esse accidens & I. similiter, & per consequens V. lividum & V. rubeum, V. verò lividum est creatura, sed V. rubeum nequaquam, eò quòd creaturæ contrariatur scilicet fini ejus, & quia V. lividum in essentia S. creatum est potentialiter, & quia similiter V. rubeum consistit potentialiter in essentia ipsius S. propter fragilitatem ipsius S. creati de nihilo, est liberum arbitrium in prædicta essentia ipsius S., & hæc sufficiant de S. V. in generali, sed in speciali sic procedamus.

De Figura V. in speciali.

1. FIdes in N. oritur, quia M. diligit in A. esse illud, quod in ipso A. est sine B. C. atque illud, quod in ipso A. est, odit non esse in A. sine F. G.

2. Spes de E. continet, in quantum B. C. D. ipsius E. habent in A. justificativum, bonificativum magnificativum, possificativum &c. & continet de I. in quantum odit V. rubeum, eò quòd E. diligit V. lividum, itaque per modum intelligendi habet S. spem in A., sed quia S, quæ futura sunt, ignorat, continet spes de N. diligente A. & gloriam Paradisi.

3. Charitas de E. I. continet, in quantum E. diligendo habet A. & proximum suum & in quantum I. odiendo habet V. Z., & continet similiter de N., in quantum diligendo habet A., & odiendo habet V. Z.

4. Per Justitiam discurrunt E. I. N. ipso E. habente A. V. Y. & ipso I. habente V. Z. atque N. supplente in credendo illud, ad quod E. I. attingere minimè possunt.

5. Per Prudentiam discurruut E. I. N. ipsis B. C. D. discretè sumentibus A. V. Y., per quod F. G. H. moveantur ad V. Z. & N. ad Fidem, dum C. G. nequeunt suis actibus uti.

6. Per Fortitudinem discurrunt E. I. N.

dum E. habet A. V. Y. & I. habet V. Z. in vehementi magnitudine, & si contingat E. vel I. deficere, suppleat N. eorum indigentiam contra V. Z., ut E. habeat A. V. Y. & I. habeat V. Z.

7. Temperantia de E. I. N. continet, eò quòd S. per E. habet A. V. Y. & per I. habet V. Z. cum Fortitudine, Prudentia, Justitia & Charitate.

8. Similiter in Gulam cadit E., dum I. cadit in Temperantiam & Fortitudinem, diligente M. plùs sensuale, quàm intellectuale, & plùs injustificabile, quàm justificabile.

9. Quando Luxuria est in potentia in E., tunc in ipso E. est Castitas in habitu vel in actu ipso E. movente I. ad Luxuriam, sed dum accidit F. G. per Luxuriam discurrere sine H., venit D. in locum ipsius H., & tunc F. in B. & G. in C. perverturtur, ut Luxuria sit in E. actualiter, Castitas verò in I. potentialiter.

10. Avaritiâ dominante in E., largitas detinetur in I. & è converso, atque M. largitatem odit, diligendo contra finem ipsorum E. I. concordantibus K. L. minoritati, ut Avaritia contradicat Spei, Charitati, Justitiæ & cæteris in ipso E. pariter cum I. odiente majoritatem ipsius E.

11. Dum in B. C. D. multiplicatur Superbia, multiplicatur similiter Humilitas in F. G. H. atque M. magnitudinem E. I. contra eorum finem, etiam magnitudinem suam contra suúmmet finem diligit concordans minoritati.

12. Acedia per H. odit magnitudinem E. in V. Y, ut similitudines A. sint in K. L. diligente M. dissimilitudines A. primâ intentione perversâ in secundam.

13. Invidia contradicit Charitati, Justitiæ, Spei plùs in E., quàm in N., ut Fortitudo magis distet ab E., quàm ab N., itaque multiplicatur Acedia in majoritate & diminuitur in Spe, Charitate & Justitia.

14. Quoñiam Ira major est in I., quàm in N., contradicit plùs patientiæ in E., quàm in N., ut Fortitudo, Charitas, Justitia & Prudentia plùs distent ab E., quàm ab N., appropinquantes plùs ad I., quàm ad N.

Et ista sufficiant de positione facta de prima figura V. in S. Nunc ad secundam figuram ipsius V. transeamus miscentes per cameras ejus triangulos T. illo modo, ut prædicta positio nullatenus destruatur.

De Secunda Figura V.

DIviditur autem secunda figura ipsius V. in 105. cameras, sicut per eam manifestè patet, ut igitur ex ea exempli gratiâ aliquid inferamus, sicut ex præmissis figuris dedimus exemplum ponendo T., tres ejus cameras sumimus, prosequentes isto modo.

De Camera Fides Fides.

1. DEus est valde bonificativus, bonificabilis &c. intra se & extra se, & quoniam extra se bonificat &c. creatum est N. in S. & creabile, ut ipsum A. sit in maxima operatione sua valde credibile, eò quòd E., cùm sit terminabile, sufficere non potest ad intelligendum illam operationem, quam Deus habet in se, Patre Filium generante, atque Sancto Spiritu à Patre & Filio procedente, nec similiter illam operationem extrinsecam, quam habet Deus extra se, sumente Filio Dei carnem ex Virgine gloriosa, ideo creatum est N. in S., ut ipsum S. Deo fruatur per N., cùm E. decidit in defectum.

2. In Fide est intellectualis differentia inter unum fideificativum & aliud, atque inter fideificativum & fideificabile, nam primus fideificativus est Deus Creator luminis Fidei, secundus verò fideificativus est actus N. diligentis Dei articulos, odiendo eorum oppositum, atque fideificabile est illud lumen, quod idem est essentialiter cum secundo fideificativo in eadem essentia Fidei.

Concordantia verò intellectualis similiter est inter fideificativum & fideificabile, ut sint fideificare & fideificatum ipsius S., aliter esset impossibile fideificare.

Præterea contrarietas est inter primum fideificativum & secundum, dum homo credit in Deo diligendo sémet ipsum per primam intentionem, Deum verò per secundam, ex qua siquidem contrarietate generatur incredulitas ipsâ contrarietate inter fideificativum & fideificabile existente.

3. Fideificativum & fideificabile ejusdem essentiæ Fidei sunt ipsius Fidei principia, ex quibus lux Fidei orta est in tempore sine motu existens in intensa quantitatę, habénsque formam activam, ût fideificativum, & passivam ût fideificabile, atque causa finalis Fidei est illud credibile, ad quod ipsa creata est, causa verò agens est homo de Deo credens veritatem.

Fides verò medium est concordans Deum & hominem, existens etiam medium conjunctionis inter fideificativum & fideificabile in credendo, in quo siquidem credere est medium mensurationis existens inter duo extrema.

Finis autem est, ut S. mediante N. habeat A. & operationes ejus, & ut N. fiat lumen ipsi E. ad sumendum A., & ipsum I. ad sumendum V. Z, itaque exaltatur E., in cujus exaltatione non perit Fides, cùm sit causa exaltationis ipsius E.

4. Majus credibile, quod est vel esse potest, est credere A. & operationem ejus intrinsecam, & majus credibile, quod est vel esse potest in operatione ejus extrinseca, est credere Incarnationem ipsius A., atque æquale credibile est ipso N. credente æqualiter in Deum, in unitatem &c. atque in A. esse substantiam sine accidentibus.

5. Majus possibile, quod N. habere potest, est affirmando credere in divinis incarnationem, atque per oppositum, majus incredibile, quod habere potest, est negare articulos Fidei Catholicæ, hoc idem similiter sequitur de dubitatione, unde per prædicta potest considerari, quomodo N. cum ente vel non ente, aut possibile vel impossibile manifestè convenit.

De Camera Fides Charitas.

1. QUoniam Deus incomprehensibilis est, creabilis est Fides, & quoniam Deus est immensus, bonificativus & bonificabilis &c. est Charitas creabilis, ut ipse Deus diligatur ab E, & credatur ab N., unde patet Deum esse creatorem hujus cameræ scilicet Fidei Charitatis, quia Fides est operatio ipsius N. & Charitas est operatio ipsius E. Deo existente objecto ipsi N., diligendo & credendo, & ipsi E. recolendo, intelligendo & volendo.

2. Intellectualis differentia est inter Fidem & Charitatem, nam Fides est per N., Charitas verò per E, sed quoniam N. appetit K. transformare in B., & L. in C., & M. in D., est ideo intellectualis concordantia inter Fidem & Charitatem, similiter quando E. Charitati non sufficit, tunc supplet N. illud, in quo deficit E, itaque Fides & Charitas E. N. mediantibus sunt concordes.

3. Fides est Charitatis principium, nam N. illud supponit de A., quod E. nequit intelligere, post autem suppositionem F. G. discurrentibus generatur E., in quo nascitur Charitas movens Fidem supra se ascendentem, M. diligendo C. D., itaque Charitas principium est ascensionis Fidei augmentando quantitatem in E. N. & existente A. formáliter & materialiter fine & artifice ipsorum E. N., medium autem inter Fidem & Charitatem est A., in quo ipsæ scilicet Fides & Charitas unà cum E. N. æqualiter conjunguntur secundùm gradus proportionis intrante E. in N. & è converso, ut Fides & Charitas simul altera in altera possint esse.

4. Articulis Catholicæ Fidei existentibus objectis ipsi N., majorificatur E. propter N. in Charitate erga Deum & è converso in Fide, sed quando N. deficit esse subjectum ipsi Fidei, tunc per accidens minorificatur Charitas in E. & è converso, æqualitas autem earum est libertas, in qua Fides est per N. & Charitas per E. ipsis E. N. fruentibus A.

5. M. diligente A. esse unum terminum incarnatum &c. sequitur Fides & affirmatio ex maxima entitate & possibilitate, hoc idem similiter sequitur de Charitate E. habente A. unum terminum incarnatum &c. ipsis E. N. absque aliqua dubitatione negantibus minoritatem vel aliquam imperfectionem esse in A.

De Camera Charitas Avaritia.

1. DEus unificans in essentia sua amativum & amabile, largificativum & largificabile est creator Charitatis in E, & ipsius I. ad oppositum, scilicet contra avaritiam, & ex hoc sequitur E. fruendo A. esse operativum de Charitate, à quo E. derivatur I. operativum de Avaritia privando eam, ut E. quantitate maximâ fortiter habeat Charitatem, cessante autem prædictâ fruitione in ipso A. objectum competens ipsi I. pervertitur in E. & è converso, & tunc dominatur vitium, virtus verò annihilatur.

2. Inter Charitatem & Avaritiam cadit intellectualis differentia contrarietatis, eò quòd Charitas objectum est ipsi E., Avaritia verò ipsi I., sed eorum concordantia accidentalis est E. movente I. ad Avaritiam, ut ipsum E. habeat Charitatem, atque eorum contrarietas est per privationem unius vel alterius, nam Charitate per E. existente in actu privatur per I. Avaritia & è converso.

3. Quoniam in Deo est Charitas, principiatur creata Charitas in tempore, E. accipiente rationaliter pro objectis *quantitates intensas* in dignitatibus Dei, ut mediante Charitate sequatur ille finis, ad quem S. creatum est, qui privatur, quando Avaritia privatur in tempore, dum E. habens Avaritiam movet I.

ad Charitatem, ut per tale medium inclinetur S. ad privationem sui finis.

4. Quoniam Charitas major est in E. quàm in N., ipsa Charitas plùs resistit Avaritiæ in I., quàm in N., ut ipsa Charitas sit Major in E., quàm in N. & è converso Avaritia contra Charitatem, & quoniam Charitas Dei substantialis est, Charitas verò creata per accidens existit in via, ut S. in Charitate substantiali fruatur Deo, contradicit ideo Avaritia Charitati, ut S. Deum non habeat in patria cum Charitate substantiali, quæ majoritati convenit & hoc destruente Avaritia æqualitatem recolentiæ, intelligentiæ & volentiæ, ut S. nunquam à minoritate discordet.

5. Charitas affirmat cum Fide, Spe, Justitia &c. se majorificari in E. ipso I. diminuente Avaritiam in ipso E. & è contrario affirmat Avaritia, ut ita dicamus, & ideo, quando Charitas distat à Justitia, Fortitudine, Temperantia per modum negationis & dubitationis ipsius S. in A., tunc ex hoc Avaritia accedit ad E., ut S. discedat ab A.

Et hæc sufficiant de exemplificatione utriusque figuræ ipsius V., nunc per consequens ad figuram ipsius X. declarandam intendamus.

De prima Figura X.

1. EOdem modo, sicut cæteræ figuræ, dividitur figura ipsius X. in duas partes, sicut patet, ad majorem autem declarationem primæ partis similiter, sicut in antecedentibus figuris quandam positionem per secundam partem probabilem præmittemus isto modo.

2. *In Camera prædestinationis & liberi arbitrii* ingreditur *camera esse & privationis* mediantibus E. N. isto modo: manifestè cognoscit E. esse in A. Sapientiam & Justitiam cum perfectione, per quam cognitionem intelligit necessariò esse cameram prædestinationis & liberi arbitrii, sed quia E. minimè potest intelligere realitatem concordantiæ ipsarum, scilicet Sapientiæ & Justitiæ omissâ realitate sumitur ratio, unde oritur N. habens dubitationem de libero arbitrio & prædestinatione contra realitatem.

3. *Camera perfectionis & defectûs* ingreditur *cameram prædestinationis & liberi arbitrii* isto modo: manifestum est perfectionem esse in prædestinatione ex parte Sapientiæ Dei; & similiter manifestum est esse perfectionem in libero arbitrio ex parte Justitiæ Dei, sed imperfectio vel defectus est in E. se transmante in N. negando prædestinationem vel liberum arbitrium contra divinam perfectionem.

4. Similiter *camera meriti & culpæ* mediantibus E. I. N. prædictam cameram ingreditur isto modo, certum est E. meritum acquirere, dum assumit in A. Sapientiam & Justitiam cum perfectione, è contrario autem culpam consequitur, eò quòd non movet I. contra N., quod negare satagit vel prædestinationem vel liberum arbitrium.

5. In cameram etiam supradictam intrat *camera suppositionis & demonstrationis* isto modo scilicet quando supponens prædestinationem supponit etiam liberum arbitrium esse, per quam suppositionem sequitur demonstratio, ut E. cameram Sapientiæ & Justitiæ habeat in perfectione, scilicet si oportet Sapientiam Dei esse in perfectione, oportet etiam Justitiam ipsius Dei esse in perfectione, aliter non esset aliqua dignitas perfecta in A., quod est impossibile.

6. Quando E. pro objecto sumit *cameram sapientiæ & perfectionis*, affirmat immediatè prædestinationem esse, quando similiter sumit *cameram justitiæ & perfectionis*, immediatè liberum arbitrium esse affirmat, N. autem mediatè affirmat prædestinationem in ipso I. negante liberum arbitrium vel è converso, quod est, eò quòd I. perpetuam inferni pœnam odit, & E. sine N. gloriam paradisi diligit, unde patet camera scilicet immediatè mediatè in prima camera antè sumpta.

7. Quoniam A. est bonificativus in immenso magnificabili, æternificabili &c. sequitur necessariò sapientificabile, justificabile, perfectibile esse idem numero, nam aliter non essent bonificativus & bonificabilis in essentia Dei, quod est impossibile, ex quo prædestinatio & liberum arbitrium realiter esse videntur, sed quoniam ratio ipsius S, quod omne quasi sibi comprehensibile arbitratur, non convenit magnitudini realitatis ipsius A, totam ideo realitatem *camera prædestinationis & liberi arbitrii* ratio non attingit, unde sequitur ipsum S. decidere in dubitationem.

8. Nulla potentia ipsius S. posita in hac via est in tanta virtute potens, sicut objectabile *cameræ prædestinationis liberi arbitrii* potens est objectari, & ideo sequitur defectus in potentiis S., non autem in camera illis objecta, ex quo defectu S. accidentaliter corruit in dubitationem. Per hanc autem positionem de X. factam in prædicta camera prædestinationis & liberi arbitrii, quam in septem cameras ipsius X. breviter declarando posuimus, *regulam* dedimus & doctrinam, quomodo artista has prædictas cameras sciat aliis alias commiscere ad inquirendum particulare, quod ex eis quæritur, salvâ semper earum positione.

De secunda Figura X.

PRolixitatem nimiam evitantes, nec non modum legendi artem diversificare appetentes, proponimus discursum 4. ipsius S. unà cum T. in octo cameras ipsius X. ostendere, ponendo triangulorum T. alium in aliam cameram & alterum in alteram, unde de prima prosequimur isto modo.

De Camera prædestinatiò liberum arbitrium.

1. DEus est creativus, in quantum est amabilis, liberum arbitrium verò creabile, ut S. coactè non habeat E. erga ipsum A. atque I. ad V. Z., nam hoc opere est ipsum S. prædestinabile existente A. perfecto in omni, quod est scibile & justificabile per volitum cum actu liberè arbitrandi.

De Camera esse privatio.

2. DIfferentia sensualis & intellectualis cadit inter esse & privationem; sensualem quidem intelligimus per generationem & corruptionem in elementatis, generatione concordante cum esse, privatione verò cum corruptione, quia esse & privatio contrariantur positivè & privativè altero supposito contrariante alteri materialiter, formaliter, substantialiter, accidentaliter, prout elementa de formis substantialibus & accidentalibus in materiam agunt, unâ formâ movente alteram, atque alterâ materiâ existente passivâ sub passione alterius materiæ, hoc idem similiter sequitur de intellectuali differentia concordante vel contrariante in S. per E. I. N. R.

De Camera Perfectio defectus.

3. PRincipium & perfectio conveniunt in tempore, in quantitate, in forma, in materia & in fine, ut agens habeat finem suum per medium conjunctum & mensuratum cum perfectione & terminatum cum fine contra omnes terminos, qui defectui & privationi sunt concordes, de principio autem, medio & fine defectûs non est ita, sed oppositum, eò quòd non esset contrarietas inter perfectionem & defectum in E. I. N. R., quod est impossibile.

De Camera meritum culpa.

MEritum & majoritas sunt concordantes, culpa verò & minoritas, quod est, quia majoritas est similitudo magnitudinis, quæ est in A., minoritas verò similitudo parvitatis, quæ in A. non est, & quoniam E. est substantiæ ipsius S. propinquius, quàm I. N. R., sequitur ideo, quòd meritum majoritatem habet in E., minoritatem verò in I. N. R. hoc idem similiter sequitur de culpa, quæ major potest esse in E, quàm in I. N. R., ideo potest E. accidentaliter & æqualiter esse subjectum prædictæ cameræ, hoc idem sequitur de I. N. R.

De Camera suppositio demonstratio.

5. AFfirmatio & suppositio priùs procedunt ex N., quàm ex E. I. R., postea verò procedit demonstratio per affirmationem vel negationem ex E. I., hoc enim est ex hoc, quòd suppositio est lumen in N., cum quo F. G. discurrunt, ut ex suppositione oriatur in E. demonstratio, quod siquidem E. movet I. ad oppositum demonstrationis destruendo dubitationem in N. R. per possibilitatem vel necessitatem concordantem cum ente & per impossibilitatem contrariantem alicui enti, ut sit in privatione.

De Camera Immediatè Mediatè.

6. IN essentia Dei bonificativus, magnificativus &c. producit immediatè bonificabile magnificabile &c. sed mediante operatione suâ extrinsecâ producit Deus creaturam ex nihilo, eò quòd A. in ipsa operatione intrinseca fruibilis est in E. I. N., præterea creatura immediatè & mediatè scilicet mediante Deo & agente naturali producit de se gene-

nerativè aliam creaturam per modum operationis naturalis, veruntamen agens naturale non de se sed de alio producit operationem artificialem.

De Camera realitas ratio.

7. INter realitatem & rationem talis est differentia, realitas est illud ens, quod est, ratio verò est lumen, per quod E. I. N. R. objecta accipiunt, quandoque secundùm realitatem, quandoque non, scilicet per modum concordantiæ vel contrarietatis sensualis & intellectualis, & quoniam realitas est inalterabilis, ratio verò variabilis, convenit realitas majoritati, sed ratio minoritati.

De Camera potentia objectum.

8. PRimum principium potentiæ existentis in tempore, quantitate &c. est Deus, qui objectabilis est ipsi E., & quoniam ipse Deus est primum recolibile, intelligibile & volibile, sequitur, quòd totum S. assumat eum de tota sua substantia ex recolentia, intelligentia & volentia aggregata, ut per tale medium sit S. Deo conjunctum in mensurando dignitates ejus in E. secundùm extremitates & terminos atque finem, quos ipsum S. habere potest. Hoc autem ita oportet esse, ne ipsum S. sit in privatione fruendi Deo. Præterea potentia de se habet in se formam activam & materiam veluti intellectus, qui intellectivus est & proprium intelligibile est ipsi intellectivo, unde sequitur ipsum intellectum esse ens intellectivum, intelligibile, intelligens & intellectum incessanter, hoc idem similiter 5. sequitur de potentia sensitiva, quæ suum objectabile naturale habet de semetipsa incessanter in sentire sive esse vel substantiare, vel accidentare. Et ista quoad præsens sufficiant de discursu T. per prædictas cameras oppositorum.

De Figura Y. Z.

1. CAusâ compendii non necessarium est de figuris ipsorum Y. Z. nos per positionem prosequi, sed loco positionis S. T. per Y. Z. hoc modo discurratur. Quia A. est in se verificativus verificabilis, est Y. creabile, ut per ipsum operetur S., scilicet E. M. habentibus A. Y. in dilectione, & I. M. habentibus Z. per modum odii, & quia in A. non est falsificativum aliquod nec falsificabile, est ideo impossibile Z. esse creabile, quoniam, si foret possibile, esset in A. possibile esse falsificativum & per consequens malificativum, quod est impossibile, ergo necesse est Z. non esse creabile.

2. Intellectualis differentia est inter Y. & Z., nam Y. creatura est sive ens reale, quod est objectum ipsi E., Z. verò nihil est in se reale, est autem aliquid, in quantum est deviatio ipsius Y. in E., dum ipsum E. habet V. Z. & ipsum I. habet A. V. Y., concordantia eorum est in E. habente Y. & in I. habente Z. habéntque contrarietatem, dum E. habet Z. & I. habet Y., itaque mediantibus E. I. intelligimus ipsorum Y. Z. concordantiam & contrarietatem.

3. Principale est Y, ut E. habeat A. V., itaque A. est principiativum ipsius Y. per modum creationis, & ipsius E. per modum fruitionis, ipsius I. per modum odii in V. Z. principiativum ipsius Z. est illa perversio, per quam E. assumit V. Z. & I. A V Y. & sic isto modo est Z. principiabile contra finem ipsorum E. Y.

4. Eò quòd Y. est creabile, Z. verò non, concordat Y. majoritati & Z. minoritati, habéntque ipsa Y. Z. æqualitatem, in possibilitate essendi in E. I. N. R. per diversa tempora, majus etiam est Y., quàm Z., quando ipsum Y. est in E, & Z. in I., atque majus est Y. in N., quàm Z. in I. vel in R., hoc idem sequitur de Z., quod existens in E. majus est, quàm sit Y. existens in I., etiam Z. in N. majus est, quàm sit Y. in R.

5. Dum E. affirmat Y., majus est, quàm dum affirmat Z., & hoc est, quia Y. majoritati convenit, Z. verò minoritati, similiter I. majus est negans Z., quàm negans Y., & quantò etiam ipsum I. plùs odiens negat Z., tantò plùs est ipsum in majoritate Y. Hoc idem similiter sequitur de N. R., dubitatio autem ipsorum Y. Z. major est in aliqua specie ipsius S., quàm in altera, sicut satis per se est manifestum.

De Figura Elementali.

ELementalis figura in duas figuras dividitur, sicut in textu artis patet, quarum prima in quatuor figuras dividitur, scilicet ignis, aëris, aquæ & terræ, & quælibet harum

rum quatuor in 16. cameras dividitur, sicut patet, unde revertendo ad duas prænominatas partes, quarum primâ omissâ, quoad præsens de secunda intendimus prosequi quandam subdentes positionem, in qua dispositionem & assituationem secundæ figuræ expresè proponimus declarare T. discurrente per hanc positionem.

De secunda Figura Elementali.

SEcunda igitur figura elementalis in decem cameras divisa est, velut per ejus descriptionem in textu artis patet, ut autem tractatus ipsarum camerarum faciliùs apprehendatur, & intellectus multorum punctorum hujus artis subtilitatem possit perpendere, intendimus legentibus hanc artem succursum & auxilium ministrare, dando viam explanandi earum majorem difficultatem per duas cameras tantùm, ut per hanc explanationem perpendatur aliarum explanatio figurarum, & facultas legendi & multorum & subtilium punctorum hujus textûs multiplicatio protendatur.

De Camera Ignis Ignis.

1. QUoniam Deus est creativus, ignis verò creabilis, est Deus operativus & ignis operabilis, ejus autem operabilitas artificialis est, sed in quantùm ignis est ignificativus in suo ignificabili, est ejus operatio naturalis, hoc autem opus scilicet ignis est creatura sensualis, unde hic operativus scilicet Deus suum operabile scilicet ignem produxit in similitudinem suam, prout ignis illam recipere potuit, quod patet; nam per conjunctionem ignificativi & ignificabilis resultat una substantia, quæ est ignis, ad significandum, quòd ipse operator Deus est una pura & simplex essentia habens in se Deificativum, id est Patrem, & Deificabilem, id est Filium, & eorum unio ab utroque procedit, scilicet Spiritus Sanctus, & hoc per essentificativum, qui est Pater, & essentificabilem, qui est Filius, ipso Patre & ipso Filio & ipso Spiritu Sancto existentibus una essentia, atque per bonificativum, qui est ipse Pater, & bonificabilem, qui est ipse Filius, ipsis tribus existentibus una bonitate, hoc idem sequitur de cæteris dignitatibus Dei, Spiritus Sanctus etiam, eo quòd de utroque procedit, est bonificabilis, magnificabilis &c.

2. Ignificativum in essentia sua differre facit à se suum proprium ignificabile, cum quo majorem habet concordantiam & cuicunque huic operi repugnanti repugnat; sed quoniam ignis separari non potest ab aliis elementis, cùm omnia quatuor elementa per totum chaos mixta sint, ignificat de se cætera elementa, ut ea convertere possit in speciem suam. Itaque ignis simplex in se & cæteris elementis generat ignem compositum, habens cum illo concordantiam & similitudinem, sed contrarietatem cum cæteris elementis corrumpendo illis supposita, in quibus prædominatur.

3. Ignis simplex ignem compositum in se incipit mediantibus cæteris elementis, cùm ipsa per totum chaos mixta sint, finis igitur, quare ignis simplex ignem compositum incipit, est, quia appetit esse unum suppositum in sphæra sua absque aliorum mixtione, *unde miscendo angulos trianguli rubei invenitur particulare in universali, quod quidem universale est mixtio angulorum ipsius trianguli* discurrentibus F. G. per principiativum principiabile &c. per mediativum mediabile &c. per finitivum finibile &c. in toto triangulo rubeo, salvando semper situationem & habituationem, quam alius angulus habet cum altero naturaliter, & proportionem, quam habent omnes anguli T.

4. Per cameram ignis ignis, intelligendum est ignificativum esse majorificativum, & æqualificativum, ignificabile verò esse majorificabile, æqualificabile, & hoc per totam ipsam substantiam & per tota ejus accidentia ipsius cameræ; sed illud ignificabile, quod est de essentia aliorum elementorum, est minorificabile, similiter illud ignificativum & ignificabile, quæ sunt, ubi aqueïficativum & aqueïficabile prædominantur super ignificativum, est minorificativum, & ignificabile minorificabile. Unde, prout iste Paragraphus situatus est ex triangulo croceo, debet investigari particulare in camera supradicta, prout quatuor trianguli prædicti se habent situati in camera præposita.

5. Affirmabile est particulare in hac perscrutatione, oppositum autem hujus habituationis & situationis negabile, ergo non dubitabile, quod patet in mixtione alterius anguli trianguli nigri cum altero affirmando vel negando discurrentibus F. G. per cæteros triangulos T., sic, quòd ipsorum triangulorum situs nec habitus destruatur.

Explanatio præcedentis Capituli.

VIso, quomodo T. positum & assituatum est in Camera ignis, nunc igitur videamus, quomodo doctrina datur multiplicandi textum & extrahendi plurima puncta subtilissima isto modo.

1. *Quoniam Deus est creativus, ignis verò creabilis, &c.* ideo sequitur Deum esse in se operativum & operabilem, quia operativus major est in A., quàm operabile in creatura, ut autem operativus & operabilis sint æquales in A., oportet A. in se habere operativum & operabile; qui sint unius & ejusdem essentiæ suæ. Iterum dicit textus: *significativus est operativus in suo proprio significabili &c.*, unde sequitur, quòd A. propriam operationem habeat in se ipso, aliter ignis, qui cum minori fine convenit, quàm A., majorem haberet propriam operationem, quàm A., quod est impossibile.

2. In triangulo viridi dicitur: *significativum in essentia sua differre facit &c.* juxta quod videtur, quòd in essentia A. sit diversificativus, qui in illa essentia diversificat à se suppositum diversificabile, ut cum illo concordantiam possit habere, aliter ignis haberet in essentia sua concordantiam, A. verò non, quod est impossibile, quoniam si foret possibile, concordantia conveniret minoritati & privationi, contrarietas verò majoritati & esse, quod est impossibile. Iterum dicit: *& cuicunque huic operi repugnanti repugnat &c.* juxta quod sciendum est, quòd A. potest in se simplex esse in distinctione personarum, nam compositio non potest eis resistere in simplicitate A., aliter A. & ignis æquales essent in simplicitate, quod est impossibile.

3. In triangulo rubeo dicitur: *ignis simplex ignem compositum incipit &c.* juxta quod sciendum est, quòd A. in essentia sua incipit principiabilem, qui est principiatus, ut principiativus & principiabilis sint æquales in bonitate, magnitudine, æternitate &c. Iterum pro eo, quòd dicit: *ignis simplex ignem compositum &c.* sortitur similiter alius punctus, scilicet, quòd A. incipit in essentia simplici principiabilem, ut ipse principiativus & principiabilis sint insimul in simplicitate, aliter ignis esset major in fine, quàm A., quod est impossibile.

4. Quid est, quòd in triangulo croceo ostendit ignis, ubi dicitur: *per cameram ignis ignis intelligendum est, &c.* nisi, quòd in essentia A. est Deus Pater, qui est magnificativus habens in essentia sua suum proprium magnificabile, cum quo majorem habet concordantiam, quàm cum magnificabili essentiæ alienæ; & inde sortitur alius punctus, nam sicut exignificativo procedit conjunctivum, & ex ignificabili conjungibile, quæ scilicet conjunctivum & conjungibile sunt una conjunctio ipsorum, scilicet ignificativi & ignificabilis, ut sint unum suppositum, sic de Deificativo & Deificabili procedit conjunctivus & conjungibilis, id est unitivus & unibilis, scilicet una conjunctio vel unio, quæ est Spiritus Sanctus conjungens vel uniens Deificativum & Deificabilem in essentia unius Dei tantùm, aliter ignificativum & ignificabile majorem haberent æqualitatem, quàm A., quòd est impossibile; *prout quatuor trianguli prædicti &c.* Unde sciendum est, quòd si operatio istius cameræ ignis ignis, quam A. in similitudine suæ operationis intrinsecæ influxit, affirmabilis est secundùm situm & habitum prædictorum quatuor triangulorum in ipsa camera, quantò igitur magìs affirmabilis est ipsa operatio, quam habet A. in se ipso de Deificativo in Deificabilem &c., aliter quatuor prædicti trianguli meliùs se haberent ad cameram prædictam ignis ignis, quàm ad cameram A. A., quod est impossibile.

5. Iterum dicit: *discurrentibus F. G. &c.*, unde sequitur, quòd F. G. plùs possent discurrere in A., affirmando id, quod in A. est, & negando id, quod in A. non est, quàm in camera ignis ignis, aliter ignis non esset minor A., quod est impossibile.

Simili modo, sicut hìc *regulam & modum dedimus multiplicandi textum* præhabitum extrahendo *metaphoricè* puncta præhabita ad significandum intrinsecam Dei operationem, potest peritus artista textum hujus artis in cæteris objectis creatis multiplicare.

De Camera ignis aëris.

1. DEus creavit ignem in aëre & è converso, existente igne aërificato & aëre ignificato, ut ignis operaretur in aëre ratione operandi alterum ignem, & aër operaretur similiter in igne ratione operandi alterum aërem, & hoc idem simili modo sequitur de aqua & terra, unde patet elementa alterum in altero esse creata, & quodlibet eorum etiam in se ipso, nam ignificativum creatum est

est in ignificabili & è converso, & hoc simili modo sequitur de cæteris elementis, quæ in se ipsis creata sunt, & de accidentibus eorum, quæ similiter creata sunt alia in aliis, sicut quantitas in qualitate & è converso, & sicut quantitas intensa in quantitate intensa & quantitas intensa in quantitate extensa & è converso, & sicut quantitas in substantia & è converso, & sicut accidentalis operatio elementorum in substantiali & è converso, & sic de aliis his similibus. Unde patet, quomodo creatio facta est in *mixtione, digestione & compositione.*

2. Major differentia est illa, quæ est inter ignificativum & ignificabile respectu concordantiæ, quàm illa differentia, quæ est inter ignificativum & aërificativum, vel inter ignificativum & aërificabile, vel inter ignificabile & aërificativum, vel inter ignificabile & aërificabile, major etiam est illa concordantia, quæ est inter ignificativum & aërificativum, quàm inter ignificabile & aërificabile. Unde simili modo potest intelligi de differentia & contrarietate, quæ similiter majora sunt, quando sunt contra majorem concordantiam & differentiam, quàm dum sunt contra minorem, ut prædiximus.

3. Ignificativum in proprio ignificabili suo incipit convertere vel transubstantiare aërificabile in essentiam ignificabilis, & tamen sequitur inde aërificativum in essentiam ignificativi transmutari non posse, itaque ignificativum ad se trahit aërificabile, non autem aërificativum, & hoc habet ita fieri propter finem.

4. Majoritas major est in principio, quod est finis, quàm in principio, quod est medium, & per consequens major est ipsa majoritas in fine, quàm in medio, unde patet, quòd majoritas est major in igne, quàm in aëre, tunc quando ignis propinquior est suo fini, quàm aër similiter suo fini. Hoc idem simili modo sequitur de æqualitate, nam ipsa æqualitas major est in cholerico inter principium & finem ignis, quàm inter principium & finem aëris.

5. Affirmativum habet majorem similitudinem ignificativi, aërificativi, quàm negativum, similiter affirmabile majorem habet similitudinem ignificabilis aërificabilis, quàm negabile, atque dubitabile majorem habet similitudinem compositionis ignificativi & aërificabilis, quàm ignificativi & ignificabilis, & quàm ignificativi & aërificativi.

Explanatio præcedentis Capituli.

1. *AB his igitur per explanationem extrahamus aliqua, ut isti modi extrahendi sint proficientibus speculum & exemplar;* dicit enim in primo triangulo: *Deus creavit ignem in aëre &c.* quæ sequuntur, per quæ notandum est potentias animæ & potentias corporis esse, ut sit quoddam suppositum elementatum, sensatum, imaginatum & rationatum, vivum &c. & inde sequitur alius punctus, non esse idem numero, quod illud suppositum est, in quo mixta sunt & composita, nam propter eorum mixtionem & transmutationem sequitur de ipsis aliud ens, quod non est aliquod elementum vel elementa.

2. *Major differentia est illa* &c. ex his patet, formam esse actionem, materiam verò passionem, existente actione in passione, & è converso, ut sit majoritas inter formam propinquam & materiam propinquam, minoritas verò inter remotam formam & remotam materiam, patet etiam formam esse majorem materiâ, cùm concordantia ignificativi & aërificativi plùs distet à contrarietate, quàm ignificabilis & aërificabilis.

3. *Ignificativum in proprio &c.* ex his igitur intelligendum est, quòd forma ad se materiam remotam attrahit, ut separans ab illa propriam formam possit illam induere formâ alienâ, alterâ formâ generatâ in corruptione alterius formæ, & inde sequitur aliud scilicet formam vel aëris vel aquæ vel cæterorum, quæ priùs corrupta fuerat, restaurari in aliam novam materiam in parte existentem in primo chaos & in parte in tertio, formâ, quæ est in potentia, se movente, ut per virtutem generativam & influxivam veniat in actum, indéque sequitur totam formam corruptam esse quandoque in primo chaos tantùm.

4. *Majoritas major est &c.* inde possumus intelligere humidum radicale esse indivisibile, sicut finis indivisibilis est, ut sit suppositum specificum habens formam & materiam specificas & determinatas, existentes idem numero cum aggregato ex illis; & inde similiter notandum est alterum humidum radicale ab altero produci fine diminutione specifici numeri ipsius producentis, sicut alter homo alterum hominem generat

absque diminutione essentiæ, substantiæ, speciei illius generantis.

5. *Affirmativum habet majorem &c.*, circa quod videtur affirmativum & ignificativum, affirmabile & ignificabile, dubitabile & primum chaos esse similia, & inde sequitur formam pati per accidens scilicet affirmativum in confusione dubitationis.

Velut in duabus præhabitis cameris exemplum dedimus, potest artista cognoscere plura puncta, & exponere textum hujus artis.

De prima Figura demonstrativa.

1. FIgura demonstrativa cæteris figuris universalior in duas figuras dividitur, scilicet in primam & secundam, sicut in arte patet, de quarum prima quoad præsens procedendum est & per consequens de secunda. *Hæc igitur figura genus est omnibus figuris hujus artis & instrumentum inquirendi particulare in quovis universali comprehendens generaliter omnes cameras aliarum figurarum hujus artis;* nam alphabeto duorum supremorum circulorum suorum possunt distribui dignitates A., ita quòd B. significet bonitatem & C. magnitudinem & D. æternitatem & sic de cæteris ordine consequenti, eodem modo possunt distribui cameræ S. T. V. X. Theologiæ, Philosophiæ & Juris, ût in textu patet, ubi dispositio hujus figuræ declaratur.

2. In illis quidem circulis, ubi A. S. T. V. X. Y. Z. scripta sunt, notantur universaliter omnes cameræ ipsorum A. S. T. V. X., de quibus particulare elicitur, T. discurrente per eas in supremis circulis ipsius demonstrativæ, similiter discurrente T. per duos infimos circulos ipsius figuræ, in quibus elementa significantur, de particulari cujuslibet cameræ elementalis respondetur, & ipsum quidem T. per triangulum in medio illius figuræ existentem significatur, sicut in textu patet.

3. Quandocunque habet discursus per A. fieri, scilicet per dignitates ejus, tunc artista situet cameras ipsius A., ita quòd litteris aliis existentibus sub aliis formetur una camera vel de B. B., vel de B. C., vel de B. D. vel de B. E. & sic de aliis, aut de C. C. vel de C. G. & sic de aliis, omni modo combinationis, deinde inquirat per T. particulare, quo indiget, ponens ipsum T. sub camera antecedente, quæ meliùs particulare significat, deinde ponat ipsum per ordinem sub cæteris consequentibus, & apparebit ei, quomodo particulare in universali latet, quod universale est concordantia prædictarum camerarum cum T. discurrendo: sic per litteras alphabeti præordinati, per B. intelligitur in A. bonificativus, bonificabilis, bonificare, bonificatus, per C. magnificativus, magnificabilis, magnificare, magnificatus, per T. autem intelligitur Deificativus, Deificabilis, Deificare, Deificatus, & unificativus, unificabilis, unificare, unificatus, & essentificativus, essentificabilis, essentificare, essentificatus, & de creativo & de operativo &c. & per consequens declinet juxta suum declinitivum quemlibet triangulum ipsius T., & ejus contenta, unumquodque tamen eorum suo modo, deinde concordet bonificativum magnificativo, & bonificativum magnificabili & sic de aliis. Hæc autem concordantia per omnes cameras præhabitas ipsorum B. C. D. &c. discurrat, tunc statim apparebit particulare, quod quæritur, multiplicando rationes in concordantia & significatis camerarum, & iste est modus & doctrina perquirendi particulare de A. & non tantùm de A., sed etiam de S. T. V. X., Theologiæ, Philosophiæ & Juris, si alphabetum demonstrativæ ad cameras cujuslibet prædictarum camerarum ordine simili dirigatur.

4. In duobus circulis mediocribus, in quibus scripta sunt A. S. T. V. X. &c. formet artista cameras, id est, ponat litteram super litteram, sicut A. super S, vel A. super T. & sic de aliis per omnem modum combinationis earum; formatis igitur cameris eligat artista illam, quæ cum particulari, quo indiget, majorem habet similitudinem, & ponat eam pro antecedenti, cæteras verò pro consequenti. Veruntamen cavendum est, ne aliquod incidat inconveniens de cameris consequentibus ad primam.

5. Si autem artista fortè particularis affirmativam vel negativam ignoraret, recurrat ad textum hujusmodi camerarum, quibus plùs indiget, qui textus per T. declarat eas *in arte demonstrativa distinctione secunda;* & si fortè artista propter ignorantiam non poterit particulare, quod quæritur, invenire, dirigat igitur F. G. per T. ad cameras superiorum circulorum, in quibus scripta sunt B. C. D. &c. & ad secundas figuras, quæ sunt in *arte*

in *arte demonstrativa distinctione prima* salvis semper conditionibus figurarum, nec non earum principiis, unde compositæ sunt & situatæ.

6. Si autem fiat alicujus partis elementorum investigatio, formet artista in interioribus circulis demonstrativæ, ubi elementa scripta sunt, cameras, quæ magìs illi particulari competunt, discurrens per T. in qualibet earum, & sequens declinium elementorum discurrat, quomodo ignis est ignificativus, ignificabilis ignificans & ignificatus, & quomodo aër est aërificativus, aërificabilis, aërificans & aërificatus & sic de cæteris elementis combinando ea ad formandum cameras, veruntamen caveat affirmativam vel negativam accipere, unde sequatur vel inconveniens vel impossibile contra figuram elementalem.

7. Si fortè artista in Demonstrativa ignoret invenire particulare, recurrat ad textum elementalis figuræ in secunda distinctione artis, extrahátque de ipsa sententiam per T. multiplicando textum, qui, si bene multiplicare sciverit, ad multorum punctorum subtilium notitiam deveniet, unde, si in discursu contingat textum corrumpi per negativam, oportet affirmativam necessariò esse veram; vel si per affirmativam corrumpitur, necesse est negativam esse veram, *hæc autem regula nunquam fallit.*

8. Triangulus in medio demonstrativæ positus significat unumquemque triangulum ipsius T. vel illum, qui investigationi competit; volvat igitur artista quemvis angulum prædicti trianguli ad cameram, quæ est antecedens, deinde ad cœteras cameras consequentes. Itaque discurrens artista per T., sicut supra significatum est, illud particulare inveniet, quod inquirit.

Et ista sufficiant de modo investigandi & inveniendi particulare per Demonstrativam continentem omnes figuras hujus artis, quæ investigatio habet fieri discurrentibus E. G. cum N., ut D. habeat Y. & G. habeat Z.

De secunda Figura demonstrativa.

SIcut in textu patet, secunda figura demonstrativa in viginti octo cameras dividitur, nos autem, quoad præsens ponendo T. de ipsa intendimus exemplificare per tres cameras tantùm ipsius figuræ multiplicantes textum, cujus multiplicatione plura puncta subtilia enucleabimus & per hanc multiplicationem habebitur via & doctrina per similem viam exemplificandi cœteras cameras hujus figuræ, unde de prima procedimus isto modo.

De Camera A A.

1. QUoniam A. est recolibile, intelligibile & diligibile, est ipsum A. Creator, unde oportet esse creaturam, præterea A. est in se Deificativus habens Deificabile in semet existente in essentia ipsius A. unificativo & unificabili, essentificativo essentificabili, bonificativo & bonificabili & sic de aliis; unde per hæc prædicta oportet in A. esse Deificare Deificatum, unificare unificatum, essentificare, essentificatum, bonificare bonificatum & sic de aliis in se per operationem intrinsecam & extra se per operationem extrinsecam. Et quia dicitur *A. est Deificativus &c.* sequitur, si in A. non est producens & productus, cùm ipsum A. sit perfectum, quòd ejus perfectio sit imperfectio Deificativi & Deificabilis, unificativi & unificabilis, essentificativi & essentificabilis, bonificativi & bonificabilis, & sic de aliis, quod patet; nam cessatio Deificativi, unificativi, essentificativi, bonificativi & sic de aliis esset imperfectio; sic igitur ex perfectione in A. sequeretur imperfectio Deificativi, &c. quod est impossibile.

a Præterea in operatione intrinseca ipsius A. ita benè convenit Deificativo Deificabile, unificativo unificabile, essentificativo essentificabile, bonificativo bonificabile, & sic de aliis, sicut sapientiæ ipsius A. convenit intelligere, & voluntati ejus velle, aliter A. non esset recolibilis, intelligibilis & volibilis in perfectione, quod est impossibile, ex hoc impossibili sequitur necessariò in operatione ipsius A. esse productivum & productibile, ut autem in essentia A. non sit operatio cum accidentibus, oportet in suo intelligere & velle esse substantiativum & substantiabile & per consequens processivum & processibile per totam Deitatem, unitatem, bonitatem, magnitudinem &c. ipsius A., aliter essent in A. accidentia, quod est impossibile.

b Viso igitur, quomodo per prædicta ostenditur *via & regula extrahendi plurima puncta*, per quæ probatur productio in

divinis, amodò ad idem de aliis triangulis videamus.

2. In Deitate, unitate, essentia & dignitatibus A. oportet esse distinctivum, distinguibile, distinguere, distinctum, ut in ipso A. sit concordativum, concordabile, concordare, concordatum per totam Deitatem, unitatem & dignitates sine contrariativo, contrariabili, contrariare, contrariato; aliter non esset maxima distantia inter concordativum & contrariativum, inter concordabile & contrariabile, & inter concordare & contrariare, atque inter concordatum & contrariatum per totam Deitatem, unitatem, essentiam & dignitates A., quod est impossibile.

c Quia dicit *in Deitate unitate, &c.* sciendum est in Deitate esse concordativum & concordabile, ut distinctivum & distinguibile sint una eadem Deitas, una eadem unitas, una eadem essentia, una eadem bonitas & sic de aliis, & quod sequitur in Deitate, sequitur in unitate, bonitate, magnitudine &c. atque de essentia, licèt Pater, qui est distinctivus, totam suam essentiam producat in Filium & Spiritum Sanctum, qui sunt distinguibiles, & licèt Filius, qui distinctivus est Spiritûs Sancti, totam suam essentiam communicet ipsi Spiritui Sancto, qui est distinguibilis. Quia alius est Deificativus, unificativus, essentificativus, bonificativus, magnificativus &c. & alius est Deificabilis, unificabilis, essentificabilis, bonificabilis, magnificabilis &c. existentes insimul, & quilibet per se una Deitas, una unitas, una essentia, una bonitas, una magnitudo &c. sunt ipse magnificativus & ipse magnificabilis in unificativo & unificabili per distinctivum existentem concordativum, & per distinguibilem existentem concordabilem sine omni contrariativo & contrariabili.

d Si A. intelligit & diligit se sine distinctivo & distinguibili, se quidem intelligit & diligit absque concordativo & concordabili existentibus in Deitate, unitate, essentia, bonitate, magnitudine &c. & per consequens intelligit & diligit se in Deitate, unitate &c. cum contrariativo & contrariabili privantibus concordantiam in intrinseca Dei operatione, quæ siquidem privatio impossibilis est in Deitate, unitate &c.

3. Si in essentia A. sunt idem sapientia & voluntas sine sapientificativo, volitivo, & sine sapientificabili & volibili, sequitur eas idem esse sine intelligere & velle, & per consequens sine intellecto & volito, quod patet, nam sine fine existente per bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c. non potest A. intelligere aut velle. Restat igitur in A. esse finem & per consequens volitivum & volibile, qui scilicet finis esse non potest absque distinctivo & distinguibili per totas dignitates A.

e Dicimus igitur, *si in essentia &c.* unde notandum est finem intelligendi & volendi, quæ scilicet intelligere & velle sunt A. esse in magnificativo magnificabili, & per consequens in magnificare magnificato, quia, nisi ita sit, oportet eum esse in parvificativo, parvificabili, parvificare, parvificato per totam bonitatem &c. quod est impossibile, ergo oportet, oppositum esse verum.

f Sicut in A. per intelligere necessariò sequitur intellectus, & per velle volitus, sic per bonificare sequitur necessariò bonificatus, & per magnificare magnificatus & sic de cæteris dignitatibus A., aliter finis sapientiæ & voluntatis esset per primam intentionem, finis verò bonitatis, magnitudinis &c. per secundam, & per consequens non esset in fine ipsius A. magnificativus unificativus &c. quod est impossibile, ergo & antecedens.

g In essentia A. est finitivus & finibilis, ut finire & finitus sint in illa eadem essentia, & è converso sunt finire & finitus in illa eadem essentia, ut finitivus & finibilis sint in ipsa eadem essentia, aliter non esset finis in magnificativo magnificabili per bonitatem &c., atque sequeretur, quòd finis in A. simpliciter esset per primam intentionem, finis verò bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. per secundam, quod est falsum.

h Si finis sit in A., ut sit ipsum A. tantùm, & ut sit in eo bonitas, magnitudo, æternitas &c. sed non finis producendi A. de se bonum de bonitate, nec magnum de magnitudine & sic de aliis, est ergo major finis in esse & in essentia bonitatis, magnitudinis &c., quàm in Deificare, unificare, essentificare, bonificare, magnificare, æternificare, possificare, intelligere, velle &c. Itaque in A. finis est in minoritate, quod est impossibile, ergo &c.

4. Ita se communicat bonitas A. suo intelligere & suo velle, sicut suo bonificare, & istud idem sequitur de magnitudine, æternitate, potestate &c. aliter essent majoritas & minoritas in essentia A. contra æqualitatem, quod est impossibile, nam inæqualitas esset in A. contra æqualitatem, quæ æqualitas minoritati & privationi conveniret, inæqualitas verò majoritati & esse, quod est impossibile.

k Et quoniam *ita se communicat bonitas A. &c.* notare possumus, si in bonitate A. non est bonificativus, magnificativus, bonificabilis magnificabilis &c., sequitur in E. majus rationativum rationabile, rationari rationatum in Z., quàm in Y., tunc quando E. habet A. in operatione intrinseca, itaque ratio & Z. conveniunt majoritati & esse, realitas verò & Y. minoritati & non esse, quod est impossibile.

l In essentia A. vult voluntas ipsius A. esse A., & est A., similiter & ipsa sapientia sciens se esse A., est A., unde sicut ipsa voluntas in volendo & ipsa sapientia in sciendo sunt A., sic similiter bonitas bonificando, magnitudo magnificando, æternitas æternificando & potestas possificando, & sic de aliis sunt A., aliter voluntas & sapientia A. in agendo convenirent cum majoritate, sed ejus bonitas, magnitudo &c. cum minoritate, quod est inconveniens.

m Si in A. non est æqualitas, tantùm distat æqualitas ab essentia A., sicut inæqualitas, itaque voluntas A. tantùm odit æqualitatem, quantùm inæqualitatem in se habere, & quoniam ita est, quòd æqualitas plùs convenit unitati & magnitudini bonitatis, æternitatis &c. sequitur, si in A. non est æqualitas, quòd voluntas sit contra magnitudinem unitatis, bonitatis, æternitatis &c., quod est impossibile, ergo necesse est esse in A. æqualitatem & per consequens in eo distinctionem, sine qua impossibile est æqualitatem in Deo esse.

n In A. vult voluntas sapientiam, & sapientia scit voluntatem, si ergo in A. non est productio, voluntas se habet in majoritate erga sapientiam, sed sapientia in minoritate ergà voluntatem, quod autem sapientia hoc sciat in A. & in E. esse, est impossibile; restat igitur, quòd ejus sapientia producit in se volificabile, ut in communicatione sit æquale voluntati, & hoc idem sequitur de aliis dignitatibus Dei.

o Quoniam in A. est intelligere & velle, sunt in ipso intelligens & intellectus, volens & volitus, & hoc sine materia & passione, intellectivo & volitivo existente formâ de se producente totum intelligibile & volibile; unde, si in A. non esset productio, sequeretur ex suo velle & ex suo intelligere materia & passio existentibus in essentia ipsius A. intelligente & intellecto, volente & volito.

5. Affirmativum majorem potest habere majoritatem in magnitudine affirmabilis, quàm in parvitate illius, unde sequitur, quòd A. plùs est affirmabile, si producit suppositа in se ipso, quàm si non producat ea, relinquitur ergo, quòd producit ea in se ipso, aliter affirmativum esset in majoritate affirmans cum minoritate, vel esset in minoritate affirmans cum majoritate, hoc autem est impossibile.

p *Affirmativum majorem &c.* per hoc intelligimus, quòd E. affirmans A. esse unum, & esse essentiam ipsius A. & unitatem & operationem ejusdem intrinsecam, per totam suam bonitatem, magnitudinem, æternitatem, &c., non est contra esse, neque contra unitatem, essentiam, bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c. ipsius, A., & quòd N. negans id, quod est in A., est contra esse, & contra unitatem, essentiam & dignitates ipsius A.; unde patet A. esse unum ens essentiale, bonum, immensum, æternum &c. aliter affirmativum esset majus in minori affirmabili, atque negativum majus in minori negabili, quod est impossibile.

q Si in A. sunt productivus & producibilis per totam unitatem, bonitatem, infinitatem, æternitatem, &c., affirmativum & affirmabile majora sunt in majoritate, quàm in minoritate; si verò in A. non sunt productivus & producibilis per unitatem &c., affirmativum & affirmabile majora sunt in minoritate, quàm in majoritate, quod est impossibile; unde videtur in A. esse productivum & producibile, quod non est dubitabile.

r Si in essentia A. sunt productivus & producibilis per unitatem & per omnes dignitates ejus, maxima est concordantia inter affirmativum & affirmabile; si verò in A. non sunt productivus & producibilis, est ipsa maxima concordantia inter negativum & negabile, sed quoniam affirmativum & affirmabile absolutè conveniunt majoritati & esse, negativum verò & negabile minoritati & non esse, constat igitur in A. esse productivum & producibile.

s Productivus & producibilis in A. majorem habent majoritatem & concordantiam, finem & perfectionem in æqualitate, minorem verò in inæqualitate, & quoniam hoc non est negabile, constat igitur, quòd in Dei operatione intrinseca sunt æquales

scilicet productivus & producibilis, ut ipse productivus habeat sibi ipsi æqualem & è converso, nam sine tali producibili ipse summus productivus non haberet sibi ipsi æqualem nec è converso, per consequens sequeretur, quòd productivus & producibilis meliùs concordarent in inæqualitate, quàm in æqualitate, quod est impossibile, ergo &c.

t Negando vel dubitando esse A., nullum bonum, sed omne malum sequitur, unde è contrario in affirmando esse A., sequitur omne bonum, non autem aliquod malum; patet igitur, quòd de A. sunt plura affirmabilia, quàm negabilia & dubitabilia, nam è contrario sequeretur, quod affirmatio & bonum concordarent minoritati & privationi & per consequens negatio & dubitatio majoritati & esse, quod est impossibile, unde patet productionem esse in divinis.

u Per hæc igitur, quæ diximus, patet modus & doctrina discurrendi per T. in A. approbando productionem in A., in hoc siquidem discursu modum dedimus, per quem alius punctus ab alio, scilicet aliæ rationes ab aliis extrahuntur, ut artistæ modus pateat inveniendi particulare, de quo desiderat respondere & notandum est, quòd, sicut de Dei productione diximus, simili modo intelligendum est in divinis de æqualitate, de Trinitate, de essentia & dignitatibus.

De Camera A. S.

1. A Creator est, S. autem ejus creatura, cùm ipsum A. sit recolibile, intelligibile & volibile ipsius S., quod est operativum recolendo, intelligendo & volendo. Hìc dicitur: *A. creator est &c.*, unde sciendum est, A. esse recolibile, intelligibile & amabile, quia est operativum & operabile in se habens operationem intrinsecam, intelligendo & diligendo se, intellectivo volitivo, intelligibili volibili existentibus in ejus essentia, aliter esset A. in se intellectivum & volitivum tantùm, extra se verò intelligibile & volibile tantùm, non tamen in unitate essentiæ suæ, nec in suámet bonitate, magnitudine &c. quod est impossibile.

a In S. est operativum, scilicet recolitivum, intellectivum & volitivum, & operabile scilicet recolibile, intelligibile & volibile, & hoc, ut operativum & operabile sint magìs vicini recolitivo recolente recolibile, intellectivo intelligente intelligibile, & volitivo volente volibile, ad denotandum A. esse in se operativum & operabile, ut intellectivum intelligibile, volitivum volibile sint una essentia ipsius A., quod nisi ita esset, forent operativum & operabile plùs conjuncta in S., quàm in A, quod est impossibile.

b Quantò plùs E. habet A., tantò operativum ipsius E. & ejus operabile majora sunt in recolendo, intelligendo & volendo, & quantò plùs I. habet A., tantò S. plùs est in contrarietate sui operativi & operabilis & hoc simili modo intelligendum est de N.

c Quoniam S. est, ut A. sit recolitum, intellectum & volitum, & quia etiam A. plùs est recolibile, intelligibile & volibile, quàm S, fuit E. creatum in S. majori virtute habendi A., quàm ipsum S., unde S. plùs potest operari in A., quàm in se ipso vel in alio objecto, quod per se patet.

2. A. est diversificativum concordativum, S. verò diversificabile concordabile, quod est, quia A. est creativum, S. verò creabile, sed quando S. est contra A. habens I. ad ipsum A., & E. ad V. Z., tunc ipsum S. est contrariativum, A. verò contrariabile, existente ipso A. contra E. propter justitiam.

d A. est diversificativum &c. unde notandum est, quòd A., quod est Pater, est distinctivum, concordativum, A. verò, quod est Filius, & A., quod est Spiritus Sanctus, sunt distinguibile & concordabile, atque ipsum A., quod est Filius, est distinctivum concordativum, ipsum verò A., quod est Spiritus Sanctus, est distinguibile, concordabile ipsis tribus A. existentibus unâ unitate, unâ essentiâ, unâ bonitate, unâ immensitate &c., ut autem hoc appareat ipsi S., creavit A. ipsum S. ad similitudinem suam, prout ipsum A. illud assimilare sibi potuit tribus essentiis existentibus in S., scilicet recolentia, intelligentia & volentia, quarum distinctarum alia est in alia, insimul autem concordantes sunt unum quid, scilicet unum esse, quod est S., & hæc earum essentia est sine cessatione distinctivi concordativi, & distinguibilis concordabilis in recolere, intelligere & velle, atque in distinguere & unire.

e Sicut in voluntate A. est distinctio inter volitivum & volibile, ita est in voluntate S. differentia inter volitivum & volibile, & hoc simili modo sequitur de bonitate A. & de bonitate S., de magnitudine A, & de magnitudine S., de æternitate A. & de duratione S. & sic de aliis.

f In essentia A. non est contrariativum neque contrariabile, idcirco A. per se non est contrariabile, S. autem est contra A., tunc scilicet, quando I. est contrariativum ipsius A., habens A. V. Y., & quando E. est contrariativum ipsius A. habens V. Z., Itaque per accidens A. est contra S. & è converso, per quod quidem accidens S. est contra se ipsum, nam B. est contra C. D. & C. contra B. D. & è converso, hoc idem simili modo sequitur de contrarietate F. G. H. & E. I. N. R.

3. Cùm A. sit principium, medium & finis S., est ipsum A. principiativum mediativum & finitivum, ipsum verò S. est principiabile, mediabile & finibile, existente A. causâ, S. verò effectu, atque E. habente A. V. Y. & I. habente V. Z.

g *Cùm A. sit principium medium &c.* finis quidem ipsius S. est ipsum A. recoli, intelligi & diligi ab S., & ideo A. est principiativum, S. verò est principiabile, unde per hoc medium, quod est recolere, intelligere & diligere ipsius S., est A. mediativum conjunctivum, S. verò mediabile, conjungibile, conjungente A. principium & finem ipsius S., & per consequens ex virtute hujus trianguli præhabiti sequitur ille triangulus rubeus, de quo S. compositum est, scilicet illæ tres essentiæ, de quibus S. est aggregatum, quæ scilicet essentiæ sunt principia essendi ipsius S. mediante recolitivo & recolibili, intellectivo & intelligibili, volitivo & volibili, finis autem est esse ipsius S.

h Principiatum est totum S. ad fruendum A. perpetuò in patria, unde oportet, quòd S. de toto sémet ipso fruatur A., nam aliter non esset totum S. principiatum ad fruendum A., nec per consequens sufficeret ipsum A. esse totum principiativum, mediativum & finitivum ipsius S., nec per consequens S. totum principiabile, mediabile & finibile ipsius A., quod est impossibile.

k Inter recolitivum & recolibile, intellectivum & intelligibile, volitivum & volibile, quæ sunt principia & essentiæ S., oportet existere perpetuò in patria recolibile, intelligibile & volibile, quod est A., nam aliter destrueretur in S. medium conjunctionis, mensurationis & terminationis & per consequens principium & finis ipsius S.

l Dum S. est in via, incipit recolere, intelligere & velle mediante sensitiva &c., unde sicut homo incipit videre faciem suam in speculo, deinde videt eam in S. recolendo, intelligendo & volendo, ita perpetuò in patria S. incipit se videre in A. recolendo, intelligendo & volendo priùs suum principium, suum medium, suum finem, quæ sunt A., quàm sémet ipsum, & sic S. mediante A. recolit, intelligit & diligit sémet ipsum vel aliud.

4. A. majorificativum est, S. verò majorificabile, ut per E. habens A. sit S. magnificativum, A. verò magnificabile in E., ideóque A. majorificat S. super corpus, atque æqualificat ipsum per B. C. D. in E., & per F. G. H. in I., etiam A. majorificat E. in S. super I. N. R. & I. super N. R. atque N. super R.

m Præterea quia ipsum A. est forma sine materia, majorificat in S. formam super materiam, recolitivo, intellectivo & volitivo existentibus in majoritate super recolibile, intelligibile & volibile.

n *A. majorificativum est &c.* & hoc, quia existentibus cameris A. objectis ipsi E. majorificatur S. fruendo A., quod patet, nam C., quod intelligit A., quod est Pater, esse immensificativum per totum sémet ipsum, qui est bonificativus æternificativus &c. & Filium esse immensificabilem per totam bonitatem, æternitatem &c., ut ipse sit bonitas, æternitas &c. Hoc idem simili modo sequitur, de Spiritu Sancto, qui à Patre & Filio producitur in immensitate bonitatis, æternitatis &c.

o Fruente S. æqualificatione, quæ est in divinis, A. æqualificat in E. actus ipsorum B. C. D., ut in A. sit ipsum E. magnum ipso A. influente B. in C. D. & C. in B. D., atque D. in B. C., & sic consequenti modo intelligendum est de æqualitate, quæ est in F. G. H. contra V. Z.

p Quoniam A. multò plùs aptum est recoli, intelligi & diligi ab S., quàm aliud objectum, est ideo ipsum S. plùs majorificativum habens E. ad A., quàm ad aliud objectum, unde si ipsum S. è contrario habet I. ad A., est ipsum S. magìs minorificativum, quàm aliqua alia creatura.

q Præterea A. plùs magnificat E. in S., S. in E. habente V. Y., quàm in I. habente V. Z., eò quòd V. Y. conveniunt majoritati, V. Z. verò minoritati; A. etiam majorificat E. plùs in quadam virtute, quàm in altera, prout quædam virtus majoritati convenit super alteram. Hoc idem simili modo sequitur de I. in V. Z. atque de N. in V. Y. Z. ipso M. diligente V. Y. & odiente V. Z.

r *Quoniam A. multò plùs &c.*, sed quoniam S. non potest tantum de A. affirmare, quantum est de ipso affirmabile, sequitur per accidens A. esse dubitabile, S. verò dubitativum mediantibus N. R.

Præ-

s Præterea omne malum, omne parvum &c. est in A. negabile, ipsius S. negativi, plùs etiam est negabilis in A. omnis imperfectio, quàm S. negare possit, unde per accidens cadit S. in dubitationem mediantibus N. R.

5. S. affirmando id, quòd est in A., & negando id, quod in A. non est, plùs distat à dubitatione in majoritate affirmationis & negationis, quàm in minoritate earundem, & per hoc patet, quòd S. plùs distare potest à dubitatione mediantibus suppositis in A., quàm si in ipso A. non essent supposita.

t Manifestum est, quòd finis S. plùs existit in affirmare, quàm negare, cùm affirmatio dicat quid positivi, negatio verò non, quod est, quia esse majoritati convenit, privatio verò minoritati, unde sequitur, quòd S. plùs potest de A. affirmare, quàm negare, nam per oppositum sequeretur, quòd finis S. plùs esset in negare, quàm in affirmare & sequeretur, quòd id, quod est absolutè positivum, conveniret minoritati, privativum verò majoritati, quod est impossibile.

De Camera S. S.

1 S. Est ens creatum de recolentia, intelligentia & volentia aggregatum habens intrinsecam & extrinsecam operationem, *S. est ens creatum &c.*, hoc est, quia in S. est actio ex parte recolitivi, intellectivi & volitivi, passio verò ex parte recolibilis, intelligibilis & volibilis, cùm ipsum S. sit aggregatum substantialiter de actione pro forma & de passione pro materia.

a Recolitivum recolendo est operativum sui recolibilis in se, præterea ipsum recolitivum est operativum recolendo intelligentiam & volentiam & è converso, & inest S., quæ est substantia spiritualis operativa ex parte formæ, sed operabilis ex parte materiæ, ipsâ existente incessanter & in eodem tempore operante operabili operata, quod est, ut denotetur operatio intrinseca, quam A. habet in se ipso.

b In operatione S. est liberum arbitrium, quod est passiva activáque potentia, ut ipsum meliùs ipsi S. conveniat, ipsum quidem est activa potentia, quia E. liberè à B. C. D. producitur, & I. ab F. G. H. & sic de N. R. per consequens, sed est passiva potentia, quia ejus libertas communicabilis est, habente S. potestatem liberè utendi arbitrio.

c Operatio, quam S. habet in se, est movere corpus & movere in ipso corpore potentias, scilicet vegetativam, sensitivam & imaginativam, atque ad se attrahere & reducere species alienæ essentiæ recolendo, intelligendo & volendo, & hæc ultima operatio extrinseca ipsius S. dicitur, cùm illæ species, quas ipsum S. attrahit, non sint de specie neque de essentia ipsius S., veruntamen dicitur intrinseca, in quantum S. attrahendo illas ad se operatur in se ipso. Operatio autem, quam S. habet in corpore, sensibilis est, sicut patet in visu, auditu &c, sed illa, quam habet in se, insensibilis est & tantùm intelligibilis intelligente homine id, quod ipse recolit & diligit in se ipso, scilicet in mente sua cogitando & ratiocinando.

d E. mediante B. se communicat ipsis C. D. dans eis suum recolitivum & recolibile, ut sit intellectivus & volitivus, atque intelligibilis & volibilis & è converso C. D. ipsi B., atque C. ipsi D. & è converso, quod est, ut in S. sit potentia deliberativa, electiva, ratiocinativa, ut ipsum S. istas cameras possit acquirere [E A V Y] [I V Z]

e Duplex est in S. operatio scilicet substantialis & accidentalis, substantialis quidem est S. esse ens aggregatum de recolitivo & recolibili, intellectivo & intelligibili, volitivo & volibili; accidentalis est ipsum S. producere E. I. N. R. in V. Y. Z., aut quòd ipsum S. accipiat objecta, scilicet recolendo &c. hominem, asinum &c.

f *B. mediante siccitate & frigiditate est operativum, ut sit tanquam vas ex parte terræ vacuum, sed ex parte aquæ clausum, quod est, quia terra evacuabilis est, aqua verò restringibilis est, similiter C. mediante caliditate & siccitate est operativum, nam sicut ignis divisivus est & evacuativus, ita C. similiter evacuativum & divisivum est ipso discurrente de specie in speciem, unde C. subtilius est in corpore calido & sicco, quàm alterius complexionis, & inde sequitur, quòd vehemens applicatio studii habet corpus desiccare, atque D. simili modo mediante humiditate & caliditate est operativum, quia caliditate ardenter desiderat repletionem per humiditatem, quia proprium est aëri adimplere*, & per ista patet, quomodo mediante corpore S. operatur accipiens species recolendo, intelligendo & volendo.

2. In S. est forma agens, materia verò patiens, ideo sunt in ipso differentiativum, scilicet recolitivum, intellectivum, volitivum, quæ sunt forma, & differentiabile scilicet recolibile, intelligibile & volibile, quæ sunt materia, & hæc eadem sunt unificativa & unificabilia per concordantiam in esse unius S., unde similiter prædicta agentia sunt unificabilia sui ipsius in essentia unius formæ communis, & prædicta patientia unificabilia in essentia unius materiæ communis, de quibus scilicet forma & materia habet esse S.

g Similiter recolitivum & recolibile sunt unificabilia in unam essentiam & intellectivum & intelligibile in aliam essentiam, atque volitivum & volibile in aliam, de quibus tribus essentiis S. unitum est, itaque unitas substantiæ S. est in tres essentias, & tres essentiæ in unitate substantiæ S. absque contrariativo & contrariabili.

h *In S. est forma agens &c.*, quia sicut S. est totum differentiativum, ex parte actionis & totum differentiabile ex parte passionis, ita est totum unificativum & unificabile ex parte actionis & passionis concordantiæ, quæ in ipso est, itaque B. C. D. cum S. sunt idem numero, existente ipso S. in differentia, quantum ad B. C. D., existentibus ipsis B. C. D. in unitate, cùm sint unum esse S., quod constituunt; sed quoniam ipsum S. ex B. C. D. producit E., quod non est de essentia ipsorum scilicet B. C. D., licèt B. C. D. sint de essentia ipsius S., dicuntur ipsa B. C. D. esse potentiæ per accidens, cùm ipsa sint sumptiva sumptibilium objectorum.

k Ex differentia, quam habet S. in se, diversificat ipsum S. in se aliam speciem ab altera assumens eas pro objectis & concordans B. C. D. attrahit & retinet in se species, quas assumit, atque contrarians in se ipso per aliquod accidens amittit eas, quas habebat in habitu vel in actu.

l Quantò autem S. est formificativum, tantò est essentificativum, substantiativum & conservativum, sed quantò similiter est materificativum, est essentificabile, substantiabile & conservabile; itaque gratiâ ipsius A, quod est Creator & Rector ipsius S., est ipsum S. principium sui ipsius per medium, scilicet per recolitivum, recolibile &c., unde sequitur finis, scilicet S., quod est totum aggregatum de recolitivo, recolibili &c., ultimus autem finis & principium ipsius S. est A., ut totum S. fruatur A. de toto recolitivo & recolibili &c.

m *Quantò autem S. &c.* recolitivum habet duplex recolibile, scilicet propinquum & remotum, propinquum est sui ipsius, remotum verò est intellectivum & intelligibile, volitivum & volibile. Simili modo sequitur de intellectivo & volitivo; unde patet, quòd in S. est principiativum propinquum & remotum principiabile, per medium autem sunt in eo plura principiativa ex parte formæ & plura principiabilia ex parte materiæ.

3. B. C. D. producendo E. sunt principiativa, E. verò principiatum, S. etiam est principium ipsorum B. C. D. de recolentia, intelligentia & volentia principiatum. Similiter est principium & principiativum ipsius I. atque medium & finis. Satis patent per prædicta principiativa principia.

n Intellectivum incipit intelligere se in suum intelligibile, priusquam autem se posset intelligere, intelligit recolitivum & recolibile, volitivum & volibile, & per hoc medium C. se intelligit. Hoc idem simili modo sequitur de B. D., finis enim est, ut S. recolat, intelligat & diligat semet ipsum.

4. S. se majorificat in E. A. V. Y. & in I. V. Z. & quantò plùs E. ascendit ad A. V. Y., tantò magis est S. in virtute, quantò vero E. descendit assumens V. Z., tantò minorificatur S., æqualificare autem ipsius S. in se ipso intelligitur per B. C. D. F. G. H. assumendo objecta.

o *S. se majorificat &c.* Unde sciendum est, S. majus esse in A. tunc, quando E. habet A, quàm in B. C. D. producentibus E. habens V. Z. atque B. C. D. esse majora, quàm E., & per hoc patet satis minoritas & æqualitas in S., itaque ipsum S. per majorificativum attrahit species, per minorificativum verò reducit eas in K. L. atque per æqualificativum æqualificat eas in E. I.

p Majus est S. in possibili, quod vel potentialiter vel habitualiter vel actualiter habet, quàm in aliquo impossibili, quod est, quia per possibilitatem agit in se & in alio, per impossibilitatem non agit in se nec in alio, & similiter per consequens major est æqualitas S. in possibili, quàm in impossibili.

q Virtus S. est æqualiter per totam formam & per totam materiam ipsius S., cùm recolentia & volentia sint æquales in ipso S., veruntamen virtus ipsius S. per accidens minor est simpliciter in B. C. D. producentibus E., quàm in S., quando tamen E. habet A., major est virtus ejus, quàm S., quia plus influit A. in S. mediante E., quàm recolentia, intelligentia & volentia, & quàm virtus ipsius S. in B. C. D. producentibus E., quod habens V. Y. movet I. contra V. Z.

r S. intelligendo se est agens & patiens & ob hoc dividitur in majoritate & minoritate, intellectivo concordante majoritati, intelligibili verò minoritati, quod patet in

majo-

majoritate formæ & minoritate materiæ ipsis existentibus æqualibus, quoad esse ipsius S.

5. S. plùs attrahit ad se species affirmando, quàm negando, nam virtus ipsius S. major est in affirmativa, quàm in negativa, quando autem ipsum S. illas species non potest ad se attrahere, tunc dubitat in eis.

s *S. plùs attrahit ad se species &c.* vis, ut C. producat suum simile, producit affirmando, atque G. similiter suum simile producit negando, hoc idem similiter sequitur de B. D. & F. H., sicut sol potestatem habet lucendi, sic habet S. potestatem affirmandi vel negandi, ut in C. species assumere possit, & sicut lux solis obfuscatur in aëre per accidens, sic affirmatio vel negatio per dubitationem obfuscantur.

t S. potestatem habet apprehensivam & dimissivam, unde, quandocunque vult, potest apprehendere sive dimittere de speciebus suum simile, scilicet recolere, intelligere & diligere affirmando, dum autem dimittit suum simile, tunc agit cum K. L. retinens illud in M. tantùm, & ista de figura demonstrativa sufficiant quoad præsens.

De prima Figura Theologiæ.

DE Figura Theologiæ tractantes in hac parte dicimus eam in duas partes esse divisam, scilicet in primitivam & derivativam, velut in textu patet, nos autem earum lecturam utiliter & compendiosè declarantes, sicut meliùs possumus, duobus modis de figuris ipsis tractare intendimus, scilicet *positivè* & *discursivè* per T., circa quod sciendum est, quòd quemadmodum in his consequentibus fit positio in primo modo de essentia, vita, dignitatibus &c., ita juxta ipsam positionem discurrant F. G. per T. in secundo modo, ut particulare, quod quæritur, invenire possint, nunc autem per primum modum sic procedimus.

1. Primo dicendum est, divinam esse essentiam unam omnimodè, & in ea esse Deum Patrem per alium modum existendi, & Deum Filium per alium modum existendi, atque Deum Spiritum Sanctum per alium modum existendi, & hoc est, quod credimus & credendo firmiter asserimus de distinctione divinarum personarum absque omni distinctione essentiæ.

a Essentia Dei Patris sub ratione Patris est generans, essentia Dei Filii sub ratione Dei Filii generatur & eadem essentia sub ratione Spiritus Sancti à Patre & Filio procedit, aliter filiatio & spiratio non essent in magnificativo & magnificabili, in unificativo & unificabili per totam bonitatem, immensitatem, æternitatem, potestatem &c. quod est impossibile.

b In essentia divina sunt unificativus & unificabilis, unificativus autem est Pater unificans Filium & Spiritum Sanctum generando Filium & spirando Spiritum Sanctum, unificans se cum Filio & Spiritu Sancto in esse unius essentiæ tantùm cum Filio & Spiritu Sancto absque aliqua differentia essentiæ, itaque per totum Patrem, per totum Filium, per totum Spiritum Sanctum est una essentia tantùm absque aliqua differentia essentiæ, quæ siquidem essentia una & simplex existit in diversis modis essendi, prout divinæ personæ distinctæ sunt altera ab altera existentes una essentia scilicet unus Deus.

c Essentia ignis una est, sed quoniam in ea essentia sunt ignificativum & ignificabile, quorum alterum differt ab altero, est ipsa essentia ignis per alium modum idem cum ignificativo, & per alium verò idem cum ignificabili, licèt una essentia sit una tantùm, hoc idem simili modo sequitur in S. de intelligentia, intellectivo & intelligibili, atque in homine de unitate corporis & animæ, quæ scilicet unitas, quamvìs sit una sine differentia, existit tamen per unum modum in corpore, per alium verò in anima.

2. Vita Dei una est, atque in ea est vivere, sed quoniam ipsa Dei vita per alium modum est in Patre, per alium in Filio, per alium in Spiritu Sancto, est vivere in ipsa vita, aliter esset impossibile, vivere esse in ipsa vita, tantùm in Deo vita & vivere sunt unum idem, quia in eis scilicet vivere & vita est vivificativus, qui est immensificativus per totam bonitatem, æternitatem &c. In producendo Filium à Patre spirando Spiritum Sanctum, vivit Pater, vivit Filius, vivit Spiritus Sanctus, horum autem vivere unum est per totam bonitatem, immensitatem, æternitatem &c.

d Sine vivificativo & vivificabili impossibile est vivere, & quoniam vita Dei est immensa & æterna, est ejus vivere immensum & æternum, & per consequens vivificativus & vivificabilis, immensi sunt & æterni existentes una immensitas, una æternitas, itaque Filius & Spiritus Sanctus vivi producuntur, tur & vivibiles, ut vivere in immensitate & æternitate sit incessanter.

e In arbore est vita vegetativa ejúsque vivere existente in ipsa arbore ignificativo & ignificabili, aërificativo & aërificabili & sic de aliis; similiter vivit ipsa arbor mediante calefactivo & calefactibili, generativo & generabili. Præterea in homine vivit potentia sensitiva videndo, audiendo, gustando &c. & S. recolendo, intelligendo & volendo.

3. Dignitates A. sunt bonitas, magnitudo &c. una ergo est bonitas, sed per alium modum est bona in Patre, & per alium in Filio, atque per alium in Spiritu Sancto; hoc idem simili modo sequitur de unaquaque dignitate, & ideo sunt in bonitate bonificare, magnificare & æternificare &c. & per consequens bonificativus, magnificativus, æternificativus &c. & bonificabilis magnificabilis, æternificabilis &c. atque bonificatus, magnificatus, æternificatus &c.

f In quantum S. est una res, est una ratio, una bonitas, una magnitudo, una duratio, veruntamen per unum modum est bonum, magnum, durans in B., & per alium in C., & per alium in D., similiter sensitiva per alium modum est bona videndo, per alium modum audiendo & sic de aliis sensibus.

4. In dignitatibus A. dicitur actus duobus modis scilicet existendi & operandi, actus quidem existendi est bonitas, magnitudo, æternitas &c. quæ sunt purus actus, scilicet esse, quâlibet earum existente sémet ipsa & altera sine differentia & omnes sunt idem numero, nec una sine omnibus potest esse, actus verò operandi est quâlibet earum operante bonificando, magnificando, æternificando & sic de aliis. Restat igitur, quòd actus, scilicet essentia Patris & Filii & Spiritus Sancti, unus est per modum existentiæ, nam eò quòd bonitas bonificando, magnitudo magnificando, æternitas æternificando &c. sunt unum idem, sunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus unum idem, cùm ipsi sint una bonitas, magnitudo, æternitas &c.

g Sunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus in altero actu, scilicet pater in alio modo essendi à Filio & Spiritu Sancto & è converso, quia distincti sunt in actu operandi; nam in bonitate sunt differentialiter bonificans & bonificatus, & in magnitudine magnificans & magnificatus atque in æternitate æternificans & æternificatus & sic de aliis.

h Potentia vegetativa existit in arbore in actu, eò quòd existit in esse, in quo siquidem actu sunt diversimodè vegetativum & vegetabile, hoc idem simili modo sequitur de sensitivo & sensibili in esse sensitivæ & de intellectivo & intelligibili in esse ipsius C.

5. Forma A. est ipsum A., in quo non est aliud, nisi ipsa forma, quoniam si in ipso esset aliquid, quod non esset forma, ipsum quidem A. non esset A. respectu hujus, quod non esset forma, restat igitur, quòd ipsum A. est pura forma simplex.

k Præterea quia ipsum A. est unitas, essentia, dignitates, & quia in ipsa unitate est unificativus & unificabilis, & in ipsa essentia essentificativus & essentificabilis & sic de bonitate, magnitudine, æternitate &c. sequitur, quòd in forma ipsius A. sit formativus & formabilis, magnificativus & magnificabilis & sic de aliis. Ideóque in ipsa forma est per alium modum formans existens ipsa forma, per alium verò modum formatus existens illa eadem forma, quæ est formans, & per hoc patet, quòd Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt una eadem forma per essentiam, distincti per modum existendi in ipsa forma, in qua Pater existit per alium modum & Filius per alium modum, atque Spiritus Sanctus per alium modum, eò quòd in ipsa forma sunt formativus & formabilis.

l In forma S. est recolitivum forma, & intellectivum forma atque volitivum forma, insimul autem sunt hæc tria una communis forma ipsius S., in qua existit forma, quæ est recolitivum per alium modum, & forma, quæ est intellectivum per alium modum, atque forma, quæ est volitivum per alium modum.

6. A. est suámet unitas, suámet essentia, suámet bonitas & sic de aliis, & quoniam ejus unitas est incessans unificando, ejúsque essentia essentificando, atque ejus bonitas bonificando & sic de aliis, est necessariò in A. relatio, aliter esset cessatio in unitate, in essentia & per consequens in omnibus dignitatibus A, quod est impossibile. Restat igitur, quòd A. est suámet relatio, veruntamen in ipsa relatione existit per alium modum relativus, per alium verò relabilis vel referibilis, scilicet unificans & unificatus, essentificans & essentificatus, bonificans & bonificatus &c. & sic de aliis.

m In C. est intellectivum & intelligibile, & in igne ignificativum & ignificabile; unde in C. est relatio, quod quidem C. est ipsa eadem

dem relatio, cùm sit de intellectivo & intelligibili ens aggregatum, veruntamen in relatione ipsius C. existit per alium modum intellectivum, per alium verò modum intelligibile, hoc idem simili modo sequitur de igne.

7. In essentia A. ordinatum est ab æterno & immensè Patrem esse unum, unificativum, essentificativum, bonificativum &c., Filium verò & Spiritum Sanctum esse unificabiles, essentificabiles, bonificabiles &c., atque Filium esse unificativum, essentificativum, bonificativum &c., Spiritum Sanctum verò esse unificabilem, essentificabilem, bonificabilem &c., & per consequens ordinatum est ab æterno & immensè ipsum Patrem esse unificantem per unitatem, & essentificantem per essentiam, atque bonificantem per bonitatem & sic de aliis, Filium verò per modum generandi, Spiritúmque Sanctum per modum spirandi esse unificatos, essentificatos, bonificatos &c., atque Filium esse unificantem, Spiritum verò Sanctum esse unificatum &c. per bonitatem &c.; unde per hoc sequitur, quòd in A. est ordinatio, quod scilicet A. est ipsamet ordinatio sua, in qua Pater est per alium modum & Filius per alium modum, atque Spiritus Sanctus per alium modum, existentes omnes tres una eadem ordinatio, cùm ipsi sint una eadem essentia.

8. Ordinatum est in homine vegetativum & vegetabile esse per vegetativam, sensitivum & sensibile esse per sensitivam, imaginativum & imaginabile per imaginativam, rationativum & rationabile per rationativam, motivum & mobile per motivam, veruntamen homo non est suámet ordinatio, sed potiùs ordinatus est per ordinationem ordinantem & ordinatam, id est, per naturam naturantem & naturatam, in qua etiam hominis ordinatione existit per alium modum ordinatum, per alium verò ordinabile.

8. A. est causa, mundus verò est effectus, & per consequens A. actionem habet super mundum; unde nec in toto, nec in parte potest mundus resistere causæ suæ; A. ergo tanquam dominans agit, quicquid vult de effectu suo, & sciendum est, sicut suppositа in A. diversimodè existunt, quòd ita habent diversos modos agendi super effectum suum.

9. Rex actionem habet super regnum suum, tamen diversimodè sicut per B. C. D. & per potentiam visivam, auditivam &c. habet diversimodè actionem, similiter ignis diversimodè habet actionem super aquam, cùm sit calefactivus, lucificativus, diffusivus, levificativus, desiccativus & sic de aliis.

9. Articuli Fidei catholicæ sunt 14., quorum primus est unitas A., scilicet A. esse unum Deum tantùm existentem unam essentiam, unam bonitatem, unam magnitudinem, & sic de aliis, alterâ dignitatum existente in altera & etiam quâlibet in omnibus, atque alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum Sanctum, sic quòd quælibet harum personarum non sit altera, insimul autem sint una essentia tantùm, una bonitas, una magnitudo &c. Secundus enim articulus est in divinis Paternitas, tertius Filiatio, quartus Spiratio scilicet Spiritûs Sancti & sic de cæteris articulis, de quibus manifestè dantur rationes *in libro articulorum, qui practica est hujus artis*, similiter in pluribus locis præhabitis hujus voluminis tetigimus de ipsis articulis, unde prout jam de ipsis significatum est, debent F. G. discurrere per A. S. T. V. X. Y. Z., ut quodcunque particulare de articulis Fidei quæsitum, à terminis vel cameris figurarum inveniri possit.

10. Præcepta legis decem sunt, de ipsis autem tractandum est illo modo, quòd E. habeat A. V. Y. movens I. ad V. Z. discurrentibus F. G. per T. in A. S. T. V. X. Y. Z., scilicet miscentibus T. per cameras A. S. V. X. isto modo, quòd ipsa præcepta concordent majoritati ipsorum E. I. in V. Y. contra V. Y., eò quòd magnitudo ipsius A. concordet majoritati creaturæ contra minoritatem præceptorum.

11. Hæc ars expositionem regulat in majori concordantia camerarum A. & camerarum S. T. V. X. contra V. Z., ut E. habeat A. V. Y., & I. habeat V. Z.; unde sciendum est, quòd talis debet fieri expositio, quod magnitudo A. majoritati E. habentis A. V. Y, & minoritati I. habentis V. Z. non resistat in majoritate trianguli rubei, & in magnitudine bonitatis, æternitatis & potestatis &c. ipsius A.

12.13. Prima intentio est id, quod est super aliam intentionem, quæ est secundaria, prima autem intentio tractanda est ita, quòd E. habeat A. ejúsque operationem intrinsecam per primam intentionem, ejus autem operationem extrinsecam per secundam, & similiter, quòd humanitatem Christi habeat per primam intentionem, nam omne creatum est creatum per secundam intentionem, humanitas autem Christi per primam.

Præterea prima intentio se habet per modum actionis in E., per modum verò passionis in I., & ideo primâ intentione & secundâ utendum est ita, quòd E. in majoritate habeat A. V. Y., & I. in minoritate habeat V. Z. discurrentibus F. G. per cameras A. S. T. V. X. & per cœteras hujus artis figuras.

14.15. Gloria & pœna tractari debent in hac arte ita, quòd E. in majoritate habeat V. Y. & I. similiter V. Z. discurrentibus F. G. per cameras figurarum hujus artis ita, quòd gloria & magnitudo concordantiam habeant contra minoritatem, atque pœna & minoritas contra majoritatem.

16. Ævum est simili modo intelligendum, sicut in chaos de tempore significatum est, quod est forma simplex indivisibilis, ævum autem est in perpetuo sæculo in fine sine principio & medio; in hoc quidem sæculo temporaneo est tempus in principio, medio & fine, sed in alio sæculo erit ævum in fine tantùm, quod probatur discurrentibus F. G. per A. S. T. V. X. Y. Z.

De Secunda Figura Theologiæ.

SEcunda figura Theologiæ in 136. cameras dividitur, velut in textu patet. Nos autem per duas earum modum & regulam ostendere proponimus, cæteras per simile declarandi exemplificantes id, quod de principiis Theologiæ præsuppositum est discurrentibus F. G. per T., unde has duas primas cameras sumimus scilicet *essentia essentia*, *essentia vita*, de prima autem prosequimur isto modo.

De Camera Essentia Essentia.

1. ESsentia A. est ens Creator omnium rerum creatarum habens in se operationem intrinsecam Patre existente unâ essentiâ cum bonitate, magnitudine æternitate &c., atque Filio existente illâ eâdem essentiâ cum bonitate &c., hoc idem sequitur de Spiritu Sancto & hoc differenter tamen, nam essentia, quæ est Pater est essentificativus, & illa eadem essentia est Filius, qui est essentificabilis ipsius essentificativi, & est coessentificativus essentiæ Spiritûs Sancti, qui existens ipsa eadem prædicta essentia est essentificabilis essentificativi, qui est Pater, & essentificativi, qui est Filius, hæc siquidem operatio est incessans per bonitatem, immensitatem, æternitatem &c. Itaque per differentes modos vel diversos essendi una eadem essentia est Paternitas, & illa eadem essentia est Filiatio, atque illa eadem essentia est processio Spiritûs Sancti, & ideo Pater & Filius & Spiritus Sanctus distincti sunt alius ab alio existentes una eadem essentia propter maximam unionem unitatis essentiæ, aliter unitas & essentia ipsius A. conveniret minoritati contra magnitudinem, quod est impossibile.

2. Essentia, quæ est Pater, non distinguit se ab essentia, quæ est Filius & Spiritus Sanctus, proprietates autem ipsius essentiæ distinctæ sunt, scilicet personæ, Patre existente generante, & Filio existente generato, atque Sancto Spiritu ab utroque procedente, & ut etiam per totam unitatem, bonitatem, immensitatem &c. sit in essentia ipsius A. operatio concordantiæ & æqualitatis, est in ipsa eadem essentia distinctio, scilicet in ipsa essentia, quæ est Pater, & in ipsa essentia, quæ est Filius, atque in ipsa essentia, quæ est Spiritus Sanctus, in qua scilicet essentia sunt concordantes & coæquales ipsæ tres personæ sine omni contrarietate.

3. Pater, qui est essentia, est principium Filii, qui est essentia, atque Pater, qui est essentia, & Filius, qui est essentia, sunt principium vel principia, si dici licet, ipsius Spiritûs Sancti, qui est essentia, sed quoniam ipsæ tres personæ sunt insimul una eadem essentia, sunt ob hoc idem in principio, quod scilicet principium est unus finis, itaque Pater, qui est essentia producens de se Filium, qui est essentia, & Spiritum Sanctum, qui est essentia, est finis Filii, qui similiter Filius est finis Spiritûs Sancti procedentis ab utroque, & è converso Filius est finis Patris, & Spiritus Sanctus utriusque, cùm Pater de toto sémet ipso, qui est suúsmet finis, producat Filium & Spiritum Sanctum, atque Filius de toto sémet ipso Spiritum Sanctum. Medium autem, quod est in essentia inter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, est immensitas mensurationis, ut ita loquamur, eò quòd Pater de toto sémet ipso producit Filium & Spiritum Sanctum, atque Filius de toto sémet ipso Spiritum Sanctum, ipsis

existentibus una eadem essentia, absque omni differentia per omnes dignitates.

4. In essentia A. non est majoritas, nec per consequens minoritas, cùm ipsa essentia sit immensitas, æternitas: æqualitas verò est in ipsa essentia, nam Pater æqualis est Filio & è converso, atque Pater & Filius æquales sunt Spiritui sancto & è converso, hoc autem est, quia de tota essentia Patris producitur Filius, atque de tota essentia Patris & Filii producitur Spiritus Sanctus, itaque æqualitas ipsorum suppositorum idèm est cum essentia, sed diversimodè vel differenter, quia per alium modum est ipsa æqualitas, in quantum ipsa essentia est Pater, & per alium modum, in quantum ipsa eadem essentia est Filius, atque per alium, in quantum ipsa essentia est Spiritus Sanctus.

5. Affirmabile est essentificativum esse in A. puram actionem sive puram formam, hoc idem est affirmabile de essentificabili, cùm essentificativus, qui est Pater, de toto se ipso producat essentificabile, qui est Filius, atque negabile est in A. Filium producere Filium, cùm unus Filius sit totus Filius, neque negabile est ipsum Filium producere Spiritum Sanctum, ut ipse Filius sit essentificativus per modum spirationis, Spiritus Sanctus verò spirabilis, quia spiratur ab illo.

De Camera Essentia Vita.

1. IN unitate A. sunt unum idem vita & essentia, & per consequens sunt unus Creator, operatio autem intrinseca essentiæ & vitæ ipsius A. una est, atque ipse Creator est unus operator operum exterioritatis suæ, scilicet creaturarum.

2. Essentificativus & essentificans, atque vivificativus & vivificans sunt unum suppositum, scilicet Pater, essentificabilis verò & essentificatus, atque vivificabilis & vivificatus sunt unum alterum suppositum scilicet Filius, similiter alius est essentificativus & essentificans, vivificativus & vivificans, qui est Pater, alius est essentificativus & essentificans, vivificativus & vivificans, qui est Filius, de quibus scilicet Patre & Filio procedit Spiritus Sanctus; Habemus igitur, quòd Pater vivens essentificat Filium & Spiritum Sanctum, atque Filius vivens in Patre essentificat Spiritum Sanctum viventem & essentificatum in Patre & Filio per totam bonitatem, magnitudinem &c.

3. Quoniam in A. Pater producit Filium, vivit ille Filius à Patre, sicut ab ipso Patre producitur. Itaque principium Filii est per unum & eundem modum in essentificari & vivere existente ipso Filio principio Spiritùs Sancti essentificando & vivendo per bonitatem, immensitatem, æternitatem &c. Præterea quia finis ipsius Patris est suummet essentificare & vivere, & quia generatus est Filius de suo essentificare & de suo vivere, ideo Filius finis est Patris & è converso. Hoc idem simili modo sequitur de Spiritu Sancto ad Patrem & Filium & è converso, licèt Pater, Filius & Spiritus Sanctus sint unus finis, cùm sint una essentia, unum vivere, una vita.

Medium autem, per quod essentia vivit in vita & vita essentificat in essentia, est distinctio, quæ in divinis est, sine qua non posset essentia in vita vivere nec in essentia vita essentificare.

4. In essentificare & vivere ipsius A. est coæquare intrinsecum per omnes intrinsecos actus dignitatum, non autem majorificare, nec per consequens minorificare, unde restat, quod in A. est substantiare sine accidentare per totum essentificare, vivere, bonificare &c. simul cum coæquare, distinguere, concordare sine aliquo contrariari.

5. Nullum affirmare majus est, quàm affirmare, quòd vivere sit de essentia A., & essentificare de vita ipsius A., ergo dubitabile non est, neque negabile id, per quod affirmatio major est in affirmando vitam & essentiam A. & per consequens essentificare & vivere illius, quoniam si hoc esset negabile vel dubitabile conveniret affirmatio privationi & minoritati, negatio verò vel dubitatio majoritati & esse, quod est impossibile manifestè.

De Figura Philosophiæ.

FIgura Philosophiæ in duas figuras dividitur, sicut in arte patet; nos autem de ipsa duobus modis intendimus prosequi, scilicet supponendo & discurrendo per T.; de primo igitur procedimus isto modo.

1. Prima causa est A., secundaria verò est ejus effectus. A. quidem primum est, quia est recolibile, intelligibile & amabile per primam intentionem, ejus verò effectus per secundam, unde recolitivum, intellectivum & volitivum, atque recolibile intelligibile & volibile, quæ sunt S., sunt per secundam intentionem, A. verò per primam, hoc idem sequitur de quocunque creato; restat igitur, quòd S. plùs debet recolere, intelligere & diligere A., quàm se ipsum & quàm omne creatum. Itaque A. plùs est objectabile ipsi E., quàm ipsi M., & per consequens plùs V.Y. ipsi E., quàm V.Z., atque V. Z. plùs ipsi I., quàm ipsi M.

2. Motus dupliciter considerari potest scilicet spiritualiter & corporaliter, spiritualiter enim est, sicut in Angelis, qui intelligendo volendo moventur, in instanti enim sine successione, sine motu & sine loco ipsi moventur ad suum principium scilicet ad A. Similiter S. movet E. ad A. V. Y. & I. ad V.Z. atque movet corpus volendo, intelligendo, recolendo dans illi virtutem in sensitiva, vegetativa, imaginativa, in quibus est motus corporalis, scilicet localis generando, corrumpendo, videndo, audiendo & sic de aliis his similibus.

a Præterea duplex est motus, scilicet intrinsecus & extrinsecus, ût *in chaos* diximus.

3. Angelus quidem est de forma & de materia compositus, ejus verò forma de tribus formis simplicibus composita est, quæ sunt, scilicet recolitivum, intellectivum, & volitivum, similiter ejus materia de tribus materiis simplicibus, itaque tam is, qui malignus est, quàm benignus ex tribus simplicibus compositus est, benignus autem Angelus semper recolit, intelligit & diligit ipsum A., Angelus verò malignus semper recolit, intelligit & odit ipsum A.

b Præterea benignus Angelus recolendo, intelligendo & diligendo A. recolit, intelligit, & diligit se ipsum & cœtera objecta amabilia. Angelus verò malignus hoc agit per oppositum, quia deviavit ab illo fine, ad quem creatus erat.

4. Firmamentum dicimus esse octavam sphæram, in qua sunt poli, unde lux apparet cœli empyrei, quod ex lucitivo & lucibili compositum est, ut lux sit incessans in lucendo, itaque illi poli sunt stellæ apparentes & scintillantes lucitivo movente se ipsum in lucibili, per quem motum apparet motus quasi scintillatio in stellis fixis.

c Præterea ex hac luce producti sunt septem planetæ in sphæris vel in circulis suis quolibet planetâ existente per se supposito regnante in sphæra sua & influente virtutem suam in corpora elementata.

d In cœlo Empyreo erunt corpora glorificata illud cœlum illuminantia, nam in omni corpore glorificato tanta erit lux & tanta refulgentia, quòd cælum empyreum inde illuminabitur, sicut sphæræ elementorum illuminantur à sole, hoc autem dicimus esse demonstrabile, discurrentibus F.G. per A.S.T.V.X., & sicut diximus, ita per artem inveniemus discurrendo, quæ suprà dicta, hîc frustra repetenda non sunt; *in Chaos enim satìs sufficienter diximus de* (5.) *forma*, (6.) *materia*, (7.) *natura*, (8.) *elementis*, (9.) *appetitu*, (10.) *potentia*, (11.) *habitu*, (12.) *actu*, (13.) *mixtione*, (14.) *digestione*, (15.) *compositione*, unde non oportet hîc prædicta replicare.

16. Alteratio est de qualitate in qualitatem in eadem substantia, *sicut patet in agresta, quæ est siccæ & frigidæ complexionis, deinde ipsa facta racemo est humidæ & calidæ complexionis, & postea vinum, quod de ipso racemo producitur, est calidæ & siccæ complexionis & ultimò acetum de ipso vino factum est siccæ & frigidæ complexionis*

e Similiter patet alteratio in aqua, quæ priùs frigida est, fit ab igne calida in olla, deinde revertitur in frigiditatem.

f Similiter carnes, dum coctæ sunt, alteratæ sunt, homo etiam quandoque de virtutibus in vitia & è converso alteratur, atque de gaudio in tristitiam & è converso, & sic de aliis.

g Hâc igitur positione factâ de principiis Philosophiæ debet artista probare illa per T. combinando alterum principium cum altero sustinendo ipsa principia juxta hanc positionem factam, ut particulare, quod de Philosophia quæritur, inveniri possit.

h Modum autem & *regulam* probandi per T. in duabus cameris tantùm proponimus declarare.

De Camera prima causa prima causa.

1. PRima dictio hujus cameræ denotat A. esse Creatorem, & illum effectum esse primum, qui est, ut A. recolatur, intelligatur & diligatur, per hoc patet modus, per quem triangulus lividus intrare debet in hanc prædictam *cameram prima causa prima causa.*

2. A. est principium primum & illud, quod est ordinatum, ut A. sit objectum E., est principium secundarium, itaque alia causa est A., alia causa est illud ens, per quod A. est objectabile ipsi E. in suprema concordantia primæ causæ & secundariæ, ut in incarnatione

natione Filii Dei patet, ad quam creata est omnis creatura.

3. In prima causa est principium, quod est omnium bonorum finis, illud quidem principium est prima causa, quia sine medio est idem cum suo fine.

a Præterea sub hoc principio est aliud, quod est finis & prima causa bonorum omnium, scilicet humana natura, quam A. Filius assumpsit de Virgine gloriosa, & ideo Christus est prima causa ex parte Deitatis, secunda verò ex parte humanitatis, quæ scilicet secunda est prima omnibus creaturis, nam sine ea nullum ens creatum esset, sicut patet in his cameris [AAE] [AVY] [IVZ] discurrentibus F. G. per magnificativum & magnificabile in cameris illis.

4. Major majoritas, quæ est in concordantia primæ causæ & primæ causæ, est in divinis causa existens una & distincta in proprietates personales.

b Præterea major concordantia, quæ est inter primam causam & ejus effectum, est unio divinæ naturæ & humanæ in Christo; hoc idem similiter sequitur de æqualitate & triangulo rubeo atque de differentia operationum.

5. Affirmativa affirmando A. esse primam causam exaltatur, atque negativa negando Incarnationem cadit in minoritatem contra majoritatem effectûs primæ causæ, sicut in his cameris declaratur [EAVY] [IVZ] [MAVY], unde per hæc, quæ de prima causa hîc diximus, patet *regula* destruendi omnem dubitationem Incarnationis Personæ Filii Dei discurrente T. per cameras supradictas.

De Camera Prima
causa motus.

1. PRima causa est Creator, motus verò est creatura, ipse enim Creator ad se movet omnem creaturam, ut cognoscatur & diligatur opus intrinsecum, quod Deus habet in se ipso, Patre producente Filium & Spiritu Sancto procedente ab utroque, hæc autem operatio, quam Deus habet in se ipso, movet opus, quod Deus habet extra se, ut E. habeat A. V. Y. & I. habeat V. Z.

2. Inter primam causam & motum hæc est differentia, scilicet, impossibile esse motum in prima causa, nihilominus differentia est & concordantia inter primam causam & motum, primâ causâ movente ad se effectum suum, atque effectu habente sine contrarietate naturaliter appetitum se movendi ad principium suum; quando autem ita est, quòd hic appetitus corrumpatur, tunc cadit contrarietas inter primam causam & effectum ejus ipso effectu se movente contra suum principium.

3. Quoniam A. est principium effectûs sui, ordinatus est motus in principio, ut per ordinatum medium ad finem perveniat ordinatum, hæc autem ordinatio mota est ab A. sic in triangulo rubeo, ut quicquid est in ipso triangulo rubeo, sit ad laudem & & honorem ipsius A., cùm ipsum A. sit principium, medium & finis illius motûs existentis per triangulum rubeum, quod ad A. creatum est.

4. Prima causa majoritati convenit, omnis verò motus minoritati, eò quòd in A. non est locus, tempus, quantitas, sine quibus impossibile est motum esse.

a Præterea, quia in A. est æqualitas absque inæqualitate, est in effectu motus, qui sine inæqualitate potest esse ad significandum immobilitatem in A. esse Patre generante Filium, atque Patre & Filio spirantibus Spiritum Sanctum absque motu, qui non potest esse in essentia, in qua sunt immensitas & æternitas.

5. Affirmare productionem esse in prima causa sine motu est maxima affirmatio, negare verò productionem esse in prima causa, ne sit in ea motus, est negatio valde modica.

b Præterea affirmare, quòd A. movet ad se creaturam, ut ipsum A. cum illa sit una persona, tanquam ignis, qui movet aërem, ut cum eo sit unum suppositum, est maxima affirmatio, oppositum autem hujus affirmationis minoritati convenit, quod absque dubitatione patet, aliter prima causa non haberet magnum actum movendi effectum suum ad cognitionem ipsius causæ, quod est impossibile, ne magnificativus, qui est A., sit contra magnitudinem mobilis sui.

De Figura Juris.

SIcut unaquæque generalium hujus artis figurarum in duas dividitur figuras, ita similiter figura Juris in duas figuras dividitur, velut in textu patet, & sicut de unaquaque

que illarum declarandi duplicem viam dedimus, ita duplici modo Juris principia ad præsentem figuram reducta proponimus declarare scilicet *positivè* & *discursivè*, sic tamen, ut istæ cameræ formari possint in majori magnitudine sua scilicet [EAVY] [IVZ], cùm ipsæ sint finis Juris, unde positivè procedemus isto modo.

1. Forma Juris est A. recoli, intelligi & diligi ab S., hæc quidem forma majoritati convenit plùs in E. A. & in E. V. Y., quàm in I. V. Z.

Præterea forma Juris est beneficium recipi, quo Justitia indiget & Charitas, atque destrui injuriam & oppositum Charitatis.

2. Materia Juris est id, quod sub forma Juris patitur, ut sequantur prædictæ cameræ, & ut E. possit habere formam, per quam sequatur I. Z. in S., hæc autem materia divisa est, prout ejus forma per E. I. dividitur discurrentibus F. G. per concordantiam cujuslibet cameræ secundæ figuræ Juris.

3. Jus est esse de forma & materia aggregatum, istud quidem esse per totam figuram Juris dispergitur, prout forma & materia, quæ sunt Juris essentia, panduntur per figuram, ut E. sit in A. V. Y., & I. in V. Z., ita tamen, quòd E. plùs, quàm I., conveniat 7. 8. majoritati.

4. Jus commune est, tanquam unus punctus plures lineas influens, scilicet plura jura specialia, ita tamen, quòd nullum jus speciale universali suo repugnet, hæc autem duo jura, scilicet commune & speciale se habent diversimodè secundùm T. in prima intentione & secunda, nam totus punctus comparativè se habet per primam intentionem, sed unaquæque linea ipsum punctum constituens se habet per secundam respectu totius puncti, attamen omnes lineæ se habent per primam intentionem, punctus verò per secundam, quia realitas majoritati concordat, ratio verò minoritati.

5. Jus naturale in E. I. consistit, E. existente in A. V. Y. & I. in V. Z.

6. Jus autem positivum consistit in M. habente dilectionem ad A. V. Y. & odium ad V. Z., & quoniam E. I. plùs, quàm M. majoritati concordant, jus naturale majoritati concordat plùs, quàm positivum, ideóque 10. contingit sæpissime propter majoritatem & minoritatem hæc duo jura, scilicet naturale & positivum inter se contrariari mediantibus E. I. V. & realitate & ratione, quod est, quia M. cum ratione repugnat E. I. existentibus in jure naturali, E. existente in A. V. Y. & I. in Y. Z.

Hæ consequentes cameræ scilicet ignis ignis, ignis aër, ignis aqua, ignis terra, jus naturale repræsentant, nam per modum indigentiæ & nobilitatis habet ignificativum jus super ignificabile & è converso, præterea ignificativum, ut ita dicamus, habet jus in remota materia, scilicet, in aëre, terra & aqua secundùm tamen magis & minus, ut generare possit suppositum calidæ & siccæ complexionis, nam ipsum ignificativum majus habet dominium super aliquod elementum, quàm super aliud, prout majorem invenit concordantiam & propinquiorem suo T. rubeo; itaque ipsum ignificativum majorem habet actionem & dominium super suum ignificabile propinquum, quàm super ignificabile materiæ remotæ; hoc idem simili modo sequitur de cæteris elementis.

Per ea, quæ de jure naturali declaravimus, potest artista jus positivum examinare & artificialiter reducere ad jus naturale, nec non videre, utrum sint realiter vel rationaliter in concordantia vel contrarietate.

Quoniam A. est recolibile, intelligibile & amabile, constitutum est jus canonicum, sed quia ipsum A. est timibile, constitutum est jus civile, ut jus canonicum sit de S., id est, ut sit E., unde patet jus canonicum esse superius, cùm sit de S., jus verò civile inferius, cùm sit de corpore, & ideo per prædicta patet hæc duo jura, scilicet civile & canonicum se habere ad unum finem, qui est A., jure canonico obtinente primam intentionem, jure verò civili secundam, ita quòd E. habeat A. V. Y. & I. habeat V. Z. in majori magnitudine sua contra V. Z.

9. Jus consuetudinale per secundam intentionem habetur, jus verò naturale per primam, itaque materia juris consuetudinalis est remota, forma autem ejus est ex jure naturali, & ideo declaratur, quod jus consuetudinale ad suum principium reverti debet, quoniam ipsum principium scilicet jus naturale indiget habere suum subjectum proprium, quod de propinqua materia fuerat in remotam materiam transmutatum.

11. Jus theoricum se habet intrà tanquam forma, jus verò practicum extrà, tanquam figura ipsius formæ, nam jus theoricum est in S., practicum verò extra, scilicet in acti-

bus potentiæ sensitivæ, itaque jus practicum movetur à Theorico, quod difficiliùs declaratur, quàm jus practicum & amabilius est, nam Theoricum magis propinquum est ad A, quàm practicum.

12. Jus nutritivum plùs existit per E., quàm per I., nam E. movet I., præterea jus nutritivum plùs se habet ad jus commune, quàm ad speciale, & plùs ad jus naturale, quàm ad positivum, & per consequens plùs se habet ad materiam propinquam, quàm remotam, ut forma & materia juris meliùs se habeant in T. rubeo ad E. V. Y. contra V. Z., aliter jus nutritivum contrariaretur juri naturali & communi, quod est impossibile.

14. Jus comparativum est inter materiam propinquam & materiam remotam, velut in his *cameris* patet, *ignis ignis*, *Ignis aër*, *Ignis aqua*, *Ignis terra*, in quibus significatur, quomodo comparatio fieri debet inter jura dando citiùs propinquam materiam formæ, quàm alienam, ut forma & materia propter majoritatem sint substantialiter in prima intentione per T. rubeum, ita quòd E. sit vehementer in A. V. Y. & I. in V. Z.

15. 16. Jus antiquum & jus novum se habent respectu T. rubei existentibus E. I. & V. Y. in majoritate contra V. Z., per medium, scilicet, per jus comparativum, quia comparatio inter illa duo debet fieri, sicut nunc prædiximus, eò quòd jus antiquum & jus novum ita se debent habere, quòd non destruatur T. rubeum in majoritate E. I. & V. Y. contra V. Z.

Et ista, quoad præsens sufficiant de hac positione, quam in principiis juris fecimus; artista enim, si peritus fuerit, poterit ad hanc figuram omnia juris principia reducere & manifestis rationibus demonstrare omne particulare juris, quod ab eo quæri poterit discurrentibus F. G. artificiosè per A. S. T. V. X. Y. Z. & ad hujus exempli gratiam per duas cameras tantùm secundæ figuræ volumus ponendo T. discurrere, ut discursu simili per cæteras cameras discurratur.

De Camera forma forma.

1. Acùm sit res amabilis, est Creator, ejus enim Justitia creavit S., ut ipsum S. fruatur Justitiâ, formans eam existentem formam, per quam E. formam habet accipiendi A. V. Y. & I. accipiendi V. Z., ut operatio, quam A. habet in se & in creaturis, ipsi E. manifestetur.

2. Differentia est inter formam & formam Juris, hæc quidem differentia est per medium, scilicet per materiam propinquam & per materiam remotam; in hac igitur differentia talis debet esse concordantia sine contrarietate, ut quælibet forma contineat in se finem, ad quem principium & medium facta sunt in E. V. Y. & in I. V. Z. Præterea plùs contradicit in T. rubeo V. Z. per materiam propinquam, quàm per remotam.

3. 4. Illa forma Juris, quæ est in fine T. rubei, est major, quàm illa, quæ est in principio vel in medio, eò quòd substantia major est in fine formæ, quàm in principio & medio ejus, unde per hunc modum debet artista perscrutari majoritatem formarum Juris in T. *rubeo* & *croceo*, illa etiam forma Juris, quæ se habet ad A., substantialis est, illa verò, quæ per consequens est in E. V. Y. & illa, quæ est in I. V. Z., sunt accidentales, & iterum illa forma Juris, quæ se habet ad E. V. Y., substantialis est, illa verò, quæ se habet ad I. V. Z., accidentalis est; per ista patet formarum majoritas & minoritas in scientia Juris, earúmque declaratur æqualitas, scilicet inter B. C. D. sumentibus A. V. Y. & inter F. G. H. sumentibus V. Z.

5. Illa quitem affirmativa, ex qua major forma Juris sequitur, magis intelligibilis, magísque diligibilis est, quàm de qua sequitur minor; hoc idem ad oppositum sequitur de negativa, nam aliter dubitatio magis concordaret Juri, quàm affirmativa & negativa, quod est impossibile.

De Camera Jus naturale & positivum.

1. Acreavit in S. virtutem naturalem & positivam mediantibus E. N., sicut enim A. habet in se justificativum, bonificativum, magnificativum, æternificativum &c., per quod sequitur in divinis operatio, sic ex parte E. A. V. Y., assimilavit in S. jus naturale. Sed quoniam ita est, quòd E. non potest semper ad jus naturale attingere, dedit A. ipsi N. virtutem positivam, ut formetur in S. jus positivum.

2. Differentia etiam est inter jus naturale & jus positivum, naturale enim discurrit per E. I. positivum verò per N., unde illa concordantia, quæ est inter E. N., est principium illius concordantiæ, quæ est inter jus naturativum & naturabile, positivum & ponibile, unde patet impossibile contrarietatem esse inter hæc duo jura, scilicet naturale & positivum, ne sit contrarietas inter E. A. V. Y. & [N A V Y]

3. Jus naturale est principium juris positivi, eò quòd E. est principium ipsius N., sed quoniam N. supponit, ut E. intelligat, sequitur jus positivum esse principium juris naturalis, finis autem constat in jure naturali ex hoc, ut finis N. sit in E., & ideo patet modus, per quem artista perscrutari debet jus positivum & jus naturale in T. rubeo, & conjunctionem facere inter principium & finem.

4. Jus naturale majoritati convenit, jus verò positivum minoritati, hoc enim est, quia E. A. V. Y. per totam figuram Juris majoritati convenit plùs, quàm N. A. V. Y., itaque minoritas Juris à majoritate ejusdem influitur & minoritas ad majoritatem revertitur, indéque fortitur æqualitas inter jus naturale & positivum, eò quòd inter eorum principium & finem est concordantia, quæ est medium conjunctionis conjungens & proportionans majoritatem cum minoritate & è converso.

5. Quia simpliciter & absolutè affirmativa major est in E., quàm in I., potest affirmativa majorem habere virtutem per jus naturale, quàm per positivum, atque negativa majorem actum per I., quàm per N., & ex hoc, quòd I. majoritati convenit plùs, quàm N., patet ergo per I. negativam esse majorem in jure naturali, quàm per N. in jure positivo, & quantò minor affirmatio & minor negatio est in jure positivo, sicut prædictum est, tantò major est in eo dubitatio, quæ ex parte ipsius N. habet ortum.

De fine hujus libri.

AUxiliante Deo, cui per infinita sæcula sit laus & gloria atque honor, hanc Lecturam Artis demonstrativæ ad exitum duximus adoptatum; in hac siquidem Lectura, quantum assidui nostri laboris potestas fragilis potuit tolerare, utiliter, planè & breviter modum legendi & declarandi ipsam artem dedimus, designantes modum & ordinationem, per quam studentes in ea scient ipsam Lecturam artificiosè multiplicare, sicut in hoc opere planè patet, hîc igitur juxta posse nihil inexpositum probatione reliquimus, ad quæque manifestis rationibus demonstranda necessaria prædictæ artis principia secuti sumus.

Si verò quidquam malè diximus vel prætermisimus correctione dignum, id ignorantiæ nostræ & fragilitati adscribendum est, & exoramus suppliciter, ut correctionem Romanæ Ecclesiæ Sacrosanctæ subeat, nec non cœtera, quæ fecimus & quæ facere proponimus ad exaltationem cognitionis & amoris DEI omnipotentis Amen.

)(I)(

BEATI
RAYMUNDI LULLI
DOCTORIS COELITUS ILLUMINATI

LIBER CHAOS.

SEcundùm modum ſecundæ figuræ elementalis ſit hæc poſitio, quam Chaos appellamus, demonſtrabilis manifeſtè. Hoc ſiquidem Chaos in conſequentes rubricas dividendum duximus, quamlibet quarum in ſuo ordine ab omni extirpabimus dubio toto poſſe, nunc autem dicturi de prima rubrica ſcilicet de eſſentia Chaos iſto ordine proſequamur.

De Eſſentia Chaos.

1. ESſentiam Chaos in quatuor partes diviſam eſſe intelligimus, ſcilicet in igneïtatem, aëreïtatem, aqueïtatem, & terreïtatem.

2. Igneïtas autem continet in ſe de ſua eſſentia ſignificativum, ſignificabile, ſignificare, ſignificatum. Aëreitas ſimiliter de ſe continet in ſe aërificativum, aërificabile, aërificare, aërificatum. Hoc idem ſimiliter ſequitur de aqueïtate & terreïtate.

3. Ignificativum eſt forma activa & ſuum proprium paſſivum, ſcilicet ſua propria materia eſt ignificabile, quod eſt de propria eſſentia ipſius ignificativi, ignificare autem eſt actus ipſius ignificativi in ipſum ignificabile, ſed ignificatum eſt totum ſuppoſitum complexum in natura igneitatis; hoc idem ſimiliter ſequitur de aëreïtate & aqueïtate & terreïtate.

4. In eſſentia igneïtatis tota forma eſt in materia & è converſo, hoc idem ſimiliter ſequitur in aliis tribus eſſentiis, & quia per omnem locum ſub lunari circulo ſunt iſtæ quatuor eſſentiæ mixtæ confusè altera in alteram; conjunguntur ideò confusè ignificativum & ignificabile, ignificando cum aërificativo & aërificabili & è converſo aërificando, & cum aqueïficativo & aqueïficabili & è converſo aqueïficando, & cum terreïficativo & terreïficabili & è converſo terreïficando; itaque omnes prædictæ quatuor eſſentiæ movent & moventur eodem momento vel eodem inſtanti, altera per alteram tam ſubtiliter, quòd per omnia minima puncta ipſius Chaos ſunt omnes quatuor mixtæ.

De Eſſe Chaos.

1. EXignificativo, aërificativo, aqueïficativo, terreïficativo multiplicatur una forma communis, quam nos univerſalem appellamus, ſimiliter ex ignificabili, aërificabili,

bili, aqueïficabili, terreïficabili unitur vel multiplicatur una communis materia, quam nos primam materiam dicimus esse, ex his autem duabus, scilicet ex prædicta forma & materia resultat unum ens, unum esse, unum suppositum, quod Chaos nominamus.

2. Istud siquidem Chaos est illud subjectum, in quo & de quo sunt omnia entia naturalia sub lunari circulo, continens in se omnia quinque universalia vel prædicabilia, & decem prædicamenta, atque omnia semina causalia, quæ siquidem omnia prædicta in instanti creationis ipsius Chaos creata sunt, hoc sic intelligendum est, quòd ista nihil ponunt super essentiam Chaos, sed ideo dicuntur creata in eo, quia de eo possunt omnia fieri per diversas transmutationes.

De Quatuor Elementis.

1. ELementa sunt quatuor videlicet, ignis, aër, aqua & terra, quæ sunt quatuor potentiæ, cum quibus Chaos in elementata suam influit essentiam; hæc autem quatuor elementa influuntur, secundùm quod Chaos ex quatuor essentiis suis, scilicet igneïtate &c. influitur, ideóque ignis habet suam propriam lineam sive punctum procedentem à Chaos in omnes species, quæ in ipso Chaos sunt ex natura igneïtatis, hoc idem similiter sequitur secundùm se de aliis elementis.

2. Ignis habet in se formam & materiam, quæ sunt suámet essentia, appetitque esse unum suppositum, id est, unum corpus simplex, ut inter suam propriam formam & suam propriam materiam non sint essentiæ alienæ, hoc idem similiter appetunt cætera elementa. Si ergo quæratur, quare quodlibet elementum simplex appetit esse corpus simplex, dicimus quatuor prædictas essentias ipsius Chaos simul esse creatas, sed confusè in ipso Chaos aggregatas & mixtas plùs, quàm subtilissimè propter maximam earum concordantiam, quam sine contrarietate consequi non potuerunt, & quia naturaliter omne contrarium à suo fugit contrario, ideo tum propter essentias suas creatas simplices, tum propter evitationem contrarietatis appetit quodlibet simplex corpus esse separatè, itaque ignis inveniens prædictam concordantiam significat alia elementa, ut consumptâ contrarietate possit ab aliis elementis separari, hoc idem similiter faciunt cætera elementa, & propter hoc generationem & corruptionem esse intelligimus.

De Quatuor Sphæris.

1. TOtum Chaos dicimus esse ens rotundum, plenum & extensum per quatuor sphæras circulares, aliâ intra se continente alteram, nam ignis sphæra superior est continens sphæram aëris, & sphæra aëris sphæram aquæ intra se continet, & sphæra aquæ sphæram terræ, quam intelligimus esse centrum; sphæram dicimus tantummodo locum proprium, quem appetit quodlibet elementum.

2. Præterea sphæra ignis est locus appropriatus ipsi igni, & sphæra aëris ipsi aëri & sic de aliis. Itaque ignis in sphæra sua appetit esse corpus simplex, sed quia essentiæ sphærarum tanquam in improprium locum secundùm magis & minus per totum Chaos mixta diffunduntur, non potest ipse ignis separari, ut sine aliorum mixtione fiat per se simplex corpus; anima autem ei est in exemplum, quæ per totum corpus existens plus habet virtutis in aliquo loco ipsius corporis, quàm in alio, ita similiter ignis per totum Chaos existens majorem habet virtutem & essentiam in sphæra sua, cùm sit locus naturalis ei, quàm in sphæris aliorum, & quod intelligitur de igne, idem de cæteris elementis sequitur suo modo.

3. Cùm quodlibet elementum sit mobile ad suam sphæram, habet qualitatem movendi ad suum locum specificum & permanendi ibidem, & ideo, quia proprietas ignis est velociter ascendere, cùm sit levior cæteris elementis, est ejus sphæra superior omnibus.

4. Aër similiter secundùm proprietatem suam levis est, sed tardior igne, sed velox tamen respectu aquæ & terræ, ideo habet regionem suam vel sphæram collateralem sphæræ ignis.

5. Aqua similiter ponderosa est respectu aëris, minùs tamen, quàm terra, quæ ponderosior est omnibus elementis, ideo habet ipsa aqua regionem suam inter aërem & terram, cujus sphæra scilicet terræ infima est, & ideo centrum appellatur.

6. Ignis propter levitatem & velocitatem suam dispersivus est & dispersibilis, oppositum ejus scilicet aqua restrictiva est & restringibilis, aër verò, quia impletivus est, appetit ingredi omne vacuum, ideo dicitur repletivus, oppositum autem ejus evacuabile est, scilicet terra, ut ex ea procedant elementa.

Omnia

Omnia quatuor elementa activa sunt & agibilia, quodlibet per se & cum cæteris, sicut ignis, qui in sua sphæra ignificativus est, ignificat ignificabile de suâmet essentia, ut sit unum simplex suppositum, sed quia nequit hoc agere propter mixtionem aliorum, ignificat similiter essentias aliarum sphærarum; itaque nullum elementum intra se nec extra se potest consequi perfectionem suam, eò quòd essentiæ Chaos, sicut prædictum est, quæ sunt ignificativum ignificabile, &c. unum corpus confusum producunt per totam concavitatem ambitûs lunæ.

De Corporeïtate & Corpore Chaos.

1. IGneïtas non est corpus per se existens, hoc idem sequitur de aëreïtate &c., quæ si essent per se quodlibet corpus existens, unum corpus esset in alio in eodem loco, numero, quod est impossibile, & quoniam sicut quatuor essentiæ ipsius Chaos non possunt esse quælibet per se corpus, quamvis sint de natura corporea, ut insimul mixtæ resultent unum corpus, quod Chaos esse dicimus, ita neque ignis, neque cætera possunt esse quodlibet corpus per se existens in sphæris suis, sed mixta & digesta possunt in aliquo elementato insimul esse unum corpus, nam, eò quòd sunt de natura corporea, possunt insimul esse corpus, scilicet in homine vel in asino vel in arbore &c.

2. Sicut Chaos de se habet in se quatuor essentias suas videlicet igneïtatem &c. sic in elementatis habet ignis in se de sua essentia ignificativum ignificabile, ut sit unum corpus simplex per se existens, hoc autem non potest esse in elementatis, cùm sit compositus cum cæteris elementis; & quoniam ille ignis, qui in esse Chaos est ignificativus ignificabilis &c. diversus & distinctus est ab illo igne, qui de Chaos in elementata influxus est, ideo non potest influxus nec influens permanere corpus simplex, & quod de igne intelligimus, hoc idem sequitur de cæteris elementis.

3. Præterea sicut ignificativum habet in se suum ignificabile, sic aërificativum habet in se suum aërificabile; hoc idem similiter sequitur de aqueïficativo &c.; unde si ignis esset corpus simplex, impossibile esset aërem esse ignificabilem &c. & per consequens mixtio non esset, & sine mixtione non esset generatio, nec sine generatione corruptio, quod est impossibile.

4. Si ignis etiam esset corpus simplex, ob nimiam ejus caliditatem combureret omnes species, & hoc patet per hoc, quia ignis in lapidibus vel in ferro vel in lignis est in parva quantitate materiæ, ideo non est ita sensibilis sicut terra, aqua, aër, quæ in eis sunt in majori quantitate, quoniam, si ignis posset esse in eis in tanta quantitate materiæ, sicut terra, comburendo converteret ad se cætera elementa, comburens, quicquid esset ei contiguum, ergo &c.

5. Præterea, sicut forma & materia quælibet per se non sufficiunt esse corpus, ita nec aliquod elementum sufficit per se esse corpus ipsius Chaos, neque esse corpus elementatum, quod non potest esse sine circulo, triangulo, vel quadrangulo, quoniam, si ita esset, sequeretur destructio ipsius Chaos & elementa simplicia non essent corruptibilia in sphæris suis, eò quòd pars non posset de ipsis diminui, quolibet eorum habente perfectionem suam in se ipso.

6. Præterea si quodlibet elementum simplex esset per se simplex corpus, impossibile esset ignem ad terram vel ad aquam descendere & hoc propter duo, nam si simplex ignis esset per se corpus simplex, sicut prædictum est, nihil appeteret de se diminui, & posito, quòd de eo aliqua pars diminueretur, ut illa pars descenderet ad inferiora elementa, non posset ad terram descendere, quia ipsa pars nec sphæram aëris neque aquæ posset interscindere, nam quoddam totum maximum est majus in virtute, quàm quædam pars minima, & hoc maximè in contrariis, nam impossibile est, supposito ignem simplicem esse corpus simplex per se, & ejus contrarium scil. aquam esse corpus simplex per se similiter, quòd aliqua pars ignis possit per medium sphæræ aquæ penetrare, hoc idem similiter sequitur de aëre, aqua & terra.

7. Certum est ignem esse calidum & siccum, aërem humidum & calidum, aquam frigidam & humidam, terram siccam & frigidam, & ideo, si elementa simplicia essent quodlibet per se corpus simplex, necessariò sequeretur quodlibet elementum habere per se duas qualitates, scilicet ignem per se esse calidum & siccum, aërem per se humidum & calidum, & sic de aliis, quod est impossibile, quod si esset, necessariò sequeretur, quòd duæ qualitates destruerent unam qualitatem, scilicet caliditas & siccitas ignis humiditatem aëris, & sic usque ad terram, nec etiam siccitas terræ posset humiditati aëris &

aquæ reſiſtere, cùm ignis participare cum ea non poſſet aliis elementis exiſtentibus inter utrumque.

8. Præterea ſi quodlibet elementum eſſet per ſe corpus ſimplex, ſphærarum aliæ non eſſent in aliis in Chaos, & ſic nulla ſphæra eſſet tota mobilis, nec per conſequens eſſet tota in operatione naturali, imò eſſet plus de ipſa in potentia, quàm in actu, eò quòd totum illud elementum non eſſet in mixtione neque in operatione naturali, itáque ignis eſſet deſtructivus in majoritate & velocitate appetitûs naturalis, in qua ſiquidem deſtructione deſtruerentur principium, medium & finis naturæ, quod eſt impoſſibile.

9. Præterea ſi elementa ſimplicia eſſent per ſe corpora ſimplicia, non eſſent ita receptiva influentiæ à corporibus ſupercæleſtibus, neque partes eorum eſſent ita digeſtibiles, ita miſcibiles, ita componibiles, itáque deſtrueretur majoritas in generatione & corruptione.

10. Præterea, ſuppoſito etiam ipſa eſſe corpora ſimplicia, habet quodlibet perfectionem ſuam in ſe ipſo, unde ſi ignis habet in extremitate ſuam operationem cum aëre, habet ſiquidem appetitum innaturalem, atque innaturalis operatio eſt ei convertere aërem ad ſuam eſſentiam, & multiplicare ſuam ſpeciem in partes infimas, in quibus ſunt aër &c. ergo videtur, elementa ſimplicia non eſſe corpora quolibet per ſe exiſtente.

11. Ita eſſet materia ignis cruda in indigeſtibilitate, ſi cum forma eſſet corpus ſimplex, quòd non poſſet digeri neque dimittere ſcindi de ſe aliquam partem intrantem compoſitionem, ut ſi natura manûs alicujus non permitteret libenter digitum ſuum ſcindi ab ea.

12. Igneïtate, aëreïtate &c. producentibus unum eſſe, quod eſt Chaos, totus ſignificativus eſt ignificans in ſuo ignificabili, aërificabili, terreïficabili, & ſic de aliis & è converſo, & ita in eſſentia Chaos non eſt ceſſatio, ſed ſi quodlibet elementum ſimplex exiſteret per ſe corpus, totus ſignificativus non eſſet in actu, neque totus ſignificabilis in paſſione per totum Chaos, itaque deſtruerentur forma & materia in eſſentia ignis per Chaos, hoc idem ſimiliter ſequitur de aliis elementis, quod eſt impoſſibile.

13. Præterea, ſi elementa ſimplicia eſſent per ſe corpora, ſequeretur, quod Chaos non eſſet ex duabus partibus eſſentialibus, quæ ſunt *forma univerſalis* & *materia prima*, nam quodlibet elementum ſe haberet extra eſſentiam ipſius Chaos, neque partes integrales poſſent eſſe unum Chaos exiſtens ſub partibus eſſentialibus, quòd eſt impoſſibile, ſimiliter nec partes elementorum eſſent aliæ in aliis, neque differentes concordarent, nec contrariarentur, itáque pateretur natura in ſuis principiis, quod eſt manifeſtè impoſſibile, ergo &c., niſi foret homo, ignis compoſitus non eſſet viſibilis, ſed homo per artificium de ferro & lapidibus ignem producit ad denotandum, ſi ignis eſſet corpus ſimplex, quòd ex maximo calore ſuo ſuppoſita concremaret, ut autem hoc non fiat, ſicut prædictum eſt, concluſus eſt ignis compoſitus, ut non appareat, niſi per artificium educatur.

Et iſta ſufficiant de ſimplicitate ſive de probatione ſimplicium elementorum, ſcilicet ea per ſe ſimplicia non eſſe corpora. Nunc autem dictum eſt de corporeïtate elementorum & de corporibus elementatis, unde intelligendum eſt, prout diximus, nullum elementum ſimplex eſſe corpus ſimplex per ſe, licèt ea dicamus eſſe de natura corporis, inſimul autem mixta intelligimus eſſe unum corpus, itaque corporeïtas eſt eſſe corporis, quæ ſiquidem corporeïtas exiſtit in ſimplicibus elementis, ſicut Chaos ſub corporeïtate exiſtit, quæ ſiquidem corporeïtas eſt igneïtas, aëreïtas &c. & etiam ſimiliter, ſicut vegetativa in ſtipite arboris exiſtit, in quo ipſa corpus non exiſtit, licèt ſit eſſentia corporis in illo vegetato.

De tribus Gradibus Chaos.

1. PRimus gradus, Chaos eſt quoddam eſſe de igneïtate, aereïtate, aqueïtate, terreïtate aggregatum, in iſto ſiquidem eſſe ſunt *ſemina cauſalia*, ſcilicet *genera*, *ſpecies*, *differentiæ*, *proprietates* & *accidentia naturalia*, nec non *univerſalis forma* & *prima materia*, ſicut prædiximus, atque majoritas, æqualitas, & minoritas, principium, medium, finis, & omnes formæ naturales tam ſubſtantiales, quàm accidentales. In iſto ſiquidem gradu primo ipſius Chaos creavit Deus, quicquid eſt naturale in corpore Phyſico, ſcilicet per modum potentialem, habitualem, diſpoſitivum, appetibilem &c., ut ipſum Chaos agenti naturali ſufficeret accipiendo de ipſo Chaos, quidquid ipſum agens indiget, ad generationem, & conſervationem ſpecierum.

2. Secundus gradus ipſius Chaos eſt creatio primi Leonis, primæ arboris, & ſic de aliis,

aliis, etiam primi hominis, quantum ad corpus, creationem autem eorum dicimus productionem eorum in eſſe ſpecificum, licèt prius eſſet illud, de quo fuerunt. In hunc ſiquidem ſecundum gradum influit primus gradus dando ei illud, quod habet in potentia, in habitu, in diſpoſitione & habilitate tanquam ſpecies, quæ in aëre multiplicant ſpeciem ſuam. Hic igitur ſecundus gradus inſtrumentum eſt primi gradûs, nam ſine ſecundo primus perfectam operationem ſuam non haberet, nec ſequeretur ille finis, ad quem ipſe primus gradus creatus eſt, quod eſt, quia ſine ſecundo gradu non exiſterent ſpecies in individuis, nec formæ potentiales productæ eſſent in actu & ſic de aliis.

3. Tertius verò gradus ipſius Chaos eſt illa ſucceſſio, quæ ſecundum gradum ſequitur, ſicut ſecundi homines, ſecundi Leones, ſecundæ arbores, vel tertiæ & ſic ſucceſſivè ad infinitum usque nunc.

4. Secundus gradus fuit medium, per quod primus ſe in tertium influit, iſte enim gradus tertius in innumerabiles gradus gradatus eſt, ſcilicet tertius in quartum, quartus in quintum &c. usque nunc; in hunc ſiquidem gradum tertium tranſit virtus primi multiplicante ſecundo ſimilitudinem ſuam ſubſtantialem in gradus ſucceſſivos, ſicut cera in ſe formas litterarum ſigilli recipit, ita tertius gradus ſecundi recipit impreſſiones per influentiam primi; itaque ſucceſſivè unus gradus poſt alterum à primo ſuſcipit beneficium, & ideo primus gradus eſt *forma* & *materia univerſalis*, unde formæ & materiæ particulares deſcendunt concordante agente naturali in quolibet gradu ſe exiſtente, ut finis ſucceſſivè conſequatur alio gradu alteri ſuccedente.

De Motu Chaos.

1. MOtus Chaos habet eſſe ſucceſſivè, ſicut graduum alius alii ſuccedit, principio motûs exiſtente ex primo gradu in ſecundum, & ex ſecundo in tertium, & ex tertio in quartum, & ex quarto in quintum, & ſic de ſingulis, ſicut in generatione animantium patet, nam creatus primus homo ſecundum genuit, ſecundus tertium, & ſic de cæteris ſingulis ſucceſſivè.

2. Igneïtas eſt eſſentia ignis, unde primus ejus motus eſt producere Chaos cum aliorum eſſentiis elementorum ignificativo, ignificante ignificabile &c.

3. Per iſtum motum ſequitur ſecundus motus, eò quòd Deus creans primum hominem, prima animalia &c. de primo gradu in ſecundum gradum, ignem produxit & cætera elementa, & ſicut ipſe Deus influxit de Chaos elementa in prima animantia, ita dedit regulam & lineam influendi ipſa elementa de ipſo Chaos in ſecunda & tertia &c. animantia in primis animantibus procreata.

4. Quemadmodum primus ignis in eſſentia Chaos movetur, ſic ſimiliter ſecundus ignis, qui eſt in potentia Chaos, movetur intenſivè in ſpecies mixtionis, ſcilicet in mixtionem aëris, aquæ & terræ, ſicut in homine vel in pipere, & ſic de aliis, hoc quidem clariùs apparet in igne materiali ligna comburente; nam ejus motus propinquior eſt illi ignificativo, quod habet in ſe primum ignificabile de natura ſua.

5. Motus ignis intenſivè eſt in ipſo igne ex ignificativo, ignificabili, ignificare, ignificato, atque ex ignificativo ignificabili &c. in eſſentiam aëris, aquæ & terræ; itaque de motu intenſo generatur motus extenſus per totum mixtum naturale, ex motu autem extenſo naturali generatur motus localis igne movente ſe per omnes dimenſiones & movente ſe etiam comburendo ligna & calefaciendo ferrum & hominem, & ſic de cæteris rebus generando & corrumpendo individua ſpecierum. Hoc idem ſimiliter ſequitur de motu aliorum elementorum. Finis igitur, quare ignis movet ſe in naturalibus, eſt, ut primus gradus Chaos ſuam eſſentiam & virtutem influere poſſit in gradus alios inceſſanter, & ut maximè ſit ipſe ignis ſimplex ad aſſimilandum ſuæ eſſentiæ ſimplici, quæ in Chaos infuſa eſt, & quoniam ignis in Chaos non poteſt eſſe per ſe ſimplex corpus, perquirit ſimplicitatem ſuam in mixtione ipſius Chaos, vel in ſpeciebus ab eo deſcendentibus, veluti in cholerico &c., neque poteſt eam recipere, quia cætera elementa cum ipſo ubique mixta ſunt, hoc idem ſimiliter ſequitur de aliis elementis.

6. Ignificativus in compoſito movens ſuum proprium ignificabile in eſſentia ſua movet in eſſentia aëris aërificabile, in eſſentia aquæ aqueïficabile, & in eſſentia terræ terreïficabile, quæ moveri non poſſunt ſine aërificativo, aqueïficativo &c. itaque elementa alia movent alia, formis eorum moventibus alia aliam, & moventibus materias aliorum, ut *mixtio*, *digeſtio* & *compoſitio* fiat.

7. In compositione formativum substantiale movendo se movet in materiabili substantiali formas accidentales, sicut significativus movendo se movet quantificativum, quod est quantitas activa, in quantificabili, quod est quantitas passiva. Hoc idem similiter sequitur de qualificativo in qualificabili, & sic de aliis accidentibus, in quibus motus est instrumentum accidentale sub substantiali motu naturali ad generandum substantiam. Si motificativum naturale non haberet in se motificabile accidentale, scilicet quantitatem, qualitatem &c. existentes passivas in motione, impossibile esset invenire in materia quantitatem, qualitatem &c. activas, nam deficiente instrumento passivo instrumentum activum necesse est deficere.

De forma & materia Chaos.

1. FOrma prima & materia prima sunt illæ, de quibus Chaos compositum est, quæ siquidem forma composita est de quatuor formis, scilicet de forma igneïtatis, aëreitatis &c., similiter & ipsa prima materia de quatuor materiis composita est, sicut forma ex quatuor formis.

2. In illa essentia, quæ est igneïtas, est una forma simplex & una materia simplex, scilicet ignificativum & ignificabile, alia quarum est pura forma activa, altera verò forma pura passiva, ut ita dicamus, itaque hæc forma & hæc materia existentes res substantiales se habent ad substantiam, hocidem similiter sequitur de aëreïtate, aqueïtate, &c.

3. Præterea in essentia, quæ est igneïtas, sunt quamplures formæ accidentales, activæ & passivæ, activæ verò sunt hæ, scilicet forma quantificativa, qualificativa, relativa, activa, temporativa, locativa, situativa, habituativa, passivæ similiter sunt hæ scilicet quantificabilis, qualificabilis, relatificabilis, passificabilis, temporificabilis, locificabilis, situificabilis, habituificabilis, hoc idem similiter sequitur in aliis essentiis Chaos.

4. Omnes prædictæ formæ ex formis substantialibus procedunt, scilicet formæ accidentales activæ ex formis substantialibus activis, scilicet ex ignificativo, aërificativo &c., atque formæ accidentales passivæ ex formis substantialibus passivis, scilicet ex ignificabili, aërificabili &c.; unde sequitur, quòd ignificativum in se producit quantificativum & quantificabile in ignificabili, in quo ipsum ignificativum agit cum instrumento suo, scilicet cum quantificativo motivo movente quantificabile mobile in ignificabili, hoc idem similiter sequitur de cæteris essentiis & actionibus ipsius Chaos existentis sub his prædictis formis, sicut suprà significatum est.

5. Chaos primæ formæ & primæ materiæ subsstat, cui formæ & materiæ substantiales atque formæ & materiæ accidentales substant, unde videndum est, quomodo forma prima & materia prima in Chaos & ex Chaos in suas quatuor potentias generales influantur, videlicet in quatuor elementa & in eorum accidentia alio elemento simplificante se ab altero & componente se cum altero in compositis: itaque prima forma & prima materia per totum Chaos & per ejus individua intelligendæ sunt, ût dictum est.

6. Forma ignis suam propriam habet materiam, in qua incessanter per se agit cum instrumentalibus formis, ut ipsa actionem & materia passionem habeat & hoc in compositis cum cæteris elementis per totum Chaos, unde sequitur, quòd ignificativum de se habet suum proprium ignificabile in se, & aliud ignificabile in aliis essentiis scilicet aëris, aquæ & terræ, & quod de uno elemento sequitur, idem sciendum est sequi de aliis suo modo.

7. Quoniam ignificativum habet proprium ignificabile, & per accidens habet aliud ignificabile in aliis essentiis, sicut dictum est, habet quoque successivè à generante per rectam lineam gradus, scilicet primum, secundum, tertium ipsius Chaos, producit ignis in suam materiam unà cum aliis essentiis suam novam formam & materiam aggregatam, quæ forma priùs existens potentialiter in ipsa materia ad actum reducitur, prout tempus & numerus illius formæ assituati sunt & habituati in Chaos per modum generationis & corruptionis.

8. In elementatis autem ex quatuor formis & quatuor materiis, scilicet ignis, aëris, aquæ &c. componitur suppositum habens unam novam formam communem distinctam à prædictis quatuor formis, & unam novam materiam communem distinctam similiter à prædictis quatuor materiis, ideóque resultat illud suppositum elementatum in specie totaliter aliena à speciebus, scilicet ignis, aëris &c.

9. In elementatis ignificativum habet suum proprium ignificabile, & aërificativum suum proprium aërificabile & sic de aliis,

aliis, itaque quodlibet quatuor elementorum est suppositum substantiale in elementato, habente quolibet elemento formam & materiam substantialem, de quibus resultat suppositum elementatum habens formam & materiam substantialem, aliter nullum elementatum haberet formam & materiam substantialem, nisi elementa essent in ipso supposito substantiali habentia in ipso suas formas & materias substantiales & proprias, nec propter hoc intelligendum est in elementato esse quatuor corpora, sed unum corpus de quatuor elementis mixtis aggregatum.

10. Formificativum est ignificativum formificans suum proprium formificabile, quod est suum materificabile, scilicet illámet materia, in qua agens agit in suámet essentia, & ideo sequitur suum formificativum & materificativum esse formam, atque formificabile seu materificabile esse materiam.

11. Aliud formificativum est illud, quod est pura forma ignis, aliud verò formificativum est illud, quod est totum suppositum, scilicet esse ignis aggregatum ex materia & forma ipso igne agente in alieno ignificabili, scilicet in cæteris elementis. Est igitur differentia inter ignificare & ignificare, inter ignificatum & ignificatum, nec aliud sine alio potest esse, nam hæc omnia in quolibet elementato cholerico sunt conclusa.

12. Formificativum totam movet materiam ad passionem, ipsumque se movet per totam ipsam materiam ad actionem, forma etiam movet materiam ad substantiam, ipsaque forma se movet ad finem; itaque tota substantia ad finem mota est & totus finis per totam substantiam, aliter substantia non esset integra existens in duobus punctis, scilicet in forma & materia, hoc est in motu activo, & motu passivo, qui sunt idem numero cum ipsa materia & forma.

13. Primus homo fuit formificativus in secundo homine, & secundus in tertio per influentiam primi Chaos; hoc idem similiter sequitur de omnibus animantibus terræ successivè usque nunc, unde patet per prædicta, quomodo pater formificativus est & filius formificabilis per lineam ipsius Chaos.

14. In substantia major est forma, quàm materia, quod satis patet in homine, nam in ipso major est anima, quàm corpus, sed quoniam tota materia est passiva sub forma, tota verò forma similiter super materiam est activa, sequitur ideo inter ipsas proportionata æqualitas, sine qua ipsæ, scilicet forma & materia non possent simul esse, nec per consequens entitatem haberent, quod falsum est, cùm sint distinctæ & conjunctæ per quantitatem, qualitatem &c.

De Simplicitate & Compositione Chaos.

1. IGneitas, aëreitas, aqueitas, terreitas, sunt simplices essentiæ, de quibus insimul aggregatis Chaos productum est, unde ipsum Chaos in partibus est simplex, sed in toto compositum, quemadmodum ignificativum simplex est per se, & ignificabile simplex per se, sed tota essentia ex his duobus aggregatis composita est, hoc idem similiter sequitur de cæteris essentiis ipsius Chaos.

2. Secundùm quod Chaos de pluribus formis & materiis aggregatum est, resultat ipsum ex ipsis formis & materiis compositum existens sub una forma universali ex pluribus formis simplicibus composita & sub una universali materia ex pluribus materiis simplicibus composita. Et sicut isto modo Chaos in simplicitate & compositione situatum est, sic elementa ab illo progredientia sunt in simplicitate & compositione.

3. Ignem simplicem dicimus esse illud suppositum, in quo simplex forma & simplex materia ignis simplicem unionem & conjunctionem appetunt, & esse simul unum suppositum numero absque cæteris elementis. Ignem verò compositum intelligimus, quando in aliquod elementatum omnes formæ elementorum mixtæ componuntur sub una forma communi, & omnes eorundem materiæ simul sub una materia communi, sub quibus scilicet materia & forma communibus est suppositum elementatum existens unum simplex numero, compositum tamen ex forma & materia communibus antedictis.

4. Ignificativum in suum proprium ignificabile ficcitatem recipiens recipit subjectum proprium ficcitatis scilicet terreificabile & per consequens terreificativum existens per totum terreificabile, atque ignis terram recipiens recipit simplex subjectum aquæ, scilicet aqueificabile & per consequens aqueificativum, quod siquidem subjectum ipsa terra susci pit, susci piens frigiditatem, eodem modo subjectum aëris in ignem transfertur ratione humiditatis infusæ in aquam & ex aqua in terram & ex terra

in

in ignem, *& isto modo componuntur ignis & terra in suppositis.* Hoc idem sequitur de cœteris elementis.

5. In grano piperis vel in aëre calidæ regionis movet forma ignis suum ignificabile ad aërificabile & per consequens ad aqueificabile & deinde ad terreificabile, & movet etiam aërificativum, ut ipsum aërificativum moveat aërificabile ad convertendum in ignificabile, atque movens aërificativum movet aqueificativum, ut ipsum aquëificativum moveat aqueificabile ad transmutandum in ignificabile, similiter terreificativum motum ab aqueificativo, quod movetur ab aërificativo moto ab ignificativo, movet terreificabile ad transmutandum in ignificabile, *& hoc modo fit compositio in calidum & siccum;* & hoc idem etiam simili modo de cœteris complexionibus intelligendum est.

6. In compositione elementorum oportet quamlibet eorum partem ingredi alteram, ut ex eorum partibus simplicibus magna resultet compositio, unde in essentia ignis est forma in materia, nec potest esse ipsa forma in materia & è converso, nisi formæ & materiæ aliorum elementorum sint in ipsa forma & materia ignis & è converso, ideoque ignificativum & ignificabile in se sunt res simplices, sed compositæ tamen in partibus alienis, hoc idem similiter sequitur de cæteris partibus compositi qualibet earum existente in se simplici, in aliis verò compositâ.

7. Sicut de simplicitate & compositione substantiali sequitur, eodem modo de simplicitate & compositione accidentali intelligendum est, nam ignificativum habet in se simpliciter intensas & activas, scilicet quantitatem, qualitatem &c., atque ignificabile, simili modo simpliciter intensas & passivas scilicet quantitatem, qualitatem &c., & quoniam ignificativum & ignificabile substantialiter componuntur, sequitur inde compositio ex intensitate activa & passiva, unde resultat extensa & composita quantitas, qualitas &c. scilicet in suppositis & in Chaos accidentibus existentibus alio in altero per totam substantiam ex forma & materia compositam.

8. In elementato est ignis simplex & compositus, est siquidem in eo ignis simplex, scilicet ignificativum ignificabile & ignificare ignificatum una essentia & in una essentia ignis simplicis, sed quoniam ignificativum ignificat ignificabile alterius essentiæ, scilicet aëris &c., efficitur inde ignis compositus, hoc enim est, eò quòd partes integrales scilicet elementa simplicia miscentur & mixta digeruntur, atque digesta componuntur in partes essentiales scilicet in formam & materiam alicujus compositi, & quod de igne dictum est, hoc idem fit de cæteris elementis.

9. In primo gradu Chaos sunt *semina causalia* in simplicitate sua existentia, sicut genus, species &c., sed in secundo & tertio gradu componuntur, nam sine eorum compositione impossibile esset aliquod suppositum elementatum in esse produci.

10. Ignis in sphæra sua simplicior est, quàm in sphæris aliorum, nam ignificativum & ignificabile ejusdem essentiæ propinquius se habent ad conjunctionem simplicem in sphæra propria, quàm in sphæris aliorum, quod est propter magnam dominationem, quam habet illic ignis super cætera elementa, & quoniam in illa sphæra secundùm magis & minus sunt quatuor elementa, cùm quælibet essentia Chaos secundùm magis & minus extendatur, sequitur ideo ignem esse compositum ex cæteris elementis; aliter Chaos per omnes partes suas non haberet quamlibet essentiam suam, nec per consequens essent in primo gradu illius semina causalia, nam propter maximam ignis caliditatem illa semina, quæ frigidæ complexionis sunt, destruerentur, hoc idem simili modo sequitur de qualitatibus aliorum elementorum.

De Generatione & Corruptione Chaos.

1. EX ignificativo & ignificabili generatur ignificatum de eorundem essentia existente ignificare idem numero cum ignificativo & ignificabili, talis autem generatio est in essentia ignis simplicis, quæ est in primo gradu Chaos, hoc idem similiter intelligitur de cæteris elementis, & quoniam Chaos ex hac incorruptibili generatione productum est, *est ipsum Chaos quoddam universale vel generale incorruptibile.*

2. In primo gradu Chaos incipit generatio & à primo descendens transit per secundum ad tertium gradum, nam ex influentia primi generat secundus tertium, sicut primus homo non tamen ex influentia sui, sed potiùs ex influentia primi gradûs secundum hominem in gradum tertium generavit.

In

3. In complexione vel regione calida & sicca ignificativum generat in essentia aëris, aquæ & terræ ignificabile corrumpendo in aëre aërificabile & in aqua aqueificabile, in terra terreificabile, & hoc producendo formam ex primo gradu Chaos per secundum in tertium gradum ipsius Chaos, illâ formâ existente in potentia in prædictis aërificabili &c. donec in actum veniat corrumpendo aërificabile &c. & generando ignificabile &c.

4. Sicut sagitta propter impetum ab arcu impulsa tendit artificialiter ad terminum, sequens imaginationem & appetitum sagittarii, sic & multò meliùs semina causalia ex primo gradu Chaos per rectam lineam influuntur ab agente naturali formam generante specificam in materia specifica, quæ scilicet forma & materia specificæ de seminibus causalibus producuntur per organum, quod est ipsius agentis instrumentum in tertio gradu, recipiens à primo gradu influentiam in se ipsum, ut in quarto gradu multiplicet speciem suam, & deinde de gradu in gradum successivè corrumpendo alium gradum in generatione alterius subsequentis.

5. Generatio substantiæ habet sic fieri, quòd ignificativum sit principium ignificabilis, ambobus simul existentibus principiis ignificati, sic quòd ignificatum sit operatum completum scilicet generatum, sed quoniam, sicut in pluribus locis suprà tetigimus in compositis, non potest hæc generatio fieri sine cæteris elementis, corrumpuntur ideo aërificabile aqueificabile &c. in suis essentiis, de quibus ignificabile generatur in essentia ignis conjunctum proprio ignificabili ignis, unde resultat compositum generatum & substantiatum.

6. Accidentalis generatio habet fieri isto modo, ex activis scilicet quantitate, qualitate &c. intensis existentibus in ignificativo, & ex passivis, scilicet quantitate, qualitate &c. intensis existentibus in ignificabili &c. & sic similiter de cæteris elementis, generatur una quantitas, una qualitas &c. in omni elementato per totam substantiam extensam, hæc autem generatio fit absque omni corruptione substantiæ.

7. De forma ignis, aëris, aquæ & terræ generatur in elementato una forma communis specifica atque de eorundem materia quædam materia communis specifica, hæc autem forma communis idem est, quod prædictæ quatuor formæ, sicut totum nihil aliud est, quàm omnes suæ partes, hoc idem similiter sequitur de materia, species autem aggregata ex prædictis scilicet ex materia & forma communibus alia est numero ab elementis, eò quòd essentia illius speciei, scilicet forma & materia communes prædictæ, est medium inter ipsam speciem & essentiam cujuslibet elementi, quæ siquidem essentia cujuslibet elementi est sicut ignificativum & ignificabile ignis, aërificativum aërificabile aëris & sic de cæteris elementis.

8. In rationali est Embrio generabilis eodem tempore in vegetabili & sensibili, eò quòd per totum instrumentum est una quantitas extensa generata de quantitate intensa existente in vegetativa & sensitiva, quoniam, nisi ita esset, substantia esset sine accidente proprio vel è converso, & caro non carnem generaret, neque Chaos tam vehementer suam essentiam influeret in Embrionem rationalem, sicut in irrationalem, quod est inconveniens & contra nobilitatem naturalis agentis & contra magnitudinem relationis patris ad filium, contráque magnum appetitum naturalem & charitatem hominum, nec non contra Incarnationem Filii Dei & nobilitatem gloriosæ Virginis Genitricis ejus, & maximè contra unionem naturæ divinæ & humanæ & contra recreationem nostram Christo moriente, atque contra resurrectionem, quam in die novissimo judicii expectamus, multa etiam & innumerabilia inconvenientia sequerentur, unde videtur potentiam sensitivam esse à generante, non autem à creante, veruntamen à creante ipsam esse dicimus in primo & secundo gradu Chaos, de quibus descendit successivè per cæteros gradus usque nunc conservando humidum radicale.

9. Ex maxima participatione animalitatis & vegetationis fit aliquoties ex corruptione generatio, sicut in corpore alicujus animalis mortui patet, quia de ipso vermes generantur, & in aëre locustæ, & in aqua anguillæ & in terra mures, & sic de multis aliis, quod est propter maximum appetitum simul in compositis essendi vegetativæ & sensitivæ potentiæ recipientium absque instrumento naturali influentiam à primo gradu Chaos, quam siquidem influentiam Chaos immittit propter maximum appetitum, quem habet, in ipsa semina causalia.

10. Præterea de seminibus aliquoties fit generatio isto modo, de materia granorum corruptorum in aëre multæ athomi ab illis

 divisæ

divisæ elevantur per aëra, & propter subtilem motum aëris aliæ earum aliis junguntur similes in specie, tunc restauratur illa species, nam ipsis receptis, vel in terram vel in rupem, vel in turrim, vel in locum aliquem, ubi à primo gradu Chaos possint suscipere beneficium, tunc ex materia illius speciei generatur similis species, scilicet sive arbor sive planta.

De Primo actu & Secundo Chaos.

1. PRimus actus Chaos est igneitas, aëreitas, aqueitas, terreitas, secundus verò est ipsum Chaos, nam significativum significans in suum proprium significabile significat Chaos, hoc idem similiter sequitur de aërificativo &c. isto modo, scilicet ut de significare, aërificare &c. sequatur ipsum Chaos.
2. Chaos est primus actus, quatuor verò elementa simplicia, quæ ab ipso Chaos influuntur, sunt secundus, nam sicut quatuor essentiæ ipsius Chaos uniendo se unum Chaos producunt, sic Chaos dividendo producit quatuor elementa simplicia, itaque Chaos dividendo se est primus actus, sed ipsa elementa simplicia sunt secundus.
3. Ignis simplex est primus actus, ignis verò compositus est secundus, eò quòd significativum infundendo se in suum proprium significabile infundens se in aërem, aquam & terram producit significare in se & in cæteris elementis, & quod de uno sequitur, id idem de singulis eorum intelligitur.
4. Ignis, aër, aqua & terra compositi componendo se simul in aliquod elementatum, sunt primus actus, illud verò elementatum nihil aliud est, quàm compositum esse illorum quatuor, quod est secundus actus, & per hujusmodi compositionem fiunt elementa in illo supposito altera species, quæ non est species alicujus illorum quatuor, partibus ipsorum elementorum intensivè intrantibus aliis in alias secundùm magis & minus.
5. Forma ignis, forma aëris, forma aquæ, forma terræ sunt insimul primus actus activus, actus verò secundarius est forma communis illius elementati, quod componunt, atque primus actus passivus sunt similiter materiæ scilicet ignis, aëris, aquæ, terræ. Sed actus secundarius passivus est communis materia ipsius elementati.
6. Similiter forma communis & materia communis ipsius elementati sunt primus actus ejusdem elementati, totum autem elementatum scilicet aggregatum ex illis duabus, quod est esse ipsius supposiți, est actus secundus.
7. Præterea granum frumenti est primus actus, spica verò, quæ de illo producitur, est secundus, & sic de aliis istis similibus in substantialibus rebus.
8. Præterea substantia est primus actus, quantitas autem & qualitas communes &c. sunt secundus actus, nam, ut substantia sit, oportet accidentia esse in ea per accidens.
9. Activa quantitas intensa & passiva quantitas intensa sunt primus actus, quantitas verò extensa ab his duabus aggregata est actus secundus, hoc idem similiter sequitur de qualitate &c.
10. In mixto, in quo partium alia est in alia, est introitus cujuslibet partis in alteram primus actus loci, temporis, motûs, actionis, passionis atque relationis, sed ipsa scilicet locus &c. sunt secundus actus, mediante tamen substantiâ & mediantibus illis principiis similiter, quæ super eam sunt de primo gradu Chaos ad ultimum, ût suprà dictum est. Unde per prædicta satis patet, quomodo actuum alius primus, alius secundus dicitur, & quomodo primus dicitur respectu sequentis, atque ille idem secundus dicitur respectu præcedentis influentiâ ipsius Chaos existente contiguâ per omnes gradus & distinctâ per diversas essentias in dividendo actus & gradus.

De Potentia & Actu Chaos.

1. IN primo gradu Chaos erant per modum creationis omnes species in potentia, atque subjectum earum erat Chaos, sed primus earum agens Deus creavit gradum secundum in Chaos, in quem secundum omnes formæ per creationem de primo gradu ad specificationem deductæ fuerunt. Sicut in massa auri scyphus est in potentia, ut ad actum deveniat per adjutorium artificis, sic & multò meliùs in materia alicujus grani frumenti, quod est in tertio gradu Chaos, est in potentia specifica forma & materia alterius grani ejusdem speciei, quæ ad actum deducitur per adjutorium *universalis formæ & universalis materiæ*, quæ sunt primus gradus Chaos influens in tertium, ut forma, quæ est in potentia, perveniat in actum, hoc autem habet esse successivè, ut frumenti species

species conservetur, & hoc similiter sequitur de cæteris speciebus.

2. Forma & materia primi gradûs Chaos sunt semper in actu, cùm sint universalia principia ad omne, quod est in tertio gradu, in quo sunt plures formæ in actu & in potentia aliæ post alias successivè, & fuerunt à secundo gradu usque nunc per modum generationis & corruptionis.
3. In tertio gradu est granum frumenti suppositum existens in actu per formam & materiam specificam, cum quibus ipsum suppositum est idem numero actualiter, potentialiter autem sunt in isto supposito plurima grana frumenti, eò quòd primus gradus influit, tertius verò recipit, unde influente primo gradu & tertio recipiente infundit potentialiter in ipsum granum primus gradus novas formas existentes in potentia in materia illius grani, & tum propter influentiam primi gradûs, tum propter primi grani appetitum generandi simile producitur secundum granum de potentia in actum primo grano corrupto.
4. Essentia grani frumenti, ex qua debent grana alia generari, corrumpitur quoad ejus numerum individuum, quia forma & materia grani, quod corrumpitur, deserunt constituere ipsum granum, sed essentia materiæ & formæ, quæ actu constituebant ipsum granum, ipso grano corrupto remanet essentia specifica frumenti, hoc est, materia prima & forma, eò quòd non constituunt hoc granum frumenti, ipso corrupto, non sunt materia & forma hujus grani frumenti, sed sunt materia & forma frumenti, illud ergo, quod antè erat materia & forma dicti grani, remanet essentia frumenti, quæ per influentiam primi gradûs Chaos suscipit augmentum, & eidem augmento dat suam similitudinem substantialem, & sic ex essentia materiæ & formæ dicti grani augmentata à Chaos fiunt multa alia grana; in grano ergo frumenti, ex quo debent alia generari, & in similibus solùm corrumpitur numerus, in his autem, quæ ab esse specifico in aliud esse specificum transeunt, corrumpitur numerus & essentia specifica, sumptis enim pane & oleribus &c. in nutrimentum corrumpuntur panis & olera &c. non solùm quoad numerum, sed etiam quoad essentiam specificam, illud enim, quod erat sub specie panis & olerum &c., transmutatur in speciem carnis & sanguinis &c. per virtutem nutritivam.
5. Sicut in corruptione grani generantis corrumpitur numerus tantùm, hoc est tale suppositum, sic simili modo corrumpuntur accidentia illius numeri, & sicut grano corrupto remanet specifica essentia frumenti, sic remanent accidentia specifica essentiam constituentia; & sicut Chaos suam essentiam influit in granum frumenti generantis, sic & sua accidentia, & ita essentia grani frumenti, quod corrumpitur augmento suscepto ab ipso Chaos tam in essentia, quàm in accidentibus nova grana generat, quantùm ad essentiam & accidentia.
6. A summa providentia creata fuerunt in primo gradu Chaos potentialiter omnia accidentia & in secundo gradu disposita, quod per ipsum secundum gradum & tertium usque nunc successivè de potentiis in actibus incessanter producantur.

Et ista sufficiant, nam per prædicta manifestè patet, quomodo accidentia, quæ generantur, sunt de accidentibus, quæ in primo gradu Chaos sunt in potentia per secundum gradum ad tertium venientia in actum; hoc idem similiter sequitur de essentia formæ, nam ipsa de substantiali essentia primi gradûs Chaos producitur, hoc idem etiam sequitur de materia, ût suprà patet.

De universali Transmutatione formæ & materia Chaos.

1. IN primo gradu Chaos non fit formæ & materiæ transmutatio, sed ex influentia primi gradûs fit formæ & materiæ transmutatio in tertium gradum, quemadmodum in grano frumenti generante transmutatur forma & materia in alium numerum generando granum secundum productione generatum, quod patet isto modo.
2. In grano frumenti est forma & materia specifica, generante autem isto grano alterum granum, corrumpitur numerus illius generantis, & per consequens ipsius substantia, quæ est sua propria & specifica forma & materia, aliter non esset generatio aliquid, nec per consequens corruptio, quod est impossibile, corrumpitur ergo numerus prædicti generantis, & corrumpendo in nihilum revertitur, sicut ipsum nihil erat positivè super principia ipsum constituentia, sicut enim ex forma & materia fit suppositum & est generatio substantialis, esto, quòd illud, quod est forma & materia, antè esset, sic est corruptio substantialis, quando forma & materia deserunt constituere supposi-

tum, quamvis illud, quod eſt eſſentia formæ & materiæ, remaneat incorruptum.

3. Satis manifeſtè videre poſſumus illud granum frumenti, quod generat aliud granum, dare ſimilitudinem ſuæ formæ & materiæ eidem, quod generat, hoc autem eſt, quia eſſentia ipſius generantis, quæ, ſicut dictum eſt, corrumpendo naturaliter ad primum gradum revertitur, propinquiſſima eſt grano generabili inter omnes eſſentias, quæ ſimiliter diffuſæ per totum primum gradum converſæ ſunt in unam eſſentiam confuſam ipſius primi gradûs, & quoniam illi generabili eſt tantùm propinquiſſima, influitur propter majorem virtutem citiùs in generabili eſſentia ſui generati ab ipſa, quàm in eſſentia aliena.

4. Aqua ſpecificæ eſſentiæ piſcis mortui in aqua maris putrefacti, de qua ipſe compoſitus erat, revertitur ad aquam ſimplicem eo ordine, quo ab ipſa proceſſerat, ut aliud ſuppoſitum generetur, hoc idem ſimiliter ſequitur de reliquis ſuppoſitis, tam etiam in animalibus, quàm in vegetabilibus.

5. Suppoſito multa grana eſſe putrefacta vel combuſta materiâ illorum exiſtente aggregatâ in aëre participante alicui campo ex granis ſpecie ſimilibus prædictis ſeminato, adhuc primus gradus Chaos prædictam materiam ſuper illa grana ſeminata priùs & citiùs influeret, quàm materiam alienam & hoc propter ſpecierum ſimilitudinem & appetitum, cùm quodlibet ſuum ſimile appetat à natura.

6. In generatione hominis influit primus gradus Chaos per inſtrumentum ſuam eſſentiam in tertium, nec tamen generans ſcilicet pater ſuam eſſentiam, quæ idem eſt, quod illa forma & materia, per quam ipſe homo factus eſt, influit, ſed illam per quam primus gradus Chaos talem formam & materiam de ſe influit in ſimilitudinem patris, per quam genitus hominis corpus habet, & ſic manifeſtum eſt patrem non generare genitum de illa eſſentia, per quam ipſe pater eſt homo, ſed de illa eſſentia, quæ de primo gradu Chaos influxa convertitur in eſſentiam humani corporis, induens ſimilitudinem & ſpeciem ejus, itaque pater generans dat mediante primo gradu ſuam ſimilitudinem & ſpeciem ſuo filio non autem illum numerum identicum, per quem ipſe pater eſt homo, ſcilicet ſuam individuam & ſpecificam formam & materiam, aliter nullus propriam eſſentiam ſpecificam haberet, reſurrectio etiam nihil eſſet, nec primus gradus Chaos individuas eſſentias influeret in tertium, neque illas formas & materias individuas conſervaret, quas reſurgentes in die noviſſimo reſumere debent.

7. In inſerto fit transmutatio per influentiam ex una forma in alteram formam & ſic ex una materia in alteram materiam, non tantùm inter formam & materiam ſpeciei, ſed ubi duæ ſpecies conjunguntur, ſicut in inſerto pomi & perſici patet, quæ licèt in ſpecie ſunt diverſæ, habente qualibet earum ſuum eſſe ſpecificum & numerum ſubſtantialem in uno corpore continuo, à Chaos tamen miſcetur & componitur in fructum eſſentia utriusque ſpeciei, ſicut manifeſtè patet in colore & ſapore atque aſſituatione fructûs alicujus arboris ſimul inſertæ, ût prædictum eſt.

8. Hoc idem etiam ſequitur de generatione muli, nam in eo mixtæ ſunt influentiæ & ſimilitudo equi & aſinæ exiſtentium ſpecie diſtinctorum.

9. Imago & litteræ ſigillo inſculptæ non dant in cera ſuum eſſe numero, ſed ſuum ſimile tantùm in figura, eodem modo forma & materia generantis non dant ſuum eſſe numeraliter generato, ſed tantùm ſimilitudinem ſuam ſubſtantialem illi influentiæ per ipſas tranſeunti, quam primus gradus Chaos de ſe influit in tertium per inſtrumentum, ſcilicet per maſculum & fæminam in animalibus vel per granum in plantis.

10. In opere artificiali non fit transmutatio de forma in formam, nec de materia in materiam, nec per conſequens de eſſentia in eſſentiam, ſicut in ſcypho argenteo patet, quo deſtructo & conſtructo iterum, deſtruitur omnino forma prima & efficitur altera, nec propter hoc mutatur materia de ſuo numero, cùm propter deſtructionem & conſtructionem formarum artificialium non convertitur in primum gradum Chaos exiſtens in aliquo tempore ſub una forma ſcyphi & in alio ſub alia forma ſcyphi.

De Operatione intrinſeca & extrinſeca Chaos.

1. OPerante ignificativo in ignificabili ſuper ignificabile tanquam forma ſuper proprium ſubjectum, ſequitur in naturis operatio intrinſeca, operante autem ipſo ignificativo ſuper aërificabile, ut illud in eſſentiam ignificabilis convertat, ſequitur ideo operatio extrinſeca, ut ſit intrinſeca, hoc idem fit de cæteris elementis.

2. Ope-

2. Operante igneitate in ſua propria eſſentia, & in aëreitate, aqueitate, terreitate, atque operante aëreitate eodem modo, & ſic de cæteris eſſentiis ſequitur primus gradus Chaos, in quo hæ eſſentiæ ejus unum Chaos operantur, & forma communis ipſius Chaos in prima materia operatur ipſum Chaos, cujus operatio vel actio, cùm ipſa materia tota paſſiva ſit, eſt diſpoſitio ipſius materiæ influendæ in tertium gradum ipſius Chaos.

3. In ſecundo gradu ipſius Chaos fuit primus gradus duplex operans intra ſe ſcilicet & extra ſe, primò quidem intra ſe, quia ſecundus collocatus fuit & aſſituatus in primo, & extra ſe ſimiliter, eò quòd omnes ſpecies in ipſo primo gradu creatæ fuerunt inſtrumenta, ut ipſe primus gradus ſuam eſſentiam de ſe ipſo in ſecundum & de ſecundo in tertium, & de tertio in quartum, & ſic usque ad finem ſæculi influeret ſucceſſivè.

4. In tertio gradu Chaos operatur ſubſtantia in ſubſtantiam per modum generationis & corruptionis partium aliis exiſtentibus in aliis, ſicut in elementato ſuppoſito intelligimus ignem tranſire in aërem & è converſo & aërem in aquam & è converſo, & aquam in terram & è converſo, & terram in ignem & è converſo quolibet elemento operante in omnibus aliis elementis, ut ex quatuor formis ſimplicibus reſultet una communis forma compoſita, & ex quatuor materiis reſultet una communis materia compoſita, ſub quibus ſcilicet forma & materia exiſtunt ſuppoſitum compoſitum in alia ſpecie & eſſentiâ, quod non eſt in ſpecie alicujus prædictorum elementorum, nec etiam idem ſpecie cum eis, de quibus compoſitum eſt, ſicut patet in grano frumenti & in cæteris ſpeciebus.

5. In generatione grani generabilis & corruptione grani generantis illud, duplex intelligenda eſt operatio generantis, ſcilicet extrinſeca & intrinſeca, intrinſeca quidem, eò quòd generans incipit in ſe ipſo & exiſtens in ſe ipſo virtutem ſuam influit per medium, ſcilicet per primum gradum Chaos in granum generatum, quod exiſtit extra eſſentiam generantis.

6. Forma intra ſemet ipſam format aliam formam, ſub qua materiam paſſivam producens producit extra ſe figuram ſuam, ſicut figuram hominis vel grani vel alterius ſpeciei.

7. Intra ſubſtantiam generantur & producuntur accidentia, ſicut quantitas, quæ ex quantitate intenſa materiæ & formæ producitur per totum corpus extenſa, hoc idem ſimiliter fit de qualitate, quæ intra ſubſtantiam oritur, formâ ignis agente in materiam calefaciendo, illuminando vel alleviando, vel lucificando ipſam materiam, ut totum ſuppoſitum cholericè compoſitum ſit calefactivum intra ſe & extra ſe, ût in igne materiali comburente apparet, ac etiam in aliis ſuppoſitis huic ſimilibus; hoc idem ſequitur de cæteris elementis ſuo modo,

8. In eſſentia ſubſtantiæ eſt forma locificativum ſuppoſiti atque temporificativum &c., ipſum autem ſuppoſitum eſt in materia exiſtente ſub forma locificabile, temporificabile &c. partium aliis ſe moventibus in alias, nam ignis in ipſo ſuppoſito intrat aërem, aquam & terram, & aër aquam, terram & ignem, hoc idem ſequitur de aqua & terra, ex quorum ingreſſibus ſequuntur locus, motus & tempus, ſine quibus impoſſibiles eſſent prædicti ingreſſus elementorum. Itaque nihil eſſet mixtio elementorum, & ſi non eſt mixtio, nec per conſequens compoſitio in ſuppoſitis, unde per prædicta notiſſimè patet, quomodo accidentia producuntur intra ſubſtantiam extra apparentia tanquam figura.

9. Elementa non poſſunt incipere ſubſtantiam ſine accidentibus, incipiunt ergo ipſa accidentia intra ſubſtantiam, nam per quantitatem quantificat forma qualitatem, & per ipſam qualitatem qualificat ipſa forma quantitatem, hoc idem ſequitur de cæteris accidentibus, & ideo valde difficilis eſt notitia ipſorum accidentium, cùm ſit intra ſubſtantiam valde ſecreta operatio realitatis eorum apparentium propter ipſam operationem extra ſubſtantiam in figura ipſius ſubſtantiæ, in qua figura quodlibet ipſorum accidentium figuratum eſt exiſtente formâ, vel realitate cujuslibet eorum intra ſubſtantiam, in qua ſenſitiva potentia nequaquam poteſt eam perfectè ſentire.

De mixtione & virtute Chaos.

1. MUltimodè fit in Chaos mixtio, principaliter autem intelligimus eam in quatuor ſpecies eſſe diviſam, quarum prima eſt ipſum Chaos de igneitate, aëreitate, aqueitate, terreitate productum, nam his eſſentiis mixtis qualibet earum per cæteras reſultat unum Chaos, ſcil. unum corpus confuſum, in quo continetur, quicquid elementatum eſt.

2. Secundam verò ſpeciem mixtionis intelligimus eſſe diviſam in quatuor elementa

simplicia, quæ in mixtionem ingredientia componunt tertiam & quartam speciem mixtionis, hæc quidem secunda à prima influitur existens propriâ virtute & essentiâ in tertiam & quartam, aliter non esset participatio inter primam, tertiam & quartam, quod est impossibile.

3. Tertia mixtionis species in quatuor partes divisa est, scilicet in ignem, in aërem, in aquam, in terram, per quarum primam intelligimus ignem, quem sentimus, sentimus & ignem esse diffusum & conclusum in aëre, in aqua, in terra, in lapidibus, in ferro &c., qui scil. ignis conclusus & diffusus est, ut cæteras partes non comburat, qui, si foret ita aggregatus sicut aër, aqua & terra, nullum corpus generari, neque cæteræ partes eidem resistere possent. Secunda pars est aër, in quo participamus. Tertia pars est aqua, scilicet mare, omnes fontes, stagna & flumina. Quarta verò Pars est terra aggregata, in qua sumus.

4. Quarta autem & ultima mixtionis species est in suppositis elementatis, id est in individuis specierum, in quibus elementa mixta sunt & composita, sicut in homine, in prutis, in plantis & in metallis. De prima siquidem mixtionis specie influuntur cæteræ tres species, & in ipsa sunt & ex ipsa esse recipiunt & virtutem, omnes quidem in ipsa sunt, sicut partes in suo toto, & ipsa in omnibus, sicut totum in partibus suis.

5. Prima species & secunda invisibiles sunt & intangibiles, in prima autem sunt æqualiter suæ essentiæ aliæ in aliis propter maximam mixtionem & virtutem, sed in cæteris speciebus non est ita, nam partium earum aliæ sunt in aliis secundùm magis & minus, ideóque multiplicatur divisio mixtionum & virtutum, quod patet in aëre, nam plus est mixtionis inter aërificativum & aërificabile, quàm inter aërificativum & terreificabile, vel quàm inter terreificativum & terreificabile, & sic de igne & aqua. Hoc similiter sequitur in tertia & quarta specie mixtionis, sicut patet in mari, in quo plus est aquæ, quàm in terra, & in cholerico, in quo plus est ignis & terræ, quàm in phlegmatico quolibet elemento *depurante* se totâ virtute suâ ab altero, sequitur ex secunda specie mixtionis & virtute ejus tertia mixtionis species & tertia virtus, & ex tertia specie mixtionis & virtute sequitur quarta mixtionis species altero eorum generante alterum. Hoc idem sequitur de eorum corruptione scilicet suppositorum, quod est, quia, dum suppositum corrumpitur, aliqua pars illius in quarta mixtionis specie remanet, cæteræ verò partes ad alias species mixtionis per ordinem reverturtur, illa etiam pars, quæ in quarta mixtionis specie remanet, *depuratur* in prima, secunda & tertia per ordinem, ut alteret se in esse suppositi novi.

6. Præterea mixtio est inter formam & materiam existentes, quamvis suppositum elementatum ex ambabus productum est, in illo quidem suppositio sunt quatuor elementa mixta per se ipsa isto modo, ignis suscipiens subjectum terræ id est materiam & per consequens formam, quod est, eò quòd suscipit ipsius siccitatem, diffundit in aërem calorem suum & per consequens subjectum suum, scilicet materiam & formam simul, in quo scilicet subjecto cum siccitate est subjectum terræ, aër similiter proprietates prædictas cum substantiis earum recipiens infundit humiditatem suam in aquam, & per consequens subjectum suum unà cum prædictis proprietatibus & subjectis, quæ, ùt prædictum est, in se recipit. Hoc eodem modo similiter fit de aqua in terram & de terra iterum per ignem, itáque partes quatuor elementorum non cessant aliæ per alias misceri, & quoniam quælibet habet suam propriam formam & materiam, non cessant ideo omnes prædictæ formæ per proprias & alienas materias & è converso misceri & per consequens per seipsas, & quoniam, ùt in pluribus locis suprà diximus, omnes formæ elementales unam communem formam in supposito constituunt, & omnes materiæ elementales unam communem materiam, miscetur ideo tota ipsa forma communis per totam ipsam communem materiam, quia prædictæ formæ elementales per suas materias, ût prædictum est, in ipso supposito commiscentur, simili modo, sicut de formis & materiis elementalibus dictum est, sequitur de mixtione vegetativæ & sensitivæ potentiæ in animalibus, sicut inferiùs proponimus determinare.

7. Partibus elementorum existentibus aliis in aliis, ût prædictum est, fit mixtio ex substantia & accidentibus, nam ex hoc, quòd substantia composita est ex forma & materia, existente totâ formâ in tota materia & è converso, existit ideo tota activa quantitas intensa formæ in tota passiva quantitate intensa materiæ, quibus sic mixtis & unitis, & hoc per totam qualitatem, relationem &c. producitur extensa quantitas per totam substantiam, itáque fit substantiæ & suorum accidentium mixtio. Ex hac siquidem maxima mixtione fit digestio & ex digestione virtus de substantia procedens per accidentia, ut sit substantia cum suis accidentibus, quam substantiam dicimus suppositum elementatum.

8. Natura formæ est agere, natura verò materiæ est pati, unde conjunctis ambabus simul in esse alicujus suppositi non cessat agere forma, materia verò ejus actionem pati, quoniam, si cessarent, destrueretur earum natura in conjunctione sua, quod est impossibile, propter hanc igitur impossibilitatem non cessat forma miscere totas alias partes elementorum per totas alias, & per consequens non cessat in composito producere virtutem, nam unaquæque ipsarum partium habet in se producere suam propriam virtutem partialem, unde ipsis simul mixtis, sicut dictum est, multiplicatur una virtus, illa quidem virtus quanta & qualis procedit secundùm quantitatem partium & digestionis earum, hoc idem similiter de cæteris accidentibus intelligendum est.

9. *Digestio virtutis* in elementati mixtione fit hoc modo: pars ignis diffusa per totas partes aliorum elementorum digerit ad suum finem, scilicet ad suum appetitum cæteras partes secundùm situm, habitum, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, tempus & locum, quæ ipsa pars recipit de suis superioribus, id est, de prima secunda & tertia specie mixtionis in quartam.

10. Per Chaos Deus species seminavit, quoniam primum gradum creans in Chaos disposuit formas & materias cujuslibet speciei in potentia, unde factâ mixtione partium primo gradu Chaos influente se in cæteros sequitur virtus & mixtio ex influentia ipsius primi Chaos, & ex proprietatibus specierum & dispositione earum in essentiis suis, hæc autem virtus & mixtio est quanta, qualis &c. velut à Deo superiùs ordinatum est in primo secundo & tertio gradu Chaos & in prædictis speciebus mixtionis, ùt supradictum est.

De Prima intentione & secunda Chaos.

1. IN primo gradu Chaos ignificativum primam intentionem habet ad suum proprium ignificabile & è converso, secundam verò ad alienum ignificabile, quod est essentiæ terræ, aëris & aquæ, similiter ipsum ignificabile proprium sive materia propria ipsius ignificativi, primam habet intentionem se esse ignificabile sub ipso ignificativo, secundam verò se esse aërificabile sub aërificativo, vel aqueificabile sub aqueificativo, hoc idem simili modo sequitur de cæteris elementis, itaque habet se Chaos per secundam intentionem quâlibet ejus essentiâ habente primam intentionem ad se ipsam, sicut supradiximus.

2. Ex Chaos influuntur quatuor elementa simplicia quolibet eorum habente primam intentionem ad se ipsum formâ simplici appetente materiam simplicem & è converso, ut ambæ sint unum suppositum simplex, quoniam autem non possunt hoc perficere, appetunt ideo compositionem, itáque sequitur elementum compositum per secundam intentionem.

3. Ignis simplex appetitum habet ad convertendum in suam essentiam cætera elementa, ut in simplicitate sua possit perfectus esse, habet igitur per secundam intentionem appetitum sive inclinationem ad recipiendum siccitatem à terra, & dandum caliditatem aëri & mortificandum aquam, simili modo de cæteris elementis intelligendum est.

4. Hoc similiter habet fieri in tertia specie mixtionis, deinde in quarta, donec ipse ignis vel aliquod ipsorum elementorum in compositionem veniat in speciebus, ut in secunda specie mixtionis possit perfici, ad quam habet primam intentionem.

5. Unumquodque quatuor elementorum habet in qualibet arbore ad stipitem, ad ramos, ad folia, ad flores & fructus secundarium appetitum, primum verò ad semina fructûs illius, veruntamen respectu sui ipsius habet secundum ad illa semina, primum verò ad se ipsum, & sic habet esse quodlibet elementum in speciebus per secundam intentionem, sed in se ipso per primam.

6. Forma & materia primam habent intentionem ad esse substantiæ, secundam verò ad accidentia substantiæ, cùm sine illis non possit esse substantia.

7. Per hanc quidem differentiam primæ intentionis & secundæ sequitur differentia inter essentiam substantiæ & essentiam accidentium, ideóque dicuntur accidentia non esse de essentia substantiæ, sed de virtute ejus à forma & materia ipsius substantiæ procedente,

dente, ut sit divisa per instrumenta, cum quibus ipsa substantia sit ex forma & materia tantùm.

8. In Chaos est genus per secundam intentionem, ejus verò species per primam.

9. Etipsæ similiter species per secundam intentionem, sed ejus individua per primam.

10. Etiam omnes species & individua sunt per secundam intentionem, species autem hominis & ejus individua sunt per primam.

De Appetitu & seminibus Causalibus Chaos.

1. CUm creator omnium Deus Chaos de non esse ad esse produceret, seminavit in ipsum semina causalia & appetitus eorum, id est, dispositionem & habilitatem formæ & materiæ specierum.

2. Hæc autem semina in potentia in primo gradu Chaos fuerunt, nec in eo cessant esse, ut esset, nec cesset esse multiplicatio specierum, aliter nulla species appetitum haberet naturalem ad suorum individuorum multiplicationem.

3. Ex primo gradu Chaos, sicut suprà dictum est, influuntur quatuor elementa simplicia, dividentéque quolibet eorum sémet ipsum in compositione per species per consequens producendo supposita habent appetitum ad generationem & corruptionem secundùm ipsa semina causalia, per quæ in species appetunt intrare, aliter nullum elementum cum appetitu veniret ad speciem, neque plùs aliam speciem, quàm alteram appeteret, nec etiam esset specificatio naturalis priùs ponibilis à primo gradu Chaos, quàm à tertio, quod est impossibile.

4. Omne creatum majorem habet naturaliter appetitum ad Deum, quàm ad aliud, licèt autem elementa intellectu careant, tamen Deum appetunt, appetendo illam regulam, quam Deus dedit eis influendo sémet ipsum per secundum gradum & tertium Chaos, idcirco habent in se ipsis semina specierum, ex quibus oritur appetitus elementorum, priusquam intrent compositionem in speciebus, aliter elementa non haberent magìs appetitum ad finem, quàm ad principium, nec finalis intentio priùs esset in natura, quàm in principio secundario, quod est impossibile.

5. In grano frumenti est spica in potentia, ipsa potentia in qualibet parte ipsius grani seminata, & quoniam spicam oportet habere plus in se de forma & materia, quàm illud granum, in quo est in potentia, oportet, quòd Chaos habeat in se semen causale, in quo sit appetitus multiplicationis speciei mediante grano frumenti ipso Chaos influente de sua forma & materia tantum de forma & tantum de materia per granum frumenti, donec spica formaliter & materialiter habeat suam perfectionem, & istud idem similiter sequitur de omnibus animantibus generatis.

6. In agro, ubi frumentum seminatum est, sunt semina causalia apta intrare sub plures formas specificas, sicut sub forma frumenti, hordei, avenæ, lolii &c. si in agro illo seminarentur, unde videtur apertissimè semina causalia esse confusè in agro illo, quæ appetunt esse distincta producentia grana frumenti & cætera grana, ut Chaos per illa grana influat partes, quas habet sub materia confusa.

7. In inserto venit essentia confusa ex inferiori parte stipitis arboris ascendens ad illa germina arboris, unde procedunt folia & flores sub forma & materia specifica, itaque essentia ab altera specie in alteram transmutatur, in qua scilicet essentia ex confusione in specificationem transmutatæ fuerunt partes ejus seminatæ, priusquam in specificationem devenirent.

8. Et quoniam superior pars arboris non potest omnes illas partes, quæ in materia sunt confusæ, in se recipere, videtur apertissimè quamplurimas partes in potentia remanere, quæ non reducuntur ad actum, licèt sint seminatæ in potentia existentes universales eis, quæ reducuntur ad actum.

9. Itaque illæ, quæ plùs sunt in universalibus, quàm in particularibus, dicuntur *semina causalia*, quæ in speciebus esse partes particulares appetunt.

10. Per hoc igitur satìs manifestè patet, quomodo semina causalia in prima specie mixtionis Chaos existunt, deinde in secundam, & de secunda in tertiam, donec ad quartam mixtionem deveniant existentia in majori universalitate in alia, quàm in alia, secundùm quod mixtiones aliæ plùs aliis sunt confusæ.

De Quatuor gradibus Elementorum Chaos.

1. DEus species vegetabilium, animalium & metallorum in primo gradu Chaos gradavit potentialiter, in secundo verò gradus

dus earum ad actum reduxit per modum creationis earum, ut de secundo in tertium essent quatuor gradus elementorum à generante.

2. Quoniam quatuor sunt elementa, Deus qualitatem cujuslibet eorum gradavit in quatuor gradibus, sicut per caliditatem ignis patet, nam plantarum alia calida est in quarto gradu, alia in tertio, alia in secundo, alia in primo, illa quidem herba vel planta, quæ calida est in quarto gradu, sicca est in tertio, nam ignis per se calidus est, siccus verò per accidens: & humida in secundo, nam ignis concordantiam habet cum aëre, dando illi caliditatem, sed quoniam ignis contrarius est aquæ, oportet illam herbam, quæ calida est in quarto gradu, esse frigidam in primo, & sic habet prædicta herba quatuor gradus, quorum alius est ignis, & iste est in quarto gradu caliditatis, alius est terræ, & iste est in tertio gradu siccitatis, alius est aëris, & iste est in secundo gradu humiditatis, alius est aquæ, & iste est in primo gradu frigiditatis.

3. In hac siquidem herba dividitur ignis in sex puncta isto modo, ignis tribus punctis siccitatis terræ dat tria puncta caliditatis, & duobus punctis humiditatis duo puncta caliditatis, & uni puncto frigiditatis unum punctum caliditatis, & hoc modo proportionantur & quantificantur gradus in illo supposito scilicet herbæ habentis in se duodecim puncta, ùt suprà dictum est.

4. Hujusmodi suppositum calidum in quarto gradu & compositum de duodecim punctis, ùt prædictum est, sex quorum sunt ignis, cætera sex aliorum elementorum, quæ dividuntur in tria terræ, & in duo aëris & in unum aquæ, retinet adhuc sibi septimum punctum caliditatis, quod est simplex, regens illa sex puncta caliditatis, quæ sunt in illo supposito cum cæteris punctis elementorum, & quartum punctum siccitatis regens illa tria puncta siccitatis, & tertium punctum humiditatis regens illa duo puncta humiditatis, & similiter secundum frigiditatis regens illud unicum frigiditatis. Videtur ergo per hæc, quæ nunc diximus, quomodo elementa in prædicto supposito calido in quarto gradu sunt simplicia & composita, nam septimum punctum caliditatis & quartum siccitatis & tertium humiditatis & secundum frigiditatis sunt puncta simplicia existentia non solùm virtualiter, sed potiùs essentialiter intra & extra prædictum suppositum, quæ prout in secundo gradu Chaos ordinatum est, de primo ipsius Chaos in tertium ejusdem influuntut gradibus prædicti suppositi scilicet quarto, tertio, secundo & primo existentibus in compositione, in mixtione & digestione ipsius suppositi, quorum subjectum est essentia illius ejusdem suppositi in tertio gradu Chaos existentis.

5. Dum suppositum prædictum corrumpitur, cujus corruptione numerus ipsius in nihilum redigitur, tunc ejus quartus gradus caliditatis, quæ priùs erat in tertio gradu Chaos, ad primum gradum ipsius Chaos mediante septimo puncto revertitur, hoc idem similiter sequitur de tertio gradu siccitatis mediante quarto, & sic de cœteris elementis, & ita subjectum quatuor graduum de tertio gradu Chaos revertitur ad primum, & ista sufficiant de omni specie calida in quarto gradu.

6. Amodò de aliqua herba vel specie in tertio gradu calida videamus, omnis elementata species calida in tertio gradu, sicca est in secundo, & humida in primo, frigiditas autem in ea degradata est, cùm totum primum gradum frigiditatis non posset habere sibi, unde simili modo, sicut prædictum est, in ista specie calida in tertio gradu dat ignis duobus punctis siccitatis duo caliditatis, & uni humiditatis unum caliditatis & tribus partibus unius puncti frigiditatis existentibus in ipsa specie tres partes unius puncti caliditatis, itaque hoc suppositum continens septem puncta cum dimidio, quorum tria cum tribus partibus unius sunt ignis, cœtera verò aliorum elementorum, retinet sibi quartum punctum caliditatis, quod est simplex regens illa tria puncta & cœtera caliditatis, quæ sunt in compositione, retinet etiam tertium punctum siccitatis, quod est simplex regens duo puncta siccitatis compositæ, atque retinet similiter secundum punctum humiditatis simplex regens unum punctum humiditatis compositæ, atque retinet similiter primum punctum frigiditatis, quod est simplex similiter regens tres partes unius puncti compositas, hoc idem similiter potest intelligi per ordinem de speciebus in secundo gradu & primo caliditatis, quare hìc amplius morandum non est, secundùm etiam ea, quæ dicta sunt, notandum est de quarto, tertio, secundo, primo gradu aliarum complexionum.

De Unniversali & Particulari Chaos.

1. DE igneitate, aëreitate, aqueitate, terreitate productum est Chaos in universalitate, quod est ens universale seu commune, unde nominando universale intendimus commune nominare omnibus, quæcunque sunt in elementali natura.
2. Primus gradus est universalis, unde per creationem processit secundus gradus, in quo creatæ fuerunt omnes species omnibus individuis universales ac etiam speciebus tertii gradûs, quæ in ipso tertio gradu sunt universales omnibus individuis suis, itaque primus gradus Chaos est universalis secundo & secundus tertio.
3. Illa differentia, quam Chaos ex parte ignificativi, aërificativi &c. & ex parte ignificabilis, aërificabilis, aqueificabilis, terreificabilis recipit, est universalis omnibus differentiis elementatæ naturæ existentibus in tertio gradu Chaos, hoc similiter sequitur de illis proprietatibus & accidentibus, quæ Chaos de essentia sua in se recipit, quæ siquidem proprietates & accidentia sunt universales omnibus proprietatibus & accidentibus elementatæ naturæ existentibus in tertio gradu Chaos.
4. Substantia Chaos est universalis omnibus substantiis tertii gradûs Chaos, quæ sunt illius particularia, & sicut illa substantia est universalis omnibus substantiis tertii gradûs, sic omnia accidentia illius primæ substantiæ sunt universalia omnibus accidentibus substantiarum tertii gradûs, itaque est una substantia universalis omnibus substantiis naturalibus, & una quantitas omnibus quantitatibus, & una qualitas omnibus qualitatibus, & sic de omnibus accidentibus elementatæ naturæ.
5. Substantia grani frumenti, in quo plura grana frumenti sunt in potentia, est universalis omnibus substantiis ab illo grano generandis, & quod de substantiis sequitur, illud idem similiter sequitur de accidentibus, nam accidentia grani generativi universalia sunt omnibus accidentibus suorum generabilium, hoc tamen sanè intelligendum est, scilicet per adjutorium primi gradûs Chaos influentis suam essentiam in prædictum granum, quod universale dicimus esse, aliter sine influentia ipsius Chaos ipsum granum non sufficeret fieri universale.
6. Ex illis partibus ignis, quæ sunt in lapide, in ferro & in aëre, fit ignis particularis tunc, dum ex illo lapide &c. percutiendo extrahitur primo gradu Chaos existente universali prædictis partibus, hoc autem universale est simplex in natura igneitatis, existens tamen compositum & mixtum scilicet in lapide, in ferro & aëre, unde extrahitur, atque in esca, in qua incenditur, similiter iste aër, per quem respiramus, est universalis anhelitui animalium, & aqua pluviæ, vel roris, vel fontis vel fluminis, vel etiam maris est universalis omni corpori liquido, & terra, quam centrum appellamus, est universalis omni corpori solido, prout suprà tetigimus *in Capitulo de mixtione & virtute.*
7. Chaos materiam universalem influit in arborem, agens verò naturale illam materiam influxam recipit in arborem distinguendo, scilicet in ramos, in folia & fructus & specificando isto modo illud universale, scilicet materia prædicta fit particulare in tertio gradu Chaos, sed quoniam universale nequaquam potest totum recipi in particularia, sicut nec primus gradus Chaos totus in tertium, *patet ergo manifestè universale esse per se principium præter particularia existens*, non tamen intendimus dicere, quòd universale sit aliquid, quod in se non sit particulare, sed dicimus esse universale, hoc est commune respectu eorum, quæ ex eo fiunt seu possunt fieri, quòd, si in rerum natura non esset principium, nisi solùm in particularibus tertii gradûs Chaos, totus primus gradus Chaos in tertium converteretur, quod est impossibile.
8. Manifestâ quidem experientiâ sentimus, hominem ab aëre influentiam recipere per quinque sensus suos, scilicet videndo, audiendo, odorando, gustando & palpando, nam aër unus est influens se diffusè, homo verò illum specificando recipit pro eo, quòd ejus sensitiva potentia quinque modis diversificata est ad recipiendum aërem se communiter offerentem, unde satìs patet, quòd universale se communicat quamplurimis particularibus diversarum specierum in aëre viventibus; hoc simili modo intelligitur de viventibus in aqua, nam aqua se communicat eorum quinque particularibus potentiæ sensitivæ.
9. In inserto piri & persici super pomum forma & materia tunc existentes universale ad pirum & persicum transmutatur naturaliter in aliam essentiam scilicet in formam & materiam piri, similiter & persici agente naturali generante de universali particularia, in quibus forma & materia ipsius universalis specificantur, eò quòd in inserto forma specifica & materia specifica piri similiter & persici insertæ sunt super influentem formam specificam & materiam specificam pomi existentes particulare, sed universale causant respectu diversarum specierum, quæ supèr insertæ particulares sunt & specificæ, quibus essentia pomi universaliter respectu suî ipsius se communicat, sed particulariter recipitur respectu essentiarum piri & persici prædictarum.
10. Vegetativa potentia se communicat universaliter quatuor potentiis specificis in ea existentibus, scilicet *appetitivæ, retentivæ, digestivæ & expulsivæ* existens extrà universaliter, intrà verò particulariter, in quantum enim est extrà, confusa est existens in potentia in primo gradu Chaos, sed in quantum est intrà, est specifica existens in tertio gradu Chaos, & ista sufficiant de particulari & universali.

De quinque Universalibus & Primò de Genere Chaos.

1. PRimus gradus Chaos est genus omnia entia in se continens, quæ intelligimus ad corpus Physicum pertinere, hic autem supremus gradus specificando descendit in tertium, in quo sunt alii modi generum scilicet animal, color, arbor & his similia, sub quibus sunt plures species, scilicet homo, leo, albedo, nigredo, pomus, pyrus &c.
2. In essentia primi gradûs Chaos est ignificativum generificativum, Chaos verò est generificabile, sed ignificabile est in Chaos specificabile, eò quòd ignificativum agit super aërificabile, aqueificabile, terreificabile, hoc idem similiter sequitur in ipsa essentia primi gradûs Chaos de aëreificativo existente generificativo, & sic de aliis, qui similiter agit super aqueificabile, terreificabile &c. quæ sequuntur. Hoc idem intelligitur de aqueificativo terreificativo &c. unde patet modus, per quem primus gradus Chaos est genus habens in se naturam specificationis, unde fit tertius gradus.
3. In tertio gradu Chaos est semen genus, granum verò frumenti est species, sub qua plurima grana frumenti sunt individua, in quo scilicet grano aërificativum est generificativum super aërificabile ignificabile &c. & sic de aliis elementis, eò quòd de uno grano grana plurima producuntur & ex hoc patet, quomodo quodlibet granum unà cum influentia primi gradûs Chaos & virtute tertii potest esse genus ad grana plurima generanda.
4. Primus gradus Chaos non solùm per formam & materiam substantialem, sed etiam per formas accidentales, quæ sunt quantitas &c. est genus omnibus formis & materiis substantialibus & accidentalibus tertii gradûs, quòd satìs patet, nam illa primi gradûs substantia habens sua accidentia magìs sibi propinqua, quàm cæteræ substantiæ, est in continuo actu ignificativo ignificante substantialiter suum proprium ignificabile & per consequens cætera elementabilia, hoc simili modo sequitur de cæteris elementativis
5. Ex isto autem continuo actu procedunt particulares substantiæ tertii gradûs, cessante verò ipso actu primi gradûs Chaos, eò quòd tertius gradus Chaos non est dispositus ad recipiendum influentiam ejus, corrumpuntur substantiæ, & corrumpendo ad ipsam substantiam, unde processerunt, revertuntur, quæ semper ingenerabilis & incorruptibilis est, illæ verò semper generantur & corrumpuntur.
6. Chaos est substantia corporea, in qua siquidem plures substantiæ corporeæ sunt realiter & naturaliter per tertium gradum Chaos genera, scilicet animal, planta, metallum &c., aliter primus gradus suam essentiam & virtutem non influeret in tertium, quod est impossibile.
7. Sicut in circulo plures lineæ se habent ad unum punctum, sic simili modo plures species tertii gradûs Chaos se habent ad unum punctum scilicet ad primum gradum ipsius Chaos, & sicut etiam lineæ ad majorem propinquitatem accedunt alterius ad alteram, quantò propinquiores sunt illi puncto, in quo uniuntur, sic simili modo, quantò species tertii gradûs magìs tendunt in confusionem, tantò magìs tendunt in primum gradum Chaos, unde per primam similitudinem patet, quòd virtus generationis existit in medio substantiæ, quod apparet in corde hominis, in quo major est virtus sanguinis, quàm in cœteris membris ejus, similiter & in stipite arboris, ubi major est virtus, quàm extrà per ramos, folia & fructus.

8. Cùm genus ex pluribus speciebus secundùm rationem ab intellectiva potentia multiplicetur, judicatur secundùm rem nihil esse, nam hoc genus animal nihil est nisi solùm ratione, cùm non habeat suppositum habens materiam & formam, sed quoniam ipsa potentia intelligit primum gradum Chaos non posse in tertium influere sine medio, quod est animal, intelligit ideo animal esse ens reale existens medium & instrumentum, per quod Chaos se dividit in species & ex speciebus in individua tertii gradûs, aliter tertius nec se regere nec essentiam à primo recipere posset, veruntamen non dicimus animal esse suppositum, cùm nec formam, nec materiam specificam habeat, sed affirmamus ipsum esse illum punctum generalem, in quo fit naturalis mixtio & conjunctio potentiæ vegetativæ & sensitivæ, hic autem punctus invisibilis est & intangibilis, cùm totus per diversas species diffundatur, hunc autem punctum dicimus esse creaturam & unum principiorum naturæ.

9. Viso grano frumenti ipsum judicatur individuum esse formam & materiam specificam habens, sed intellectus plùs intelligit, quia judicat ipsum esse genus per illum modum, qui suprà dictus est, scilicet cùm habeat potentiam grana plurima generandi & producendi suæ speciei & alterius, sicut siliginis, lolii &c. Chaos tamen in ipsum influente, nec non etiam se transubstantiandi in sanguinem humanum, & de sanguine in carnem formâ panis se transubstantiante in formam sanguinis & materiâ panis in materiam sanguinis, unde satis patet mediante Chaos essentiam ipsius grani esse genus, quod est ens realiter universale, in quo particulariter sunt plures species in potentia ipsâ essentiâ conversâ subsantialiter in alteram substantiam, scilicet siliginis vel lolii vel sanguinis &c. Hæc autem suppositа in grano frumenti sunt entia aggregata ex materia & forma invisibili & intangibili sub specie frumenti, eò quòd sunt in potentia in primo gradu Chaos, qui intangibilis & invisibilis est.

10. Patet igitur, secundùm quod in principio hujus capituli diximus, primum gradum Chaos esse realiter genus, de secundario verò genere, quod à primo gradu Chaos in secundum & tertium influitur, dubitatur, utrum sit aliquid realiter, cùm ratio super species multiplicet illud; *nos autem, ut suprà diximus, affirmamus hoc secundarium genus esse ens reale ex parte rationis de veris rebus judicantis.*

De Specie Chaos.

1. CUm creator omnium de primo gradu Chaos species in secundum produceret, fuit ipse Deus specificativus, sed homo, leo, aquila, cete, pomus & cætera his similia fuerunt specificabilia, similiter & cæteræ species tertii gradûs, specificante Deo de primo gradu prædictas species in secundo

2. In secundo ergo gradu Chaos fuit specificabilis primus homo &c. mediante tamen influentia de primo in secundum, atque secundus homo, secundus leo &c. fuerunt specificabiles in tertio, & sic de gradu in gradum usque nunc, & sic intelligimus speciem esse ens universale sive commune.

3. Insertâ pomo supra pyrum fit transmutatio formæ & materiæ alterius speciei in formam & materiam alterius, eò quòd forma & materia infimæ non habent germen, in quod vegetativa potentia possit influere speciem infimam, & quoniam oportet virtutem ascendere formæ & materiæ infimæ speciei, cùm illa virtus à Chaos recipiat beneficium, idcirco fit in essentia superioris speciei multiplicatio ipsius superioris, superiori specie habente germen, per quod procedit virtus materiæ & formæ, quæ sunt subjectum illius virtutis, & per hoc patet, quòd primus gradus Chaos in tertium influit mediantibus illis speciebus, quas Deus creavit in secundo.

4. Caliditas igneitatis primi gradûs Chaos, per quam calefactivus calefacit suum proprium calefactibile, id est forma suam propriam materiam, est universalis species sive communis ad cœteras caliditates, quæ sunt aëri, aquæ & terræ accidentales, igne calefaciente aërem, aquam & terram per accidens in primo & tertio gradu Chaos, hoc idem similiter sequitur de differentia & virtute, quæ inter ignificativum & ignificabile existens est universalis illi differentiæ, quæ est inter calefactivum & calefactibile essentiæ aëris & sic de aliis.

5. Ratio ex pluribus individuis calefactis speciem caliditatis multiplicat, deinde judicat illam speciem præter suppositа nihil esse, sed quando memoria recolit primum gradum Chaos prius secundo fuisse, caliditate ignis calefaciente in ipso primo gradu suum calefactibile proprium atque calefactibile aëris, aquæ & terræ existentium in primo

primo gradu, tunc intellectus intelligit speciem caliditatis esse ens reale, aliter primus gradus prius secundo non fuisset, quod est impossibile; simili modo etiam potest intelligi de differentia, virtute & quantitate &c.

6. Simili modo ratio ex pluribus granis frumenti speciem multiplicat, deinde judicat illam præter grana nihil esse realiter, sed quoniam intellectus intelligit, quòd distinguendum est inter primum gradum Chaos & secundum, tunc intelligit principium speciei fuisse creatum in primo gradu & finem fuisse in secundo, & adhuc esse in tertio, atque medium illius speciei existere inter primum gradum & secundum, tunc ratio rationaliter ratiocinatur judicans speciem frumenti esse reale aliquid præter sua individua, aliter non esset principiata in primo gradu Chaos, nec esset ejus medium de influentia primi gradûs Chaos in secundum & de secundo in tertium.

7. Si nihil est species in suis principiis, ejus multiplicatio in appetitu naturæ nihil fuit, tunc enim non esset species nisi in secundo gradu Chaos, itaque multiplicatio, quam habet in tertio gradu, non est naturalis, quod est impossibile, ergo oportet speciem esse ens reale in suis principiis naturalibus, cujus finis fuit in secundo gradu, nunc autem est in tertio.

8. Species vegetabilium principiatæ fuerunt in primo gradu Chaos, in secundo verò gradu per creationem reducta fuit sensitiva potentia conjuncta alteri potentiæ vegetativæ in secundo gradu, & ex his productæ fuerunt species, scilicet homo, leo, aquila &c.

9. Sicut de primo gradu Chaos influitur *quoddam Chaos*, id est *potentia vegetativa*, in qua sunt quatuor species confusæ, scilicet *appetitiva, retentiva, digestiva, & expulsiva*, quæ specificantur in tertio gradu Chaos, sic similiter in secundo gradu Chaos fuit creatum quoddam Chaos, quod est sensus communis habens in se quinque potentias, scilicet visum, auditum, gustum, odoratum, tactum. Istæ siquidem quinque potentiæ distinctæ sunt & specificatæ in tertio gradu Chaos existentes in individuis specierum animalium.

10. Discurrente T. *per artem demonstrativam* manifestè patet, quòd in productione specierum animalium ex conjunctione vegetativæ & sensitivæ potentia visiva conjuncta fuit cum luce, auditiva cum voce, odorativa cum aëre, gustativa cum appetitiva, tactiva verò cum influentia specierum.

11. In secundo gradu Chaos sic fuerunt mixtæ sensitiva & vegetativa, quòd in tertio gradu à generante productæ fuerunt species animalium ex secundo gradu, aliter nunquam generaretur de carne caro, id est, sensitiva de sensitiva, imò potiùs sensitiva sive vegetativa de secundo gradu transiret in tertium, oporterétque semper creari noviter in quolibet gradu sensitivam, nec fieret de pane in carnem transmutatio, quod est impossibile, unde videtur potentiam sensitivam vegetativam esse à generante.

12. Cùm Creator Deus humanam speciem in secundum gradum Chaos produceret, creavit quoddam Chaos confusum de recolentia, intelligentia & volentia, scilicet animam specificans illud in specie hominis existens forma sensitivæ & vegetativæ potentiæ in specie hominis, talis quidem forma est anima rationalis, sub qua sunt potentia sensitiva & vegetativa informans cum forma sua essentiali formam sensitivæ & vegetativæ & materians cum materia sua rationali materiam sensitivæ & vegetativæ, ut insimul sint unum suppositum sub specie hominis existens.

13. Primo gradu Chaos existente per totum tertium quælibet species influit & se multiplicat extra se, sicut lapis, qui extra se influit suum simile in figura frigiditatis, & sicut ignis, qui extra se influit suum calorem & lucem, & etiam sicut pomum, quod per modum odorandi multiplicat essentiam suam in illam figuram, quæ ab interioritate substantiæ suæ procedit, hoc autem habet fieri, eò quòd primus gradus Chaos se influit in tertium & se influendo transit per omnes species & transeundo extrahit de speciebus prædictas similitudines earum, sicut solis radius, qui per vitrum lividum transiens producit colorem lividum in terram, in qua reflectitur ultra vitrum

14. Species incorruptibilis est, quia semper renovatur de suppositо in suppositum, eò quòd in corruptione unius suppositi generatur aliud suppositum primo gradu Chaos incessanter transeunte in tertium, cùm elementa alia per alia transeant cum similitudine alterius speciei in alteram, sicut dictum est.

De Differentia Chaos.

1. DIfferentia est in primo gradu Chaos universale, eò quòd in igneitate est forma &

ma & materia, unde differentia est inter agens & patiens essentiæ ipsius Chaos, hoc idem sequitur in aëreitate &c., de quibus Chaos productum est, & ita est una universalis differentia substantialis de ignificativo & ignificabili, aërificativo & aërificabili & sic de aliis composita.

2. Ignificativum per alium modum agit in suam materiam naturalem scilicet in suum ignificabile, per alterum verò modum in materiam remotam scilicet in materiam aëris, aquæ & terræ. Hoc idem simili modo sequitur de aëre &c., quod est, quia materia ignis per alium modum patitur sub forma ignis, per quem non patitur sub forma aëris &c. Eodem modo sequitur de aëre &c. unde satis patet, differentiam esse ens universale in primo gradu Chaos.

3. In primo gradu Chaos forma agendo, se *depurat* à materia, & per consequens materia patiendo *depuratur* à forma, itaque sequitur diversificativum, diversificabile in subjecto, scilicet in tertio Chaos, quod productum est ex forma & materia, illud quidem diversificativum est forma, diversificabile verò est materia, & per consequens ipsum Chaos est suppositum diversificatum.

4. Diversificante se formâ Chaos agendo à materia diversificat se forma per accidens, unde sequitur universalis differentia inter substantiam & accidens, id est, inter formam substantialem & formam accidentalem, nam forma substantialis est actio Chaos de essentia omnium elementativorum, forma accidentalis est quantificatio, qualificatio &c. illius formæ substantialis, similiter est differentia substantialis & accidentalis in materia Chaos, substantialis enim est illa passio, quæ aggregata est de essentia omnium elementabilium, accidentalis verò est quantificabilitas, qualificabilitas illius materiæ, secundùm quod essentiæ aëris, aquæ & terræ sub ignificativo patiuntur & sic de aliis elementis, & ex hoc satis patet differentiam universalem esse substantialiter & accidentaliter in Chaos.

5. Deus, cui laus sit & honor, ex essentia hujus differentiæ substantialis primi gradûs Chaos produxit omnes differentias substantiales naturales secundi & tertii gradûs Chaos, dans illi superiori differentiæ universali viam influendi omnes differentias secundi gradûs Chaos & tertii, hoc idem simili modo sequitur ex differentia accidentium, quæ novem prædicamenta dicuntur, nam ex illa suprema differentia universali accidentium ipsius Chaos produxit Deus differentiam inter quantitatem & qualitatem &c. hominis, leonis &c.

6. Cùm Deus primum gradum Chaos crearet, creavit in illo omnes species in potentia, reduxit autem eas ad actum, cùm crearet secundum gradum ipsius Chaos, ut per generationem secundi de primo reducerentur in tertium, unde illa differentia, quæ est inter speciem & speciem, existens in potentia in primo gradu fuit ens reale, unde oportet ipsam existentem in actu in tertio gradu esse ens reale, aliter non fuisset in potentia in primo gradu, neque forma per accidens, neque mediante *materiâ propinqua & remota* se diversificasse potuisset.

7. Prout in Deo sunt Ideæ ipso sciente cuncta, quæ fuerunt, sunt & erunt in primo secundo & tertio gradu Chaos, diffusa est differentia per species & individua substantialiter & accidentaliter, universaliter & particulariter. Itaque patet differentiam esse ens reale objectum Ideis Dei in primo, secundo & tertio gradu Chaos, aliter impossibile est Ideas in Deo esse, tamen non dicimus esse plures Ideas, nisi secundùm repræsentationem, prout Chaos assituatum & habituatum est de quinque universalibus & decem prædicamentis per primum, secundum & tertium gradum ejus, est in ipso differentia, quæ satis intelligitur F. G. cum T. discurentibus per ejus quinque universalia & decem prædicamenta.

8. In grano frumenti est differentia potentialiter universale principium pluribus differentiis futuris in pluribus granis, quæ ab illo generari possunt, illa etiam differentia, quæ est inter formam & materiam illius grani, est universalis omnibus differentiis, quæ sunt in quantitate, qualitate &c. illius grani distinctis inter intensionem & extensionem, & etiam omnibus illis differentiis, quæ sunt inter quantitatem, qualitatem &c. & sic de aliis, atque inter qualitatem & qualitatem &c. id est, inter caliditatem & frigiditatem &c. & sic de aliis.

9. Universalis & particularis differentia videtur esse in illo grano, quod, generando alia grana, corrumpitur, nam in quantum ipsum granum est particulare, habet differentiam particularem, quæ corrupto grano corrumpitur, cùm sit idem numero, sed quoniam ipsum granum se communicat ad plura

plura grana de se & de influentia primi gradûs Chaos generando, sequitur universalem differentiam esse in illius grani essentia multis granis futuris, itaque corrumpitur particularis differentia & restauratur ejus essentia sub pluribus granis futuris in alterum numerum essentiarum novarum proprium & specificum.

10. *Sicut differentia descendit de primo gradu Chaos in tertium, generando, sic de tertio ad primum revertitur corrumpendo*, & hoc in eodem loco, cùm primus gradus Chaos ubique sit sub globo lunari, unde illa differentia, quæ generata est, quando corrumpitur, tunc mediantibus quatuor speciebus mixtionis ad primum gradum revertitur, aliter si grano corrupto ejus differentia in nihilum deveniret, primus gradus Chaos esset naturaliter annihilabilis, quod est impossibile.

11. Differentia est ita ens universale, quòd unum granum non est idem numero cum altero, nec sunt sine dissimilitudine, licèt sint eadem specie, quod est, eò quòd in grano corrupto, de quo plura grana generata sunt, erant infinitæ partes situatæ sub uno numero illius grani, maximè, quia primus gradus Chaos in essentiam uniuscujusque grani generantis non cessat influere partes infinitas distinctas & diversas assituandas sub grana plurima generanda, *hoc idem similiter sequitur de animalibus & metallis.*

12. In grano non est differentia tantùm universalis sicut substantia, ipsum enim granum est una substantia tantùm aggregata de una forma & de una materia, ejus verò differentia diffusa est per partes infinitas assituatas in ipsum granum à quatuor elementis quâlibet illarum partium existente distincta numero ab altera, non tamen per se sunt corpus, neque substantia, insimul autem sunt una substantia indistincta numero.

13. Per alium modum differt in elementato substantia à quantitate, per alium verò à qualitate, & sic de aliis, & ita, ût suprà dictum est, potest notari differentia inter substantiam & differentiam, scilicet substantiam esse unum ens numero, differentiam verò esse aliud scilicet essentiale, non autem separabile, cùm sit impossibile aliud sine alio esse.

14. Essentia substantiæ est pura forma & pura materia, unde illa differentia, quæ cadit inter formam & materiam, substantialis est, itaque forma & materia sunt essentia illius differentiæ existentes cum illa differentia eadem essentia substantiæ, sed quoniam hæc differentia diversa est ab illis, quæ sunt inter quantitatem & qualitatem &c., est hæc substantialis differentia ens universale omnibus differentiis accidentalibus orientibus à virtute illius, sed quoniam hæc differentia distinguitur, & distincta diffunditur in partes infinitas, elongatur ab essentia substantiali & actualiter habet esse accidentale existens sub formis accidentalibus, id est, sub quantitate, qualitate &c.

15. Substantialis differentia est illa, quæ est per species, sicut inter hominem & leonem &c. & quæ est per individua, sicut inter hominem & hominem, leonem & leonem, & sic de aliis, & hoc oritur à generalitate illius differentiæ, quæ est inter formam & materiam substantialem, unde resultat substantia.

De Proprietate Chaos.

1. IN primo gradu Chaos Deus fuit proprificativus, omnes autem proprietates per modum creationis fuerunt proprificabiles, & existentes in potentia in primo gradu Chaos venerunt ad actum in secundo gradu Chaos per generationem & creationem, veruntamen de primo gradu Chaos veniunt in actum in tertium per modum generationis.

2. Prout in Ideis Dei diffinitum est, sunt habituatæ & assituatæ & seminatæ proprietates in Chaos proprietatibus primi Chaos existentibus universalibus omnibus proprietatibus, quæ sunt in tertio & fuerunt in secundo, sicut patet in igne, nam caliditas, luciditas, levitas & igneitas sunt universales ad omne, quod est caliditatis, luciditatis, levitatis in supposito igneo. Simili modo sequitur in cæteris elementis.

3. In primo gradu Chaos sunt proprietates in confusione sed specificatæ in tertio, mediante secundo, sicut risibilitas, quæ fuit proprietas primi hominis & latrare primi canis, & calefacere primi piperis, & sic de aliis.

4. Ignificativum habet suum proprium ignificabile & è converso, in essentia verò aëris habet ipsum ignificativum ignificabile per accidens, unde illa proprietas, quæ est in essentia ignis ex parte formæ & materiæ, est substantialis, illa verò, quæ est ex parte formæ ignis & materiæ aëris, est accidentalis; eodem modo sequitur de proprietatibus aliorum elementorum.

5. Proprium formæ est agere, & proprium materiæ est pati, & quoniam in Chaos ex quatuor formis fit una forma universalis, & ex qua-

quatuor materiis una materia universalis, de quibus primum Chaos compositum est, ideo in ipso primo Chaos est proprietas & improprietas, ex quo sequitur proprietas & improprietas in tertio Chaos, proprietas quidem, in quantum ignis calidus est per se, siccus verò per terram, sed improprietas, in quantum est frigefactibilis per terram, simili modo sequitur de aliis elementis.

6. Quoniam proprietas in primo gradu Chaos est quoddam commune, aliquid verò specificum in tertio, est proprietas universalis sive communis in primo gradu Chaos præter sua particularia, quæ habet in tertio gradu, & *ideo patet universale naturæ esse ens reale in communitate.*

7. Intensa proprietas formæ simplicis & materiæ simplicis in essentia ignis est universalis extensæ proprietati existenti in ipsa essentia ignis, quod est, quia proprietas intensa activa, & proprietas intensa passiva sunt partes essentiales proprietati extensæ compositæ & productæ ab utraque illarum.

8. Extensa proprietas, quæ in pipere existit in quarto gradu caliditatis, est universalis cæteris proprietatibus extensis aliorum elementorum, quæ sub illa proprietate ignis sunt ordinatæ, assituatæ & habituatæ, aliter ignis, qui est in pipere, non prædominaretur in proprietate quarti gradûs super cætera elementa in ipso pipere composita, quod est impossibile.

9. Quoniam ignis calidus est per se, siccus verò per accidens, proprium est ei ascendere & descendere, ascendit ideo, quia sphæra sua superior est, sed descendit, quia sphæra terræ inferior est, itaque proprium est ei ascendere per primam intentionem, descendere verò per secundam.

10. Quoniam essentia ignis substantialis est, proprium est ei habere corpus, sed quoniam confusa in primo gradu Chaos est cum cæteris essentiis elementorum, est ei improprium habere corpus per se in primo gradu Chaos. Itaque ignis appetit per se corpus esse, quod tamen habere nequit de propria sua essentia, investigat ergo ipsum habere in elementatis, in quibus majorem habet proprietatem, quàm cætera elementa.

11. Humidum & calidum habent in sanguineo proprietatem generandi, siccum verò & frigidum habent in illo proprietatem corrumpendi; sed quoniam humidum & calidum contra siccum & frigidum prævalent in sanguineo, convertitur proprietas sicci & frigidi in suam improprietatem, in tantum, quòd humidum & calidum habent appetitum ad aliam formam novam existentem in potentia in illa materia, in qua sunt per aliquam proprietatem.

12. Similes proprietates existentes sub eodem supposito aliæ attrahunt alias scilicet majores minores semper isto modo: caliditas, quæ est in quarto gradu, attrahit ad se illam, quæ est in tertio, in secundo & primo, & caliditas, quæ est similiter in tertio, attrahit illam, quæ est in secundo & primo, atque illa, quæ est in secundo illam, quæ est in primo.

13. Proprietates primi gradûs confusè veniunt ad tertium gradum potentialiter, in tertio autem gradu est altera proprietas magis specifica, quàm altera, secundùm quod germina sivè illi pori, per quos primus gradus suam essentiam influit in tertium, in majori proprietate & specificatione existunt, sicut in cholerico, in quo est magis de caliditate, quàm de humiditate & in sanguineo magis de humiditate, quàm de aliis elementis.

14. Illud suppositum, quod alterum generat, utpote granum frumenti & similia influit in illud, quod generat, suam proprietatem, non tamen eandem numero, cùm generans & generatum sint numero distincta, & quoniam generatum non potest totam proprietatem generantis recipere, quia tunc esset idem numero, corrumpitur generans, & residuum proprietatis, quod non potest influere in generatum, revertitur ad primum gradum Chaos.

15. Secundùm quod primus gradus invenit formam tertii gradûs plùs dispositam, quàm materiam, dat forma plùs suam proprietatem generationi, & tunc generatur masculus similis patri, si verò invenerit materiam in majori dispositione, quàm formam, generatur fœmella similis matri.

16. Sicut proprium est vegetativæ vegetare, sic similiter proprium est sensitivæ sentire, & sicut ipsa vegetativa habet proprietatem per alium modum appetendo, per alium retinendo &c., similiter sensitiva habet per alium modum proprietatem vivendi, per alium proprietatem audiendi & sic de aliis.

De Accidente Chaos.

1. Quoniam, sicut diximus, in primo gradu Chaos est igneitas habens in se significativum & significabile, sequuntur accidentia, scilicet quantitas, qualitas, relatio &c. illa autem accidentia, quæ intensa sunt & propria in igneitate sunt universalia illis accidentibus, quæ producuntur ex significativo, quod est forma ignis, & significabili essentia aëris, aquæ & terræ, simili modo sequitur de cæteris elementis.

2. Quantitas qualitas &c. primi gradûs Chaos sunt accidentia creata & seminata in substantia primi gradûs Chaos, quæ mediante secundo influuntut in tertium, dum suppositа producuntur, ex quibus oriuntur accidentia, quæ generata particularia sunt universalia corrumpendo sèmet ipsa, ut plurima accidentia particularia de ipsis generentur, nam in corruptione suppositi quodlibet ejus accidens sèmet ipsum communicat plurimis accidentibus numero distinctis, ut fiat suppositorum multiplicatio, per quam primus gradus Chaos mediantibus accidentibus suam essentiam influat in tertium gradum.

3. Forma ignis est quantificativum, qualificativum &c. ejus verò materia est quantificabile qualificabile &c. itaque quantitas qualitas &c. non sufficiunt esse suppositum substantiatum de essentia quantitatis qualitatis &c., sunt autem instrumentà, per quæ forma & materia conjunguntur in esse unius essentiæ igneitatis in primo gradu Chaos, in quo oriuntur accidentia aëris, aquæ & terræ per accidens, scilicet per confusam mixtionem quatuor essentiarum primi gradûs Chaos.

4. In illo supposito elementato, quod est primus gradus Chaos, est per accidens una intensa quantitas activa, scilicet per quatuor formas universales, quæ unam formam universalem producunt, cui substat una materia universalis ex quatuor materiis universalibus producta, ex quarum quantitatibus intensis scilicet ex quantitate intensa illius formæ universalis, & ex quantitate intensa hujus materiæ universalis oritur per accidens in ipsa substantia ipsius Chaos quantitas extensa existens accidens quantificativum universale omnibus quantitatibus naturalibus tertii gradûs Chaos.

5. In grano frumenti intensa quantitas activa est composita ex quantitate intensa formæ aëris, ignis, aquæ & terræ, simili modo sequitur de intensa quantitate passiva producta ex quatuor materiis quatuor elementorum. Ex his enim duabus quantitatibus communibus intensis resultat per accidens una quantitas extensa, sub qua substantia grani frumenti quantificatur primo gradu Chaos influente accidentia sua in tertium, secundùm similitudinem & naturam habituationis & situationis.

6. Principium medium & finis formæ & materiæ est eas esse substantiam, atque principium medium & finis accidentium est ea esse in substantia, sed quia finis substantiæ diversus est à fine accidentium, etiam principium & medium substantiæ à principio & medio accidentium, sequitur inde differentia inter essentiam substantiæ & essentiam accidentium.

7. Duplex est accidens, intrinsecum scilicet & extrinsecum, intrinsecum est, quod est intra essentiam substantiæ, sicut quantificativum, quod est forma limitata per quantitatem activam, & sicut quantificabile, quod est materia limitata per quantitatem passivam, quod siquidem quantificativum est primus gradus Chaos, in quantum est quantificativum, sicut agens naturale producens in tertium gradum quantificatum, prout substantia suppositi potest recipere intensam quantitatem tam activam, quàm passivam, accidens etiam intrinsecum est illa qualitas, quam ignificativum habet in suo proprio ignificabili. Extrinsecum verò accidens est, quando ignificativum qualificat caliditatem suam in essentia aëris, aquæ & terræ, extrinsecum etiam accidens est illa qualitas, quæ est extra superficiem substantiæ sicut color &c.

8. Quantò plùs est accidens intrinsecum, tantò plùs est propinquum essentiæ substantiæ, & quantò plùs est extrinsecum, tantò magis est distans ab essentia substantiæ, idcirco accidentia interioritatis substantiæ valde sunt secreta nobis & invisibilia, sunt autem apparentia nobis extra substantiam, sicut caliditas aquæ calefactæ, per accidens, quæ extra essentiam ignis scilicet in aqua sentitur, non autem intra essentiam ignis simplicis, & sic etiam frigiditas aquæ, quæ in terra & in lapidibus sentitur, non autem in aqua simplici, unde per hoc patet, accidentia simplicia esse in elementis simplicibus, composita verò in compositis.

9. In supposito est sic forma res simplicissima ad agendum & materia ad patiendum, quòd sine instrumentis non potest forma agere, neque materia pati, sunt igitur eis instrumenta per accidens, sed quoniam ipsa non sunt de essentia substantiæ, est in substantia generatio & corruptio per accidens, quæ,

quæ, si essent de essentia substantiæ, impossibile foret corruptionem esse in suppositis, formâ habente suam propriam materiam & è converso.

10. Quia accidentia oriuntur de virtute substantiæ ex forma & materia scilicet veniendo de primo Chaos, quæ specificantur per formam & materiam in tertio Chaos, compositæ sunt per accidens formæ accidentales activæ & passivæ, sicut caliditas, quæ in igne propter calefactivum activa est, passiva verò in aqua propter frigefactivum & sic de aliis.

11. In grano frumenti plurima accidentia confusè transeunt per unam quantitatem, per unam qualitatem &c. specificas, & sic de aliis, cum quibus propria forma specifica & propria materia specifica sunt essentia illius grani, quod est, quia primus gradus Chaos propter sui influentiam conservat tertium, conservans accidentia & humidum radicale illius grani cum suis accidentibus confusis subjectis illis partibus, quæ transeunt per granum. Et ista sufficiant de quinque universalibus primi, secundi & tertii gradûs Chaos, nunc materiam nostram ad decem prædicamenta convertamus.

De decem Prædicamentis & primò de Substantia Chaos.

1. SUbstantiatum est primum Chaos, quia omnia quatuor elementa unà cum omnibus suis elementalibus sunt una substantia, quæ est primum Chaos scilicet primus gradus ejus, & quoniam incessanter agunt formæ in materiis, substantiatum est Chaos & substantiabile incessanter ipso existente una substantia de igneitate, aëreitate, aqueitate, terreitate composita.

2. In primo gradu Chaos sunt infinitæ substantiæ tertii gradûs, quælibet quarum est generando substantiata & substantiabilis usque ad ultimum punctum, priusquam declinat ad corruptionem, quod est, quia elementa, de quibus substantia producitur, incessanter transeunt alia per alia in ipsa substantia, sicut in pluribus locis tetigimus in hoc libro.

3. In Chaos primo & tertio est essentia ad duo æquivoca, scilicet ad substantiam & ad accidens, essentia enim substantiæ est specifica forma & materia, quæ constituunt suppositum specificum existens idem numero cum ipsa essentia sua, sicut primus gradus Chaos idem est numero cum essentia sua scilicet igneitate, aëreitate &c. & sicut quodlibet suppositum tertii gradûs Chaos est idem numero cum sua specifica essentia scilicet cum sua specifica forma & materia, simili modo quantitas primi gradûs Chaos est idem numero cum suâmet essentia scilicet cum essentia quantitatis, igneitatis, aëreitatis, aqueitatis, terreitatis & sic de aliis accidentibus primi Chaos.

4. Eodem modo sequitur de tertio Chaos, nam quantitas uniuscujusque suppositi elementati est idem numero cum suâmet essentia, scilicet cum essentia quantitatis ignis, aëris &c. Unde per hoc satis patet, quòd substantia differt à suis accidentibus per essentiam utriusque partis, scilicet ipsius substantiæ & suorum accidentium, quæ ex ipsa & virtute ejus procedunt.

5. Primo gradu Chaos se communicante tertio est ipse tertius substantiabilis in diversas species, primus verò substantiativus unà cum agente tertii gradûs, sicut in grano frumenti, ac etiam in alio suppositio patet, nam primum Chaos sive primus gradus (quod idem est) & forma illius grani agunt super materiam ipsius primi Chaos & tertii, ut sit substantia illius grani.

6. In substantia est agens substantiale & patiens substantiale, scilicet forma substantialis & materia substantialis, unde agens substantiale agit super patiens substantiale cum accidentibus sui agentis, scilicet cum quantitate, qualitate &c. se quantificando qualificando &c. in actione, patiens verò patitur sub agente cum accidentibus sui patientis, scilicet se quantificando qualificando &c. in passione, quod patet in igne, nam ejus forma calefacit & illuminat materiam suam, ipsâ formâ scilicet agente, existente calidâ & lucidâ, ut in substantia sua sit calefactivum, illuminativum, hoc simili modo sequitur in aliis elementis.

7. In elementato est una forma substantialis & una materia substantialis, quæ forma composita est de quatuor formis substantialibus, & similiter materia de quatuor materiis substantialibus, & quoniam quælibet forma cum sua materia & suis quantitatibus & qualitatibus &c. est in alia per summam virtutem mixtionis resultantes simul una substantia, omnes ideo partes substantiales & accidentales tantâ virtute mixtionis sunt conjunctæ, quòd nullo modo potest esse aliqua minima pars substantialis sine altera, & cùm non sit sine altera, ideo non potest videri, nec tangi sine altera, sed totum esse de diversis partibus aggregatum dicitur visibile & tangibile, *unde sicut aqua mixta vino minima pars aquæ minimam partem vini continet & è converso*, & ob hoc videntur esse una substantia tantùm, sic similiter, propter maximam mixtionem & unionem substantiæ cum suis accidentibus existente substantiâ in suis accidentibus & è converso & quâlibet minimâ parte accidentium in qualibet minima parte substantiæ & è converso, videtur, quòd essentia substantiæ & essentiæ accidentium non differant in ipsa substantia.

8. Ita sunt omnes partes substantiales & accidentales in elementato situatæ, quòd omnes tam substantiales, quàm accidentales sunt continentes & contentæ, aliter locus, tempus, quantitas, qualitas &c. non sufficerent mixtioni partium substantialium, nec substantiales mixtioni accidentalium, nec per consequens esset perfecta mixtio in substantia, quod est impossibile.

9. Omnes partes substantiales & accidentales sunt, ut ipsa substantia sit, veruntamen partes substantiales sunt in ipsa substantia per primam intentionem, partes verò accidentales per secundam, aliter substantia non esset prior intentione naturæ, quàm accidentia, quod est impossibile; unde patet essentiam substantiæ ab essentiis accidentium esse diversam.

10. Materia plùs appetit in substantia partes communis formæ, quàm quantitates, qualitates &c. illarum partium, eodem modo plùs appetit forma communis in substantia partes communis materiæ, quàm quantitates, qualitates &c. illarum partium, hoc enim est, quia forma & materia habent unum esse substantiæ idem numero, non autem idem numero, neque idem specie accidentium; unde patet majorem virtutem substantiæ consistere in forma & materia, minorem verò in accidentibus.

11. Chaos in primo suo gradu est una substantia confusa, quæ in principio creata fuit, in secundo autem gradu per creationem specificata fuit & individuata essentia ipsius universalis substantiæ in plures substantias, ut per generationem in tertio specificaretur & individuaretur in substantias infinitas, simili modo intelligendum est de individuatione accidentium.

12. Substantia grani generantis se individuat in plura grana per virtutem generativam primo gradu Chaos se individuante in ipso grano per tertium, nam de partibus primi gradûs per ipsum granum generans transeuntibus & de partibus ejusdem generantis producuntur plurima grana speciei generantis communicantis eis suam propriam substantiam, non tamen eodem numero substantiæ, quoniam renovatio & generatio nihil essent.

13. Sicut aqua piscis mortui & putrefacti, quæ substantialiter composita erat, sub specie piscis revertitur ad aquam continentem illam materiam putridam, eodem modo substantia grani corrupti in horreo ad primum gradum Chaos revertitur, quod ubique substantialiter & accidentaliter est ens habens naturam & essentiam substantialem & accidentalem diffusam, unde ex hoc, quòd habet suam essentiam substantialem ubique diffusam, recipit ideo in sémet essentiam substantialem prædicti grani putridi, & similiter ex hoc, quòd habet essentiam accidentalem ubique diffusam, recipit ideo essentiam accidentalem illius grani, itaque substantia & accidentia illius grani suum esse specificum amittentes de tertio ad primum gradum Chaos ubique diffusum revertuntur, ut ille primus gradus habeat materiam & potentiam ad conservandum tertium gradum specificum.

14. Sicut substantia hominis de primo gradu Chaos in tertium producitur secundùm specificas partes tam substantiales, quàm accidentales objectas ideis, sic post mortem hominis ad primum gradum Chaos revertuntur, deinde mediantibus ideis conservantur in illo, ut in die resurrectionis eædem partes ad unumquodque humanum suppositum reducantur in tertio gradu Chaos existente tunc omni humanâ substantiâ ipsâ eâdem, sicut priùs fuerat cum partibus suis, aliter non esset vera resurrectio, neque justitiæ forent objecta vera in Ideis Dei, quod est impossibile.

De Quantitate Chaos.

1. EX intensa quantitate igneitatis, aëreitatis &c. tam activâ, quàm passivâ composita est quantitas primi Chaos extensa in substantia ipsius Chaos, tam in actione, quàm in passione, hoc idem simili modo sequitur de cœteris accidentibus ipsius Chaos.

2. Quantitas primi gradûs Chaos diffusa divisa & distincta est in infinitas quantitates particulares tertii gradûs, quod videtur sicut in quantitate hominis, leonis, aquilæ, cete, olivæ, olivarii & cæterorum his similium, qualibet ipsarum quantitatum productâ ex quantitate universalis sui scilicet illius quantitatis, quæ est per primum gradum ipsius Chaos.

3. In forma & materia est igneitas quanta, aëreitas quanta & sic de aliis essentiis primi Chaos, itaque quantitas divisa est per accidens intensivè & composita per accidens extensivè, unde cùm forma & materia sint res substantiales, quia Deus creando materiam & formam creavit accidentia, scilicet primas qualitates, ex forma & materia & ipsis accidentibus fit unum suppositum, sic ex quantitate intensa formæ & materiæ, & ex quantitate accidentium fit una quantitas extensa, in qua quidem quantitate extensa est aliquid substantiale & aliquid accidentale, cùm ipsa sit constituta ex quantitatibus substantialibus & accidentalibus intensis, & sic per consequens ipsa quantitas extensa, in quantum tamen hujusmodi est accidentalis.

4. In tertio gradu Chaos est una forma composita ex quatuor formis & una materia ex quatuor materiis, sicut in grano piperis vel alterius speciei patet, unde si quantitas extensa esset de essentia ipsius formæ & de essentia ipsius materiæ, esset in grano piperis una communis quantitas formalis & materialis de quantitatibus contrariis composita, itaque sequeretur, quòd forma tam perfectam haberet in se materiam suam & è converso, quòd impossibile esset corruptionem in illo grano esse, sed quoniam impossibile est quantitatem extensam esse de essentia formæ & materiæ, sequitur inde corruptio, & per consequens generatio in tertio Chaos propter augmentationem vel diminutionem quantitatis formæ & materiæ, de quibus scilicet forma & materia mediantibus accidentibus substantiatum est.

5. Quantitas caliditatis, luciditatis, levitatis &c. in tertio Chaos divisa est per accidens in actione & passione, nam forma ignis quantificat suam caliditatem, luciditatem & levitatem in materia, unde, si quantitas extensa esset de essentia formæ & materiæ, foret suppositum essentiatum de quantitate caliditatis, levitatis, & etiam de quantitate formæ & materiæ, & per consequens sequeretur, quòd quantitas esset genus, materia verò & forma essent species ejus, & quòd ex quantificativo & quantificabili, quæ essent tantùm una extensa quantitas, generaretur unum suppositum substantiatum de sola quantitate, quod est impossibile.

6. Orta est quantitas in primo Chaos isto modo: In principio creavit Deus formam similiter & materiam, quæ de se sunt quantæ intensivè, & quoniam forma est actio, materia verò passio, est per se quantitas formæ activa, & quantitas materiæ passiva, & sic igneitas aëreitas &c. per accidens quanta est extensivè, ejus verò subjectum est substantia, scilicet Chaos.

7. De quantitate primi Chaos oritur quantitas in tertium, sicut in pipere, quod existit quantum per accidens, & suppositum per formam & materiam; unde generando formam & materiam sequitur substantialis quantitas in eis, scilicet in forma & materia, sed accidentalis in ipsarum qualitate, relatione &c. nec hæc, quæ est in qualitate &c. potest esse substantialis, nam ipsa quantitas existens substantialis & quantitas accidentalis essent tam vicinæ, quòd quantitas accidentalis quantitati substantiali resistere non posset, quod est impossibile.

8. Sicut oritur quantitas in tertium Chaos de essentia quantitatis primi Chaos, sic similiter, quando corrumpitur de tertio, revertitur ad primum, & sicut generans generat substantialiter generatum suæ speciei, sic similiter ipsum generans quantificat ipsum generatum & qualificat, & sic de aliis accidentibus, unde solum primum Chaos & tertium mediante Deo & orbe generant in materia formam novam, unde sequuntur per accidens novæ formæ accidentales scilicet quantitas, qualitas &c.

9. Intensa quantitas tam formæ, quàm materiæ atque intensa tam qualitatis, quàm relationis &c. sunt essentiæ quantitatis extensæ per formam, per materiam, per qualitatem & per relationem &c., forma autem & materia sunt tantùm essentia suppositi, & sic resultat quantitas substantialis & accidentalis, continua & discreta, intensa & extensa.

10. Illa quidem quantitas substantialis est intensa, de quâ oritur extensa, illa verò accidentalis est, per quam forma est quanta & materia est quanta extensivè.

11. Quantitas continua & extensa sunt idem, sed quantitas discreta, ut ita dicamus, est illa, quæ habet partes substantiales, quarum quælibet existit vel continetur in altera & è converso per totum primum Chaos & tertium.

12. Ita mixtæ sunt essentia substantiæ & essentia quantitatis, qualibet earum existente in altera, quòd vix potest intellectus apprehendere differentiam inter essentiam substantiæ & quantitatis, *quod patet in vino, in quo aqua mixta est, nam partes aquæ ita subtiliter intrant partes vini & è converso, quòd essentia vini & essentia aquæ videtur una eadem essentia*, itaque visus videns corpus tam intra, quàm extra quantificatum deficit videre sensualiter differentiam essentiarum, hic autem defectus in peritis intellectibus restauratur.

13. Sicut forma & materia sunt intra substantiam, earum autem figura apparet extra substantiam, sic earum quantitas est intra substantiam, sed ejus figura extrà apparet; unde sicut cœcus nequaquam potest de coloribus judicare, ita nec visus sensualis de essentia quantitatis, nisi solùm de ejus figura extrà apparente potest sentire.

Per hæc ergo prædicta manifestamus, quomodo quantitas essentialis & formalis est secretè intra substantiam & ejus prædicamenta, apparens extrà figuraliter. Simili modo etiam habet hoc intelligi de cæteris punctis, quæ sunt intra substantiam Chaos essentialiter & formaliter apparentia per tertium Chaos extra substantiam in figura.

De Relatione Chaos.

1. PRimum Chaos potentiam habuit se communicandi in species, priusquam secundum Chaos esset, quod scilicet secundum Chaos oportuit creari, hoc est à Creatore de ipso primo Chaos fieri, ut primum illum finem haberet, ad quem creatum est; itaque primum & secundum Chaos relativè se habuerunt per modum generationis & creationis; simili modo sequitur relatio secundi & tertii Chaos, nam tertium erat necessarium esse, non autem potuit esse sine secundo, restat igitur secundum fuisse necessarium, unde satis patet, primum Chaos & secundum se habere relativè, scilicet immediatè per modum generationis, sed mediatè per modum creationis.

2. Cùm omnes quatuor essentiæ primi Chaos mixtæ sunt confusæ, quarum mixtio causa est multis specificationibus, sequitur relatio propriæ formæ & propriæ materiæ & remotæ, scilicet inter ignificativum igneitatis & ignificabile aëreitatis &c. aliter esset impossibile esse ipsam universalem essentiam primi Chaos, & per consequens cæteras essentias ab ea descendere in specificationem.

3. Creator & Creatura se habent relativè in primo, secundo & tertio Chaos, nam primum Chaos creatum est de nihilo, & secundum similiter in primo, atque tertium similiter in primo & secundo, tertium autem est à generante respectu generationis, quam recipit de primo & secundo.

4. Confusio primi Chaos & confusio tertii se habent relativè, nam confusio primi influentis non potest se communicare tertio, nisi ipsum tertium recipiens se tradat confusioni, quod patet in grano frumenti generativo, quod moriendo in terra confundi oportet, priusquam possit producere grana de se generabilia sub specificas formas, & propter hoc primum & tertium Chaos sunt oppositа relativè, scilicet primum per modum confusionis, tertium verò per modum specificationis, *quod etiam patet in confusione panis & vini & carnis digestorum in stomacho, ut sit sanguinis specificatio, & sanguis similiter in confusione devenit, ut nutritivè sit specificatio per membra in carnem, in nervos, in ossa & medullas.*

5. In grano frumenti scilicet in tertio Chaos, est relatio inter formam & materiam, quia forma est actio, materia verò passio, & sic sequitur relatio per accidens, quæ non est ens reale substantiale sed accidentale, nam forma est ens substantiale agens, materia verò est ens substantiale patiens, unde sequitur relatio per accidens, quæ est ens nihil addens substantialiter super formam & materiam, accidentaliter autem addit aliquid scilicet agere formæ & pati materiæ, itaque relatio formæ & materiæ describit actionem formæ & passionem materiæ existente formâ formificativâ & materiâ materificabili.

6. Esse ignificativum est substantialis punctus formalis, esse verò ignificabile est substantialis punctus materialis, & de his duobus punctis sequitur substantialiter substantia aggregata, hoc tamen intelligendum est cum cæteris elementis, sed hic punctus scilicet relativus est accidentalis, quia per accidens actionem denotat substantialem, similiter hic Punctus relatibilis est accidentalis, quia passionem denotat substantialem, nam sicut risibilitas rationale denotat existens accidentaliter proprium ens reale, ut denotet substantiam humanam, ita similiter relatio

est ens, ut denotet formam agentem, & materiam patientem repræsentet, alioquin sine relatione forma & materia describi vel denotari possent, quod est inconveniens.

7. Quicquid est in specie humana pater, est homo, & similiter, quicquid est in specie humana filius, est homo, ut autem significetur illa operatio, per quam alius est, qui gignit, alius, qui gignitur, sequitur relatio per accidens, cujus essentia scilicet relationis est paternitas & filiatio, quæ paternitas est nota gignentis, filiatio verò nota geniti, unde patet substantiam esse per primam intentionem, sed accidens scilicet relationem esse per secundam, ut in distinctis suppositis substantialibus substantialis operatio denotetur.

De Qualitate Chaos.

1. UNa qualitas extensa per totum primum Chaos producitur de qualitate igneitatis, de qualitate aëreitatis &c. existens genus omnibus qualitatibus tertii Chaos, & hoc in tertio Chaos dividitur per species, scilicet in caliditatem, humiditatem &c. atque in albedinem, nigredinem & sic de aliis, unde sicut una universalis forma accidentalis de pluribus simplicibus formis accidentalibus est aggregata, scilicet una qualitas universalis de pluribus simplicibus qualitatibus, ita dividitur per plures partes scilicet per plures formas accidentales, quarum subjectum est materia & forma substantialis.

2. In colorato sunt plures partes substantiales aggregatæ in esse alicujus suppositi, cujus color unus est per omnes partes, sicut albedo in nive, quæ scilicet albedo, quamvis intensè & extensè sit una, non tamen est tota super quamlibet partem punctualem, cùm omnes partes non sint in eodem loco, unde satis patet unam qualitatem primi Chaos esse in genere, quæ in tertio in plures partes dividitur distinctas in suppositа, sicut in hominem, leonem, olivarium &c. Hæ siquidem partes omnes à prima præhabita sunt influxæ, quæ, quando corrumpuntur in suppositis, revertuntur ad primam primi Chaos, quæ est communis qualitas qualificans ipsum.

3. In tertio Chaos, scilicet in grano frumenti aërificativum & suum aërificabile sunt essentia aëris atque aërificativum est humidificativum, materia verò est humidificabile, & sic essentia aëris est per accidens qualificata, ut resistat terræ, quæ accidentaliter est sicca, ut *digerat* & *mortificet* essentiam aëris, ut fiat *mixtio* & *compositio* destruendo *cruditatem primæ materiæ*, hoc idem similiter sequitur de aliis elementis, unde patet, quòd ex qualificativo & qualificabili non sequitur essentia substantiæ, essentia autem qualitatis extensæ orta est accidentaliter de intensa qualitate activâ & passivâ.

4. In grano frumenti est forma, quæ dat esse materiæ, ut sit sub ipsa forma, ut ambæ sint essentia illius grani in numero specifico, itaque forma substantialiter agit, materia verò substantialiter patitur, ut sint substantia illius grani, sed quoniam materia humefieri, calefieri, frigefieri, desiccari indiget, sequuntur ipsæ formæ accidentales existentes omnes accidentaliter in substantia illius grani aliis earum intrantibus in alias, quod est, quia elementorum alia intrant in alia, scilicet aliæ partes eorum in alias, ut de ipsis compositio fiat, unde agente formâ substantialiter & accidentaliter, & patiente materiâ substantialiter & accidentaliter, sicut dictum est, patet substantiam à qualitate differre & è converso, scilicet actionem substantialem esse formam & passionem substantialem esse materiam, atque ipsam scilicet actionem & passionem esse per accidens, eò quòd forma agendo substantialiter super materiam patientem substantialiter calefacit, humefacit, frigefacit & desiccat accidentaliter ipsam materiam.

5. Sicut Deus, cui laus sit & honor, potentiæ visivæ virtutem dedit apprehensivam, ut illa videndo apprehendat objecta, sic similiter dedit virtutem activam formæ ignis, ut agendo super materiam calefaciat eam, & similiter formæ aëris, ut agendo humefaciat eam, & sic de aliis, aliter esset impossibile, generationem & corruptionem esse, nec sine calefactione, humefactione &c. possent unquam forma & materia conjungi, neque separari, quod per se patet.

6. In primo Chaos fuit creata una communis qualitas, deinde specificata in secundo, & successivè similiter in tertio, scilicet in grano frumenti generativi cujus specifica humiditas & calor specificus dat intensam essentiam granis generabilibus de entitate qualitatis suæ, quæ multiplicatur propter essentiam qualitatis primi Chaos influxam per virtutem generativam in ipsum granum, generans pariter cum essentia substantiali, ut ipsum granum possit generare substantiatum & qualificatum.

In

7. *In vino, cum quo aqua mixta est, sunt omnes partes vini & aquæ sub uno colore vini tantùm, veruntamen color vini plùs intensus est per partes, quàm color aquæ, sed tamen ista majoritas intensus est invisibilis propter maximam partium mixtionem*, unde simili modo humiditas aëris plùs intensa est per essentiam aëris, quàm aquæ, & sicut color vini partes duarum essentiarum comprehendit, sic qualitas extensa primi Chaos per omnes partes ejus intensa est secundùm magis & minus, ût patet, nam, cùm individuatur, plùs intensa est qualitas in aliis partibus, quàm in aliis.

8. Luciditas ignis à visu apprehenditur, ejus caliditas à tactu, atque siccitas terræ percusso ligno apprehenditur ab auditu vel à tactu, cùm durum esse sentiatur, & similiter dulcedo pomi à gustu, & ejus odor ab odoratu, hæc omnia accidentaliter & figuraliter sunt extra substantiam, intrà tamen sunt secretè & formaliter, ut realitas qualitatum sit in se major, quàm in apprehensione potentiarum sensuum.

De Actione Chaos.

1. ACtio dividitur scilicet in substantialem & accidentalem, substantialis actio primi Chaos de ignificativo, aërificativo &c. composita est, & hæc est forma universalis seu communis, quæ in tertio Chaos se dividit in individua specierum. Accidentalis autem actio primi Chaos est illa, quam ignificativum &c. habet non in sua essentia, sed in essentia aliorum elementorum & sic de aliis. Et hæc accidentalis forma est universalis omnibus individuis formis accidentalibus tertii Chaos, quæ se dividit in accidentia individua, prout jacent in suppositis quolibet elementorum agente in altero, unde per hoc patet, quomodo actio divisa est in primo Chaos & tertio.

2. Universalis actio primi Chaos scilicet forma agens super propriam materiam, id est elementativum quodlibet agens super proprium elementabile est potentia motiva universalis, sub qua moventur omnes particulares potentiæ tertii Chaos, & inde similiter intelligitur altera universalis potentia motiva agente quolibet elementativo super essentiam cæterorum elementorum, sub qua moventur omnes particulares potentiæ motivæ accidentales tertii gradûs.

3. Substantialis forma cujuslibet elementi idem est, quod sua pura actio substantialis, sed quoniam ipsa forma agens substantialiter super suam propriam materiam, agit accidentaliter super materias alienas scilicet aliorum elementorum; sequitur ideo per accidens accidentalis actio, sicut patet per ignem, cujus forma agit super materiam aëris &c. cum caliditate & luciditate sua, ut calefaciat & lucificet eam, itaque per accidens agit forma aëris de caliditate & luciditate super suam propriam materiam, agens super totam essentiam, ut ipsa materia sit contenta, agítque super ipsam materiam substantialiter, in quantum ipsa forma tota imbuta est & infusa per totam suam propriam materiam. Et hoc simili modo sequitur de cæteris elementis, unde patet actionem esse substantialem & accidentalem.

4. Duplex est actio cujuslibet elementi scilicet insensibilis & sensibilis, insensibilis est illa, quæ nullo modo sensu corporali sentiri potest, quæ est, dum forma simplex ignis agit super suam propriam simplicem materiam, unde resultat elementum simplex, sed sensibilis est illa, cùm totum suppositum de quatuor elementis aggregatum sentit calorem vel frigiditatem & sic de aliis.

5. Actio substantialis, id est, forma substantialis, est quanta in se ipsa & in materia propria, & est qualis per accidens in alia forma remota & in alia materia remota, quolibet elementorum agente in altero, quod patet per caliditatem, quæ accidentaliter agit super humiditatem & sic de aliis.

6. Cùm actio primi Chaos sit per totum ipsum Chaos diffusa, influitur in tertium Chaos universaliter, & influxa recipitur in ipsum tertium particulariter, quia ipsum tertium Chaos per species & suppositа distinctum est & divisum, *unde patet universalem seu communem actionem esse ens reale se dividens in receptione tertii Chaos*, dum se dispergit per partes intrantes actionem tertii Chaos.

7. In tertio Chaos est quoddam agens recipiens materiam primi Chaos, in quo similiter est alterum agens dans illam. Itaque primum Chaos sub actione recipientis intrat in actionem & passionem tertii & propter hoc fit de ambobus Chaos mixtio, quod patet in grano frumenti generantis plura grana, cujus forma à primo Chaos recipiens influentiam agit super propriam materiam intrante primo Chaos formaliter & materialiter in formam & materiam illius generantis, cujus etiam forma scilicet grani agit producendo & assimilando sibi in specie plura grana.

In

8. In forma ignis est intensa caliditas activa, per quam forma agit in sua propria materia, in qua est intensa caliditas passiva; idcirco per totam essentiam ignis est extensa caliditas ex actione & passione composita, sub qua est ignis essentia in suppositis cum essentiis aliorum elementorum.

9. Actio primi Chaos est ubique sub lunari circulo incessans & incorruptibilis. In tertio Chaos est incessans sed corruptibilis aliquibus suppositis cadentibus in corruptionem, quia destructo supposito privatur illa actio in suo esse numero revertens ad primum Chaos partibus illius suppositi privati intrantibus mixtionem primi Chaos, quæ postea sub alio numeraliter supposito in tertium Chaos revertuntur.

De Passione Chaos.

1. SIcut de actione substantiali & accidentali dictum est, potest intelligi relativo modo dictum esse de passione substantiali & accidentali in primo & tertio Chaos, cùm relativè se habeant in utroque.

2. Substantialis passio est prima materia, velut patet in primo Chaos, in quo significabile est propria passio significativi, hoc idem sequitur in tertio Chaos, itaque appetitus substantialis passionis idem est numero, quod prima materia substantialis, aliter materia non esset pura passio, sed potiùs agens appetendo, quod est impossibile, restat ergo, quòd sint idem, ut actio formæ substantialis ejúsque substantialis appetitus sint idem numero ad denotandum formam, actionem & appetitum esse idem, id est, una substantia & essentia, in qua indicatur Dei essentia existens una tantùm in Paternitate, Filiatione & processione absque distinctione & passione.

3. Accidentalis appetitus passivus differt à materia, quod patet, nam materia aëris substantialiter appetit actionem aëris, & ideo plùs appetit illam actionem, quàm actionem ignis, quam habet per accidens, & similiter plùs actionem ignis, quàm aquæ, & inde oritur accidentalis passio mediante differentiâ inter materiam & appetitum passivum accidentalem.

4. Materia aëris sub actione formæ terræ non appetit esse, sed potiùs illam actionem odit, ut ita dicamus, & sic odiendo est per accidens materia aëris activa mediante tamen formâ aëris, quam odit forma terræ agens contra illam in illius propria materia, quæ est aëris desiccans eam, unde patet, quod in materia accidentaliter oritur actio, & per consequens accidentaliter in forma passio, & hæc talis origo principium est accidentium substantiæ in tertio Chaos.

5. Ex substantiali appetitu, quem materia habet ad propriam formam, sequitur generatio, sed ex accidentali appetitu, quem materia habet ad alienam formam, sequitur corruptio, quod est, quia quantitas appetitûs major est in forma & materia propriis, quàm remotis, & hoc similiter sequitur de cæteris accidentibus.

6. Materia propria se communicans propriæ formæ est passiva, quod patet in materia primi Chaos, quæ se communicans tertio est passiva, dum autem suæ impropriæ formæ communicatur, est accidentaliter activa, resistendo illi formæ, quod patet in materia ignis primi Chaos, quæ resistit formæ aquæ tertii Chaos, & hoc in pipere, in quo ignis prædominatur, nisi materia ignis per se resisteret formæ aquæ, non esset tam propinqua suæ propriæ formæ, nam si per accidens tantummodo resisteret illi, scilicet mediante suâ propriâ formâ, ignis non resisteret illi substantialiter sed accidentaliter, & hoc modo destrueretur substantialis contrarietas, quod est impossibile, nec esset etiam in corruptione substantialis passio, quod similiter est impossibile.

7. Ex majori actione major sequitur passio & è converso, unde per consequens potentia mobilis major est in passione substantiali, quàm accidentali, & ideo patet motum naturalem esse in intrinsecitate substantiæ, qui siquidem motus est substantialis, ex quo accidentaliter oritur motus accidentalis.

8. Passio habens suam propriam actionem scilicet formam habet appetitum ipsius formæ & habens ipsum in se ipsa habet formam in se ipsa; itaque passio scilicet materia habens in se suam formam ejúsque actionem & appetitum completa est & perfecta, cùm autem forma illa in alienam materiam appetit agere, statim materia in corruptionem cadit, cùm sua passio, id est, esse suum & appetitus ejus diminuatur, usquè ex toto corrumpatur in tertio Chaos revertens ad primum partibus ipsius materiæ intrantibus confusionem illius primi Chaos.

9. Duplex est passio scilicet universalis & particularis, universalis est, quando granum, quod corrumpitur, patitur sub forma propria & sub formis elementorum, quæ ipsum corrumpunt. Particularis autem passio est, quando materia elementorum est patiens sub propria forma sua, quam appetit & è converso.

10. In complemento substantialis passionis & actionis sequitur substantia, & ideo sunt forma & materia, ut sit substantia, sed non è converso, & ita substantia, in quantum substantia, non est passiva nec activa, sed solùm in quantum est generans, aut in quantum aggregata est de actione & passione substantiali, & propter hoc notari potest modus, per quem accidentia substantiæ sunt in actione & passione, quæ sunt, ut sit substantia & non è converso.

11. Quandocunque forma generatur, tunc est passionabilis, & statim, quando est generata, est passionativa ejúsque propria materia passionabilis, ita tamen intelligimus, quòd ambæ sint idem, id est, quoddam suppositum specificum, in quo per hunc modum non est actionis neque passionis substantialis cessatio, nec per consequens accidentalis, nam movente se formâ in materia & movente ipsâ formâ materiam in se ipsa moventur accidentia per totam substantiam & aliud in alterum.

11. Passio vegetabilis & passio sensibilis creatæ fuerunt in primo Chaos, quæ omni tempore in tertium influuntur, sicut in leone, in quo materia vegetata & sensata aggregata est de passione & appetitu, quæ scilicet passio & appetitus sunt idem cum sua vegetatione & sensualitate passivis, sicut sunt idem cum partibus elementorum passivis, de quibus ipsa materia composita est & aggregata, unde patet, passionem substantialem esse materiam leonis compositam de pluribus punctis, ut ita dicamus, passivis elementorum, & sic de appetitu passivo, vegetato & sensato, & hæc talis materia est sub forma leonis, quæ forma idem est, quod actio vel appetitus activus, vegetativus & sensitivus, de quibus scilicet formâ & materiâ leo aggregatus est atque productus in tertium Chaos, & quando corrumpitur, tunc illa puncta suprà dicta ad primum Chaos revertuntur.

13. Accidentalis passio est in vegetato, sensato, quod patet in leone, qui sentit famem, sitim, caliditatem, frigiditatem ex parte vegetationis & sensualitatis, & qui similiter sentit videndo, audiendo, palpando, imaginando, cùm ipse leo per accidens sit visibilis, tangibilis, audibilis & imaginabilis.

14. In homine est materia animæ, & materia corporis & forma animæ & forma corporis, in qua siquidem materia est duplex passio, scilicet substantialis & accidentalis, substantialis passio est materia corporis patiens sub forma corporis, & materia animæ patiens sub forma animæ, passio verò accidentalis est materia corporis patiens sub forma animæ & materia animæ sub forma corporis.

De Tempore Chaos.

1. SI intelligere volumus tempus esse aliquod ens reale, considerare debemus motum in octava sphæra firmamenti, & in Chaos, ut per motum ad notitiam temporis veniamus, unde sciendum est, quòd motus existens per potentiam, habitum & actum, meliùs intelligitur & habituatur, si tempus est aliquid, quàm si nihil est, & quia omne id, quod meliùs intelligibile est & habituabile, convenit cum esse, ejus quidem oppositum cum non esse; restat igitur tempus esse aliquod ens reale, aliter ignorabile conveniret cum esse & majoritate, intelligibile verò cum non esse & minoritate, quod est impossibile, & contra Dei bonitatem, magnitudinem, æternitatem, sapientiam, voluntatem &c. quod est impossibile.

2. Orbis est, qui non fuit, homo est, qui non fuit, homo non est, qui fuit. Præterea hæc adverbia *antè*, *pòst*, *citò*, *tardè* sunt, quare si tempus est, sunt hæc descripta vero modo pro tempore existente ente reali, sed si tempus nihil est, sunt hæc descripta rationaliter tantùm pro tempore, quod nihil est, & isto modo ratio non potest discernere veritatem rei, sive illud, quod nihil est in re, & sic falso modo esset descriptio prædicta, restat igitur, quòd tempus est aliquid reale, ut descriptio rei entitati, id est, veritati conveniat, non autem falsitati & privationi.

3. Duratio est, quâ mediante descripta est æternitas, & quoniam duratio non potest tam bene describi in ratione rei per tempus, quod nihil est reale, sicut per tempus, quod est aliquid reale, oportet illud esse, per quod meliùs duratio æternitatis & suum simile describi possunt ad significandum, quòd in æternitate non cadit tempus, aliter Dei bonitas, magnitudo, voluntas, Justitia, simplicitas essent contra suámmet æternitatem, quod est impossibile.

4. Primus gradus Chaos fuit priùs, quàm secundus, & secundus, quàm tertius, & hoc satìs manifestum est, quod tamen manifestum

ſtum non eſſet ſine tempore objectato, unde ſi tempus nihil eſt, potentia objectiva falſum objectat, ut poſſit objectare verum, & iſto modo conveniunt meliùs falſum & verum, quàm verum & verum, quod falſum eſt, ergo oportet tempus eſſe aliquid reale, ut de influentia & virtute ejus intellectiva potentia poſſit objectum accipere vero modo absque falſitate, ne Dei veritas ſit contra ſuam magnitudinem & ſimplicitatem in magnitudine virtutis objectivæ & objectabilis.

5. Sicut forma & materia ſine conjunctione non poſſunt ſe habere, neque principium & finis ſine medio, neque operans & operatum ſine operatione, ſic generatio & corruptio, mixtio & digeſtio non poſſunt ſine tempore ſe habere, ergo oportet tempus aliquid eſſe.

6. Impoſſibile eſt generationem & corruptionem formæ & materiæ eſſe ſine corruptione alicujus, unde ſi tempus nihil eſt, prædictum impoſſibile eſt minus, ſi verò aliquid ſit, ipſum impoſſibile eſt majus, quod manifeſtè patet in ratione & tempore, quæ non tam bene conveniunt, ſi tempus nihil eſt, quàm ſi tempus eſt aliquid.

7. Si tempus eſt realiter, major eſt concordantia inter ipſum & appetitum naturalem, ſi verò non eſt realiter, minor eſt prædicta concordantia, & ſequitur, quòd ratio & id, quod non eſt, ſcilicet tempus majorem habeant concordantiam & proportionem, quàm tempus & appetitus & motus, quod eſt impoſſibile, ergo &c.

8. Si tempus eſt realiter, ſequitur, quòd entia, quæ ſunt & fuerunt, ſunt plùs recolibilia, intelligibilia & volibilia, quàm ſi tempus nihil eſt, quod manifeſtè patet, cùm majoritas ſit major in hoc, quod eſt plùs recolibile, intelligibile & volibile, quàm in hoc, quod eſt minùs recolibile &c. ergo tempus eſt aliquid, aliter ſequeretur, quòd majoritas & non eſſe convenirent, minoritas verò & eſſe, quod eſt impoſſibile.

9. Si tempus eſt aliquid reale, omne mobile plùs diverſificatur ab altero mobili per motum, ſi verò tempus nihil eſt, tunc ſequitur oppoſitum, & nos quidem eſſemus in uno inſtanti, in quo eſſet motus & non eſſet tempus, & per conſequens eſſe meliùs ſe haberet cum motu, quàm cum tempore, quia ſe haberet realiter, quod eſt impoſſibile, quod per ſe patet.

10. Si tempus eſt realiter, plùs ſe habent quinque univerſalia & decem prædicamenta cum realitate, quàm ſi tempus non eſt aliquid, & hoc patet, ſi quis diſcurrere ſciat per differentiam, concordantiam, contrarietatem, principium, medium, finem, majoritatem, æqualitatem, minoritatem, affirmationem, dubitationem, negationem, unde ſi tempus nihil eſt, ſequitur, quòd ſola ratio ſuppleat illud, quod non eſt, per id, quod non eſt, & ideo deficit realitas creata adimplere id, quod non eſt, quod adimplere non poteſt per id, quod eſt, ſed per id, quod non eſt, & propter hoc ſequitur inconvenientia inter creatorem & creaturam in magnitudine concordantiæ, cauſæ & effectûs, & hoc eſt impoſſibile, ergo oppoſitum eſt neceſſarium.

b Probatum eſt tempus eſſe aliquid reale decem rationibus, amodò intendimus declarare id, quod eſt tempus & oſtendere, quæ non ſunt de eſſentia temporis, iſto modo.

1. Tempus eſt id, ſine quo illud, quod eſt, eſſe non poteſt, & ſine quo illud, quod fuit, non potuit fuiſſe, & ſine quo illud, quod futurum eſt, non poterit eſſe.

2. Tempus etiam eſt id, ſine quo non poſſent eſſe hæc adverbia, ſcilicet *antè*, *poſt*, *citò*, *tardè*, *frequenter*, *rarò*, & ſine quo non poſſent eſſe augmentatio, diminutio, alteratio, privatio, motus, potentia, habitus, ſitus, actus, & ſic de aliis his ſimilibus.

3. Sicut Deus eſt id, ſine quo omne creatum eſſe non poſſet, ita tempus eſt id, ſine quo numerus horarum, dierum &c. eſſe non poſſet, non tamen dicimus tempus eſſe cauſam & numerum ejus effectum.

4. Tempus eſt accidens, eò quòd eſt, ut ſint plures res in motu & eſſe ſubſtantialiter & accidentaliter, ſicut primum, ſecundum & tertium Chaos, & omnia, quæ in eis fuerunt, ſunt & erunt, veruntamen non dicimus id, quod appellatur tempus præteritum & futurum eſſe aliquid realiter, ſed tantùm in ratione figuratum eſſe, cùm tempus ſit, ut ita dicamus, punctus ſimplex indiviſibilis, inviſibilis, exiſtens ſemper præſens, cujus ſubjectum eſt orbis, & quoniam ſubjectum ſuum eſt diviſibile & mobile in parte, non tamen in toto, deſcriptum eſt tempus in figura, ſcilicet in ratione eſſe per accidens diviſibile, ſed tamen ejus forma & realitas eſt indiviſibilis, cùm tota ejus eſſentia ſemper ſit præſens.

5. Sicut ſol virtutem ſuam, non tamen eſſen-

eſſentiam ſuam influit in inferiora, ſic tempus in virtute ſua, non tamen in eſſentia influitur in res diſtinctas & mobiles, ne ſua forma ſimplex, id eſt, ſua eſſentia corrumpatur nec dividatur, ſed ſicut vitrum relucet luciditate ſolis, ſic res, quæ ſunt in tempore, relucent intellectui & rationi, exiſtentes in tempore diverſimodè, ſine temporis diſtinctione.

6. Sicut ſagitta propter virtutem impetûs cordæ arcûs movetur per aëra, licèt non ſit illi corda contigua in aëre, ſic propter influentiam virtutis temporis ſunt diverſa *nunc* in ſubjecto ſuo absq; temporis diverſitate, quod eſt, quia illa *nunc* non ſunt de eſſentia temporis, ſunt autem per accidens à virtute temporis influxa, ut plura *nunc* ſint deſcripta per tempus, quia per tempus deſcribit & diſcernit intellectus inter alterum *nunc* & alterum. *a*.1.

7. Remoto motu ſolis foret motus umbræ remotus, nec etiam eſſet umbra, ſi totum centrum terræ, quæ eſt in medio firmamenti, nihil eſſet, nec per conſequens eſſet numerus annorum, dierum, horarum & etiam punctorum, veruntamen tempus adhuc eſſet id, quod eſt, etiam his omnibus ſuppoſitis dicimus, quòd adhuc tempus eſſet id, ſub quo eſſet firmamentum & lux ſolis, & motus eorum.

8. In Dei eſſentia eſt Pater, Filius & Spiritus Sanctus, Pater autem exiſtit in illa eſſentia per unum modum, Filius per alium modum & Spiritus Sanctus per alium ſine omni diverſificatione eſſentiæ, diſtinctione exiſtente tantummodo inter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ita ſimili modo, quicquid eſt creatum, eſt diverſimodè in tempore absque temporis diverſitate.

9. Ita eſt tempus aliquid in indiviſibilitate pluribus rebus exiſtentibus ſub eo diſtinctis, quæ non ſunt de ejus eſſentia, licèt ſint ei ſubjecta, ſicut albedo eſt aliquid in indiviſibilitate exiſtens per totum album compoſitum de partibus ſubſtantialibus diſtinctis absque albedinis diſtinctione, hoc idem ſimiliter ſequitur de quantitate, quæ indiſtincta eſt genere, licèt in ea ſint res plurimæ ſpecie diſtinctæ, unde patet id, quod appellatur tempus præteritum & futurum non eſſe tempus, nec de temporis eſſentia. Eſt autem figuratum tempus & deſcriptum per hoc, quod dicitur præteritum & futurum.

10. Nullum mobile eſt tempus, licèt omne mobile ſit in tempore, neque tempus etiam eſt alterabile, licèt dicatur aliud tempus eſſe *nunc*, aliud tempus eſſe *modò*. Tempus, enim unum eſt numero realiter absque alteritate, ſed ratio per accidens alteritatem appropriat tempori, ut de tempore poſſit uti, aliter eſſet impoſſibile tractari de tempore, ſicut nec ratio de loco ſine collocante & collocato ratiocinari poteſt, ipſa etiam ratio accipiens tempus per imaginationem fallitur, per quam imaginatur illud in ſubjecto mobili, in quo præteritum, præſens & futurum ſunt imaginabilia, ea autem, quæ imaginantur, nec ſunt tempus, nec etiam partes ejus.

De Loco Chaos.

MAnifeſtum eſt Deum eſſe ultra octavam ſphæram, quæ, quicquid ſenſualiter contentum eſt, continet, & quoniam Deus eſt res incorporalis, impoſſibile eſt ſuperficiem octavæ ſphæræ localiter eſſe contentam, & ideo, quia ſuprema ſuperficies octavæ ſphæræ, quicquid eſt intra ſe, continet, convenit locus omnibus, quæ ſunt ſub ſuprema ſuperficie octavæ ſphæræ, nam omne, quod eſt ſub ipſa ſuprema ſuperficie, cum rebus corporalibus participat, quas oportet contineri, non autem ipſam ſuperficiem ſupremam, unde reſtat locum eſſe aliquid reale, aliter non eſſet differentia inter collocare ſupremæ ſuperficiei & collocare contentorum ejus.

2. In Deitate ſine loco producit Pater Filium & Spiritus Sanctus ab utroque procedit, atque Dei eſſentia eſt per omne creatum absque loci occupatione, nec orbis collocatus eſt in Deo, unde, ſi locus eſt aliquid reale, apparet meliùs nobilitas eſſentiæ Dei & perſonarum ſimplicitas in immenſitate eſſentiæ, quàm ſi locus non eſt aliquid reale; & quoniam majoritas apparentiæ Dei humano intellectui convenit cum eſſe & cum bonitate & bonificare, magnitudine & magnificare &c. Ergo oportet locum eſſe aliquid reale.

3. Certum eſt rationem non poſſe ratiocinari de continente & contento ſine loco objecto, ſicut homo absque oculis de coloribus judicare non poteſt, unde ſi locus nihil eſt, ratio judicat de hoc, quod eſt in hoc, quod non eſt, itaque id, quod nihil eſt, virtutem ſuam influit in rationem, quod eſt impoſſibile, ergo locus eſt aliquid reale.

4. Si locus ſit, ſunt locificativum, locificabile, locificare & locificatum, & ſi locus nihil eſt, ſola ratio eſt locificativa & nihil eſt

locificabile realiter, itaque collocans & collocatus majorem habent concordantiam cum ratione, quàm cum realitate vel natura loci, quod est impossibile.

5. Forma appetit in se habere materiam & è converso, & aliæ partes elementorum appetunt esse in aliis, sicut ignis appetit esse in aëre in aqua & in terra & è converso, ut ex eis fiat *mixtio*, *digestio*, *compositio*, quodlibet etiam elementum suum locum appetit, scilicet suam sphæram, ad quam se movet, atque homo appetit patriam suam & bruta etiam locum suum, unde si locus nihil est, naturalis appetitus non est tam magnus per hoc, quod est, sicut per hoc, quod non est, hoc autem est impossibile.

6. Primum Chaos assituatum est in quatuor essentiis scilicet in igneitate &c. & è converso, atque secundum Chaos fuit situatum in primo existente unâ specie in uno loco, & alterâ in alio, & similiter tertium in primo, & in tertio est alia pars substantialis assituata in altera & aliud accidens in altero, atque substantia in accidentibus suis & è converso, sicut color in vino & vinum in colore, similiter, quantitas intensa tam activa, quàm passiva in quantitate extensa per totam substantiam, qualitatem &c. & è converso, unde necesse est locum esse, aliter esset impossibile, situm esse aliquid sine loco & sine natura & influentia ejus; sine loco non posset etiam tertium Chaos influentiam à primo suscipere, nec primum se in illum influere, cùm partium aliæ in alias sine loco intrare non possint, unde hæc præpositio, scilicet *in* ita necessaria est loco, sicut *nunc* tempori, & ideo sicut *nunc* nihil est sine tempore, ita *in* nihil est sine loco, & quoniam *in* est, sicut per prædicta patet, ergo locus est.

7. Præterea, si locus est, ratio potest melius ratiocinari in *in* per hoc, quod est, quàm per hoc, quod non est, si verò locus nihil est, sequitur totum oppositum, quod est impossibile.

8. Præterea si locus est, meliùs potest esse unum suppositum in uno loco & aliud in alio, quàm si locus nihil est, hoc idem simili modo potest notari de collocante & collocato & de aliis similibus istis &c.

9. Posito, quòd terra & aqua à medio aëris removerentur & annihilarentur, adhuc necessariò locus esset aliquid, sicut, si amphora ab omni contento esset vacua, esset in ea adhuc locus, unde si propter annihilationem terræ & aquæ existentis in medio aëris sequeretur locum esse tanquam vas vacuum, & aptum ad aliquid collocandum, quantò plùs igitur sequitur, eum esse id, quod est, aliter sequeretur, quòd locus posset esse creatus non in creando esse, sed in privando illud, quod est impossibile.

10. Sine loco est forma animæ in materia sua & è converso, etiam intellectivum est in intelligibili & è converso sine loco, hoc idem similiter sequitur in memoria & voluntate, unde si locus nihil est in rebus corporalibus, collocans & collocatum non habent majorem proportionem in rebus corporalibus, quàm in spiritualibus, quod est impossibile, unde patet locum esse ens reale.

b Nunc autem de loco diximus probando ipsum esse ens reale, amodò, quid est ejus essentia, quid ejus existentia & assituatio, videamus.

1. Subjectum loci est octava sive suprema sphæra firmamenti, & quicquid corporaliter in ea & sub ea continetur; unde sicut vinum subjectum est colori, ita omne corpus subjectum est loco, qui locus est id, per quod continens & contentum possunt esse, & per quod altera pars potest esse in altera, sicut forma in materia, & è converso, & alia elementa in aliis, & alia accidentia in aliis, sicut caliditas in humiditate & è converso, & substantia in accidentibus & è converso, hoc siquidem dicimus esse locum, quem quærimus, hic autem locus est per se simplex, immobilis, invisibilis & inimaginabilis.

2. In primo Chaos est tertium locatum, quod per accidens divisum est, quia subjecta locorum divisa sunt pluribus suppositis existentibus in pluribus locis, quod patet, nam sicut lux vitri, per quod radii solares penetrant, est collocata in luce solis absque superficie lucis, ita omnia locata tertii Chaos terminata sunt & contenta à loco primi Chaos absque superficie existente inter primum Chaos & tertium, cùm locus primi Chaos sit indivisibilis. Locus autem in tertio Chaos per accidens est divisus, quia plura individua sunt subjecta loco in tertio Chaos.

3. In omni elementato supposito est ita forma in materia & è converso & accidens in accidente, atque substantia in accidente & è converso, quod inter formam & materiam, inter accidens & accidens, inter substantiam & accidens non est superficies, hoc idem similiter sequitur de forma & forma, de materia & materia existente unâ formâ sub quatuor

tuor formis, & unâ materiâ sub quatuor materiis & etiam sub quatuor formis; simili modo etiam sequitur de partibus formarum & materiarum, nam inter partem & partem non est superficies, sicut inter ignem & aërem, aquam & terram, quæ in supposito mixta sunt, & propterea patet in mixto substantiam esse collocatam in se ipsa aliis suarum partium existentibus in aliis absque superficie loci, unde locus totius substantiæ est collocatus in tertio Chaos absque superficie existente inter locum universalem & locum particularem, cùm totus locus universalis per totum locum particularem transeat accidentaliter propter influentiam primi Chaos in tertium, sicut lux ignis in camera transit absque superficie lucis per aërem & per athomos ejus contentas in illa camera, nam inter alteram athomum & alteram non est superficies lucis.

4. *Ubi vinum & aqua mixta sunt, non est superficies inter illa duo, quia partes eorum non essent aliæ in aliis, nec per consequens esset mixtio ex eorum partibus essentialibus, scilicet de forma & materia, sed solùm de partibus integralibus*, quod patet in sacco pleno frumenti, nam in eo est mixtio de partibus integralibus, cùm inter alterum granum & alterum sit superficies, hanc autem mixtionem impossibile est esse inter vinum & aquam, unde patet primum Chaos esse in tertio & è converso, absque aliqua superficie inter locum & locum, quamvis sit superficies inter alterum suppositum & alterum, ratio autem, quare superficies non est inter locum primi Chaos & tertii, est, quia primum Chaos est per totum tertium, sicut prima materia per totam secundam essentialiter, virtualiter & localiter.

5. Existente vino in amphora duæ sunt superficies, quarum altera est ex parte vini, altera verò ex parte amphoræ, & ideo vinum & amphora sunt duo supposita distincta & separata, unde vinum non est in essentia amphoræ nec è converso, quia sic esset superficies vini intra superficiem amphoræ & è converso, atque forma & materia & quantitas vini esset in forma & materia & quantitate amphoræ & è converso, quod totum est impossibile, unde manifestè videtur, vinum non esse in loco amphoræ nec è converso, cùm utrinsque substantia suum proprium locum habeat, cui subjicitur, nam vinum loco suo subjicitur, sicut colori suo & quantitati, hoc idem sequitur de amphora, subjectum verò locorum utriusque scilicet vini & amphoræ est locus primi Chaos existens per totum vinum & per totam amphoram, sicut natura universalis per tota particularia sua.

6. Sicut ex colore vini in amphora coloratur vitrum per accidens, ita ex essentia loci in supposito & suppositi in primo Chaos individuatur locus apparens extrà accidentaliter in figura, sicut patet in continente & contento, scilicet in amphora & vino, cujus colore scilicet vini vitrum amphoræ coloratum est, & sicut ille color est vitro improprius, ita est locus improprius continentis & contenti, veruntamen locus proprius contenti & continentis etiam est in primo Chaos.

7. Sicut tempus per præsens, præteritum & futurum describitur, ita & locus per hanc præpositionem *in* in continente & contento, & sicut tempus non est de essentia illius suppositi, quod est vel præsens, vel præteritum vel futurum, quanquam præsens, præteritum &c. sunt subjecta tempori: ita nec *in* neque continens neque contentum sunt de essentia loci, licèt sint illi subjecta, ratio autem in intentione multiplicat locum ex hoc, per quod locus describitur, & talem locum dicimus nihil esse realiter, quem sola ratio facit, sed ille locus, quem dicimus esse ens reale, est ille, quem invenimus, prout significatum est suprà.

De Situ Chaos.

a.1. SItuatus est primus gradus Chaos de igneïtate &c. quæ sunt essentiæ Chaos significante, significativo & significabili suæ essentiæ & alterius scilicet aëris &c., ita similiter aërificat aërificativum & sic de aliis, ut quatuor formæ simplices sint una forma communis ipsius Chaos, & quatuor materiæ simplices sint una communis materia ipsius chaos, existente ipso scilicet Chaos una substantia composita de una forma communi & universali omnibus formis particularibus & de una materia communi & universali omnibus materiis particularibus.

2. In primo gradu Chaos creata est & assituata una quantitas composita ex quantitate igneïtatis, aëreïtatis, aqueïtatis, terreïtatis extensa per totam substantiam, relationem, qualitatem &c. ipsius Chaos. Hæc autem quantitas est universalis omnibus quantitatibus tertii Chaos, hoc idem similiter sequitur de situatione relationis, qualitatis &c. in primo Chaos, quæ scilicet situatio est universalis omnibus situationibus tertii Chaos.

3. In primo Chaos ſunt ſituatæ in potentia omnes formæ & materiæ, quæ futuræ ſunt in actu in tertio Chaos, quarum ſubjectum eſt primum Chaos ſubſtantialiter & accidentaliter, ſcilicet forma univerſalis formæ particulari, & materia univerſalis materiæ particulari, & accidens univerſale accidenti particulari, & ideo quando fit generatio in tertio Chaos, tunc illud, quod in tertio convenit eſſe in actu, tranſit per tertium, altero ſuppoſito generante alterum de ſe & de primo Chaos communicante ſe tertio.

4. Semina cauſalia ſeminata ſunt & habituata in primo Chaos, ſcilicet illæ ſpecies, quas Deus creavit in ipſo primo Chaos, quas etiam creatas per creationem reduxit ad actum, in ſecundo creans primum hominem, primum leonem, primam aquilam, primum olivarium &c. his ſimilia, ut per ſecundum ſituaretur tertium per modum generationis in primum, generante primo homine ſecundum hominem & primo leone ſecundum leonem & ſic de aliis.

5. In primo Chaos aſſituata ſunt quatuor elementa ſimplicia ab illo influxa in tertium & aſſituata per ſuppoſita, quæ componunt, unde ſicut de quatuor eſſentiis elementorum eſt primum Chaos compoſitum & aſſituatum ſub una forma communi quatuor formis & ſub una materia communi quatuor materiis prædictarum eſſentiarum, ſic ſimiliter de quatuor elementis à primo Chaos influxis in tertium eſſentialiter & virtualiter compoſitum & aſſituatum eſt quodlibet ſuppoſitum tertii Chaos ſub una forma aggregata & aſſituata de quatuor formis, & ſub una aggregata materia & aſſituata de quatuor materiis elementorum. *Hoc tamen differt, quia compoſitio primi gradûs cruda eſt & indigeſta, compoſitio verò tertii Chaos digeſta propter frequentem introitum aliarum partium in alias*, itaque elementa ſimplicia aſſituata ſunt in primo & tertio Chaos, ût prædictum eſt, quia ſunt in confuſione in primo, ſed dum influuntur in tertium, *depurantur* à confuſione & ſimplicia ingrediuntur compoſitionem tertii, nam in unoquoque ſuppoſito eſt ſimplex forma & ſimplex materia cujuslibet elementi, unde reſultat una forma compoſita & una materia compoſita ſub illa forma in eſſe alicujus ſuppoſiti.

6. Quatuor elementa aſſituata ſunt in primo & tertio Chaos, ſcilicet in aëre, cum quo participamus, & in omnibus aquis ſenſualibus ſcilicet maris, fluminum &c. & in tota terra ſenſibili, quæ centrum eſt, atque in igne ſenſibili, omnia igitur prædicta quatuor ſuppoſita, ſcilicet, aër, aqua, terra, ignis habent in ſe elementa ſimplicia & compoſita exiſtente in unoquoque iſtorum ſimplici formâ & materiâ ſui ipſius, atque ſimplici formâ & materiâ uniuscujusque aliorum. Itaque quatuor formæ ſimplices unam formam compoſitam aſſituant & quatuor materiæ ſimplices unam materiam compoſitam aſſituant, de quibus compoſita eſt unaquæque quatuor partium orbis elementati.

7. In primo gradu Chaos aſſituatæ ſunt quatuor ſphæræ elementorum, ſphæra aëris ſuperior eſt, ſphæra ignis ſuprema, ſphæra aquæ inferior eſt, ſphæra terræ infima, hæ autem ſphæræ ſunt circulares replentes totum ſpatium concavitatis exiſtens ſub globo lunari, & quoniam per totum Chaos quodlibet elementum eſt per alterum, eſt totum Chaos mixtè diffuſum, unde per accidens quælibet eſſentia cujuslibet ſphæræ eſt per eſſentiam alterius ſphæræ per totum Chaos, cùm ſubjectum prædictarum quatuor ſphærarum ſint elementa ſimplicia mixta ſubtiliſſimè per totum Chaos.

8. In tertio Chaos ſunt elementa gradata & aſſituata per gradus, quod patet in pipere, nam in eo eſt ignis in quarto gradu, terra in tertio, aër in ſecundo, aqua in primo, quolibet iſtorum graduum exiſtente in altero, ut omnes partes mixtæ ſint ſub una communi forma & una communi materia ad denotandum ſphæras elementorum eſſe alias in aliis, ut elementa mixta aſcendant & deſcendant, quorum aſcenſu & deſcenſu cauſatur naturalis motus & naturalis appetitus.

9. Aſſituata ſunt quatuor elementa ſub ſpecies diſtinctas ab illis, ſicut ſub hominem, ſub leonem, aquilam, olivarium &c., quæ non ſunt elementa, nec aliquid eorum. Sub ſpeciebus etiam aſſituata ſunt plurima individua, in ſubſtantiam quorum ſunt aſſituata accidentia & è converſo, ſicut color in ſubſtantiam vini & è converſo, & figura circularis, triangularis vel quadrangularis in ſubſtantiam & è converſo, & ad invicem aſſituata ſunt accidentia, ût color in quantitate & è converſo, & collocans in collocato & è converſo, & ſic de aliis ſimilibus iſtis.

10. Primum Chaos aſſituatum eſt in tertium & è converſo, ſicut totum in partes, & è converſo, primo exiſtente intra tertium, ſicut virtus intra ſubſtantiam aut color per totam interioritatem & exterioritatem ſubſtantiæ, & ſenſitiva per totam vegetativam & è converſo.

11. Nunc autem, quomodo Chaos aſſituatum eſt in principiis ſubſtantiæ & accidentium, diximus, amodò de quinque potentiis animæ, quæ ſituatæ ſunt in Chaos, videamus.

1. *In vegetativa potentia ſituati ſunt hi quatuor actus, ſcilicet appetere, retinere, digerere, expellere*, iſti autem quatuor actus creati fuerunt in primo Chaos ignificativo appetente ſuum ignificabile & calefacere aërem recipiendo ſiccitatem à terra, & mortificando frigiditatem in aqua, & ideo ex his principiis reſultat in tertio Chaos appetitiva, retentiva, digeſtiva, expulſiva mediante ordinatione ſecundi Chaos, unde ex his potentiis quatuor ſequitur vegetativa, in qua ſituatæ ſunt prædictæ quatuor potentiæ & prædicti quatuor actus, ſcilicet in plantis, in animalibus & metallis.

2. Senſitiva potentia creata fuit in primo Chaos, actus verò ejus aſſituati fuerunt in ſecundo Chaos & ex ſecundo & primo in tertio, videndo, audiendo, odorando, guſtando, palpando, hæc autem potentia eſt forma ſenſitiva, in qua ſituati ſunt quinque ſenſus, & ipſa ſituata eſt in potentia vegetativa, ſicut lux in igne, vegetativâ exiſtente ſenſatâ & ſubjectâ ſenſitivæ, atque ſenſitivâ exiſtente formâ ſubſtantiali, apprehenſivâ rerum corporalium, ut ſuppoſitum ex ipſa ſenſitiva & vegetativa aggregatum ſic ſentiat per ſenſitivam activè, ſicut ſentit per vegetativam paſſivè, quod patet in leone, qui ſentit in videndo colorem, ſentítque famem propter vegetativam ſenſatam, id eſt, in ſuâmet ſubſtantia, quæ paſſiva eſt, prout eſt ſenſibilis ſub potentia ſenſitiva, quæ omnino activa eſt & impoſſibilis.

3. Aſſituata eſt imaginativa in ſenſitiva in tertio Chaos, quæ in primo Chaos creata fuit, ut eſſet brutis induſtria, id eſt, cauſa imaginandi neceſſaria ſua. Ipſa etiam imaginativa aſſituata eſt in homine ſub rationali potentia & ſuper potentiam ſenſitivam, ut per ea, quæ quinque ſenſus apprehenderunt, poſſit imaginativa in eorum abſentia imaginari intellectui & ſenſibilia menſurare, hanc autem potentiam ſcilicet imaginativam intelligimus eſſe à generante, ut in natura ſit major relatio inter patrem & filium, & ut maximè perſona Filii Dei in incarnatione magis participet cum natura humana, accipiens cum aliis quinque ſenſibus imaginativam à beata genitrice ſua quoad finem in homine per totam vegetativam, ſenſitivam & imaginativam.

4. Præterea plùs appetibile eſt corpus animæ ad reſurgendum, quia imaginativa de rebus corporalibus tractat, non autem de intellectualibus, & quoniam unusquisque homo cum ſuo proprio corpore reſurrecturus eſt, oportet imaginativam cujuslibet hominis in primo Chaos habitualiter conſervari.

5. Rationalis potentia creata in tertio Chaos, ſcilicet in homine tantùm ſituata eſt ſuper vegetativam, ſenſitivam & imaginativam, quoad finem in homine per totam vegetativam, ſenſitivam & imaginativam, quod eſt, quia vegetativa, ſenſitiva & imaginativa ſunt rationatæ, ut ita dicamus, quia cum rationali ſimul ſunt unum ſuppoſitum, in quo ipſæ potentiæ ſituatæ ſunt tali ſitu, quòd ipſum ſuppoſitum compoſitum eſt ex corpore & anima rationali aſſituata in ſe ipſam, & in ſuas eſſentias, ſcilicet in recolentiam, intelligentiam & volentiam, de quibus ipſa anima producta eſt, ſicut ſuprà continetur, ubi de S. tractavimus.

6. In primo Chaos aſſituata eſt potentia motiva, nam ignificativum movet ignificabile, & aërificativum aërificabile & ſic de aliis, & *hæc eſt univerſalis potentia motiva, ſub qua ipſum Chaos aggregatum eſt & compoſitum, per quod ſequitur, quod forma univerſalis movet in materiam univerſalem, ſcilicet in primam materiam omnes formas naturales ſuper materias ſecundarias, de quibus tertium Chaos aſſituatum eſt.*

7. Similiter potentia motiva in tertium Chaos aſſituata eſt, formâ activâ movente in ſuppoſito formam paſſivam, dum alterum ſuppoſitum alterum generat tertio Chaos movente ad ſe primum recipiendo ab illo influentiam & è converſo, primo ſe communicante tertio.

8. Similiter potentia motiva in tertio Chaos ſcilicet in homine ſituata eſt in quatuor potentias, ſcilicet in vegetativam, ſenſitivam, imaginativam & rationalem, quælibet quarum exiſtit in aliis per totam rationalem ipſâ rationali movente cæteras, ut ſenſitiva vegetativam moveat in ſenſibilitatem, ut in ipſa vegetativa ſit generatio & corruptio, ſimiliter imaginativa à rationali movetur ad imaginandum, cùm ipſa rationalis movet ſenſitivam, ut ſentiat & moveat corpus & ſic de aliis.

Aſſi-

9. Assituata est in Chaos operatio intrinseca & extrinseca, hoc autem simili modo sequitur de assituatione Chaos, quam habet in triangulo viridi, rubeo & croceo, quod manifestè patet discurrentibus F. G. per terminos T.

De Habitu Chaos.

a.1. DUplex est habitus & assituatio Chaos, videlicet substantialis & accidentalis, substantialis est, quia in igneitate, ignificativum & ignificabile se habent sub esse substantiali, quod est ignis, hoc idem similiter sequitur de aërificativo & aërificabili in aëreitate & sic de aliis, accidentalis est, quia ignificativum habet ignificabile in aëreitate, aqueitate & terreitate, similiter sequitur de aërificativo & sic de aliis, itaque ignis, aër &c. accidentaliter se habent; substantia & accidens se habent in Chaos in hoc, quod quantitas intensa & extensa est per totam substantiam & similiter cætera accidentia; similiter aliud accidens se habet cum altero in Chaos, sicut quantitas in qualitate & è converso, & actio in passione & è converso, & propter hoc patet, quòd in tertio Chaos est habitus, prout à primo Chaos influitur substantialiter & accidentaliter.

2. Creatæ fuerunt in primo Chaos omnes species in potentia, & in secundo reductæ in actum, sicut in primo homine, in hac autem specie, quæ erat primus homo, fuerunt habituata individua illius speciei, quæ reducta fuerunt in actum primo homine generante secundum & secundo tertium & sic de cæteris successivè usque nunc.

3. Mortuo homine ejus humidum radicale habituatum est in primo Chaos, ut in die resurrectionis reducatur in actum, unde sicut humana species conservatur aliis hominibus morientibus & aliis nascentibus, sic humidum radicale cujuslibet hominis inter primum Chaos & tertium conservatur, ut sicut fuit in primo Chaos in potentia ante generationem cujuslibet hominis, sic quolibet homine mortuo revertatur in habitum primi chaos, aliter destrueretur post mortem specificus numerus uniuscujusque hominis in habitu existens, existens in potentia, sed hoc est impossibile, quia potentia & esse convenirent majoritati, habitus autem & privatio minoritati, quod est contradictio manifestè, & contra magnitudinem & justitiam Dei, isto modo etiam potentia primæ intentioni conveniret & habitus secundæ, quod est inconveniens.

4. Primum Chaos habet se ipsum, cùm ex se ipso sit compositum, sicut ejus forma & materia habent sémet ipsas existente formâ in materia & è converso, atque existente ipsâ formâ compositâ de quatuor formis, scilicet de ignificativo, aërificativo &c. & ipsâ materiâ compositâ de quatuor materiis scilicet de ignificabili aërificabili &c. Hoc idem similiter sequitur de tertio, mediante tamen Deo & primo Chaos, nam ipsum sine gratia Dei & influentia primi Chaos non posset se habere.

5. Mediante primo Chaos & mediante patre, qui est in tertio, est homo filius in habitu, qui priùs fuerat in potentia tantùm in primo Chaos, sed quando ipse filius est generatus, tunc est in actu, deductus ab habitu, in quo erat in potentia, in actum, mediante primo Chaos & mediante patre, qui pater & filius in tertio Chaos sunt patre existente altero supposito & filio altero supposito, qui filius, postquam mortuus est, permanet in habitu in primo Chaos tantùm, in quo fuerat tantùm in potentia, quod est, quia factus est propinquus ad esse, remotus à non esse per illum actum, quem, dum vixit, habuit, veruntamen de brutis & plantis non est ita, sed per oppositum, nam ipsa, quæ in primo Chaos fuerant in potentia, post eorum corruptionem numeralem nec in potentia, nec in habitu, nec in actu sunt, licèt ea, de quibus erant, remaneant, quia essent frustra, eò quòd eis resurrectio non debetur.

6. Primum Chaos habet in se tertium & è converso, quod patet isto modo, filius Petri erat in primo Chaos in potentia simpliciter, postquam autem fuit Petrus, fuit ejus filius in habitu respectu participationis primi Chaos & tertii in Petro, veruntamen fuit simpliciter in potentia in esse Petri, sed quando ipse filius fuit generatus, tunc fuit in actu in tertio Chaos simpliciter, mortuo autem ipso filio jam non est in tertio Chaos actualiter nec habitualiter, sed tantùm potentialiter per modum resurrectionis habituatus in primo Chaos, sicut prædictum est, & in hoc monstrari potest, quomodo se habent primum Chaos & tertium.

7. Sicut suprà diximus in primo Chaos sunt *semina causalia, id est, quinque universalia & decem prædicamenta*, individua autem eorum vel sunt in potentia vel in habitu, vel in actu, prout primum Chaos & tertium se habent alio eorum existente in altero, ut suprà exemplificatum est, unde notari potest, quomodo per

per habitum primi & tertii Chaos se habent quinque universalia & decem prædicamenta.

8. In primo & tertio Chaos se habent operatio intrinseca & extrinseca isto modo, pater generat filium à se dividens humidum radicale, quod dat filio suo absque diminutione generantis ipsius humidi, sicut lumen candelæ non diminuitur, licèt dividendo se alteram candelam incendat, quod est, quia, quum lumen ipsius candelæ productum in tertium Chaos dat de se ipso cæteris luminibus, quæ ab ipso incenduntur, tantundem recuperat de Chaos, itaque permanet ipsum lumen idem numero mediante conjunctione operis intrinseci & extrinseci in tertio & primo Chaos.

9. Primum & tertium Chaos se habent per modum differentiæ, concordantiæ & contrarietatis, nam in generatione se habent per modum differentiæ & concordantiæ, sed in corruptione per modum differentiæ & contrarietatis; unde patet, quomodo habitus primi & tertii Chaos existit in principio, medio & fine in majoritate, æqualitate & minoritate, si F. G. sciant directè discurrere per hoc, quod de Chaos jam tractatum est.

b Nunc dictum est, quomodo juxta prædicta se habent primum & tertium Chaos; amodò de habitu quatuor potentiarum videndum est, scilicet vegetativæ, sensitivæ, imaginativæ & motivæ & primò sic.

1. In homine se habet altera potentia cum aliis isto modo, vegetativa in homine est sensata, imaginata, rationata & mota, existens corporalis essentia subjecta sensui, imaginationi, rationi & motui, nam sicut candela à luciditate ignis & luciditas ignis à luciditate solis est illuminatâ, ita est vegetativa à sensitiva sensata, & sensitiva ab imaginativa imaginata & imaginativa à rationali rationata existente potentiâ motivâ id, per quod potentiarum altera se movet in alteram in esse unius suppositi rationalis, alterâ ipsarum habente alteram in se & suum proprium esse numero in se ipsa & in qualibet aliarum, sicut in elementato quodlibet elementum habet in se ipso suum proprium esse numero & in aliis elementis, ut quolibet eorum mixto per alia sint insimul aliquod elementatum.

2. Vegetativa, sensitiva & imaginativa habent rationalem in homine per primam intentionem, rationalis verò habet illas per secundam; itaque ratio prædominatur habitu corporali existente in homine per secundam intentionem sed spirituali per primam.

3. Vegetativum suum vegetabile appetit, cùm sit de ejus essentia, sicut ignificativum suum proprium ignificabile, cùm sit ejusdem essentiæ, itaque vegetativum & vegetabile se habent substantialiter. Sed quoniam vegetativa sensitivam appetit, ut per eam vivens sentiat, habent se ideo sensitiva & vegetativa accidentaliter, ut vegetativa vivens in animali passivè sentiat & sensitiva activè per vegetativam existentem organum.

4. Vegetativa quidem indiget imaginativa, nam, eò quòd sensitiva deficit accipere præsentialiter objecta necessaria vegetativæ, supplet imaginativa illud, in quo deficit sensitiva, nam objecta sensibilia quandoque sunt in absentia sensitivæ, sed semper in præsentia imaginativæ, & per hoc satis patet, quomodo vegetativa, sensitiva & imaginativa se habent.

5. Vegetativa & rationalis se habent isto modo, vegetativa existit forma corpori immediatè, per medium autem existit forma rationalis corpori, movens vegetativam ad vivendum & vegetandum, ut habeat in illa suos actus, scilicet recolere, intelligere & velle.

6. Vegetativa & motiva se habent isto modo, motivum & mobile sequuntur de quolibet elementativo & elementabili per appetitivam, retentivam, digestivam & expulsivam, & per sensitivam, imaginativam & rationativam, prout omnes mixtæ sunt in essentia unius suppositi rationalis.

7. Sensitiva appetit sentire suum sensibile, id est, suppositum sensatum, in quo sensitiva cum cæteris potentiis mixta est, quod patet in homine, sicut prædictum est, præterea appetit sentire plurima objecta videndo, audiendo &c., quæ siquidem objecta sentit in subjecto suo, quod patet in homine, qui sentit videndo, audiendo &c. Unde patet, quomodo sensitivum & sensibile se habent, nam sensitiva est agens forma sentiens simpliciter, totum verò suppositum, quod est homo, est sensibile. Præterea ipsa sensitiva sentit plurima objecta, nam homo sentit per accidens scilicet per formam sensitivam, qui etiam est sensibilis, quia patitur, ut in se ipso sentiat.

8. Sensitiva & imaginativa se habent alterâ potentiarum existente in altera, sicut forma in forma sensitivâ sentiente objecta corporalia & dante species eorum imaginativæ, ut ipsa

ut ipsa imaginativa habeat illa objecta in absentia sensitivæ, per absentiam sensitivæ supplens objecta sensata ministrando.

9. Sensitiva & rationalis se habent, quia altera forma existit in altera vivente sensitivâ in supposito per rationalem, non autem è converso, dante tamen sensitivâ sensualia objecta rationali, ut anima possit recolere, intelligere & diligere vel odire, ipsâ rationali movente sensitivam, ut sentiat & sentiendo vivat, & ut illâ vivente rationalis recolat & in se faciat vivere sensitivam, ut corpus in anima vivat, sicut sensitiva in corpore vivo sentit.

10. Sensitiva & motiva se habent hoc modo, nam sensitiva est motiva per quinque sensus suos, ejúsque mobile est corpus subjectum illi scilicet sensitivæ, in quo ipsa est agens, sentiens objecta, corpus verò patiens, sentiens calorem, famem, frigus, sitim &c. quod est, quia sensitiva species sensuales attrahit, ponens illas in suum sensibile, sicut intellectus agens species intellectuales ponit in intellectu possibili, etiam sensuales imaginativâ tamen mediante.

11. Imaginativa se habet ad suum imaginabile isto modo: id, quod sentitur, est imaginabile, scilicet id objectum, quod est sensibile, deinde, dum id imaginatur, traditur rationali, imaginativâ tunc existente passivâ, rationali verò activâ, nam rationalis movet imaginativam, ut per eam mensuret triangularem vel quadrangularem vel circularem figuram, sub qua suppositum sensibile situatum est.

12. Rationalis similiter se habet cum suo proprio rationabili, scilicet cum suo proprio recolibili, intelligibili & diligibili, quod est Deus, hoc siquidem objectum est ei per primam intentionem, præterea habet aliud secum rationabile, cum quo ipsa est unum suppositum incorporeum scilicet suum proprium recolibile, intelligibile & volibile suæ naturæ, istud etiam objectum est per primam intentionem respectu aliorum objectorum inferiorum, habétque similiter aliud objectum, quod non est suæ naturæ, licèt conjunctum sit ei, scilitet corpus, cum quo ipsa unita sunt ambo homo, in quo ipsa recolit, intelligit & diligit vel odit, & illud est ei objectum per primam intentionem respectu inferiorum, habet etiam alia objecta exteriora, quæ sunt ei objecta per secundam intentionem respectu prædictorum superiorum.

13. Rationalis est motiva recolitivo movente suum recolibile & intellectivo suum intelligibile & volitivo suum volibile. Iste autem virtualis motus est spiritualis, non autem localis, neque temporalis, qui est incessans essentialis & substantialis, existens idem essentialiter cum essentia animæ, per hunc autem motum anima movens semet, in se movet corpus ad vitam, quod vivit & sentit in esse animæ, sicut sensitiva, quæ sentit in esse corporis.

14. Motiva habet semet in se, nam motus aggregatus est ex rationali imaginativa, sensitiva & vegetativa in homine, in quo ipsæ quinque potentiæ mixtæ sunt, ut sint quoddam suppositum, quod est homo, qualibet earum habente cœteras in se, cùm sint mixtæ.

Nunc autem freti Dei auxilio de quinque prædicabilibus & decem prædicamentis explicuimus, scilicet, quomodo se habent in Chaos, & secundùm ea, quæ de ipsis discurrendo diximus, potest artista discurrere, ponens hæc prædicta quindecim principia secundùm T. in figuram demonstrativam distribuendo alphabetum litterarum ejus isto modo. B. significat genus, C. speciem & sic de aliis, quoniam, si bene discurrere sciat, inveniet illud particulare, quod ab illo quæritur de prædictis quindecim principiis, sed quoniam figura demonstrativa sedecim litteras continet, quindecim quarum assignavimus quindecim prædictis principiis, ut prædictum est, ultima igitur remanet assignanda, ut autem earum numerus sic non remaneat incompletus, nos eidem litteræ, quæ est R., assignare volumus humidum radicale, de quo prosequimur isto modo.

R.

De Humido radicali.

1. OMnia humida radicalia in virtute primi Chaos creata sunt, quorum situatio quinque modis consideranda est.

a. Prima quidem est inter primum, secundum & tertium Chaos, nam primum fuit materia, unde vivit secundum, & secundum est materia, unde tertium vivit. Species enim humidi radicalis existit in particularibus primo Chaos existente subjecto eorum, quæ siquidem species sensibilis est per individua sua, sicut stellæ in firmamento, primum tamen Chaos est invisibile & insensibile, sicut firmamentum, ubi stellæ fixæ sunt.

b. Secunda est in hoc, quòd plantæ in terra existunt habentes quælibet in se suum humidum radicale viventes ab omnibus elementis, cùm ex illis recipiant nutrimenta primo Chaos communicante se tertio convertenti materiam elementorum & formam in materiam & formam cujuslibet plantæ, quæ siquidem materia cum forma specifica & accidentibus propriis est humidum radicale, quod ex altera planta generatum est, quæ idem est specie cum illa, quæ generatur.

c. Tertia est in insertione arborum, sicut in pomo, in quo inserta est pyrus, nam humidum radicale pyri vivit de forma & materia pomi convertens illam in suam propriam formam & materiam.

d. Quarta est in animalibus per modum generationis, nam quodlibet animal de suo humido radicali specifico generat alterum animal suæ speciei, sicut homo hominem absque diminutione sui humidi radicalis numeralis illo modo, sicut lumen generans alterum lumen nihil diminuit de suo esse numerali, vel sicut substantiâ generante substantiam non diminuitur de numero substantiæ generantis.

e. Quinta & ultima est in beneficio vitæ, quod animalia ab elementatis suscipiunt, sicut quando homo natus est, vivit ex hoc, quod ab elementatis suscipit in suum humidum radicale sugendo, comedendo, bibendo, anhelando, & sic de aliis animantibus.

2. In primo Chaos creatæ fuerunt omnes species in potentia & reductæ ad actum in secundo, deinde in tertio, itaque de primo Chaos producta fuerunt humida radicalia in secundum & nunc producuntur in tertium, quæ humida radicalia descendunt à primo Chaos sine suî ipsius diminutione.

3. In grano in terra mortuo, ut plura grana de se generet, est humidum radicale, quod ab altero grano suo genitore recipit, quod quidem granum dividit humidum radicale suum in plurima grana similia, sicut candela ab altera accensa accipit humidum radicale, de lumine candelæ, à qua accenditur sine suî diminutione, & ita quodlibet humidum radicale augmentatur usque ad perfectum esse suum, quod augmentum est in hoc, quod humidum radicale generans transmutat in materiam suam & formam, materiam & formam primi Chaos influxam in tertium, sicut ignis in materiam suam & formam, convertit materiam & formam lignorum, quantitate quorum crescit ignis quantitas, destructio autem humidi radicalis grani generantis est, quoad numerum ejus, sed in granis generatis essentia ipsius humidi conservatur.

4. In inserto fit transmutatio de uno humido radicali in alterum humidum radicale, permanente quolibet eorum distincto: hoc dico, quantum ad partem inferiorem & superiorem in specie sua, sicut fit transmutatio humidi radicalis equi & asinæ in productione muli retinente quolibet eorum suum humidum radicale numerale, illud autem humidum radicale, quod est in parte superiori arboris insertæ, vivit ex humido radicali partis inferioris ipsius arboris convertens in materiam suam & formam, materiam & formam partis inferioris, unde essentia partis inferioris ascendens ad superiorem partem dimittit formam suam, quia essentia informatur à forma superioris partis, ut humidum radicale partis superioris vivat propter influxam essentiam ab humido radicali partis inferioris, & quantum de essentia inferioris partis transmutatur in formam superioris, tantundem recuperat pars inferior de primo Chaos influente in illam.

5. Ex substantia & accidentibus viri & mulieris generatur humidum radicale in utero mulieris à viro concipientis, illud autem humidum vivens in utero ex materia matris est embrio, unde illud, quod à patre & matre infunditur proli, à primo Chaos eisdem parentibus restauratur, nam vescentibus illis per vim nutritivæ, quod proli infuderant, restauratur.

6. In specie hominis generatur embrio ex humido radicali viri & mulieris, aliter non esset eorum filius naturalis, nec ob hoc diminuitur humidum radicale viri & mulieris numerale, imò permanet quodlibet humidum radicale tam viri, quàm mulieris in suo proprio esse numerali & indivisibili, aliter nullus homo esset in suo proprio esse specifico idem numero diversis temporibus, quod est impossibile.

7. Illa materia specifica & forma specifica, quæ sunt generatæ, acceptæ sunt de humido radicali viri & mulieris, quæ existebant in eis in potentia, & sicut unus cereus accensus de suo lumine alium cereum incendit, remanens adhuc in suo esse specifico, sic illa virtus, quæ humidum radicale numerale viri & mulieris conservat, non diminuitur in generatione filii, ut sit esse specificum cujuslibet scilicet viri & mulieris, aliter nullus homo haberet suum esse specificum numerale, quod est impossibile.

8. Præterea illud, quod vir & mulier generantes recuperant à primo Chaos pro eo, quod de se transmutaverunt in filium, inest eis per modum nutrimenti, nam ipsi viventes essentiam primi Chaos transmutant in suam substantiam corpoream, unde vivit utrumque humidum radicale illorum, sicut lumen de oleo, & planta de pluvia & terra. Restat igitur differentia inter essentiam humidi radicalis, per quod homo habet esse specificum & essentiam etiam, de qua vescendo nutritur per modum transmutationis illius in sanguinem & de sanguine in carnem, & de carne in membra &c. partibus primi Chaos intrantibus in tertium, quod satis patet in igne, qui excutitur ex lapide & ferro, qui habet suam propriam formam & materiam, quæ sunt sibi suum humidum radicale numerale, materia autem & forma olei, de quo vivit, sunt sibi humidum nutrimentale; *hoc idem patet in potentia vegetativa habente in se quatuor potentias, scilicet appetitivam, retentivam, digestivam & expulsivam*, nam ipsa specifica essentia humidi radicalis per appetitivam appetit essentiam nutrimenti sui, quæ digesta est ad dandum illi sustentationem; itaque ipsa essentia humidi radicalis se retinet numero specifico retinens illam essentiam nutritivam, ut per illam vivat, postquam autem habet ab illa id, quo indiget, expellit eam per potentiam expulsivam.

9. Secundùm prædicta patet materiam nutritivam non esse idem numero cum materia humidi radicalis, nam ipsa materia denudata à propria forma existens sub essentiali forma humidi radicalis, habet alteram formam in potentia, quæ forma, dum materia illa per potentiam expulsivam expellitur, reducitur in actum.

10. Posito, quòd homo hominem comedat, non sequitur propter hoc humidum radicale comesti posse converti in humidum radicale comedentis, nam homo ille, cujus humidum radicale converteretur, amitteret suum esse numerale, quod esset sine fine, & justitia Dei non uteretur judicio, quod est impossibile, unde posito, quòd homo hominem comedat, materia humidi radicalis comesti retinet suam specificam formam semper in habitu, quam eandem recuperabit in actu ipsa materia in die resurrectionis, aliter non esset Idea Dei perfecta. Restat igitur, quòd quomodocunque aliquid de ipso humido sit divisum, est pars ipsius humidi radicalis, unde licèt homo hominem comedat, non sequitur, quod humidum radicale comesti convertatur in humidum radicale comedentis numerale, sed in humidum nutrimentale, sed potiùs vivit humidum radicale comedentis de humido radicali comesti, sicut ignis vivit de essentia candelæ accensæ.

11. Aqua frigida habet caliditatem in potentia, ideo quando ignis calefacit illam in olla, tunc est in actu caliditas multiplicata per prædictam caliditatem potentialem, & quantò fortiùs calefit, tantò fortiùs augetur caliditas, donec bullit, simili modo ab instanti, quando embrio generatus est, augetur illud modicum quid humidi radicalis paulatim, usque sit perfectus homo, nam illud quid in virtute substantiæ est multiplicabile, veruntamen quoad ejus esse specificum & numerum, postquam generatum est, non suscipit augmentum neque decrementum, quoad humidum numerale, hoc autem habet ita esse, ut sit verus patris filius & verus homo, quoniam si foret augmentabile de aliena essentia non producta à parentibus illis, de quibus generatum est, non esset perfectus filius, neque perfectus homo, quod est impossibile, unde sicut in primo Chaos & virtute ejus creatum est, quicquid est in tertio, sic in virtute humidi radicalis, quod recipit puer in generatione, est augmentabilis quantitas humidi radicalis pueri & corporis ejus, ût suprà significatum est.

12. Videtur, quòd puero mortuo suum humidum radicale in die resurrectionis augmentandum est in illa prima virtute humidi radicalis, per quam esset augmentatum, si vixisset ille puer, quousque perfectus homo devenisset, quod tamen oportet ita esse secundùm assituationem partium ejus, quas Idea Dei & Justitia conservavit.

Ista quidem sufficiant de secunda figura elementali, in qua, prout potuimus, de Chaos fuimus prosecuti, ne autem in confusam prolixitatem operis tenderemus, multa quidem suppossuimus, & quæcunque sint illa, nos ipsa scimus procul dubio per demonstrationis probabilia in secunda figura elementali, si per T. artis regulæ dirigantur.

Explicit Liber Chaos.

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI COMPENDIUM SEU COMMENTUM Artis Demonstrativæ.

DEUS Sanctissime, qui es ineffabiliter glorioſissimus & benedictus in æternum & immensus in omnibus tuis perfectionibus, intentione te cognoscendi & diligendi & tibi serviendi, qui es fons & origo omnis sapientiæ & dilectionis, & cujus imperio reguntur omnia, incipit *Compendium Artis Demonstrativæ.*

DE PROLOGO.

QUoniam omnis scientia est de universalibus, ut per universalia sciamus de particularibus reddere rationem, igitur auxiliante gratiâ omnipotentis DEI hanc artem omnibus scientiis universalem tanquam breve compendium compilamus; ut particulare, quod quæritur, artificiosâ indagatione possit facilè inveniri.

Multæ quidem sunt utilitates, propter quas hæc ars est inventa; instruit enim nos intelligere & diligere Deum, adhærere virtutibus, odire vitia, & confundere cogentibus rationibus infidelium erroneas opiniones. Docet etiam facere & solvere quæstiones, & alias scientias sub brevi spatio temporis posse acquiri & reduci ad necessarias conclusiones secundùm exigentiam materiæ, *& ostendit inquiri & inveniri conditiones rerum & proprietates*, & ad puncta transcendentia præsertim elevat intellectum, nec non alia multa utilia sequuntur scientibus istam artem.

Dividitur igitur hoc præsens opus generaliter in *tres distinctiones*, quarum *prima* est de Figuris, *secunda* de Regulis, *tertia* verò & ultima de Quæstionibus.

Intentio, quare in hac arte figuræ traditæ sunt, est, ut per sensum imaginatio, & per imaginationem intellectus sentiat auxilium, & maximè ut per eas universalia principia in eis appareant, & ad memoriam faciliùs reducantur. Regulæ verò sunt in hac arte, ut doctrina regulata per eas habeatur in inquisitione particularis, ut regulatum judicium inde prodeat. Quæstiones autem hîc subjunctæ sunt propter exempli gratiam, ut per eas perpendat Artista cæteras quæstiones solvere.

In hac arte tot sunt significationes alphabeti, quot in figuris apparent: hoc enim ita habet esse, ut ars possit tractari brevius, & intellectus sub verborum compendio verum objectum possit attingere. Et licèt secundùm multas significationes figurarum alphabetum hic indifferenter & diversimodè accipiatur, verumtamen frequentiùs utimur alphabeto S: quare in principio ipsum ponimus unà cum aliis literis, quæ significant figuram.

Alphabeti autem significatio talis est: A. ponitur esse *Deus*, B. *Memoria recolens*, C. *Intellectus intelligens*, D. *Voluntas diligens*, E. *Actus* B. C. D.; qui videlicet actus est recolere intelligere & amare. F. ponitur esse *Memoria recolens*, G. *Intellectus intelligens*, H. *Voluntas odiens*, I. *Actus* ipsorum F. G. H. videlicet recolere intelligere & odire. K. ponitur esse *Memoria obliviscens*, L. *Intellectus ignorans*, M. *Voluntas diligens vel odiens*, N. *Actus* ipsorum K. L. M. videlicet oblivisci & ignorare & diligere vel odire: & O. *Compositio actûs* B. F. K. scilicet recolere & oblivisci, P. *Compositio actûs* C. G. L. scilicet intelligere & ignorare, Q. *Compositio actûs* D. H. M. scilicet diligere & odire, non diligere & non odire. Est autem R. *Compositio actûs* ipsorum O. P. Q. videlicet idem, quod recolere & oblivisci, intelligere & ignorare, diligere & odire, non diligere & non odire.

Est adhuc alius quadrangulus ipsius S., de quo, cùm nihil ponat in esse, non facimus mentionem, & quia etiam non sufficiunt literæ alphabeti: hic autem quadrangulus est non recolere, non intelligere, non diligere, neque odire; hic autem unà cum aliis componit ipsum R.

S. verò ponitur esse anima intellectiva, T. principia universalia, V. virtutes & vitia, X. oppositа, Y. veritas, Z. falsitas.

Hæc significatio alphabeti multùm est utilis, & hæc præ cæteris significationibus alphabeti cordetenus notanda est. Aliæ quidem sunt significationes alphabeti hîc acceptæ, sicut in A. T. &c.: in A., sicut B. dicitur Bonitas, C. Magnitudo, D. Æternitas &c.: in T. etiam, sicut B. dicitur Deus, C. Creatura, D. Operatio &c. & sic de singulis figuris suo modo, sicut in *Tabula* videri potest.

INCIPIT PRIMA DISTINCTIO QUÆ EST De Figuris.

EIguræ hujus Artis sunt *quindecim* numero, quæ sunt istæ, videlicet A. S. T. V. X. Y. Z. *Theologiæ, Philosophiæ, Juris, Elementalis prima & secunda, Demonstrativa prima & secunda, & de Alphabetis.*

Intelligendum tamen est, quòd principaliter ars consistat in S. T., ipso S. debito modo miscente triangulos T. in se & in T. & in aliis figuris, ut E. habeat Y., & I. habeat Z. *Etiam notandum est, quòd de quacunque scientia potest simili modo figura fieri recipiendo proprios terminos & redigendo eos consimili modo sub certis literis alphabeti.*

Hæc igitur distinctio figurarum in *duas partes* est divisa: In *prima* parte traditur explanatio figurarum grosso modo & superficialiter, ut auditores faciliùs imaginentur figuras, ne nimia subtilitas doctrinæ eorum imaginationibus inferat nocumentum. In *secunda* verò parte adhuc iterantur figuræ subtiliter ad acuendum ingenium scholaribus: & hîc acquiritur summa utilitas speculationis hujus Artis.

PRIMA PARS FIGURARUM.

De Figura A.

1. INtentio, quare figura A. est in hac arte, est, quia, quidquid est, propter Deum est, & ab ipso est, ipse enim est principium medium & finis omnium entium. Hæc Ars docet nos eum cognoscere & diligere: habitâ namque à nobis cognitione & dilectione Dei per consequens nos docet ars cognoscere & diligere effectum illius, cùm in cognitione causæ cognitio effectûs elucescat. Intellectus igitur sic investigativus habens se ad illum finem, quare est, adjuvamentum & virtutem consequitur, ut verum objectum, quod inquirit, attingat.

2. Ratio

2. Ratio autem, quare hæc figura sic disposita est sub sedecim terminis in ea contentis, est, quia, licèt in Deo sint infinitæ dignitates, nihilominus sedecim dignitates ejus nobis notas accipimus, & proportionantur sedecim literis Alphabeti contentis in ipsa figura, sufficiunt enim nobis ad ea, quæ de Deo volumus indagare: per has etiam Deum cognoscimus, & ad similitudinem earum nostræ perfectiones creatæ sunt, atque per eas de ipsis perfectionibus, de quibus constituti sumus, habemus notitiam, & ad veritatem earum & nostri vero judicio devenîmus.

Omnes autem istæ sedecim dignitates per A. repræsentantur; & idcirco quando profertur A., vel prædicatur de eo, intellectus in summa omnes literas, quæ sunt in A., in suis significatis attingit. Et quoniam unum ût plura, & plura ût unum attingit, hoc auxilio consequitur magnam virtutem combinando quandam literam cum aliâ vel cum aliis, applicans illam dignitatem vel illas dignitates, quibus ex A. indiget ad attingendum particulare, quod inquirit. Et hoc, quod hîc sequitur de A., sequitur etiam suo modo de aliis figuris habentibus alphabetum.

De Figura S.

1. FIgura S. posita est in hac arte, quia Artista hujus Artis ratione animæ intellectivæ investigativus est, ut attingat veritatem objecti: S. enim est tanquam agens super cæteras figuras hujus artis.

2. Ratio autem, quare ipsum S. vel anima sic dispositа est in figura, est, quia anima intellectiva, quidquid agit, ratione E. I. N. R. agit. R. significat objectivè confusionem materiæ universaliter; sicut prima materia, quæ universalis est pluribus formis. N. verò in hac arte est ratione suppositionis, ut supponendo suam materiam depuret à confusione R.; quâ depuratâ est suppositio, ut in E. attingens Y. vel in I. attingens Z. se possit transformare demonstrativè vel per probabiles rationes secundùm exigentiam illius materiæ, de qua disputatur. E. similiter est, ut discretivè sumat objecta diligibilia, I. verò odibilia. De specie ipsius I. accipimus F. G., quæ sinè additione H. vel D. discurrentia vocamus in investigatione particularis prævia suppositione ipsius N. Debent enim ista duo discurrentia sinè H. investigando discurrere per objecta, ut invento particulari de illo fiat judicium quoad rationem F. G., priusquam D. vel H. illud attingat, quia impediret sententiam veri judicii.

De Figura T.

1. FIgura T. in hac arte necessaria est, eò quòd T. est instrumentum, per quod S. inquirit optata objecta, præsertim cùm ipsum T. sit de principiis universalibus constitutum, & in ipso omne particulare possit implicitè vel explicitè reperiri universando mutuò aliud universale cum alio, descendente Artistâ de universali ad particulare ipsius universalis, sicut si descenderet de E., cùm sit universaliter constitutum ex tribus actibus videlicet ipsorum B. C. D. ad istud particulare, quod est de B. vel de C. vel de D.

2. Ratio autem, quare figura T. sic disposita est, consistit in hoc, quia unusquisque triangulus ipsius T. est universale, in quod cadit, quidquid est, ût per se patet; & sunt quinque trianguli, quoniam ita necesse est ratione literarum alphabeti, quod est in ipso T.: si enim essent plures trianguli, non utique sufficeret alphabetum; etenim arbitramur, quòd, quicunque alius triangulus possit excogitari adeò universalis sicut isti, in aliquo sive in aliquibus istorum implicitè continetur. Si autem essent pauciores quàm quinque, sic esset ars defectiva ratione absentiæ alicujus istorum triangulorum. Hæc etiam necessitas suo modo cadit in cæteras figuras hujus artis.

De Figura V.

1. QUoniam hæc ars docet nos cognoscere & diligere bonum, & cognoscere & odire malum, necessaria est figura V. in hac arte, ut E. teneat objectivè virtutes, scilicet V. lividum, I. verò vitia, scilicet V. rubeum, propter hoc, quòd in perpetua patria E. habeat A. in magnitudine bonitatis, magnitudinis &c. ipsius A. & ipsius E.: & si sic, honestè quidem & virtuosè viventes felicitatem hujus transitoriæ vitæ & maximè perpetuæ vitæ beatitudinem acquiremus.

2. Ratio verò, quare figura V. sic est disposita, est, quia septem sunt virtutes generales omnibus aliis virtutibus, & septem sunt vitia generalia omnibus aliis vitiis. Alia etiam virtutum cum alia mixta est, & aliud vitiorum cum alio, ut virtus per virtutem & vitium per vitium, etiam virtus per vitium & vitium per virtutem cognoscatur: neque in majori neque in minori numero ponuntur, ut antiquorum consuetudinem observemus.

De Figura X.

OPpositorum figura, quæ est X., ordinata est in hac Arte intentione inquirendi notitiam illorum terminorum oppositorum, qui generaliores sunt, quolibet eorum existente sive per modum concordantiæ sive contrarietatis oppositio alii: hoc enim indigemus in arte, ut inquirens particulare investiget illud per modum oppositionis, & maximè per illos terminos, qui sunt cæteris generaliores: sed quoniam in præsenti figura sunt generaliores oppositiones, quas arbitramur posse inveniri, propter hoc sunt isti termini in hac figura X. potiùs quàm alii.

1. *Prædestinatio* & *liberum arbitrium* ex oppositio posita sunt, ut sint occasio memorationis Artistæ ad puncta transcendentia, ad quæ quandoque intellectum ascendere necesse est, quemadmodum ascendit rationabiliter intelligens in ratione sua contradictionem prædestinationis & liberi arbitrii, si starent simul ad invicem respectu unius subjecti; sed postmodum se denudat à ratione, & transit ad rem, & tunc intelligit prædestinationem & liberum arbitrium respectu unius subjecti esse ad invicem ratione Sapientiæ & Justitiæ Dei & perfectionis earum.

2.3. Oppositio *esse* & *privationis* sive *non esse* & *perfectionis* & *defectûs* est, ut Artista inquirat & recipiat rerum conditiones seu proprietates, secundùm quòd aliæ aliis sunt oppositæ, & faciat in conclusione concordantiam esse & perfectionis contra privationem & defectum affirmativè, & è converso negativè: cùm esse & perfectio concordent majoritati & veritati, non esse verò & defectus minoritati & falsitati; quod est, quia esse & perfectio, cùm sint similitudines A. & ex parte veri entis, plùs possunt contra non esse & defectum, quæ sunt dissimilitudines A. & ex parte non entis & falsitatis, quàm è converso.

4. Oppositio autem *meriti* & *culpæ* hîc est, ut Artista sub ratione meriti evitans culpam discurrat per objecta affirmans de A. & de cæteris figuris secundùm earum conditiones ea, quæ affirmanda sunt, vel negans ea, quæ de illis neganda sunt; quoniam quando E. I. N. adhærent objectis illicitis & maximè contra finem, quare sunt, tunc incurrunt culpam; ût si quis scienter repugnat articulis & præceptis Fidei, vel quando arroganter, ut appareat, oppugnat contra conscientiam, quod secundùm justitiam defendendum est, quoniam sic incurrit mendacium & falsitatem; vel si quis mortali vicio adhæreat, vel cæteris rebus illicitis intendat; ût si quis hanc artem legere vellet causâ cupiditatis pecuniæ contra charitatem, vel causâ inanis gloriæ & apparentiæ contra humilitatem; hoc enim non requirit Ars, tales namque habent intellectus deviatos & improportionatos ad hanc artem acquirendam.

5. Oppositio *suppositionis* & *demonstrationis* est hîc ad acquirendam notitiam suppositionis & demonstrationis, videlicet quomodo ista se habent mutuò, quam scilicet notitiam possumus acquirere per S. T. investigantes conditiones earum, quas conditiones habent secundùm naturam & conditiones triangulorum, nam alia illarum sequitur ex alia tanquam finis ex principio & è converso; suppositio quidem ex parte principii, demonstratio autem ex parte finis, concordante suppositione cum N., sed demonstratione cum E. I.

6. Oppositio *mediatè* & *immediatè* est, ut dirigatur Artista in investigatione & judicio particularîs ad rectè concludendum: nam alio modo contingit concludere mediatè, & alio immediatè, sicut in prædestinatione & libero arbitrio, nam mediante perfectione Sapientiæ & Justitiæ Dei concluduntur prædestinatio & liberum arbitrium simul stare: immediatè verò ipsâ perfectione uni tantùm additâ concluduntur impossibile esse simul stare, quando ipsa perfectio Sapientiæ vel Justitiæ Dei ad K. L. reducitur.

7. Oppositio *realitatis* & *rationis* est hîc, ut perpendat Artista, quando & quomodo realitas & ratio sunt simul, vel alia illarum est sinè alia, quibus cognitis dirigat F. G. ad attingendum distinctimodè similitudines, de quibus res constituta est realiter & phantasticè, ex cujus rei similitudinibus objectibilibus ex parte objecti & ex similitudinibus objectivis ex parte potentiæ verbum phantasticum constitutum est in ratione, ita quòd Artista judicando plùs dependeat ex parte rerum causatarum ex ente reali, quàm ex parte rerum causatarum ex ratione tantùm; quemadmodum in misericordia de A. patet, nam ipsa plùs est judicabilis quò ad subjectum æternitatis, quàm quò ad nostram rationem.

8. Oppositio *potentiæ* & *objecti* est hîc, ut Artista cognitionem habeat, quomodo potentia & objectum se habent, sicut in verbo phantastico attrahente potentiâ intellectivâ sive

sive optativâ similitudines objecti ex ipso objecto, & influente virtutem in ipsum objectum, ut ipsæ similitudines objecti activæ sint impressivæ. In hoc igitur, quòd attrahit, & influit, est ipsa potentia activa, sed passiva in hoc, quòd ab objecto recipit impressiones. Et de hoc ampla datur doctrina miscendo T. in hac oppositione.

De Figura Theologiæ.

1. NEcessaria est in hac arte figura Theologiæ; quia, cùm Theologia sit Scientia Divina, finis etiam omnium scientiarum immediatiùs se habet ad A. cæteris scientiis: hæc igitur figura constituta est de principiis universalioribus & magis ad Theologiam pertinentibus, quæ potuimus considerare; nam habitâ cognitione de quolibet principio hujus figuræ potest Artista miscendo aliud istorum principiorum cum alio secundùm proprietates & conditiones eorum multiplicare universale, & inde recto judicio ad particulare descendere, secundùm quod debita conditio principiorum universalium requirit.

2. In hac igitur figura est *essentia*, ut hic terminus reducat memoriam investigantis ad essentias rerum ita, quòd si fiat quæstio de essentia, inquirat solutionem secundùm naturam & proprietatem essentiæ; quæ scilicet natura & proprietas inveniri possunt secundùm modum investigandi conditiones seu proprietates. De isto autem modo requiratur in T., ubi datur exemplum de isto modo investigandi. Et quod dicitur de essentia, potest dici similiter de *vita* & de cæteris principiis suo modo.

De Figura Philosophiæ.

1. UT etiam Artista quoad rationem Philosophiæ inquirat naturas & proprietates rerum sciens eas ad propositum applicare, necessaria est in hac arte figura Philosophiæ, in qua traditur notitia terminorum magis generalium, quos ex Philosophia elicere potuimus ad judicandum de particularibus Philosophiæ: & idcirco hîc accepti sunt ii termini Philosophiæ, quos ipsa figura continet, potiùs quàm alii.

2. Hæc autem figura sic dispositа est & ordinata in circulo, eò quòd circulus partes suas habet quamlibet in alia, & sic est infinitus non habens principium medium & finem. Hujus autem circuli proprietas significat in hac arte, quòd Artista quemlibet terminum hujus figuræ ponens in alterum terminum ejusdem circulariter in investigatione particularis concludat secundùm ea, quæ revelabuntur ei ex illa circulari mixtione, existente quolibet ipsorum terminorum in sua proprietate simpliciter, sicut per se stat, & sicut est in circulo. Hoc autem faciat Artista per T. ponens ipsum T. in ipso circulo, ita quòd conditiones & proprietates ipsius T. & ipsorum terminorum prædictorum Philosophiæ integræ permaneant & illæsæ.

De Figura Juris.

1. CUm scientia Juris in multis voluminibus multùm prolixè & confusè sit edita, & infinita sint accidentia, quæ illi contingunt, idcirco figura Juris est in hac arte ex tantis & talibus principiis aggregata, quòd inde Jurista potest elicere unumquodque particulare Juris, & iterum illud reducere ad suum universale.

2. Ratio autem, quare termini hujus figuræ Juris sunt isti & non alii, est, quia sunt generaliores & magis necessarii secundùm scientiam Juris quàm alii, quicunque sint: nec sunt plùs neque minùs, quia sic exquirit numerus alphabeti.

De Figura Y. & Z.

IN hac arte sunt Y. Z., eò quòd finis hujus artis est, Y. esse objectum ipsi E., & Z. esse objectum ipsi I., destructâ confusione ipsius R., & suppositione ipsius N. conversâ in E. Y. & I. Z. evidenti declaratione.

De Figura Elementali.

1. ELementalis figura in hac arte necessaria est, ut Artista naturalis cognitionem habeat de elementis & de eorum mixtionibus compositionibus sitibus motibus &c. hujusmodi, quæ ad naturam eorum pertinent, quæ situs & dispositio hujus figuræ repræsentant, quemadmodum manifestè perpenditur posito T. in ea, ût de hoc per exemplificationem infrà patebit.

2. Ratio autem, quare hæc figura composita est ex his principiis & non ex aliis, est, quia ipsa figura est de elementis, & quoniam non sunt nisi quatuor elementa, de quibus generabile habet esse, ideo non sunt in hac figura plures termini iis quatuor.

Est autem *prima figura* elementalis sic dispositа, sicut patet, ut per talem situm & dispositionem compositiones mixtiones &c.

hujusmodi inde significentur, ût prædictum est. *Secunda* verò *figura* elementalis est, ut quælibet camera ipsius sit subjectum, in quo T. poni debet ad formandum universale, ut particulare, quod ex elementali natura quæritur, inveniri possit.

De Figura Demonstrativa.

1. DEmonstrativa figura est in hac arte ad majorem comprehensionem & compendium omnium aliarum figurarum; hæc enim est prædictis figuris omnibus generalis, cùm eas comprehendat in se, & contineat; habetur enim per eam speculatio infinitæ materiæ: & sic ista ars per hanc figuram sub compendio speculandi memoriæ commendatur. Debet autem fieri hæc figura de metallo secundùm suos circulos volubiles eo modo, sicut repræsentatur in Tabula figurarum.

2. Hæc etiam figura ita disposita est ex duplicibus literis alphabeti, ut cæteras figuras in duplici alphabeto dupliciter comprehendens possit per revolutionem suorum circulorum quamcunque cameram compositam vel combinatam, cujuscunque sit figuræ, repræsentare; nam ex eo, quòd circuli sunt volubiles, possunt misceri literæ ad invicem alia in rectitudine alterius ad formandum cameram, ût de B.B. vel B.C. vel B.D. vel C.D. &c., aut etiam de A.A. vel A.S. &c., aut etiam de *igne igne*, vel de *igne aëre* &c.: unde formatâ camerâ, quamcunque vult, tunc Artista per totum circulum recipit significationem literarum, secundùm quòd literæ significant proprietates terminorum figurarum per literas hujus figuræ descriptas.

3. Secunda figura demonstrativa est in hac arte ita disposita, ut repræsentet, quòd figuræ, unde ipsa est composita, mixtæ sunt alia cum alia ad inquirendum universale discurrente T., per quamcunque cameram Artista voluerit; cùm omnes cameræ hujus figuræ sint subjecta ipsis F.G. discurrentibus cum T. ad eliciendum particulare, quod appetunt secundùm naturam & proprietatem camerarum & ipsorum F.G.T.: hæc etiam secunda figura demonstrativa continetur in prima.

De Figura Alphabeti.

1. ALphabeti figura est in hac arte, eò quòd cæteris figuris, quæ habent alphabetum, sub ista comprehensis Artista ad altius universale feratur; nam quantò universale altius est, tantò agit Artista super materiam ampliorem ad indagandum in eo particulare, quod optat, atque forma in illa magna materia inquirendi vehementiùs potest extendere virtutem & suos radios, & ad inquirendum particulare per vias latiores diffunditur.

2. Hæc autem figura sic disposita est, quia in qualibet camera debet F. G. discurrere cum T. ad inquirendum particulare, secundùm quòd duæ literæ, de quibus camera constituta est, significant ratione figuræ, cujus sunt; ita ût si ponatur quæstionem esse de A. videlicet de bonitate & suo bonificare, sic cadit in cameram B.B.; si verò sit de bonitate & magnitudine, sic cadit in cameram B.C., & sic de aliis suo modo. Si autem quæstio fiat de creatura & operatione, sic cadit in cameram de C.D. secundùm significationes principiorum ipsius T.: & sic significat C. creaturam, & D. operationem, sicut in T. patet, & sic de aliis. Sic igitur concludendum est, quòd virtutes & conditiones camerarum non destruantur; & acceptis significatis & virtutibus cameræ antecedentis descendendum est & ascendendum discursivè per lineas hujus figuræ transeundo de camera ad cameram, ut Artista ad particulare, quod inquirit, sciat elicere diversas rationes.

3. Nunc de prima parte figurarum leviter & grosso modo dictum est, sicut decet in ingressu ad instructionem hujus artis, ut in introitu ipsius Auditores primò apertiùs figuras imaginentur, & priusquam ad subtiliora intellectus eorum ascendant, discant minùs subtilia tolerare; ob hanc igitur causam oportet ipsas figuras multò magis arduâ & subtiliori traditione iterum declarari, & hic apparebit sublimitas & finis utilis hujus artis, secundùm quod etiam practicando subjungentur exempla.

SECUNDA PARS FIGURARUM.

OMnes igitur figuras ad summam evidentiam hujus artis iteramus. Sed quoniam T. est instrumentum ipsius S., eò quòd S. est ipsum agens de T. super cæteras figuras hujus artis & etiam super omnem aliam materiam, quam S. potest attingere, idcirco ut de ipso instrumento priùs per ipsummet instrumentum & de ipso agente per suum instrumentum habeamus cognitionem operandi, de T. priùs prosequi intendimus, & consequenter de S. & deinde de cæteris figuris suo ordine.

De

De Figura T.

PRimò igitur figuram T. in *quatuor partes* dividimus; quarum *prima* est de explanatione triangulorum T., *secunda* de inquisitione proprietatum sive conditionum terminorum triangulorum, *tertia* de mixtione triangulorum, *quarta* de applicatione triangulorum ad opus videlicet ad quæstiones discutiendas.

De prima Parte T.

De Explanatione Triangulorum T.

PRima verò pars ipsius T. in *quinque triangulos* divisa est, in quos totum T. divisum est, sicut apparet in figura.

1. Primus Triangulus *Lividus est*, continens hos tres terminos, qui sunt *Deus Cretura Operatio*, quod est, quia omnis quæstio aut cadit in aliquem istorum terminorum aut in duos vel in ipsos tres terminos.

a In hoc etiam angulo, qui est Deus, superscriptum est *Unitas Essentia Dignitates:* istæ autem dignitates sunt *Bonitas Magnitudo* &c. quæ sunt in figura A. Si quæstio igitur est de *Deo*, recurrendum est ad prædictum angulum, & videndum est, utrùm quæratur de unitate vel essentia vel dignitatibus Dei: & si de dignitatibus Dei, tunc videndum est, de quo vel de quibus terminis ipsarum dignitatum quæritur, vel circa quem vel quos terminos habet quæstio dependere; & tunc secundùm conditiones seu proprietates illius termini vel illorum terminorum danda est solutio illius quæstionis, ac etiam secundùm conditiones & proprietates, quas cæteri termini hujus anguli repræsentant. Si quæstio sit de *Creatura* vel *Operatione* vel de utraque, Artista debet applicare prædictum primum angulum ad alterum istorum duorum angulorum vel etiam ad utrumque secundùm exigentiam quæstionis; & tunc videndum est, quæ sunt unitates & essentiæ & conditiones creaturarum & operationum, & quomodo se habent, & quid eis accidit secundùm formam propositæ quæstionis, & sic solutio danda est.

b In secundo angulo super creaturam continentur hi tres termini *Sensualis Intellectualis Animalis*, ad denotandum, quòd omnis creatura aut est sensibilis, aut intelligibilis, ita quòd non sensibilis, aut animata, hoc est, partim sensibilis & partim intelligibilis, nec in universo mundo sunt plura entia creata, totus autem mundus ex istis tribus constat. Unde si quæstio fiat de creatura, ad istum angulum recurrendum est, & tunc videndum est, de quibus constat illa creatura, de qua quæritur, & quæ sunt conditiones ipsius creaturæ secundùm formam illius quæstionis, & quid inde accidit illi secundùm suam naturam & suas conditiones & proprietates, & secundùm ista solvendum est.

c In tertio angulo, qui est operatio, continentur hi tres termini *Intellectualis Naturalis Artificialis* significantes, quòd omnis operatio, quæcunque sit, in aliquem istorum terminorum necessariò cadit: si fiat igitur quæstio de operatione, videndum est, de qua istarum operationum quæritur, & tunc perpendendum est, quæ est, & cujus est, & quomodo se habet ad formam quæstionis, & quæ sunt ejus conditiones, & quid ei accidit secundùm propositam quæstionem; & sic solutio illius quæstionis discutienda est.

2. Alius Triangulus est *Viridis* scilicet *Differentia Concordantia & Contrarietas:* & in quolibet istorum angulorum suprà continentur isti termini, videlicet *Sensualis & Sensualis, Sensualis & Intellectualis, Intellectualis & Intellectualis*, denotantes, quòd omnis differentia aut concordantia aut contrarietas aut est sensualitatis & sensualitatis, sicut inter equum & leonem & sic de consimilibus, aut sensualitatis & intellectualitatis, sicut inter corpus & animam, vel inter discipulum & doctrinam, & sic de consimilibus; aut est intellectualitatis & intellectualitatis, sicut inter intellectum & voluntatem vel inter animam & scientiam, & sic de aliis hujusmodi. De quocunque igitur fiat quæstio, necessariò recipiatur inter istos terminos ad eliciendum ejus solutionem vel argumenta. Et idcirco Artista ante solutionem recordari debet & videre secundùm formam quæstionis, in quo & circa quæ & quomodo iste triangulus applicatur ad id, de quo quæritur, & secundùm conditiones istius trianguli vel alicujus suorum angulorum debet inquirere & dare solutionem vel arguere, salvando semper conditiones istius trianguli vel cujuscunque istorum angulorum, cùm sint indestructibiles.

3. Alius Triangulus consequens est *Rubeus*, a qui est *Principium Medium & Finis*. In primo horum Angulorum, qui est principium, supercontinentur isti tres termini videlicet *Temporis Quantitatis Causæ*, tempus autem & quantitas denotant principium accidentale,

sed

sed causa significat principium substantiale scilicet *efficiens* aut *formale* aut *materiale* aut *finale:* quare si quæstio fiat, de quocunque sit, videndum est, in quo & quomodo principium secundùm omnes istas suas conditiones applicatur ad id, de quo quæritur, & secundùm ea, quæ de quæsito & circumstantiis ipsius pertinent ad principium, respondendum est, vel etiam arguendum secundùm directionem conditionum ipsius principii, salvando semper eas.

b Secundus verò angulus istius trianguli est medium, quod similiter tres terminos continet videlicet *Conjunctionis Mensurationis Extremitatum,* in quos omnia media dividuntur. Medium conjunctionis est, quod plura conjungit in unum, sicut formam & materiam cum suis accidentibus, vel quod ducit aliquid de principio ad finem. Medium autem mensurationis est, per quod substantialiter aut accidentaliter æqualia vel inæqualia mensurantur. Medium extremitatum est, quidquid clauditur inter extrema, sicut corpus inter suas superficies, & sic de aliis. Motâ igitur quæstione tunc secundùm formam quæstionis recurrendum est ad id, de quo quæritur, & videndum est, quomodo medium secundùm omnes & singulas prædictas conditiones se habet ad illud, & secundùm illarum directionem solvendum est semper ipsis salvis.

c Ultimus angulus hujus trianguli est finis: & est triplex scilicet *Terminationis Privationis Causæ finalis,* in his enim tribus terminis comprehenditur omnis acceptio finis. Causa finalis accipitur pro ultimo fine, qui dicit perfectius esse: iste autem finis est oppositum finis privationis. Dicitur finis terminationis, qui terminat aliquid intra se, ût superficies corpus, vel quo ulteriùs non extenditur aliquid, ût meta campi vel meta cujuscunque quantitatis temporis numeri loci motûs actionis passionis &c.; in potiori tamen acceptione & communiori finis dicitur causa finalis vel ultimus finis; iste autem finis ultimus sive causa finalis est multùm necessarius in hac arte & generalis inter cætera principia hujus artis, habens se ex parte affirmationis, finis verò privationis ex parte negationis: & idcirco finem terminationis talem oportet esse in terminis quæstionis argumenti & solutionis, de quacunque materia sint, quòd prædictæ conditiones causæ finalis, privationis & etiam terminationis nullatenus destruantur.

4. Alius Triangulus consequens est *Majoritas Æqualitas Minoritas;* & est *Crocens:* hic autem triangulus relativè cadit inter duo scilicet *inter Substantiam & Substantiam, Substantiam & Accidens, Accidens & Accidens.* Et sciendum est, quòd inter illa, inter quæ cadit majoritas & minoritas secundùm eundem respectum impossibile est, quòd cadat æqualitas, & è converso; & impossibile est idem eodem respectu esse majus & minus: dicimus autem majus alterum altero, quod habet majorem rationem existentiæ & operationis, id est, majorem bonitatem magnitudinem &c. & majus bonificare magnificare &c. hujusmodi: minus verò dicimus id, quod habet ista principia minora; & idcirco substantiarum sunt aliæ aliis majores, & accidentium alia aliis majora, & simpliciter substantia major accidente; aliquod tamen accidens est majus quadam substantia, ût intelligere est majus quàm lapis sive asinus.

Æqualia sunt illa, quæ habent prædicta principia videlicet bonitatem &c. æqualia simpliciter, sicut in A.: quædam etiam sunt æqualia secundùm quid & non simpliciter, & per consequens majora & minora secundùm quid & non simpliciter, ût quæ sunt æqualia secundùm durationem & non secundùm bonitatem, vel secundùm quantitatem & non secundùm qualitatem, & sic de aliis: & aliquid majus vel minus altero similiter. Et idcirco quantò in aliquo major est majoritas, tantò major est in eo bonitas magnitudo &c., & quantò in aliquo minor est majoritas, tantò minor est in eo bonitas &c., & magìs accedit ad malitiam &c.; & è contrario quantò major est in eo minoritas, tantò major malitia parvitas defectus &c., & per consequens quantò minor minoritas, tantò magìs recedit à prædictis defectibus. Similiter quantò aliqua sunt magìs æqualia, tantò magìs distant à minoritate & majoritate, & quantò minùs æqualia, tantò sunt propinquiora majoritati & minoritati. Similiter è contrario quantò magìs inæqualia, tantò major est in eis majoritas & minoritas, quantò verò minùs inæqualia, tantò magìs accedunt ad æqualitatem. Et sciendum est, hunc triangulum multùm esse necessarium in hac arte & maximè secundùm majoritatem; & quoniam omnis quæstio vel simpliciter vel secundùm quid habet esse de substantia vel accidente vel utroque simul, idcirco cadit necessariò omnis quæstio in prædictum triangulum, & tunc secundùm formam

mam quæstionis recurrendum est ad id, de quo quæritur, & videndum est, quomodo se habet in prædictis conditionibus hujus trianguli, & est solvendum aut etiam arguendum salvis semper conditionibus suprà dictis.

5. Ultimus verò Triangulus *Niger Affirmatio Dubitatio Negatio.* Super quolibet etiam angulorum istius trianguli continentur isti termini videlicet *Entis non Entis, Possibilis Impossibilis* significantes quamlibet affirmationem dubitationem & negationem esse necessariò entis vel non entis, possibilis vel impossibilis.

Isti autem anguli secundùm sua contenta sunt operationes ipsorum R. N. I. E.; quæcunque igitur fiat quæstio, necessariò apprehenditur per prædictos angulos cum suis contentis successivè ab istis speciebus ipsius S. vel ab aliquibus vel saltem ab aliqua ipsarum per aliquem ipsorum angulorum, sicut ab R. per dubitationem, ab N. per suppositionem, ab I. per negationem, ab E. verò per affirmationem: unde de quocunque fiat quæstio, recurrendum est ad id, de quo quæritur, & discernendum secundùm formam quæstionis, quomodo se habet ratione entis & non entis possibilis & impossibilis; & tunc destructâ dubitatione causatâ secundùm R. convertendo suppositionem, videlicet possibile esse, in demonstrationem vel declarationem manifestam concludendum est secundùm E. affirmans per plus entis & boni, quia ens & bonum convertuntur, & contra non ens & malum secundùm I., quæ conveniunt privationi.

Si autem secundùm E. affirmativè, ût nunc dictum est, non potest faciliter concludi, accipiatur oppositum, scilicet impossibile esse secundùm N., & discurrentibus F. G. convertatur suppositio in demonstrationem vel declarationem manifestam secundùm I. negans oppositum prædictæ affirmationis, quæ est habitu & potentiâ secundùm E., dando ipsi opposito impossibile ratione privationis bonitatis magnitudinis &c., aut alicujus necessarii vel magni convenientis; & sic ipsum oppositum erit impossibile vel maximum inconveniens: quare manifestè oppositum illius oppositi erit necessarium actu secundùm E. affirmativè, quod oppositum necessarium erat habitu secundùm E., dum I., secundùm quod prædictum est, negabat per impossibile oppositum hujus necessarii.

Conditiones & regulæ, quæ hîc datæ

* *D. Raym. Lulli Oper. Tom. II.*

sunt de triangulo nigro, implicant magnam utilitatem in hac arte: his itaque explicitis ò Artista, quicunque desideras summam hujus artis utilitatem, habitues, & habituata consideres singulariter, sicut jacent hæc, quæ de triangulis prædictis secundùm suas conditiones dicta sunt, & teneas omnia habitu cordis, ut, quandocunque movebitur quæstio, scias secundùm viam & directionem proprietatum & conditionum supradictorum triangulorum discurrere, & sic discurrendo arguere vel solvere quæstiones & argumenta, salvis semper prædictis conditionibus: & si copiosiùs iis abundare desideras, misceas triangulum cum triangulo vel angulum cum angulo, & per consequens conditiones cum conditionibus tenendo formam quæstionis in mente, & sic fies copiosus in rationibus ad arguendum in qualibet quæstione. Ars quidem in hoc est brevis & utilis, experimentum sive practica est longa & diffusa; quare hîc quoad præsentem partem sufficiant hæc prædicta.

De secunda Parte T.

De Inquisitione Proprietatum & Conditionum ipsius T.

UT per cognitionem conditionum & proprietatum rerum detur via & doctrina investigandi & inveniendi particularia, quæ quæruntur, intendimus in hac secunda parte dare doctrinam inquirendi in T. rerum conditiones & proprietates: sed quoniam *majoritas* est principium valde excellens & necessarium in hac arte, idcirco proprietates & conditiones majoritatis per conditiones aliorum terminorum T. & è converso conditiones eorundem per conditiones majoritatis proponimus declarare. Et per consequens è contrario patebit investigatio conditionum minoritatis, & è converso: & per consequens cognitis conditionibus majoritatis per prædictas conditiones terminorum T. manifestè cognoscentur per oppositum utrarûmque conditionum scilicet majoritatis & minoritatis conditiones æqualitatis. Et his cognitis patet via manifesta ad cognoscendum conditiones concordantiæ per conditiones cæterorum terminorum T. & è converso, & consequenter per oppositum conditiones contrarietatis; & cognitis conditionibus concordantiæ & contrarietatis cognoscuntur per consequens conditiones differentiæ: & his omnibus

cognitis via similiter patet ad conditiones principii medii & finis, & sic de cæteris terminis T. atque omnium aliarum figurarum hujus artis. *Et hæc est Ars, quòd, qui diffinitè novit conditiones unius istorum terminorum T. per conditiones aliorum terminorum T., habet diffinitam viam cognoscendi conditiones cujuslibet per conditiones cujuslibet terminorum, quia tacto uno eorum tanguntur cætera sibi annexa.*

1. Nunc igitur, sicut proposuimus, de *majoritate* videamus. In Deo est magnitudo; cùm autem, quæcunque sunt ipsius essentiæ Dei, sint æqualia, idcirco majoritas in Deo est impossibilis; est autem in ipso majoritas relativè ad creaturam, existente magnitudine Dei majore magnitudine creaturæ. Majoritas etiam influxa est à divina magnitudine ratione bonitatis &c. distante à parvitate, quæ cum minoritate concordat; & isto modo majoritas concordat cum magnitudine, & per consequens cum bonitate &c., & inde nata est hæc conditio majoritatis, videlicet majus bonum &c. esse magis appetibile quàm minus, & per consequens minus malum &c. magis tolerabile quàm majus malum. Conditiones igitur majoritatis sunt ratione magnitudinis in bonitate &c., & ratione parvitatis in malitia, & è contrario conditiones minoritatis sunt ratione magnitudinis in malitia &c., & etiam ratione parvitatis in bonitate, &c. Quare semper in hac arte in camera *Deus Deus* vel A. A. concludendum est affirmativè cum majoritate magnitudinis in bonitate &c., negativè verò cum majoritate magnitudinis in malitia &c., vel cum minoritate magnitudinis in bonitate &c.; & si concludatur in Deo per majoritatem magnitudinis in bonitate &c., concludetur in Deo manifestè æqualitas & concordantia sinè contrarietate; & ideo, quia in A. est concordantia in magnitudine bonitatis &c. distans & remota per infinitam magnitudinem bonitatis à contrarietate, concludenda est hæc conditio affirmativè, videlicet *quòd majoritas major est in concordantia, quàm in contrarietate.*

2. Majoritas in creatura est quoddam universale principium, cujus subjectum est magnitudo creaturæ; unde sicut subjectum divisum est & particulatum, sic & majoritas: & idcirco secundùm quòd ipsum subjectum particulatum est seu divisum inter creaturas secundùm magis & minùs vel æquale in suis substantiis & accidentibus, ita attinguntur in creaturis proprietates & conditiones majoritatis secundùm magis & minùs vel æquale in substantiis & accidentibus earum, sicut in ipsis creaturis manifestè patet; nam in creatura intellectiva major est majoritas quàm in creatura sensitiva simpliciter, cùm ipsa creatura intellectiva majorem contineat magnitudinem bonitatis &c. quàm sensitiva. Et quemadmodum intellectus habet proprietatem intellectivam, de qua se intelligit, ita similiter subjectum majoritatis habet proprietatem majorificativam, de qua se majorificat super cætera existentia respectu hujus majoritatis sub proprietate majorificativa, ita quòd majoritas majorificando suum subjectum minorificat respectivè subjectum minoritatis. In animali verò majoritas habet conditionem multiplicandi in plus quàm in sensuali vel intellectuali per se, cùm ex pluribus rebus animal sit unitum quàm sensuale per se vel intellectuale per se; major igitur est conditio multiplicandi in plus in homine quàm in cæteris creaturis.

3. In operando de se ipsa habet majoritas proprietatem majorificandi applicans illam operationem ad finem, habétque agendo de se proprietatem majorificandi artificialiter naturaliter & intellectualiter vel sensualiter, & plus potest respectu finis majorificare naturaliter quàm artificialiter, & intellectualiter quàm sensualiter. Sciendum est autem, quòd proprietas majoritatis una est simpliciter distincta per plura subjecta, quemadmodum potentia visiva una est, licèt possit videre plura objecta.

4. Major est majoritas in differentia con-
5. cordantiæ quàm in differentia contrarieta-
6. tis, eò quòd concordantia absolutè concordat cum esse, cum quo concordat majoritas, contrarietas verò cum privatione, cum qua concordat minoritas: nam majoritas habet proprietatem majorificandi differentiam plùs in concordantia quàm in contrarietate, reducendo res plures distinctas in unum conjunctum, qualibet re permanente distinctâ, & ipsis omnibus insimul constituentibus unum suppositum: in contrarietate autem non potest esse tanta majorificatio differentiæ, quanta est in concordantia, quia privat ens ab ente privans esse suppositi. Quando autem subjectum majoritatis est contra magnitudinem A. & contra finem, quare ipsum subjectum est, & per quem habet majoritatem, tunc illa majoritas major est in differentia contrarietatis quàm concordantiæ, eò quòd subjectum deviat à suo fine; & idcirco quantò pervertitur in oppositum sui finis, tantò majorem conditionem habet contrariandi suo fini, & quantò plùs contrariabitur, tantò majorem habebit minoritatem, quare prædicta majoritas potiùs debet dici minoritas quàm majoritas, quia diminuit de esse & perfectione subjecti.

7. Majoritas major est in fine quàm in
8. principio & medio; majoritas igitur prin-
9. cipii & medii habet conditionem, quòd reducatur ad majoritatem finis, quemadmodum ignis in quarto gradu caliditatis ratione suæ majoritatis alios gradus aliorum elementorum ad se reducit, ac etiam alio modo majorificat principium & alio modo medium & alio modo finem, eò quòd majoritas à subjecto recipit illud suum esse, quod sibi competit & ratione principii & ratione medii & ratione finis illius subjecti: atque majoritas habet proprietatem majorificandi istud principium alio modo, & illud alio modo, & illud alio, & sic de aliis; hoc idem sequitur de medio & de fine, secundùm quòd entia influuntur in triangulum rubeum, & refluuntur ex eo: & ideò secundùm quòd majoritas est discursiva per hunc triangulum ratione conditionum, quas habet variabiles ratione distinctionis istius trianguli, est judicandum de ipsa majoritate in conclusione.

10. Majoritas habet proprietatem essendi
11. major tam ratione substantiæ, quàm ratio-
12. ne accidentis; quia substantia in ratione substantiæ est similitudo magnitudinis Dei, qui est substantia, accidens autem non ratione suî ipsius simpliciter sed ratione bonitatis &c., quas habet, continet majoritatem.

Majoritas habet conditionem essendi priùs in substantia quàm in accidente adhærente ipsi substantiæ, cùm majoritas sub ratione substantiæ sit primâ intentione, sub ratione verò accidentis secundâ intentione.

Majoritas etiam ratione magnitudinis Dei habet proprietatem essendi major in rebus bonis æqualibus quàm in inæqualibus, eò quòd in æqualibus est magis similis magnitudini Dei quàm in inæqualibus, cùm etiam in inæqualibus non possit esse sinè suo contrario, quod est minoritas: est autem in rebus æqualibus ratione dignitatis æqualitatis, relativè tamen ratione inæqualitatis & minoritatis.

13. Quia Deus est, sequitur hæc conditio,
14. videlicet quòd majoritas major est ratione
15. affirmationis quàm ratione negationis, & ex hoc, quia Deus est affirmabilis, non autem negabilis, majoritas habet majorem proportionem affirmationi quàm negationi: attamen quando conditio majoritatis se pervertit ad oppositum, plùs valet negatio suâ oppositâ affirmatione; sed quoniam ita est, quòd affirmatio importat ens positivè, negatio verò non ens, & sic privativè se habet, ideò potest majoritas plùs affirmativè quàm negativè, existente majoritate majori in antecedente ratione positionis affirmativè, quàm in consequente ratione impossibilitatis negativè. In dubitatione autem minor est majoritas quàm in negatione vel affirmatione, cùm dubitatio sit principium, affirmatio verò vel negatio finis.

Nunc igitur dictum est de proprietatibus & conditionibus majoritatis secundùm jacentiam subjectorum majoritatis in angulis triangulorum, in quibus ipsa majoritas receptiva est plurimarum proprietatum seu conditionum tanquam diaphanitas receptiva plurimorum colorum. Et advertendum est, quòd per has proprietates seu conditiones majoritatis, quæ hîc explicitè dictæ sunt, implicantur multæ & multæ adhuc proprietates & conditiones majoritatis; quare cavendum est in conclusionibus, ne concludatur contrà proprietates & conditiones majoritatis, de quibus habetur conclusio veritatis.

De tertia Parte T.

De Doctrina Miscendi Triangulum cum Triangulo.

AD habendam doctrinam mixtionis triangulorum T. prosequimur in præsenti parte miscendo triangulum cum triangulo & angulos eorum ad invicem, ut ex ipsa mixtione resultet illud particulare videlicet illa particularis rei veritas, quam intellectus per mixtionem propositam investigat, sicut ex masticatione & confractione cibi in ore oritur sapor gustui, quem ipse gustus per ipsam masticationem investigat.

Et quoniam triangulus lividus est in ipso T. tanquam subjectum, cæteri verò trianguli tanquam habitudines ad subjectum, idcircò in hac præsenti parte videamus, quomodo cæteri trianguli se habent ad triangulum lividum quilibet eorum per quemlibet aliorum.

1. In angulo igitur trianguli lividi, ubi est Deus, oportet applicare alios angulos, ita

quòd inquiratur de Deo & de unitate suæ essentiæ & de suis dignitatibus & de qualibet istarum per quamlibet aliarum ac etiam de Deo & de unitate & essentia & dignitatibus cum unitate essentiæ & proprietatibus sive conditionibus creaturarum, & de operationibus Dei & creaturarum similiter: & videatur, quomodo unitas essentia dignitates se habent in Deo respectu suî ipsius & respectu unitatis essentiæ & proprietatum & conditionum sui effectûs; postmodum inquirendum est de unitate essentiâ & proprietatibus & conditionibus creaturarum & operationum earum cum unitate essentiâ & dignitatibus Dei.

Deinde post istum angulum inquiratur alius angulus de creatura & alius de operatione secundùm rationem unitatis essentiæ & proprietatum; & sicut de unitate essentiâ & dignitatibus dictum est, ita suo modo intelligendum est de eisdem in creatura sensuali, intellectuali & animali, in operatione artificiali, naturali, intellectuali. Hac igitur mixtione factâ recurrendum est ad quæstionem, & tenendo formam ipsius quæstionis in mente speculandum est, in quo apparet particulare, quod quæritur; & tunc servatis cuilibet angulorum prædictorum suis conditionibus revelabitur intellectui illud particulare, quod inquirit.

2. In hac etiam jam dicta mixtione miscendus est triangulus viridis inquirendo rationem differentiæ concordantiæ & contrarietatis sensualiter & intellectualiter de Deo de creatura & operatione secundùm rationem unitatis essentiæ & dignitatum Dei, & similiter creaturæ sensualîs, intellectualîs & animalîs, atque operationis artificialîs, naturalis, intellectualîs: misceantur etiam anguli trianguli viridis ad invicem super hæc, quæ nunc de triangulo livido dicta sunt, & videatur differentia concordantiarum & etiam contrarietatum, & concordantia & contrarietas differentiarum similiter, atque concordantia contrarietatum & contrarietas concordantiarum, quæ sunt in prædicto triangulo livido, & in eis, quæ de eo dicta sunt, secundùm quòd recipi possunt; & sic multiplicabitur universale, & particulare, quod quæritur, evidentiùs apparebit.

3. In triangulo livido miscendus est triangulus rubeus cum viridi ita, quòd in unitate essentiâ & dignitatibus Dei, & in creatura sensuali, intellectuali, animali, & in operatione &c. inquirendum est ratione principii medii & finîs cum differentia concordantia & contrarietate, secundùm etiam quòd de iis nunc prædictum est, & tunc fiet multiplicatio super subjectum triangulum videlicet lividum istis modis, videlicet sensualiter, intellectualiter, temporaliter, quantitativè, effectivè, formaliter, materialiter, finaliter, conjunctivè, mensurativè, extremitativè, perfectivè, terminativè & privativè: & tunc multiplicabitur universale, & particulare magìs eluceſcet, salvando semper in illa mixtione unicuique angulorum, quod suum est. Et miscendi sunt ad invicem super triangulum lividum cum triangulo viridi anguli trianguli rubei secundùm suas conditiones discernendo in Deo, creaturâ &c. differentiam concordantiam & contrarietatem, sive etiam differentiam concordantiarum & contrarietatum &c. principii medii & finîs, principii & principii, medii & medii, finîs & finîs, & quid est finis principii & medii vel è converso, & quid principium medii vel è converso, & quid principium principii, medium medii, finis finîs, & quomodo quodlibet istorum se habet ad alterum & ad se ipsum, & hoc secundùm omnes dignitates & prædictas conditiones & proprietates cujuslibet triangulorum; & sic in magna copia ad quæstionem propositam multiplicatur universale, & multiplici ratione potest solvi particulare salvis semper conditionibus angulorum.

4. Triangulus croceus in triangulo lividсм miscendus est cum triangulo viridi & rubeo ita, quòd si quæratur de Deo vel de creatura vel de operatione vel de aliquibus vel omnibus istorum simul, tunc secundùm quòd forma quæstionis exiget, fiet investigatio unitatis essentiæ dignitatum & sensualitatis intellectualitatis animalitatis & naturæ & artificii cum majoritate æqualitate minoritate substantiæ & accidentis, differentiando concordando contrariando sensualiter & intellectualiter secundùm principium temporativè quantitativè causativè, & secundùm medium conjunctivè mensurativè extremitativè, & secundùm finem causaliter terminativè privativè, vel secundùm aliquod vel aliqua istorum principiorum trianguli rubei, sive etiam secundùm ea, quæ prædicta sunt de quolibet angulo rubeo in alio cum differentia concordantia &c. vel cum differentia concordantiarum &c. Et potest etiam adhuc istud universale multiplicari, secundùm quòd anguli

anguli crocei alius in alio vel in aliis mixti sunt ad invicem per majoritatem majoritatum vel æqualitatum vel minoritatum, vel per æqualitatem vel minoritatem earundem substantialiter & accidentaliter secundùm differentiam concordantiam &c. vel secundùm differentiam concordantiarum &c., & secundùm principium medium &c., atque secundùm ea, quæ de angulis rubeis inter se ad invicem supradicta sunt cum omnibus suis conditionibus vel proprietatibus, & sic multiplicabitur universale. Factâ igitur quæstione manifestè videri potest, in quo vel quomodo salvantur conditiones & mixtiones, quæ dictæ sunt; & tunc patet via multis rationibus concludendi secundùm conservationem prædictorum.

5. Triangulus niger in triangulo livido cum cæteris prædictis triangulis miscendus est affirmativè dubitativè negativè ratione entis vel non entis possibilîs vel impossibilis in unitate essentiâ dignitatibus DEI &c. atque in sensualitate intellectualitate animalitate creaturæ; & sic de operatione differentiativè concordativè contrariativè & principiativè mediativè finitivè & majorificativè æqualificativè minorificativè semper cum conditionibus istorum modorum, quas habent per se, & quas habet similiter alius eorum respectu alterius, & etiam secundùm conditiones & habitudines prædictas, quas in triangulo livido anguli virides habent inter se ad invicem secundùm se & secundùm angulos rubeos & croceos, & quas etiam è converso habent anguli rubei inter se ad invicem secundùm se & secundùm angulos virides & croceos, & quas similiter habent anguli crocei secundùm se & secundùm alios angulos antedictos, ût etiam prædictum est. Factâ igitur quæstione, & visis prædictis mixtionibus, & quæ conditiones resultant ex habitudinibus cujuslibet principii ad quodlibet aliud eorum, secundùm quòd in hoc capitulo significatum est, multis rationibus affirmativè vel negativè destructâ dubitatione potest concludi particulare, quod quæritur. *Et hæc est generalis Regula in hac arte.* Quòd si in prædicto universali formato non possit affirmatio attingere particulare nisi destruendo ea, quæ de prædictis mixtionibus dicta sunt, vel implicando ad ea inconveniens, tunc neganda est illa affirmatio, quoniam falsa est & inconveniens, & affirmanda ejus oppositа negatio, quoniam vera est & conveniens. Vel similiter si negatio non potest ipsum particulare attingere, nisi destruat ea, quæ de prædictis mixtionibus dicta sunt, vel si simul implicet ad ea inconveniens, tunc talis negatio neganda est, quoniam falsa est & inconveniens, & ejus opposita affirmatio affirmanda, quoniam vera est & conveniens.

Sciendum est autem, quòd in hoc, quod hîc dictum est secundùm prædictam universalem mixtionem triangulorum de habitudine & relatione cujuslibet trianguli vel anguli ad quemlibet alium per quemlibet alium potest intelligi mixtio videlicet habitudo & respectus alicujus eorum ad alterum sinè alio tertio vel cum alio vel aliquibus eorum vel simpliciter ad se ipsum secundùm suas conditiones, ita quòd Artista potest formare suum universale secundùm magis & minùs, quocunque modo placebit ei, secundùm quòd sua materia exiget; nam de ipsa mixtione valde universaliter tractavimus, ut, de quacunque parte Artista voluerit, sciat conclusiones adducere ad sibi propositam quæstionem.

De quarta Parte T.

De Applicatione Triangulorum ad opus.

IN hac parte datur doctrina applicandi triangulos T. ad solvendum quæstiones; hoc autem volumus exemplificare per unam quæstionem tantùm, & per istam patebit via ad infinitas alias quæstiones.

Proponatur igitur hæc quæstio. *Utrùm sint duo Dii, quorum alius sit bonus & alius malus?* sicut hæretici opinantur. Ad hanc quidem quæstionem solvendam triangulos applicare intendimus; sed majorem intentionem habemus huic applicationi quàm solutioni, eò quòd ad dandum doctrinam hujus artis potissimè laboramus: & quoniam ad aliam istarum sequitur reliqua, per doctrinam igitur hujus applicationis apparebit solutio quæstionis.

Nunc igitur ad quæstionem recurrendum est, & videndum, de quo quæritur: manifestum est, quoniam de Deo & de ejus unitate in hoc, quòd dicitur *unus & alius*, & de ejus essentia quoad actum suum in hoc, quòd dicitur *sint*, & de dignitatibus ejus in hoc, quòd dicitur *bonus* & *malus*, & de differentia contrarietatis, & de fine finali & privabili, & de majoritate inæqualita-

tis, & de affirmatione entis & non entis possibilis & impossibilis, & hoc totum in Dei unitate essentia & dignitatibus in hoc, quòd dicitur, Deus *alius bonus & alius malus;* isto modo, secundùm quòd quæstio requirit, potest Artista videre, in quos terminos T. cadit quæstio, & solutionem inquirere isto modo.

1. Quæstio proposita, cùm sit de DEO,
2. cadit in primum angulum trianguli lividi; ad hunc igitur triangulum cæteri trianguli reducendi sunt, & ad unitatem, maximè cùm quærat, si sunt duo, quorum alius sit bonus alius malus.

Super unitatem igitur solutio investiganda est isto modo. Videat ergo Artista, quomodo dignitates se habent quoad rationem bonitatis unitatis essentiæ in ratione concordantiæ & finis, & in ratione creaturarum & operationum earum, atque operationum dignitatum: postmodum videat, quomodo se habent ratione malitiæ unitas essentia & oppositum dignitatum, videlicet malitia parvitas privatio æternitatis potestatis &c. ratione concordantiæ & finis: postmodum debet recipere concordantiam eorum & finem ratione creaturarum & operationum. Hoc igitur facto videat Artista supradictas rationes, quomodo se habent ratione contrarietatis aliâ existente contra aliam, sicut bonitas contra malitiam &c., & per consequens alia unitas contra aliam & alia essentia contra aliam, & apparebit manifestè, quòd duorum Deorum differentia existere non potest in contrarietate neque in concordantia. Et sic positio trianguli viridis in lividum significat solutionem hujus quæstionis.

3. In Deo bono significat magnitudo immensitatem bonitatis &c., ergo in Deo malo significatur oppositum immensitatis, quod est finitas, cùm in eo sit parvitas; & sic in Deo malo significatur quantitas & privatio immensitatis. Bonitas etiam significat habere in se finem ratione suæ magnitudinis æternitatis &c., malitia verò ratione suî, cùm sit privatio bonitatis &c., significat privationem finis: & sic Deus bonus ratione trianguli rubei in livido significatur positivè, sed Deus malus privativè.

4. Unitas Dei boni major est, si in ipsa & in essentia ejus bonitas magnitudo æternitas potestas sapientia voluntas &c. sunt idem numero, quàm si non sunt idem; quoniam si non sunt idem, unitas Deitatis est in minoritate; quia si sunt plures unitates, & per consequens plures Dii, & ita Deus privatus majoritate unitatis est bonus magnus &c. participans & concordans cum Deo malo in minoritate & privatione magnitudinis bonitatis &c., quod est impossibile; ut contrarietas eorum sit in tanta majoritate differentiæ, quòd Deus bonus non permittat esse Deum malum. In unitate ergo Dei boni dignitates sunt idem numero, & sic ejus voluntas, cùm sit ipsamet bonitas, odit Deum malum, cùm ratione suæ malitiæ sit odibilis: & quoniam in Deo voluntas potestas bonitas convertuntur, cùm alia istarum sit idem quod alia, ideo privat voluntas ratione potestatis Deum malum ab ente ratione bonitatis, quoniam ens & bonum & entitas & bonitas convertuntur. Præterea, si sunt duo Dii alius bonus & alius malus, tanta erit potestas voluntatis Dei mali in malitia, quanta est potestas voluntatis Dei boni in bonitate, sicut prædictum est, quare manifestè sequitur, quòd similiter privabit Deum bonum: manifestum est ergo, si sunt duo Dii alius bonus alius malus, quòd ratione infinitæ æqualitatis, quam habent in contrarietate essendi invicem, quilibet eorum erit aliquid & nihil, quod est manifesta contradictio.

5. Negatio negans Deum malum esse, & affirmatio affirmans Deum bonum esse important in entitate Dei infinitam essentiam infinitam unitatem in infinita bonitate magnitudine æternitate perfectione &c., & infinitam impossibilitatem malitiæ parvitatis privationis defectûs non entis &c. in ipsa entitate unitatis & essentiæ Dei: sed negatio negans Deum bonum esse, & affirmatio affirmans Deum malum esse important in entitate Dei infinitam essentiam & infinitam unitatem in infinita malitia parvitate privatione defectu &c. & infinitam impossibilitatem bonitatis magnitudinis æternitatis potestatis perfectionis &c., quod est impossibile. Ergo prima negatio & prima affirmatio sunt in Y. manifestè, & cæteræ duæ in Z.

De Figura S.

SImili modo, sicut de Figura T. dictum est, dividitur figura S. in *quatuor partes;* nam in *prima* parte tractamus de conjacentia & conditionibus figuræ ipsius S. In *secunda* damus doctrinam de modo inquirendi proprietates sive conditiones ipsius S. In *tertia* parte ostendimus doctrinam, quomodo T. ponitur in S. Sed in *quarta* parte & ultima manifestamus doctrinam applicationis universalis ad particulare & è converso, *videlicet modum descendendi & ascendendi de universali ad particulare, & è converso.*

De prima Parte ipsius S.

De Conjacentia & Conditionibus Figuræ ipsius S.

FIgura S. in quatuor quadrangulos divisa est, qui sunt E. I. N. R., ipsum autem S. unum est ratione substantiæ, & habet tres potentias, de quibus agit, quæ sunt memoria intellectus & voluntas: & quoniam ipsæ potentiæ in diversis operationibus se habent ratione E. I. N. R., quæ diversimodè influxa sunt ab ipsis potentiis ad objecta, idcirco quatuor quadranguli in hac figura positi sunt, ut Artista habeat notitiam, quomodo anima diversimodè operatur sub ratione diversarum specierum operandi.

1. Est autem E. actus aggregatus de similitudinibus B. C. D. appetentium producere suas similitudines agendo, ut non sint otiosa, sed ut existant in magnitudine bonitatis virtutis &c., eò quòd perfectiora sunt ipsa B. C. D. existendo & agendo, quàm existendo tantùm. Est quidem E. productum, ut sit imago, in qua potentiæ in unitate essentiæ animæ appareant, cùm ipsa anima & ejus potentiæ sint in E. repræsentabiles. Ad istud E. inducendæ sunt & applicandæ probabilitates & demonstrationes, ipso E. habente in conclusione verum objectum, cùm E. creatum sit attingere objectivè verum, & ipsum verum habile sit & proportionatum attingi objectabiliter ab isto attingente, quod est E.: & idcirco Artista videre debet, quomodo E. & suum objectum se habent ratione finis, & secundùm istum modum agat de E. in hac Arte. Ars verò hujus modi doctrinam exhibet, ût in T. dictum est, & sicut etiam infrà in aliis figuris apparebit.

2. In virtute ipsius E. oritur I., eò quòd E. indiget quandoque movere I. ad Z., ut Y. cum E. habeat majorem proportionem, & E. per I. possit acquirere majus meritum, & plus resistere vitiis & Z.: unde quemadmodum E. I. jacent in virtute S. & potentiis ejus, tractandum est de ipsis in hac arte; quoniam si tractaretur de illis contra proportionem & influentiam earum, habitus quidem hujus scientiæ minimè posset recipi.

3. N. jacet in hac figura, ut suppositivè intellectus habeat virtutem inquirendi Y. ratione E., & Z. ratione I.: nam ex eo, quòd N. supponit esse verum aut falsum id, quod simpliciter affirmatur vel negatur, tunc intellectus majorem virtutem habet investigandi, & meliùs species & similitudines ex objecto potest ad se attrahere, & eas in B. vel in F. & in D. vel in H. imprimere: & quod dicitur hîc de intellectu, potest dici de memoria & voluntate; idcirco requirit ars, ut Artista volens tractare de N. se habeat ad ipsum N. tractando de ipso tali modo, qualem habet ratione illius finîs, quare positum est in figura. Si autem objectum ad Fidem pertineat, sic quòd in ratione E. I. Artista objectum habere non possit, eò quòd non potest convertere N. in E. I., tunc debet credere ratione ipsius N., & asserere ratione Fidei objectum esse verum vel falsum, prout veritas Fidei tenet.

4. R. est ens de similitudinibus & dissimilitudinibus E. I. N. constitutum, & ideo R. est quædam confusio, in qua species S. indigestæ sunt; quare de ipsis verbum phantasticum non est assertivum, sed potiùs dubitativum vel ambiguum: & ideo ipsum R. subjectum est & materia confusa ipsis E. I. N., ut ratione affirmationis vel negationis à dubitatione se prolongent, *sicut elementata supposita à confusione primæ materiæ ratione generationis procedentia se specificantia à confusione ipsius primæ materiæ recedunt*, & ut etiam, quando E. I. N. objectivè fatigata sunt, requiescant in ipso R., *sicut natura, dum fatigata est, quòd non potest conservare sua supposita in esse specifico, permittit ea redire in confusionem primæ materiæ, unde exiverunt.* Sunt igitur E. I. N. quoad rationem materiæ & privationis in potentia in R., & sunt etiam habitu in ipso R. ratione formæ, eò quòd in parte objectum attingitur videlicet sub confusione, dum dubitativè accipitur, existente ipso R. actu ratione confusionis formæ & materiæ. De R. verò tractandum est in conclusione, secundùm quòd se habet privativè ad conclusionem; nam generatis N. I. E. de R., quæ inferunt conclusionem, corrumpitur R., & venit in privationem; idcirco Artista, dum judicat, percipiat, utrùm sit in R., & si sit

sit in illo, non concludat affirmativè; quia, cùm illa conclusio remaneat dubitativa ratione ipsius R., concludendo affirmativè repugnat suæ conscientiæ & fini hujus artis, & fortè poterit reprehendi de mendacio; sed de R. se transferat in N. supponendo objectum verum vel falsum posse inveniri; deinde discurrant F. G., ut N. transferatur in E., si objectum est verum, vel in I., si objectum est falsum: & nisi Artista teneat prædictam regulam de conjacentia & transmutatione R., non potest utique recipere influentiam virtutis hujus artis, nec eâ uti.

Secundùm quòd species S. situatæ sunt & conditionatæ, ita debent in mente Artistæ jacere, & secundùm quòd jacent in re, ita conservandæ sunt in mente periti hujus artis, dum investigat particulare, miscendo B. cum C. aut cum D. &c., ita quòd tunc cum T. judicet de B.C. &c., secundùm quòd ipsæ species jacent, non resistendo earum præjacentiæ & conditionibus, ut per earum significationem & virtutem possit recipere verum judicium.

De secunda Parte S.

De Modo Inquirendi Proprietates sive Conditiones ipsius S.

ARtem & doctrinam inquirendi proprietates S. & potentiarum ejus damus in præsenti parte: sed de investigatione proprietatum voluntatis cum proprietatibus & conditionibus triangulorum T. intendimus tractare quoad præsens: nam per istarum investigationem manifestabitur via, quomodo cæteræ proprietates S. debeant inveniri.

1. Unitas essentia dignitates in angulo de Deo reducunt F. Artistæ, quomodo G. ejus debet inquirere de voluntate S. ratione unitatis essentiæ dignitatum. Significant autem hic dignitates humanam voluntatem esse similitudinem increatæ voluntatis, ejus enim essentia de similitudinibus dignitatum A. induta est, ita quòd bonitas magnitudo duratio potestas &c. ipsius S. concurrunt omnes ad unam voluntatem ipsius S. constituentes eam, & sic similiter concurrunt ad unum intellectum & ad unam memoriam; nam quemadmodum in divina essentia omnes dignitates Dei se habent distinctimodè ad Paternitatem Filiationem & Spirationem ratione distinctionis Paternitatis Filiationis & Spirationis, ita similiter in essentia S. similitudines, de quibus ipsum S. constitutum est, distinctimodè se habent ad memoriam intellectum & voluntatem ratione distinctionis ipsarum potentiarum.

Angulum verò de Creatura recolit F., ut G. intelligat voluntatem non esse sensualem, cùm sit purè intellectualis: est autem potentia animalis rationalis ex parte rationis; sed operatio significat, quòd voluntas habet velle naturaliter, quod producit operationes artificiales optatas, ut voluntas suum simile, quod est velle, possit producere.

2. Per Triangulum viridem inquiritur de voluntate intellectualiter; denotat enim differentia voluntatem ratione sui esse indistinguibilem, cùm plures similitudines unitæ simul ad invicem eam constituant concordantes simul voluntatem esse unam. In voluntate igitur omnes prædictæ similitudines sunt existendo & agendo concordes, non autem contrariantes ad invicem, si velle & nolle voluntatis sunt in bono; si autem sunt in malo, sic omnes prædictæ similitudines ratione malè agendi sunt contra actum existendi, quia sunt contra finem suæ existentiæ.

In voluntate etiam cadit distinctio ratione agendi, eò quòd ipsa voluntas alio modo diligit, & alio modo odit; distinctionem igitur habet agendo ratione volendi & nolendi, quod tamen est per accidens, eò quòd objectorum quædam sunt diligibilia, & quædam odibilia, ut voluntas habeat libertatem utendi suo velle & suo nolle, & E. I. possint constitui.

3. Per Triangulum rubeum de voluntate inquirendum est ratione sui principii medii & finis. In principio quidem denotat tempus, actum agendi voluntatis quandoque esse & quandoque non esse, & quantitas, ipsam voluntatem virtualiter esse quantam, & suum velle vel nolle esse etiam virtualiter quantum; efficiens verò denotat, eam effectivè esse volitivam & hoc formaliter, sed materia significat ipsam esse materialiter, videlicet volibilem, habentem proprietatem possibilem, quòd diligat se ipsam, cùm suum velle influatur à proprietate activa ex se, & à proprietate passiva ex se, ut finis in majori quantitate virtutis acquiri possit, & ad ipsum finem possit melius con-

conjungi, & in ipso fine meliùs & plùs distare à privatione actûs bonitatis magnitudinis &c. atque terminos omnium suarum virium magis quantitativè mensurare in bono magno &c., per quod agendo possit magis se similare suo Principio.

4. Major est voluntas diligendo res substantiales, quàm accidentales, eò quòd res substantiales simpliciter diligibiliores sunt accidentalibus, cùm plùs habeant entitatis & similitudinum Dei. Majoritas igitur & minoritas substantialiter & accidentaliter denotant modum, per quem voluntas proprietatem habet agendo se majorificandi & minorificandi, & hoc diligendo vel odiendo, & denotant etiam ipsam voluntatem esse majorem diligendo bonum magnum &c. intelligere velle & recolere, quàm in diligendo castrum bonum magnum &c.; intelligere enim velle & recolere multò majora sunt in bonitate &c., quàm substantiæ separatæ ab intelligere recolere & velle.

Æqualitas autem significat voluntatem esse adæquantem, quantum potest, suum volitivum & suum volibile adæquando bonum volitum cum magno volito &c., & sic de aliis, ut ejus volitum in bono magno &c. sit similius bono volito magno volito &c. ipsius A., & ejus etiam velle bonum magnum &c. similius velle divino bono magno &c.

5. Affirmatio denotat voluntatem habere proprietatem diligendi, & negatio eam habere proprietatem odiendi, cùm affirmatio & volibile concordent, negatio verò & nolibile. Dubitatio autem, cùm sit in ratione medii inter affirmationem & negationem, repræsentat voluntatem habere per aliquod medium proprietatem diligendi id, quod est odibile, & odiendi id, quod est diligibile; & in hoc importat dubitatio voluntati liberum arbitrium ratione possibilitatis utendi affirmatione vel negatione per rectam lineam vel obliquam, ipsâ voluntate tamen nullam habente possibilitatem resistendi entitati suæ libertatis, cùm impossibile sit durante voluntate ipsam libertatem reduci in non ens sive cogi.

De tertia Parte S.

Quomodo T. ponitur in S.

REgulam damus & doctrinam in hac parte miscendi terminos T. in terminos S., ut Artista volens inquirere particulare habeat doctrinam miscendi triangulos T. alium post alium: necesse est tamen, ut bene mente teneat quæstionem, quæ de S. sibi facta fuerit, & ut sic triangulos T. misceat in terminos S., quòd conditiones neutrius destruantur.

1. Ad quæstionem igitur factam de S. recipiat Artista triangulum lividum, & circumspiciat angulum, ubi est creatura intellectualis; deinde recurrat, ubi est Deus, ut unitatem essentiam dignitates ad memoriam reducat, ut de S. tractet in illa quæstione secundùm rationem unitatis & essentiæ ipsius S., & ratione bonitatis magnitudinis &c., de quibus S. aggregatum est ratione creationis, cùm ipsum sit creatura creata de similitudinibus Dei; deinde accipiat angulum operationis, & circumspiciat, quomodo S. agit artificialiter naturaliter & intellectualiter; & sic tenendo mentem ad formam quæstionis intellectus inde virtutem habebit attingendi particulare abstrahendo, comparando similitudines, & eas sciet applicare ad propositum salvis semper conditionibus angulorum & S.

2. In S. est intellectualis differentia inter similitudines, de quibus aggregatum est, in hoc, quòd bonitas ejus non est magnitudo neque duratio ejus &c., & sic de aliis: ac etiam licèt ipsa bonitas ipsius S. sit una & eadem in radice creativè, est distincta tamen ratione distinctionis potentiarum; nam ipsa eadem bonitas est alio modo in memoria & alio in intellectu & alio in voluntate, ipsis potentiis existentibus distinctis ratione diversitatis suarum proprietatum, ita tamen, quòd proprietas non distinguitur, sic quòd memoria habeat proprietatem intelligendi & volendi, & intellectus recolendi & volendi, & sic similiter de voluntate. Est autem alia distinctio in S. præter istam, videlicet ratione E. I. N. R., qui sunt distincti actus.

Concordantia etiam est in S., quia plures similitudines ad unum S. se habent, videlicet bonitas magnitudo &c., & ad memoriam intellectum & voluntatem, atque actus B. C. D. ad unum E., & sic de aliis, & E. I. N. R. ad actum ipsius S.

Contrarietas verò est in S. per accidens, videlicet quando suæ potentiæ agunt contra illa principia, de quibus constitutæ sunt, quemadmodum E. agit de malo contra suam bonitatem radicalem, quando habet objectivè Z., & I. objectivè Y.; & sic similiter de N. R.: igitur secundùm quòd triangulus viridis

viridis positus est, judicari debet particulare in proposito & non in oppositо.

3. Quoniam A. est recolibile intelligibile & amabile, est principium & finis ipsius S., ipso A. producente S., ut ipsum S. sit medium, per quod A. sit recolitum intellectum & dilectum, ac etiam ut S. sit principium ratione formæ habens proprietatem recolitivam intellectivam & volitivam, ut per se reducat in se similitudines specierum in ratione formæ & in ratione materiæ, quam habet ratione possibilitatis, unde intellectus possibilis constitutus est. Et quoniam ipsum S. per se recolibile intelligibile est, ut magis sit creatum simile A., & ut etiam plus libertatis habeat ratione formæ & materiæ in recolendo intelligendo & volendo se & in se & extra se & per se & ad se, attrahit similitudines virtute intellectûs agentis, & eas in se imprimit & conjungit virtute intellectûs possibilis. S. autem est medium conjunctivum ratione potentiarum & proportionis, quam habent suæ potentiæ in conjungendo similitudines specierum in verbum phantasticum, attrahendo eas ab objectis, & imprimendo eas in se, ut per omnes extremitates ipsius S. ipsum verbum sit constitutum actu extensivè & in instanti, successivè tamen ratione intensitatis sive intensionis partium verbi, quæ successivè reducuntur ad actum. Privatio quidem cadit in S., quando K. L. generantur, & quando E. cadit in Z., & I. in Y. Per hæc igitur, quæ dicta sunt de triangulo rubeo in S., implicantur multa de triangulo rubeo in S., quæ propter nimiam prolixitatem dimittimus; unde secundùm hæc, quæ dicta sunt explicitè de triangulo rubeo in S., & secundùm ea, quæ per prædicta implicavimus de triangulo rubeo in S., quæ similiter explicitè dici possunt, tractandum est ita de ipso triangulo rubeo in proposito, videlicet in S., quòd judicium non contradicat sive repugnet iis, quæ hîc de S. dicta sunt, cùm sint probabilia manifestè.

4. Majus est S. in E. quàm in I., & in I. quàm in N., & in N. quàm in R., eò quòd A. est recolibile intelligibile & amabile, non autem odibile. Et quoniam etiam K. L. concordant minoritati, est S. minus ratione K. L., majus verò ratione B. F. C. G. Æqualitas autem est in S. per B. C. D., cùm A. æqualiter sit recolibile intelligibile & amabile. S. etiam majus est ratione substantiæ, minus verò ratione accidentium, atque majus est E. in Y., minus verò in Z., & sic de similibus istis. Veruntamen in præsenti vita potest dici N. majus quàm E. I., cùm in quolibet ente sit plus realitatis, quàm E. I. attingere possint: N. igitur supponendo isto modo excellit E. I. Per hæc igitur, quæ dicta sunt de triangulo croceo in S., sic judicandum est de particularibus, quòd omnes hujus trianguli prædictæ conditiones conserventur, nam aliter judicium fieri non potest assertivè, sed à casu & sinè habitu scientifico.

5. Est autem S. ens actu, & idcirco est ipsum S. affirmabile; & quoniam S. non est lapis vel asinus vel aliquid hujusmodi, est negabile ipsum S. esse lapidem vel asinum vel aliquid hujusmodi, nec in aliquo istorum est de S. dubitabile.

Præterea affirmatio & negatio oriuntur ex M., cùm affirmatio conveniat dilectioni, & negatio odio. Dubitatio autem oritur ex R., cùm sit confusum: & quoniam affirmatio & negatio sunt suppositivè in M., quando fit conversio de N. in E. I., tunc tendit assertivè affirmatio de M. ad E., & negatio de M. ad I. Præterea ens & possibile sunt affirmativè in E., non ens verò & impossibile negativè in I.

Cùm igitur triangulus niger habeat ita esse in S. necessariò, sicut nunc dictum est, idcirco judicandum est de particularibus S. per triangulum nigrum ita, quòd nihil eorum, quæ de ipso dicta sunt, destruatur, *sed semper concludatur in S. ex parte trianguli nigri per majorem entitatem & possibilitatem concordantem ipsi E., & per majorem non entitatem & impossibilitatem concordantem ipsi I. ita, quòd in conclusione major existentia T. sit objectum ipsi E., & major existentia Z. sit objectum ipsi I.*; quoniam nisi Artista istum modum haberet in suis conclusionibus, destrueret utique conditiones trianguli nigri in S. & è converso, quas realiter impossibile est destrui, cùm sint necessariæ.

De quarta Parte S.

De Applicatione Universalis ad Particulare & è converso.

HÆc præsens pars est de modo, quo datur doctrina applicandi per T. universale ad particulare & è converso isto modo, ût patebit. Ponatur hæc quæstio, quæ sit: *Utrùm sit differentia inter essentiam S. & suum esse?* non autem hîc intendimus

dimus simpliciter determinare quæstionem, sed solùm dare modum inquirendi particulare, videlicet solutionem propositæ quæstionis, applicando quemlibet triangulum T. ad propositum; & in hoc revelabitur via prosequendi secundùm hanc artem ad cæteras quæstiones, quæ de S. fieri possunt.

In principio igitur attendendum est, in quæ loca ipsius T. cadunt termini propositæ quæstionis: & manifestum est, quòd primò cadunt in triangulo livido in angulum de creatura intellectuali, in hoc, quòd dicitur, *differentia in S.*, quia cùm subjectum hujus differentiæ sit simpliciter intellectuale, oportet ipsam differentiam esse intellectualem: & cadit similiter in angulum de Deo in hoc, quòd dicitur, *essentiam*; sed retorquetur hîc essentia ad hanc creaturam intellectualem, quæ est S., per similitudinem, secundùm quòd essentia est in A., & per quam A. operatus est essentiam & esse ipsius S. artificialiter quoad se, & naturaliter quoad S. Et cadunt similiter in angulum differentiæ in hoc, quòd dicitur, *essentiam & esse illius essentiæ*, eò quòd essentia dicitur ad ipsum esse per modum potentiæ & habitûs, ipsum esse verò per modum actûs illius potentiæ & habitûs, sicut intellectus & intelligere, & cadunt in concordantiam, quia impossibile est alterum esse sinè altero, & in hoc sunt in æqualitate, sed essentia est propter esse, & in hoc sunt in majoritate & minoritate; nam substantia est esse aggregatum de forma & de materia, quæ sunt essentiæ substantiæ, quæ est esse extensum ab illis constitutum; & ita forma & materia, quæ sunt essentiæ, sunt principium, conjunctio autem utriusque est medium, esse verò extensum scil: substantia est finis. Et isto modo cadunt termini quæstionis in triangulum rubeum & croceum. Modo super istos terminos adducat Artista suas conclusiones per conditiones angulorum T., & si conditiones angulorum T. consentiant ens & necessitatem secundùm propositam quæstionem, tenenda est affirmatio, si verò consentiant non ens & impossibilitatem, tenenda est negatio. *Et iste est modus generalis & valde necessarius secundùm hanc artem.*

1. Quoniam Deus [benedictus sit ipse] est similabilis, ideo creavit S. ad suam similitudinem, secundùm quod ipsum S. similitudinem ejus recipere potuit: unde inter essentiam A. & suum esse non est differentia, quia bonitas magnitudo &c. differrent essentiâ & esse, quod est impossibile: ratione autem hujus similitudinis non videtur esse differentia inter esse & essentiam ipsius S.; sed quoniam A. non potest tantùm influere suas similitudines in alienam essentiam quantùm in suammet, cùm aliquid aliud ab A. tantum recipere nequeat, ideo manifestum est, differentiam esse inter essentiam & esse ipsius S., alioquin tantùm posset recipi de unitate essentiæ in S., quantùm in A., quod est impossibile manifestè.

2. In S. sunt plures similitudines DEI, quæ sunt scilicet bonitas magnitudo duratio potestas &c.; & appellamus istas similitudines formas: hæ autem distinctæ sunt ad invicem, habéntque concordantiam, quoniam alia est posita in alia, nec alia sinè alia potest esse in constitutione unius esse tantùm ipsius S. Ex tali quidem speculatione attingunt F. G. plures formas prædictas ipsius S. esse essentiales ipsius S., ex ipsis autem insimul est unum esse ipsius S. Manifestè igitur attingitur in hoc solutio propositæ quæstionis ex parte affirmationis: quoniam, si negatio esset vera, in pluribus formis non esset distinctio, nec esse animæ esset unum, quod est impossibile.

3. T. rubeum est quoddam principium in hac arte valde universale ratione principii medii & finîs, comprehendit enim sub principio medio & fine omnia habentia principium medium & finem: ex hoc igitur principio universali descendimus ad istud particulare, quod est esse vel non esse differentiam inter essentiam & esse ipsius S., universaliter enim omne ens creatum ratione principii habet inclinationem per medium ad finem: hoc itaque considerato in universis principiatis statim oritur solutio propositæ quæstionis ex parte affirmationis, eò quòd affirmatio in hoc concordat cum principiatis, quia dicit, differentiam esse inter essentiam & esse S.; negatio verò contradicit; & in hoc patet solutio ex parte affirmationis esse manifestè vera, quoniam si negatio esset in Y., & affirmatio in Z., essentia S. nequaquam se haberet ad finem, essetque destructum medium: vel si se haberet ad esse & è converso, hoc esset sinè differentia principii medii & finîs, quod est manifestè impossibile.

4. Majoritas bona major est in esse creato quàm in essentia creata illius esse, cùm ipsa

essentia se habeat ad esse, non autem è converso; & ideo quia majoritas major est in esse quàm in essentia ratione finis, declaratur manifestè in isto universali per conclusionem affirmativam veram illud particulare, quod hîc quæritur secundùm propositam quæstionem: nam si ipsa conclusio affirmativa esset in Z., majoritas esset minor in bonitate essendi finis quàm in essentia & principio, cùm sinè differentia ipsius essentiæ & ipsius esse majoritas non possit esse major in altero istorum quàm in altero.

In proposita quæstione dicit affirmatio, differentiam esse inter essentiam & esse S., negatio verò dicit, non esse differentiam inter essentiam & esse S.; „attendendum „est igitur, quæ istarum plus implicat en„titatis & possibilitatis in essentia & esse „animæ, & concludendum est per majori„tatem entitatis & possibilitatis vel affirma„tivè vel negativè, cùm majoritas ens & „possibilitas simpliciter concordent cum „esse, conservando proprietates rei, non „ens verò impossibilitas & minoritas sim„pliciter cum non esse, quia destruunt pro„prietates rei: restat ergo, quòd, si sic de proposita quæstione concludatur, affirmativa tenenda est, cùm affirmativa implicet positivè concordantiam principii medii & finis ultimi contra contrarietatem & minoritatem &c., negatio verò implicat hujus minoritatem & privationem, quia destruit consequenter entitatem & possibilitatem concordantiæ principii & medii & finis, quam destrui est impossibile.

De Figura A.

HÆc figura A. in quatuor partes dividitur, sicut cæteræ figuræ, quæ prædictæ sunt. In *prima* harum partium damus doctrinam inquirendi conditiones dignitatum A. scilicet unius earum cum alia. In *secunda* verò parte damus modum inquirendi conditiones per T. In *tertia* doctrinam applicandi breviter artem ad propositum, scilicet utendi ipsâ arte. Sed in *quarta* parte & ultima exemplificamus largo modo quoad hanc figuram applicationem terminorum & practicam hujus artis: unde sicut de hac figura in hac ultima parte dicetur, sic suo modo de cæteris figuris intelligendum est.

De prima Parte A.

Quomodo Inquirantur Conditiones Dignitatum A.

1. BOnitas Dei ratione suî habet conditionem bonificandi, & habet simpliciter suum bonificare, quia bona; suum igitur bonificare est suummet bonificatum de suamet essentia & natura. „Sed hîc in„telligendum est, quomodo dicimus bo„nitatem bonificare & magnitudinem ma„gnificare &c., hoc autem dicimus sub ra„tione suppositi, id est, quòd Pater generando communicat filio, quidquid habet; & ideo attingitur conditio simpliciter sub ratione bonitatis, scilicet sub ratione suppositi boni personalis; hæc autem conditio est agere bonum in se & de se ratione suî ipsius: & hoc idem, quod sequitur hic de conditione bonitatis ratione ipsius bonitatis, sequitur de conditione magnitudinis ratione ipsius magnitudinis & de æternitate ratione æternitatis, & sic de aliis, exceptis misericordiâ & dominio Dei, quæ de Deo ad creaturam relativè se habent.

2. Bonitas Dei est magna in suo existere & agere ratione magnitudinis; & quoniam ipsa est magna, habet quidem conditionem bonam & magnam ratione sui magni existere, & agere bonum magnum ex ipso bono magno existere. Hoc idem sequitur de bonitate & æternitate vel de bonitate & potestate suo modo, & sic de aliis.

3. Bonitas Dei est infinitè æterna ratione magnitudinis suî & æternitatis, & magnitudo ab æterno bona ratione bonitatis suî & æternitatis, atque æternitas infinitè bona, ratione magnitudinis suî & bonitatis; hoc idem sequitur de istis vel de aliqua istarum cum aliis, sive de aliis cum istis vel cum aliqua istarum suo modo; itaque quælibet earum habet rationem agendi ex alia ratione suî & cujuslibet earum; sicut bonitas, quæ habet conditionem agendi bonificatum ab æterno ratione suî & ratione suæ magnitudinis & æternitatis, similiter & magnitudo magnificatum & æternitas æternificatum, ita quòd bonificatus magnificatus æternificatus &c. sit bonus magnus æternus &c., quia de conditione magnæ & æternæ bonitatis & bonæ & æternæ magnitudinis atque bonæ & magnæ æternitatis [& sic de aliis] est productus.

4. Bonitas DEI est infinitè ab æterno potens

potens ratione suî & magnitudinis æternitatis & potestatis, & non solùm potens, imò etiam est ipsamet potestas; quoniam nisi sic esset, non esset infinitè potens ab æterno ratione suî ipsius & magnitudinis æternitatis & potestatis: & quod sequitur hîc de bonitate in potestate & è converso per magnitudinem & æternitatem ratione cujuslibet istarum, eodem modo sequitur de qualibet ipsarum in alia per alias ratione cujuslibet suo modo; & hæc est Regula generalis, quia, quod sequitur de aliqua ipsarum secundùm rationem suî & cujuslibet aliarum, sequitur de unaquaque aliarum ratione suî & cujuslibet aliarum, quia, quod significatur in particulari de A. respectu divinæ essentiæ, intelligendum est in universali.

5. Bonitas est sciens in infinitate æternitatis & potestatis & in æternitate infinitatis & potestatis atque in potestate infinitatis & æternitatis ratione sapientiæ & ratione etiam suî ipsius, cùm ipsa sit ipsa sapientia, & è converso, atque ratione magnitudinis æternitatis & potestatis, quæ sunt omnes & quælibet ipsamet sapientia, cùm sint eadem essentia & natura unius & indivisibilis Dei-
6. tatis: & sic bene scit ipsa bonitas immensè & ab æterno sapienter & potenter se agere de bono magno æterno sapiente & potente bonum magnum æternum sapientem & potentem.

6. Bonitas Dei est volens, quia bonum est velle bonum; est autem volens ratione voluntatis & ratione suî ipsius, cùm idem sit cum ea, atque ratione magnitudinis potestatis sapientiæ &c., eò quòd ipsa bonitas est ab æterno volens &c., & voluntas ab æterno bona &c. in infinitate potestatis sapientiæ &c. Et ita agit ipsa bonitas in volendo, & voluntas in bonificando bonum magnum æternum potentem sapientem & volentem, quia tales conditiones habet bonitas, quæ est ipsa voluntas, in volendo, quas attingimus sic inquirendo.

7. Bonitas Dei est virtuosa in magnitudine æternitate &c., habendo virtutem in omnibus dignitatibus Dei, quia bonum est habere magnam virtutem in magnitudine æternitatis potestatis sapientiæ voluntatis &c. ratione magnitudinis, atque æternam virtutem in æternitate magnitudinis potestatis sapientiæ voluntatis &c. ratione æternitatis, & sic de aliis. Et exinde oritur visio intellectûs habentis pro objecto virtutem bonitatis vel bonitatem virtutis in magnitudine æternitate potestate sapientia voluntate &c. & tunc attingit conditiones, quas habet bonitas ratione virtutis & ratione suî atque ratione magnitudinis &c., & quas etiam habet virtus in bonitate ratione suî & ratione earundem.

8. Bonitas est vera, quia magna, non enim esset magna, nisi esset veritas, & veritas bonitas &c., atque in A. est ipsa bonitas cum magnitudine &c. in veritate, & è converso: est ergo bonitas verificans bonum verificatum, & veritas bonificans verum bonificatum, ut ipsa bonitas sit vera, & ipsa veritas bona cum magnitudine &c. Hæc autem conditio bonitatis & veritatis sic attingitur, & sic attingendo attingimus, quòd bonitas est remota ab omni falsitate ratione veritatis, & veritas ab omni malitia ratione bonitatis, & sic de aliis.

9. Bonitas ratione gloriæ habet conditionem non habendi extra se indigentiam, eò quòd esset sibi pœna indigentiam pati; atque habet conditionem essendi gloria ratione essentiæ, & in gloria ratione suppositi.

10. Bonitas Dei est perfecta, bonum enim est esse perfectum; bonitas etiam Dei est bonificativa, quia suæmet rationis est agere bonum, & si est bonificativa, est igitur perfectiva, eò quòd in magnitudine &c. est perfecta & bona; & si bonificativa & perfectiva est, habet utique proprietatem in se bonificabilem & perfectibilem bonificatam & perfectam in magnitudine æternitate &c.; & in hoc ostenduntur suppositа personalia, quæ sunt in essentia divinæ bonitatis.

11. Bonitas Dei ratione justitiæ se judicat producere tantum bonum, quantum potest, in infinitate æternitate potestate &c., cùm ipsa bonitas sit magna; & in hoc significatur manifestè, quòd divina bonitas ratione suppositi habet proprietatem productivam & producibilem, & habet producere producens & productum in tota essentia suî & magnitudinis æternitatis &c. Dicitur autem ipsa bonitas quoad totam essentiam; sed in eo, quòd dicitur productiva producibilis &c. attingimus suppositа per proprietates personales existere in bonitate justitia magnitudine &c.

12. Bonitas Dei est largitas, eò quòd est magna æterna potens perfecta &c.; ergo habet conditionem largiendi in tanta magnitudine &c., quanta bonificandi; ergo

bonitas est largificativa, & per consequens largificabilis; sed non esset largificativa neque largificabilis, nisi ratione suppositi haberet proprietatem generativam & generabilem, eò quòd non posset tantum largiri, quantum ipsa est in immensitate æterternitate &c., nisi de se & de largitate generaret infinitum & immensum in bonitate &c., nullum enim ens ad hoc sufficeret, nisi ipsamet bonitas largitas magnitudo &c., ergò.

13. Bonitas & simplicitas in Deo sunt una eadem Deitas in infinita magnitudine æternitate potestate virtute & perfectione &c.; & idcirco bonitati non sufficeret proprietas generativa neque generabilis, nisi haberet proprietatem spirativam & spirabilem, quâ bonificans & bonificatus essent connexi existentes invicem cum ipso spirato una eadem bonitas infinitè æternaliter &c. simplex, una eadem simplicitas infinitè & æternaliter &c. bona, unus Deus tantùm infinitus æternus potens &c. in bonitate & simplicitate; ergo ipsa bonitas in simplicitate &c. ût suppositum habet proprietatem spirativam & proprietatem spirabilem, quâ bonificativus & bonificabilis spirant spiratum simpliciter in unitate bonitatis simplicitatis essentiæ Deitatis &c.

14. Bonitas Dei est ipsamet nobilitas Dei, & sic ipsa bonitas habet bonificare nobile, & nobilitas nobilificare bonum; hoc autem habere earum est cum magnificare æternificare &c.; bonitas ergo habet in se conditionem Deificativam & conditionem Deificabilem, & habet in se Deificare &c.; nam major nobilitas, quam bonitas habere possit, est, quòd in se habeat Deum producentem Deum & spirantem Deum de ipsamet bonitate nobilitate &c.; quoniam, nisi bonitas has conditiones haberet ita nobiles, esset utique defectiva in conditionibus suis, ita quòd magnitudo nobilitatis deficeret bonitati &c.; quod est impossibile.

15. Quia Divina bonitas est bonificativa cum magnitudine, idcirco est misericordiativa; & sic ipsa bonitas ratione suî & ratione magnitudinis habet conditionem misericordiativam, quia magnum bonum est misereri; sed non habet in se conditionem misericordiabilem, cùm hæc conditio non sit magna in bonitate æternitate &c., sed potiùs defectiva: hæc igitur conditio misericordiativa positivè, & illa conditio videlicet misericordiabilis privativè attinguntur in divina bonitate secundùm respectum bonitatis ad cæteras dignitates Dei, & è converso.

16. Quia divina bonitas est magna super suum effectum, ideo habet dominium super omne creatum; proprium igitur est creatorem dominari super creaturam, & increatam bonitatem &c. dominari super creatam bonitatem &c. Magnum quidem bonum est dominium istius Dominantis, & in tantum etiam, quòd de suis creaturis agit quoad ipsa creata naturaliter & supernaturaliter, sicut in Sacramentis & miraculis, ita quòd nihil potest resistere velle voluntatis ejus.

Quemadmodum exemplificavimus de inquisitione conditionum bonitatis Dei, de unaquaque aliarum dignitatum Dei denotatur hoc idem; & ideo Artista, dum fiet ei quæstio de A., debet recurrere ad dignitatem vel ad dignitates, quæ præ cæteris ad ipsam quæstionem sunt applicabiles, & tunc simili modo debet investigare conditiones earum, sicut de bonitate exemplificatum est, & salvis semper ipsis conditionibus inducat conclusionem; vel si non fiat quæstio de Deo simpliciter sed forsitan de aliis, sicut de anima, tunc secundùm prædictum modum etiam debet conditiones bonitatis vel magnitudinis vel durationis &c. ipsius animæ inquirere, quantum potest, secundùm quòd ista principia sive radices animæ recipiunt figuram & similitudinem dignitatum Dei, & secundùm quòd illæ sunt principium & finis istarum, ita quòd si quæstio est de anima, & cadat in ejus bonitatem vel magnitudinem &c., tunc inquirendæ sunt conditiones bonitatis animæ secundùm suam magnitudinem durationem &c., vel magnitudinis secundùm suam bonitatem durationem &c., & sic de aliis.

De secunda Parte A.

De Modo Inquirendi Conditiones ipsius A. per T.

1. CONditiones Dignitatum per triangulos T. cum conditionibus ipsorum investigantur isto modo. Unitas in primo angulo primi trianguli inducit Artistam ad recolendum unitatem Dei & essentiam ejus & dignitates, aliquam dignitatem vel aliquas dignitates ejus; & idcirco si Artista conditiones

tiones bonitatis inquirat, eas itaque inquirat quoad rationem unitatis essentiæ magnitudinis &c., & tunc manifestæ fient ei conditiones, quas habet bonitas ratione unitatis essentiæ & dignitatum; & per hanc manifestationem patebit ei via descendendi ad illam conditionem, quâ specialiter indiget ad concludendum de bonitate ratione unitatis essentiæ & dignitatum.

Per Angulum de Creatura, additâ magnitudine bonitati, percipit Artista, quòd divina bonitas habet conditionem sive proprietatem creativam; nam magnum bonum est creare. Si autem addat ei etiam æternitatem, tunc attingit, quòd bonitas habet conditionem creativam quoad se simpliciter, sed non habet conditionem creabilem, quia sic haberet eam ratione alicujus essentiæ alienæ à se, quæ esset creabilis & æternabilis omnimodè in bonitate immensitate potestate &c.; quod est impossibile.

Per Angulum de Operatione additis magnitudine æternitate &c. bonitati percipit Artista, quòd ipsa bonitas Dei habet in se intrinsecè operationem bonam magnam æternam &c.; & sic percipit, quòd Dei bonitas habet conditionem operandi bonum magnum æternum &c. de se & in se & ad se; ac etiam percipit, quòd ipsa habet conditionem operativam in creatis, sed non adeò bonam magnam durantem &c. sicut in se, cùm nihil præter eam sit infinitum & æternum in magnitudine potestatis veritatis &c. 4.

2. Cùm divina bonitas sit insensibilis, percipit Artista per differentiam intellectualem, utrùm divina bonitas habeat in se res distinctivas & distinguibiles; & additâ huic distinctioni concordantiâ attingit in ipsa bonitate conditiones distinctivas & distinguibiles esse unitivas & unibiles, ut in ea sit concordantia & per consequens conditio concordativa & conditio concordabilis atque concordare in essendo una bonitas unus Deus; quòd si non, ab ipsa bonitate non essent tantum remotæ malitia contrarietas & otiositas. 5.

3. Triangulus rubeus additus bonitati significat tempus non esse de natura æternitatis neque illius bonitatis, quæ est ipsamet æternitas, nec similiter quantitas est de natura immensitatis neque ipsius bonitatis, quæ est ipsamet immensitas; privativè ergo denotantur hæ proprietates in bonitate. Causa verò significat ipsam bonitatem esse summum agens formale & finale non habens materiam sibi coæqualem. Bonificativo principiante suum bonificabile, & addito huic respectui medio, tunc percipit Artista, quòd ipsa bonitas habet in se ratione suppositorum conjunctionem conjunctivam & conjungibilem in conjuncto, & hoc in una eadem essentia Deitate & natura: & ratione mensurationis hujus anguli recordatur, quòd, quanta est ipsa bonitas quoad suppositum bonificativum, in tantum communicat eam ipsum suppositum bonificativum supposito bonificabili generabili sive spirabili per totam essentiam divinam. Addito autem ipsi bonitati angulo finis, tunc perpendit Artista tot & tantas esse conditiones in bonitate Dei, quòd impossibilis est in ea privatio finis bonitatis magnitudinis &c., & quòd omne creatum habet in ea suum ultimum finem, & omnem creaturam terminat & comprehendit.

4. Ratione autem Majoritatis & Minoritatis attingitur, quòd neque substantialiter neque accidentaliter nec aliquo modo habet bonitas Dei in se majoritatem nec per consequens minoritatem, quia sic non esset idem numero, quod ipsa Dei magnitudo, quæ habet conditionem immensivam, sicut æternitas æternificativam & ipsa bonitas bonificativam: restat igitur, quòd ipsa habet conditionem coæquativam & conditionem coæquabilem, bonificativo se coæquante bonificabili substantialiter in bonitate magnitudine æternitate &c., ipso bonificativo & bonificabili infinitè distantibus à majoritate & minoritate in essentia divina: habet tamen per comparationem ad creaturam majoritatem, creatura verò minoritatem.

5. Cùm ipsa divina bonitas sit ens ratione magnitudinis æternitatis perfectionis veritatis &c. infinitum æternum perfectum verum &c. distans infinitè æternaliter &c. à non ente & impossibili, idcirco ipsa bonitas est ab ipso S. super omnia entia affirmabilis, & super omnia entia est in ea negabilis & impossibilis non entitas malitia parvitas privatio imperfectio falsitas &c. vel possibilitas agendi in se sive in creatis contra se & contra suam magnitudinem æternitatem &c., vel etiam quòd habeat dubitationem.

Sciendum est autem, quòd, quemadmodum de conditionibus bonitatis per terminos T. dictum est, eodem modo secundùm se significatur de conditionibus magnitu-

gnitudinis vel æternitatis, & sic de aliis, secundùm doctrinam superiùs datam. „Et „quemadmodum conditiones dignitatum „investigantur per terminos T., è conver„so etiam conditiones ipsorum termino„rum T. per ipsas dignitates investigari pos„sunt, sicut in angulo de creatura intellectua„lis creatura habet conditionem recolitivam intellectivam volitivam, etiam est creabilis magnificabilis &c., quia bonitas Dei est recolibilis intelligibilis & amabilis atque creativa magnificativa &c.; ac etiam ipsa creatura appetit bonum, quia bonitas est bona, & plus etiam bonum magnum potens durans &c. quàm parvum fragile transitorium &c., quia bonitas est magna æterna durans potens &c., atque appetit esse, quia ipsa bonitas est summum ens actu, & appetit finem, quia ipsa bonitas est finis: & sic de aliis suo modo. Per hæc igitur, quæ prædicta sunt, panditur via & doctrina miscendi A. per T. & è converso, ad investigandum conditiones A. per T. vel è converso, & semper salvis ipsis conditionibus concludendo judicetur particulare secundùm doctrinam hîc traditam universalem.

De tertia Parte A.

De Applicatione Artis ad propositum.

SEcundùm doctrinam hujus tertiæ partis intendimus manifestare viam & modum applicandi artem ad propositum de A., id est, ad solvendum quæstiones de A. secundùm proprietates & conditiones terminorum artis: & hæc est practica videlicet usus ipsius artis; nihilominus tamen potiùs intendimus ad bene & breviter tradendum doctrinam applicationis ipsius artis ad propositum quàm ad fortificandum determinationes vel solutiones quæstionum: & per doctrinam, quam exhibebimus in quæstionibus de A., implicabitur via & modus ad cæteras quæstiones. Proponatur igitur hæc quæstio de divina bonitate isto modo.

1. Quæstio. *Utrùm divina bonitas indigeat aliquo extra se?* vade *ad bonitatem magnitudinem A. & ad earum proprietates sive conditiones & etiam ad majoritatem & finem*, quæ sunt in T., & commisce terminum termino, & salvando cuilibet suas conditiones conclude isto modo. Cùm bonitas sit ipsamet magnitudo, non indiget aliquo extra se, quia sic ipsa non esset magnitudo, sed potiùs parvitas habens minoritatem contra majoritatem in fine, quo egeret, quod est impossibile & contra suas conditiones, ad quas recurrendum est in prima & secunda parte hujus figuræ, ut per eas solutio hujus quæstionis fortificari possit, & adduci ad eam multæ cogentes rationes. Si autem quæstio fiat de magnitudine Dei isto modo.

2. Quæstio. *Utrùm Deus possit esse magnus absque magnificare?* recurre *ad magnitudinem potestatem bonitatem æternitatem* &c. *& ad affirmationem & negationem & majoritatem*; & sic manifestè videbis, quòd in præsenti quæstione negatio plus importat entitatis in magnitudine bonitatis potestatis æternitatis &c. quàm affirmatio; cùm ipsa magnitudo sit plus quoad existere & agere in se & in bonitate æternitate potestate &c. quàm quoad existere tantùm & non agere bonum magnum in æternitate immensitate &c., ergò non potest &c.; tamen istud non posse non est contra potestatem, nam quidquid potestas potest, in Deo est, dum tamen illud sit bonum ratione bonitatis magnum ratione magnitudinis & justum ratione justitiæ &c. Et hoc intelligendum est similiter in cæteris quæstionibus, quæ de posse potestatis fiunt. Si quæstio de æternitate fiat.

3. Quæstio. *Utrùm mundus sit ab æterno?* recurre *ad æternitatem bonitatis magnitudinis* &c. *& ad Deum & majoritatem*, & conclude per conditiones istorum terminorum, quos assumis, sic. Sicut æternitas ratione suæ proprietatis & ratione suæ bonitatis magnitudinis &c. non potest sustinere plures esse Deos, plures bonitates magnitudines &c. immensas & sinè principio & fine præter unum tantùm, unam bonitatem magnitudinem &c. immensas & sinè principio & sinè fine, sic nec plures esse æternitates præter unam tantùm; quoniam, si sustineret plures esse æternitates, sustineret plures etiam Deos & plures esse bonitates magnitudines &c. immensas sinè principio & fine, quod est impossibile. Si autem possit sustinere plures esse æternitates ita quòd non plures Deos, plures bonitates magnitudines immensas sinè principio & fine, sic sequeretur, quòd æternitas haberet majorem magnitudinem in bonitate unius Dei unius bonitatis magnitudinis &c. immensæ sinè principio & fine quàm in bonitate unitatis suî ipsius; & sic magnitudo deficeret unitati æternitatis, & per

per consequens bonitas potestas &c., quod est impossibile. Si quæstio fiat de potestate sic.

4. Quæstio. *Utrùm Deus possit producere Deum?* Cùm quæstio sit de potestate operationis Dei, recurre *ad Deum & operationem in T. & ad potestatem in A.*, dein applica ad hos terminos illos terminos, qui ad quæstionem solvendam competunt, sicut *bonitatem magnitudinem voluntatem majoritatem finem*; & hos terminos misce alium cum alio in tua speculatione conservans unicuique eorum suas conditiones, quas habent ad invicem, & solve sic. In Deo est magnitudo unitatis in bonitate potestate & voluntate, quare manifestum est, quòd ipsa unitas ratione suæ magnitudinis, quam habet in bonitate & voluntate, tantùm potest de sua potestate ratione suæ operationis, quæ est agere, quantùm ratione essendi sive existendi; cùm impossibile sit, finem suum esse majorem ratione essendi quàm agendi: quia si sic, non consequeretur finem ejus esse æqualem; hoc autem non potest sustinere ratio bonitatis magnitudinis & voluntatis, quia summus finis earum esset quoad existere, non autem quoad agere, atque finis potestatis esset existere, quod esset otiosum in bonitate magnitudine & voluntate, quod est impossibile: relinquitur ergo, quòd divina potestas, quæ est ipse Deus, tantùm potest agere in se & in unitate sua atque in bonitate &c., quantùm habet existere, ergo Deus tam magnum bonum potentem &c. potest producere, quantum ipse habet existere; tantum ergo est suum posse sicut suummet existere. Si quæstio fiat de divina sapientia sic.

5. Quæstio. *Utrùm in scire sapientiæ sit tantum bonificare & tantum posse, quantum est ipsum scire?* Cùm hæc quæstio sit de æqualitate hujus operationis, quæ est scire sapientiæ, & hujus operationis, quæ est bonificare bonitatis & posse potestatis, recurre *ad bonitatem magnitudinem potestatem sapientiam & ad earum actus*, deinde ad *æqualitatem operationem concordantiam & finem* in T., & solve isto modo. Bonitas magnitudo potestas & sapientia habent majorem concordantiam in æqualitate finîs quàm in inæqualitate, cùm in inæqualitate finîs sit minoritas: sed quoniam oportet in Deo esse id, per quod bonitas magnitudo potestas & sapientia habent majorem concordantiam, ut magnitudo non deficiat bonitati potestati sapientiæ & sibi ipsi; ergo &c. Si fiat quæstio de voluntate DEI sic.

6. Quæstio. *Utrùm voluntas DEI plus possit velle, quàm habere volitum?* Hæc quæstio est de actu potestatis DEI in actu voluntatis DEI secundùm magnitudinem; idcirco recurre ad istos terminos in A. *magnitudo potestas voluntas, & ad actus earum*, & in T. ad *Deum operationem majoritatem*, quoniam hos terminos continet quæstio explicitè. Nunc autem miscendo A. T. sic responde. In DEO sunt unitas essentia dignitates; unitas autem essentiæ cum magnitudine denotat, quòd voluntas & posse sunt eadem unitas essentiæ & eadem magnitudo æternitas perfectio &c.; conclude ergo necessariò, quòd voluntas Dei, quantùm potest velle, tantùm potest habere actu, cùm sit idem, quod ipsa potestas, & potestas idem, quod ipsa magnitudo perfectio &c.; quoniam, si majoritas esset in velle, & minoritas in habere, voluntas DEI & suum posse non essent idem cum magnitudine perfectione &c., quod est impossibile. Et loquimur de habere in DEO, quod habere est actu, & ita accipiendum est habere in DEO, quandocunque de habere in DEO loquimur. Si sit quæstio de Virtute sic.

7. Quæstio. *Utrùm divina virtus habeat bonitatem & è converso?* Hæc quæstio continet hos terminos scilicet bonitatem & virtutem & habere earum. Accipe igitur *bonitatem virtutem operationem concordantiam & finem.* Operatio significat bonificativum virtuificativum bonificabile virtuificabile bonificatum virtuificatum. Concordantia significat bonificativum concordativum bonificabili & virtuificativum concordativum virtuificabili, finis verò significat habere, ita quòd bonificativum habet bonificabile & virtuificativum virtuificabile, cùm bonificativus non sit bonificans nisi ratione finîs, neque virtuificativus virtuificans: sed finem in proposito non posset habere, nisi bonificativum esset virtuosum & virtuificativum bonum &c.; restat igitur, quòd bonitas habet virtutem & è converso. Si fiat quæstio de veritate, ût sic.

8. Quæstio. *Utrùm Deus plus possit verificare in se quàm in alio?* Accipe *veritatem potestatem DEUM operationem majoritatem*, quia sic sonat quæstio, ût per se patet: &

misce terminum termino & conclude secundùm conditiones, quas habent ad invicem. Deus repræsentat tibi unitatem essentiam & dignitates, & unitas denotat, quòd potestas & veritas sunt eadem unitas essentiæ in Deo, ut ipsa unitas sit magna in potestate & veritate & è converso. Magna significatur ipsa unitas per dignitates, in quibus est magnitudo, & quæ etiam sunt ipsamet magnitudo ratione magnitudinis unitatis: per operationem autem & majoritatem denotatur posse potestatis plùs esse in sua veritate, quæ idem est essentialiter cum ipsa potestate in magnitudine quàm in alia, cum qua non est eadem essentia in magnitudine; aliter enim suum posse non esset majus in majori veritate quàm in minori, quod est impossibile; Deus autem est infinita veritas, ergò &c. Si fiat quæstio de gloria, ût sic.

9. Quæstio. *Utrùm beati, qui sunt in patria, habeant tantam gloriam in Deo ratione operationis Dei, quantam ratione existentiæ ejus?* Hæc quæstio ratione suorum terminorum docet assumere *Deum gloriam magnitudinem operationem finem æqualitatem:* igitur per hos terminos solve quæstionem isto modo. Deus in existendo est Deus, ut suum existere sit magnum in bonitate infinitate æternitate &c.; ac etiam Deus in agendo in se est Deus, ut in ejus operatione non deficiat magnitudo bonitatis infinitatis æternitatis &c.; ergò Deus tantùm est Deus ratione finis agendi, quantùm existendi, & è converso; & inde oritur demonstratio, quâ solvitur proposita quæstio. Si fiat quæstio de perfectione Dei, ût sic.

10. Quæstio. *Utrùm Deus possit perficere semet ipsum?* Secundùm propositam quæstionem assume *Deum potestatem perfectionem operationem differentiam majoritatem finem*, & solve sic. In Deo est unitas essentiæ, ergò ratione unitatis essentiæ, quæ est ipsa perfectio Dei, non potest se secundùm hoc perficere, quia de ratione suæ perfectionis est, cùm sit idem cum æternitate & magnitudine, quòd ab æterno est jam perfectissimus: sed quoniam in Deo perfectio non est sinè perficere, quia sic esset suum posse sinè fine, atque magnitudo, quæ major est in potestate & perfectione & in posse perficere, quàm in potestate & perfectione sinè posse perficere, deficeret potestati & perfectioni in actibus suis, & per consequens in eisdem, quod est impossibile: ergò DEUS perficit semet ipsum distinctivè, ita quòd Deus perfectivus perficit Deum perfectibilem in bonitate immensitate æternitate &c., permanentibus perficiente & perfecto uno eodem Deo ratione unitatis essentiæ perfectæ in bonitate immensitate æternitate &c. Si fiat quæstio de justitia Dei, ût sic.

11. Quæstio. *Utrùm Deus possit judicare semet ipsum?* Assume igitur secundùm propositam quæstionem *justitiam potestatem bonitatem operationem medium finem æqualitatem.* Significat autem medium ratione mensurationis, quòd justitia, quæ est Deus, intelligendo se bonam magnam &c., cùm ratione unitatis essentiæ Dei sit ipsamet bonitas magnitudo &c., judicat se ratione sui agere tantum bonum magnum &c., quantum potest agere, & hoc etiam æqualiter in tantùm, quantùm potest intelligere, suum posse producere bonum magnum &c., ut totum illud posse essendi & agendi, quod in bonitate &c. justitia habet actu immensitatis & æternitatis, agat incessanter; alioquin finis deficeret in omnibus terminis suprà dictis, quod est impossibile. Si fiat quæstio de largitate Dei, ût sic.

12. Quæstio. *Utrùm Deus possit se totum largiri?* Secundùm hanc quæstionem sume istos terminos scilicet *Deus potestas largitas operatio differentia majoritas finis*, & solve sic. Divina unitas ratione unius Dei essendi tantùm significat negationem esse veram? sed differentia ratione majoris finis largitatis & potestatis significat affirmationem esse veram; quoniam nisi totus DEUS se largiri posset, sic esset largitas ejus in parte & non in toto, & ita defectiva in ratione potestatis & in majoritate finis, quod est impossibile; restat igitur, quòd Deus largitur se ipsum, & sic ipse Deus est largiens & largitus; largiens quidem largiendo se totum largito vel largiendo totum largitum de se ipso toto largiente producendo ipsum largitum, & cum ipso remanens unus idem Deus, una eadem essentia, una largitas potestas &c. ratione ipsius unitatis infinitæ. Si fiat quæstio de simplicitate Dei, ût sic.

13. Quæstio. *Utrùm Deus possit esse simplex existens trinus Trinitate personali?* Assume *Deum simplicitatem potestatem magnitudinem æternitatem operationem contrarietatem majoritatem.* Unitas essentiæ per omnes dignitates DEI significat simplicitatem ratione magnitudinis & æternitatis infinitam & æternam in bonitate potestate &c.; operatio autem

autem ratione magnitudinis ipsius simplicitatis significat simplificativum simplificabile simplificare & simplificatum, & ratione æternitatis simplificandi simplificativum & simplificans sunt idem suppositum, & simplificabilis & simplificatus similiter idem: potestas autem ratione operationis scilicet simplificandi de simplicitate simplificatum significat simplicitatem esse magìs remotam à compositione in simplificando, quàm si non simplificaret; nam aliter non esset contrarietas inter simplicitatem & compositionem, ergo &c. Si fiat quæstio de nobilitate, ût sic:

14. Quæstio. *Cùm homo sit productus de nihilo, quare appetit nobilitatem & honorem?* Assume *nobilitatem bonitatem magnitudinem Deum contrarietatem principium medium finem majoritatem minoritatem.* Ratione magnæ & bonæ nobilitatis, quæ Deus est, significant principium medium & finis, quòd homo desiderans nobilitatem & honorem desiderat Deum, cùm ad hoc sit creatus, quemadmodum minus illud suum majus desiderat, in quo habet suum finem. Contrarietas verò existens inter minus & suum majus denotat, quòd minus quandoque suo majori contrariatur, cùm appetit id, quod suo majori proprium est. Si sit quæstio de misericordia Dei, ût sic:

15. Quæstio. *Quare homo naturaliter diligit plùs misericordiam Dei, quàm timeat justitiam ejus?* Secundùm quòd quæstio jacet in A., vade ad *misericordiam justitiam magnitudinem operationem concordantiam contrarietatem finem æqualitatem.* Magnitudo significat æqualitatem esse in misericordia & justitia DEI ratione subjecti; quoniam, si inter eas esset inæqualitas, magnitudo utique cum misericordia & justitia non esset idem: operatio verò ratione concordantiæ significat, quòd Deus naturaliter magis est amabilis quàm timibilis, dilectio enim est finis timoris, timor namque non est finè contrarietate, cujus contrarietatis concordantia est finis dilectionis. Si fiat quæstio de Dominio Dei, ût sic:

16. Quæstio. *Quare dominium desiderabilius est quàm servitus?* Secundùm tenorem hujus quæstionis vade ad *Dominium magnitudinem voluntatem DEUM concordantiam principium medium finem majoritatem minoritatem.* Voluntas DEI & dominium ejus sunt una eadem numero essentia; idcirco significatur, quòd dominium concordat cum majoritate, servitus verò cum minoritate, cùm sit idem ratione subjecti cum divina voluntate, & servitus sit medium, per quod principium tendit ad finem, ubi est libertas in concordantia sinè contrarietate.

Sciendum est autem, quòd si quis in conclusionibus harum prædictarum vel similium quæstionum multis & copiosissimis rationibus abundare voluerit, recurrat ad primam & secundam partem A., sicut prædictum est, & requirat conditiones terminorum, quibus ad sibi propositam quæstionem indiget, quemadmodum de bonitate dictum est, & affluet ei ad propositum magna multitudo rationum. Ars in hoc brevis est & facilis, experimentum verò prolixum & diffusum, quare supersedendum est, intellectus enim bonus hæc faciliter indagabit.

De quarta Parte A.

De Applicatione Triangulorum T. ad Figuram A. largo modo.

IN præcedenti parte tertia satìs sufficienti modo, tamen magìs strictè, quantùm licuit, secundùm rei veritatem manifestandam dedimus artem & doctrinam ad investigandum particulare ipsius A. per T. Nunc igitur in præsenti parte volumus ampliare materiam investigationis per discursum cujuslibet trianguli T. in quadam quæstione, ut in aliis quæstionibus perpendat Artista, si indigeat, consimili modo ipsius T. terminos applicare. Proponatur igitur hæc quæstio:

1. Quæstio. *Utrùm Deus sit incarnatus?* Vade ad triangulum lividum, & in eum recipe quæstionem unà cum cæteris triangulis, & respondeas secundùm quòd terminorum conditiones significabunt, isto modo. Unitas & magnitudo in Deo denotant, quòd in creatura animali rationali plures essentiæ diversæ sunt unitæ quàm in aliqua alia specie, & sic ejus unitas ratione plurium essentiarum, & per consequens plurium principiorum, de quibus consistit, major est quàm aliqua alia unitas cujuscunque alterius creaturæ: operatio verò denotat, quòd magnitudo & potestas DEI plus possunt agere de bono in majori unitate creaturæ quàm in minori, illâ existen-

te unâ unitâ unitati ipsius magnitudinis & potestatis, id est, ipsi unitati & essentiæ DEI: & quoniam divina magnitudo & potestas habent majorem concordantiam participandi cum majori unitate quàm cum minori, igitur manifestum est secundùm magnitudinem operationis Dei, Deum esse incarnatum; quòd si non, magnitudo & potestas & cæteræ dignitates haberent majorem concordantiam & participationem in creatis cum minoritate quàm cum majoritate.

2. Inter Deum & creaturam est differentia; Deus autem ratione Incarnationis induxit hanc differentiam in concordantia, non autem in contrarietate: si igitur Deus est incarnatus, concordantia DEI & creaturæ magis distare facit differentiam, quæ est inter DEUM & creaturam, à contrarietate, quàm si non est incarnatus: & quoniam voluntas DEI, cùm sit idem cum magnitudine bonitatis potestatis &c., diligit, esse magnam concordantiam inter Deum & creaturam, ergo ipsa voluntas ratione sui velle magis boni &c. denotat Deum esse incarnatum.

3. Triangulus rubeus denotat, DEUM esse incarnatum, isto modo. DEUS est principium medium & finis omnium creatorum, & hoc cum magnitudine bonitatis magnitudinis &c., est ergo ipse Deus principium medium & finis cum majoritate, non autem cum minoritate, cùm magnitudo bonitatis &c. magis concordet majoritati trianguli rubei quàm minoritati; manifestum est ergo Deum esse incarnatum, ut Deus in majoritate sit principium medium & finis omnium creatorum, & per consequens ut omne creatum sit in majoritate principiatum mediatum & completum, non autem in minoritate.

4. Major ostensio, quam Deus fecit ipsi E. extra se de suo bonificare magnificare &c., est, se ipsum incarnare, & hoc per se manifestè patet, videlicet dum univit suum bonificatum magnificatum &c. extrinsecum suo proprio bonificato magnificato &c. intrinseco: & quoniam Deus creavit omne, quod est extra se, eò quòd ipse est recolibilis intelligibilis & amabilis in majoritate, non autem in minoritate, ergo patet ipsum esse incarnatum, ut illud sit, per quod Deus produxit mundum in majori bonitate magnitudine &c.; quoniam nisi ita esset, sequeretur, quòd finis creationis & prædictæ ostensionis consisteret & attingeretur in minoritate, non autem in majoritate, quod est summum inconveniens & contra magnitudinem divinæ bonitatis potestatis &c.; ergo Deus est incarnatus.

5. Tenente affirmativâ, Deum esse incarnatum, ejus contradictoria negativa tenet, eum non esse incarnatum, & sic ambæ implicant dubitativam: quare ad destructionem hujus dubitativæ recurrendum est ad A. & ad ejus dignitates & operationes, quas habent in creaturis per majorem differentiam concordantiæ & per majus principium medium & finem, & per majorem bonitatem &c. atque similitudinem inter Deum & creaturam, sicut etiam prædictum est: deinde videndum est per triangulum nigrum, quæ istarum plus importat ex actibus dignitatum DEI & ex entitate & possibilitate, vel affirmatio vel negatio? & illa, quæ se habet in plus boni magni &c., tenenda est, cùm plus etiam boni &c. ratione majoritatis habeat concordantiam cum magnitudine &c.; & si sic videtur, manifestum est, quòd concluditur affirmativè, Deum esse incarnatum; alioquin sequeretur totum oppositum prædictorum triangulorum in bonitate &c., quod est manifestè impossibile, ergo Deus est incarnatus, & hoc unâ humanitate individuâ, ut in uno homine inducat plus entitatis & finis & majoritatis concordantiæ unitatis atque bonitatis magnitudinis &c., quàm in cæteris entibus creatis.

De Figura V.

FIgura V. divisa est in *tres* partes: in *prima* parte damus doctrinam inquirendi conditiones virtutum. In *secunda* verò conditiones vitiorum. Sed in *tertia* & *ultima* manifestamus viam & modum applicandi artem ad quæstiones & solutiones, quæ de virtutibus & vitiis fieri possunt: primò circa primam partem procedemus isto modo.

De prima Parte Figuræ V.

De Modo Inquirendi Conditiones Virtutum.

UT possimus ministrare doctrinam investigandi conditiones ipsius V. per T., accipimus *Charitatem*, & eam miscendo

do per T. indagamus illius conditiones, *ut hæc indagatio sit modus & via ad indagandas conditiones aliarum virtutum*; & primò:

1. Per Triangulum lividum isto modo. Cùm triangulus lividus sit tanquam subjectum cæteris triangulis T., priùs igitur conditiones Charitatis & cujuscunque etiam alterius virtutis perscrutandæ sunt per ipsum quàm per aliquem aliorum, & priùs etiam in angulo de DEO quàm in aliis angulis.

Igitur in angulo de *Deo* significat unitas & essentia, charitatem inquiri debere quoad unitatem & essentiam ipsius charitatis. Dignitates verò significant, quomodo charitas habet unam conditionem ratione bonitatis, & alteram ratione magnitudinis & sic de aliis; cùm ipsa charitas ex divinis dignitatibus influxa sit.

In angulo autem de *creatura* denotatur, charitatem & ejus subjectum esse creaturas intellectuales: sed in angulo *operationis* significatur, quòd S. de charitate naturaliter debet agere in bono magno &c. secundùm dignitates sive rationes A., de quibus ipsa charitas est influxa.

2. Triangulus viridis repræsentat, quòd charitas habet conditionem concordandi diversa in bonum magnum &c. contra diversa concordantia in malum & privationem magnitudinis bonitatis, & hoc, cùm ipsa charitas de pluribus similitudinibus constituta sit, concordante alterâ similitudine alteri, ut homo per ipsam charitatem diligat Deum & semetipsum & suum proximum in A., & vitiis resistat: & idcirco, licèt charitas sit una eadem in se, habet tamen diversas proprietates secundùm E. I. N. atque per habitum sui ipsius ad quamlibet aliam virtutem concordativè, & ad quodlibet vitium contrariativè.

3. Ratione principii charitas est in tempore & quantitate virtuali, & est virtualis qualitas in subjecto; ipsum autem subjectum ejus est S., ipsis E. N. habentibus A., & I. habente vitia pro objectis. Charitatis principium effectivum formale & finale est A., & respectu hujus finis est ipsa charitas quoddam principium informans E. I. N.; idcirco E. I. N. sunt tanquam media ratione potentiæ se habentis ad finem. Igitur ratione principii multæ diversæ proprietates sive diffinitiones vel conditiones charitatis inveniuntur.

Eodem modo etiam est de medio; denotat enim medium, quòd charitas habet proprietatem seu naturam conjungendi bonum magnum &c. ad unum finem, & mensurandi, quantum bonum magnum &c. est potentiâ & habitu, ut ea reducat ad actum, ad hoc, ut tota E. I. N. sint imbuta charitate: finis verò significat, ut E. semper habeat A. tanquam suum ultimum finem; & iste finis movet I. ad vitia, & movet E. ad seipsum & proximum, & hæc omnia terminantur isto termino, qui est E. A.

4. Major est charitas substantialiter, loquendo de substantia transumptivè, quàm accidentaliter; substantialiter autem ratione E. A., accidentaliter verò ratione I. V. Z.: nam ratione hujus, quia ipsum A. est recolibile intelligibile & amabile, est ipsa charitas principaliter & primâ intentione; quam siquidem primam intentionem [transumptivè loquendo] dicimus finem substantialem ipsius charitatis: ratione autem hujus, quia charitas per I. se habet ad finem, est ipsa charitas per accidens.

Æqualitas autem denotat charitatem ex parte subjecti esse in æqualitate, quando æqualitas recolendi intelligendi & diligendi A. est in E.: & quantò hæc æqualitas major est, tantò major est ipsa charitas, quæ est E. habens A., quia E. isto modo magis informatum est & meliùs indutum bonitate magnitudine &c., ex quibus charitas formaliter est: & inde oritur æqualitas proportionis ipsius charitatis in E. I.; quia tunc est charitas in summa majoritate, quando, secundùm quod E. est in majori æqualitate recolendi intelligendi & diligendi A., est ipsum I. in majori æqualitate recolendi intelligendi & odiendi V. Z.

5. Entitas charitatis major est ratione E. quàm ratione I., eò quòd A. est recolibile intelligibile & amabile, non autem recolibile intelligibile & odibile: charitas igitur est in majori possibilitate ratione affirmationis concordantis ipsi E. ratione ipsius A., quod est affirmabile, quàm ratione negationis concordantis ipsi I. ratione negandi esse in A. malum & parvitatem bonitatis &c.; ergò de charitate concludendum est affirmativè, si sequatur conditiones ejus, quas hic diximus. Si verò sequatur oppositum, concludatur negativè, ac etiam secundùm majores conditiones charitatis concludendum est citiùs quàm secundùm minores.

Hîc autem sciendum est, quòd sicut de

conditionibus charitatis dictum est, intelligendum oppositio modo de conditionibus crudelitatis dictum esse, crudelitas enim est oppositum charitatis; „nam si quis conditiones alicujus virtutis indagaverit, conditiones oppositi illius virtutis modo oppositio indagavit: ût si quis conditiones Fidei inquisiverit, conditiones incredulitatis modo oppositio pariter inquisivit. E converso similiter sequitur de vitiis; nam si quis conditiones luxuriæ inquisiverit, oppositio modo conditiones castitatis quoque perscrutatus est.

De secunda Parte V.

De Modo Inquirendi Conditiones Vitiorum.

DE conditionibus vitiorum in hac secunda parte doctrinam per triangulos T. tradere intendimus inquirentes de conditionibus *avaritiæ*, ut pateat via ad inquirendas conditiones quorumlibet aliorum vitiorum.

1. Igitur ad triangulum lividum recurrendum est, & primò ad angulum de *Deo* sic. *Unitas* significat, utrùm avaritia sit una vel plures, & *essentia*, quæ sit essentia avaritiæ, & *dignitates* significant, quæ sint suæ dissimilitudines ex parte avaritiæ, ipsâ avaritiâ existente unâ in quolibet homine habente illam. Essentia ejus est de obliquis formis dissimilibus & contrariis bonitati magnitudini &c. divinæ largitatis: hæc autem essentia, secundùm quod ipsa potest dici essentia, est de differentibus formis informata privantibus largitatem in homine, & formas, de quibus similitudo dignitatum constituta est, & ab ipsis dignitatibus influxa.

Creatura verò significat, eam non esse creaturam, essentia namque cujuslibet creaturæ de similitudinibus DEI ratione bonitatis &c. constituta est; avaritia verò non est hujusmodi sed potiùs oppositum; manifestum est ergo, quòd non est creatura.

Operatio tandem denotat, ipsam avaritiam non esse operationem naturalem, quæ est generans bonum; est autem operatio innaturalis privans vel corrumpens bonum, id est, illa inclinatio, quam homo habet ad illud nihilum, unde productus est.

2. Ratione differentiæ & concordantiæ & contrarietatis inquirendum est de avaritia sensualiter & intellectualiter: ipsa avaritia est intellectualis, non autem sensualis nisi figuraliter, eò quòd verbum phantasticum est subjectum ipsius, in quo ipsa avaritia diversimodè constituitur impellens plures species phantasticas concordare fini contrario, & maximè huic fini, qui est privatio largitatis: hæc autem privatio largitatis cum suis conditionibus est constituta ex distinctis phantasiis oppositis illis distinctis phantasiis, de quibus largitas est constituta: avaritia est contraria largitati, secundùm quòd ex differentia contrarietatis inter conditiones & phantasias hujus & conditiones & phantasias illius significatur.

3. Principium significat ipsam avaritiam quandoque esse quandoque non esse, & eam esse in potentia in aliqua materia, quando non est actu; & quandoque etiam eam esse habitu ratione alicujus formæ vitiosæ actu existentis, & quandoque reducitur ad actum effectivè in E. vel in I. ratione alicujus finis: est autem iste finis privatio largitatis. Principium verò effectivum est ipsum S. habens libertatem habituandi phantasias avaritiæ in E. I. secundùm majus & minus: sed principium materiale est in potentia, in qua sunt ipsæ phantasiæ, de quibus verbum avaritiæ constitutum est.

Medium autem denotat, quòd avaritia plura contra finem eorum conjungit, & mensurat contrario fini largitatis non mensurantis ea in actibus ipsorum E. I., ita, quòd omnes extremitates ipsius E. & ipsius I. submersæ in avaritiam concurrunt vitiosè ad privandum largitatem & terminos ejus, ut hunc ultimum finem, qui est avaritia, conservent. Etiam sicut avaritia est privativa terminatio largitatis, sic è contrario largitas avaritiæ.

4. Substantia posita in triangulo croceo significat ratione suarum conditionum, quòd avaritia non potest habere substantiales proprietates sive conditiones positivas in sua majoritate vel minoritate vel æqualitate, sed privativas; nam quemadmodum largitas habet suas conditiones substantiales, id est, principales vel finales in E. habente A., & habet suas conditiones in I. habente V. Z., ita è contrario, [ut ita loquamur,] avaritia habet suas conditiones substantiales, id est, principales in E. habente V. Z., & habet suas conditiones accidentales in I. habente A., eò quòd E. movet I.; idcirco avaritia nihil substantiale importat ex parte rei in sua majoritate vel minoritate vel æqualitate, cùm sit privatio rei, quæ est largitas: est autem accidens privativum largitatis secundùm majoritatem æqualitatem minoritatem privandi largitatem: hæc autem majoritas illius consistit in majori æqualitate & proportione ipsius avaritiæ; nam quantò avaritia magis æqualiter est in phantasiis ipsius E. indutis contra largitatem & conditiones ejus, & magis æqualiter in phantasiis ipsius I. magis proportionatis phantasiis ipsius E., tantò major est.

5. Si dubitetur de avaritia, utrùm sit ens vel non ens, possibilis vel non possibilis? super hoc dubium significat impossibilitas affirmationis & negatio possibilitatis, avaritiam non esse ens reale, cùm sit contraria largitati A., quæ est necessariò ens reale: significant autem possibilitas affirmationis & negatio impossibilitatis, avaritiam esse possibilem inclinationem ad informandum phantasias ipsorum E. I. contra finem ipsorummet E. I. Ex prædicta igitur significatione attingitur affirmativè vel negativè avaritia, quando ipsa est actu in subjecto, quod est E. vel I., vel potentiâ ratione possibilitatis, vel habitu ratione formæ deformis, videlicet habitu corruptivo & privativo boni &c., quod est ens, ut reducat illud in non ens.

De tertia Parte V.

De Modo Applicandi Artem ad Quæstiones & Solutiones ipsius V.

TErtia pars & ultima figuræ V. est hîc addandum doctrinam & modum applicandi artem ad propositum ipsius V. videlicet ad singulas quæstiones, quæ de V. fieri possunt, & responderi ad eas secundùm conditiones virtutum & vitiorum per triangulos & conditiones ipsius T. Sed ut breviùs & utiliùs, quantùm poterimus, procedamus, triangulos ad quandam quæstionem de *largitate* & *avaritia* inducimus, ut applicando & solvendo secundùm conditiones largitatis & avaritiæ pateat via & modus ad cæteras quæstiones de V. secundùm conditiones illius virtutis vel vitii vel utriusque, de quibus quæri potest.

Quæstio igitur sit hæc. *Utrùm homo largus tantùm possit resistere avaritiæ, quantùm avarus largitati?* Hîc quæritur de æqualitate vel majoritate minoritate potestatis contrariandi hujus intellectualis creaturæ, quæ est largitas hujus creaturæ animalis intellectualis, quæ est homo, in contrariando operationi creaturæ sensualis intellectualis, quæ est alius homo; quæ operatio ex parte suî non est essentia neque unitas, sed ex parte sui subjecti est dissimilitudo dignitatum Dei, & privatio largitatis creatæ. Vel quæritur hîc de æqualitate vel majoritate & minoritate potestatis contrariandi prædictæ operationis ipsi largitati, idcirco ad illos terminos, super quos explicitè cadit quæstio, magis advertendum est, & discurrendum cum T. isto modo.

1. Divina potestas & largitas cum divina bonitate magnitudine &c. sunt una unitas una essentia una Deitas una virtus &c.; idcirco cùm largitas creata & potestas creata &c. sint similitudines prædictarum dignitatum, quarum similitudinum essentia ab ipsis dignitatibus est influxa, avaritia verò non, sed est potiùs dissimilitudo dignitatum Dei ratione suæ malitiæ contra bonitatem, & ratione suæ parvitatis contra magnitudinem, & sic de aliis; manifestum est ergò, quòd largus multò plùs potest operari adversùs avaritiam, quàm avarus adversùs largitatem, & si magis operari, magis per consequens resistere: cùm etiam operatio naturalis videlicet finalis plus possit quàm innaturalis videlicet contraria fini.

2. Differentia contrarietatis sinè reali concordantia est inter largitatem & avaritiam; nam sicut largitas habet in se rationes distinctas concordes ad illum finem, quare creata est, sic è contrario avaritia habet oppositas illarum rationum concordes ad oppositum finem ipsius largitatis, ita quòd bonitas magnitudo &c., de quibus largitas constituta est, tendunt ad constitutionem entis boni magni &c. contra non ens malum parvum &c., & malitia parvitas &c., de quibus avaritia constituta est, tendunt ad constitutionem non entis mali parvi &c. contra ens bonum magnum &c.; largitas enim contradicit avaritiæ ratione entis, & avaritia largitati ratione non entis: sed quoniam ens, cùm sit de suamet potestate cum bonitate &c. constitutum, inducit suammet potestatem ad resistendum privationi entis; non ens verò, cùm de nulla potestate sit constitutum, nullam inducit potestatem ad resistendum generationi entis

entis nisi illam, quam habet aliquod ens declinandi in non ens, manifestum est ergò, quòd largitas habet majorem potestatem resistendi avaritiæ, quàm avaritia largitati.

3. Tempus denotat in principio impossibile esse, largitatem & avaritiam stare simul eodem tempore in uno subjecto actu vel habitu nisi tantùm potentialiter; nam si largitas est actu vel habitu, potest avaritia tantùm esse in potentia in eodem subjecto & eodem tempore videlicet in materia, id est, in phantasiis, cùm sint subjectum, in quod avaritia induci potest, E. I. reducentibus eas contra actum vel habitum largitatis: hoc etiam similiter potest esse è converso, quoniam nisi hoc ita esset, esset impossibile, quòd largitas posset reduci in privationem, & avaritia de potentia ad actum, & è converso. Hoc igitur considerato ratione terminorum principii significatur, quòd æqualiter avaritia & largitas sibi ad invicem possunt resistere ratione dispositionis materiæ, ut largitas possit consequi finem & meritum ratione liberi arbitrii, & avaritia avaro inducat culpam, & ratione culpæ pœnam.

Medium verò mensurationis inter eas est suprà dicta materia, eò quòd E. æqualiter habet potestatem materiativè induendi suas phantasias principiis avaritiæ sicut largitatis, & è converso, ut E. liberè influatur ex B. C. D., & I. ex F. G. H.: & ex hoc significatur, quòd tanta potest esse avaritia per omnes extremitates E. I. secundùm rationem tantùm, quanta largitas, & è converso; & tantùm potest avaritia disjungere largitatem à fine ipsius largitatis, quantùm largitas avaritiam à fine ipsius avaritiæ, cùm æqualiter propter liberum arbitrium avaritia possit esse privatio largitatis, & è converso.

4. Majoritas plus potest substantialiter quàm accidentaliter; & licèt ipsa largitas creata sit accidens, nihilominus plùs dependet ad substantiam quàm avaritia, sicut quantitas, quæ magis se habet ad substantiam quàm qualitas; & idcirco significatur, quòd quando largitas est, plus est esse illius, & plus potestatis in illo esse quàm esse avaritiæ, & quàm potestas esse ipsius avaritiæ, quando avaritia est: cùm ipsa substantia & id, quod se habet ad substantiam, sint majores, quàm accidens & id, quod accidentaliter destruit substantiam: veruntamen, quando largitas est, habet potentiam essendi æqualiter in privatione, similiter & avaritia; sed hoc est respectu materiæ tantùm, eò quòd quælibet earum videlicet largitas & avaritia æqualiter est ipsis potentiis communicabilis.

5. Largitas importat entitatem bonitatis magnitudinis &c., ut agant; avaritia verò non entitatem earum, ut non agant; idcirco largitas absolutè concordat affirmationi spei charitatis justitiæ &c., avaritia verò negationi earum: & quoniam affirmatio est simpliciter & immediatè ipsius E., negatio verò ipsius I., & ipsum E. sit majus ipso I., manifestum est ergò quantum ad hoc, quòd largitas habet majorem potestatem contra avaritiam quàm è converso: veruntamen ratione possibilitatis æquales sunt earum potestates videlicet respectu potentiæ subjecti, ût jam dictum est. Avarus autem magis inclinabilis est ad dubitationem quàm largus, eò quòd dubitatio magis convenit negationi quàm affirmationi, cùm negatio & non esse concordent, affirmatio verò & esse.

De Figura X.

FIguram X. quoad præsens in *duas partes* volumus esse divisam; in *prima* parte ipsius traditur doctrina inquirendi proprietates sive conditiones terminorum figuræ ipsius X., ut Artista secundùm ipsas proprietates eligere sciat particularia ipsius X. nec non etiam aliarum figurarum ex suis universalibus ad concludendum secundùm exigentiam ipsarum proprietatum. In *secunda* verò parte exemplificatur modus applicandi terminos ipsius X. ad propositum, videlicet ad quæstionem & solutionem.

Et sciendum est, quòd, quemadmodum ad complementum hujus artis indigemus T. tanquam universali instrumento ad omnia, consimili modo indigemus X., cùm ad omnem materiam sit applicabile: idcirco cùm X. sit figura oppositorum, & opposita sint diversa, & habeant diversas habitudines & solutiones, & requirant diversas habitudines secundùm propositum & oppositum, significante proposito suum oppositum, igitur Artista debet inquirere proprietates terminorum X. simili modo, sicut in processu probabitur, deinde ad solutionem applicare.

De

De prima Parte Figuræ X.

De Modo Inquirendi Proprietates seu Conditiones Terminorum X.

QUatuor igitur terminos ipsius X. ad inquirendum proprietates seu conditiones ejus assumimus, qui sunt *esse*, *perfectio*, *privatio*, *defectus*. Eorum autem proprietates per terminos T. inquirimus immediatè & mediatè, ut vehementiùs appareant ipsis F. G. Idcirco doctrina inquirendi, quæ hîc datur, sufficit ad habendum viam & modum inveniendi proprietates seu conditiones aliorum terminorum X. Primò igitur per triangulum lividum, deinde per cæteros procedimus isto modo.

1. In primo Angulo livido significat essentia *esse*, cùm in creaturis esse sit actus essentiæ; *esse* autem denotat suum oppositum, scilicet *non esse* sive *privationem*, & hæc etiam denotatio est in dignitatibus, sicut bonitas denotat malitiam, & sic de aliis. Actus verò sive operationes dignitatum significant perfectionem essendi sive esse perfectionis in hoc, quòd bonitas bonificando & magnitudo magnificando &c. perficiunt esse, sive operantur esse perfectionis; quoniam, nisi bonitas magnitudo &c. sic operarentur, imperficerent ipsum esse, seu non operarentur esse perfectionis, & sic perfectio aut nihil esset, & sic esset non esse sive privatio; aut esset defectus, qui est ejus oppositum: & hoc modo esse & perfectio sua opposita repræsentant, nam per perfectionem essendi sive per esse perfectionis significatur imperfectio essendi sive non esse vel privatio perfectionis. Hoc etiam in creaturis patet manifestè, quando creata bonitas privat suum bonificare in magnificare, & creata magnitudo suum magnificare in bonificare; itaque F. G. per hos terminos X. discurrentia cum triangulo livido attingunt conditiones esse & perfectionis secundùm impressiones illius trianguli, & in opposito eorum attingunt conditiones privationis & defectûs.

2. Inter esse & privationem est immediatè differentia in contrarietate, & quoniam esse & perfectio sunt concordes, & privatio & defectus; & esse & privatio immediatè opponuntur, est esse mediante perfectione oppositum imperfectionis sive defectûs, & perfectio mediante esse oppositum ipsius non esse sive privationis. Hoc idem è contrario sequitur de privatione & defectu: & ita F. G. attingunt, quòd esse habet proprietatem essendi, & perfectio perficiendi ratione suprà dictæ operationis bonitatis magnitudinis &c. contra privationem & defectum: sed privatio & defectus, cùm simpliciter ex parte suî nihil sint, ideo ex parte suî nullam habent proprietatem operandi contra esse & perfectionem, sed in hoc, quòd esse cessat essentiare, & perfectio cessat perficere, idcirco sunt per accidens privare & imperficere ex cessatione essendi & cessatione perficiendi, quæ sunt privatio & defectus.

3. Principia essendi in creaturis sunt forma & materia, & istarum principia sunt bonitas magnitudo &c., videlicet similitudines DEI: & quanta & qualis est bonitas magnitudo &c., tanta & talis est forma & materia, & quanta & qualis est forma & materia, tantum & tale est esse ex eis aggregatum. Medium autem inter prima principia ipsius esse & ipsum esse sunt forma & materia essentiantes bonitatem magnitudinem &c. in hoc essentiatum, quod est esse, per omnes extremitates ipsius esse, quarum scilicet formæ & materiæ ipsum esse est finis: principia verò perfectionis essendi sunt bonitas magnitudo perfectio &c. perficientes formam & materiam, quæ constituunt esse ratione existentiæ perfectæ & ratione operandi perfectè: medium autem est perficere, finis autem est perfectum esse. Sic igitur F. G. discurrentia inveniunt, quòd esse & perfectio habent conditiones ratione principii medii & finîs, ût jam dictum est; sed privatio & defectus sunt accidentaliter conditiones, quas habent esse & perfectio per oppositum illarum, quas habent ratione principii medii & finîs, quare sunt, de quibus nunc dictum est; per quas scilicet conditiones privativas & defectivas esse quandoque cessat essentiare, & perfectio perficere, & cessando esse desinit à se ipso & perfectio à se ipsa, & est privatio essendi & imperfectio esse priùs perfecti.

4. Esse & perfectio ratione existendi & agendi substantialiter habent conditiones majorificativas & majorificabiles & coæquativas & coæquabiles: privatio verò & imperfectio important conditiones his oppositas, quia habent inclinationem ad nihilum, nihil enim est reducere majorita-

tem & æqualitatem essendi & perfectionis ad minoritatem & inæqualitatem essentiandi & perficiendi, ita, quòd esse & perfectio ratione hujus, quod sunt, & quia sunt producta ex similitudinibus DEI, sunt in majoritate; sed ratione hujus, de quo sunt, videlicet de nihilo, habent conditiones minorificativas & minorificabiles videlicet annihilativas & annihilabiles.

5. Ratione hujus, quia esse est, & quia perfectio est, habent esse & perfectio conditiones, unde ipsa scilicet esse & perfectio affirmabilia sunt, & unde non sunt negabilia neque dubitabilia; & sic ratione hujus, quia sunt, & ratione affirmationis atque negationis concordantis ipsi affirmationi habent conditiones passivas affirmabiles. Privatio & imperfectio ratione non entis concordant, & in hoc, quia cum non ente concordant, ratione non entis concordant impossibilitati, ut esse habeat possibilitatem non essendi, & perfectio imperficiendi, ex qua siquidem possibilitate esse & perfectio habent conditionem dubitabilem & negabilem.

De secunda Parte Figuræ X.

De Modo Applicandi Terminos X. ad Quæstiones & Solutiones.

SEcundùm illas conditiones, quas in prima parte exquisivimus, datur in hac sequenti parte doctrina & modus applicandi ad quæstionem terminos præassumptos.

Quæstio igitur sit hæc: *Utrùm esse & perfectio magis resistant privationi & imperfectioni quàm è converso?* Solutionem autem hujus quæstionis per T. inquirimus, & primò cum triangulo livido isto modo.

1. Ratione igitur unitatis essentiæ & dignitatum & perfectionis atque essentiandi & perficiendi plus resistunt esse & perfectio privationi & imperfectioni quàm è converso, cùm impossibile sit, quòd esse essentiando reducatur ad privationem, & perfectio perficiendo ad imperfectionem: si autem esse sit otiosum & perfectio sit otiosa, quodlibet istorum reducitur in suum oppositum, cùm cessatio operationis sit privatio essendi & imperfectio entis, & sic privatio & imperfectio magis resistunt suis oppositis, quàm è converso.

2. Si esse ita sit, quòd habeat proprietatem essentiativam & essentiabilem & essentiare, ita quòd essentiativum de se essentiet suum essentiabile sic, ut ipsum suum essentiabile semper remaneat essentiabile & essentiatum, ut essentiativum non sit otiosum, sed semper essentiando perficiat suum essentiabile, & sic semper illud à se concordativè distinguat permanendo cum eo eadem essentia, impossibile est privationem seu imperfectionem ei resistere: hoc idem similiter sequitur de perfectione; si autem ipsum esse prædictam proprietatem non habeat, plùs quidem resistit ei privatio in hoc, quòd suprà dictam proprietatem non habet, quàm è converso: hoc idem est de imperfectione erga perfectionem. Ratio autem hujus consistit in hoc, quia actus essendi ipsius esse & perfectionis esset sinè ratione & fine bonitatis magnitudinis &c., in quibus esset plus privationis & imperfectionis quàm ipsius esse & perfectionis.

3. Efficiens agendo bonum magnum &c. contrariatur privationi & imperfectioni, similiter & forma & materia constituendo esse, ad quod inducunt finem, qui est earum perfectio: privatio autem & imperfectio contradicunt esse & perfectioni, quando efficiens agit contra finem, & forma & materia ratione privati medii disjunguntur; quare ex his patet, quòd esse & perfectio plus resistunt suis oppositis quàm è converso, alioquin privatio boni major esset in malitia, quàm esse boni in bonitate, & privatio perfectionis in imperfectione, quàm esse perfectionis in perfectione, quod est impossibile, cùm privatio & imperfectio ex parte suî sint non ens, quod nullam ex parte suî majoritatem neque minoritatem importat.

4. Esse plùs contradicit privationi substantialiter quàm accidentaliter; eodem modo & perfectio imperfectioni, ac etiam mediante concordantiâ, quam esse & perfectio habent, esse magis substantialiter contradicit imperfectioni & perfectio privationi quàm accidentaliter: sed privatio & imperfectio, cùm sint per accidens, magis è contrario contradicunt eisdem scil. esse & perfectioni accidentaliter quàm substantialiter; plùs ergò resistunt esse & perfectio suis oppositis quàm è converso, alioquin plus esset potestatis & magnitudinis &c. ratione accidentium quàm substantiæ, quod est impossibile.

5. Ratio-

5. Ratione veri objecti plus est entitatis in affirmatione, quàm in negatione, & in negatione, quàm in dubitatione; cùm plus sit entitatis in E. quàm in I., & in I. quàm in N., & in N. quàm in R.; dum tamen N. diligat Y., & odiat Z. Cùm igitur esse & perfectio sint objectum ipsius E. ex parte affirmationis, & privatio & imperfectio objectum ipsius I. ex parte negationis, manifestum est secundùm suprà dicta principia, quòd esse & perfectio majorem entitatem & possibilitatem habent, quàm privatio & imperfectio; magis ergò resistunt eis quàm è converso, aliter enim in eo, in quo esset plus entitatis, esset plus impossibilitatis, & in hoc, in quo esset minus entitatis, esset plus possibilitatis, quod est impossibile.

De Figura Theologiæ.

TRactantes hîc de Figura Theologiæ, ut ars sit universalior, sicut etiam de cæteris tractatur in consequenti, ût Philosophiæ & Juris, quæ sunt scientiæ particulares, dividimus eam in *quatuor* partes. In *prima* parte damus doctrinam inquirendi proprietates sive conditiones terminorum Figuræ Theologiæ addendo quendam terminorum hujus figuræ cuilibet aliorum, ut habitis conditionibus, quæ de respectu alterius termini ad alterum resultant, emineat judicium ad particularia Theologiæ secundùm conditiones, quas Artista colliget ex mutua habitudine terminorum. In *secunda* verò parte ostendimus, quomodo per T. inquiruntur Suppositа in divina Essentia. In *tertia* modum tradimus inquirendi proprietates personales in Divinis. Sed in *quarta* & *ultima* exemplificamus in hac figura applicationem artis ad judicium faciendum.

De prima Parte Figuræ Theologiæ.

De Modo Inquirendi Proprietates, sive Conditiones Terminorum Figuræ Theologiæ.

COnditiones igitur Essentiæ DEI per respectum termini ad terminum inquirimus in hac parte isto modo.

1. De conditione divinæ *Essentiæ* est ipsam
2. essentiam esse ipsammet *Vitam* viventem habentem in se vivere & vivificabile & vivificatum, ut ipsa essentia ratione vivendi sit in magnitudine vitæ, in qua non posset esse, nisi esset conditionata, sicut nunc dictum est.

3. Ipsa etiam essentia divina habet conditionem, videlicet quòd ipsa est ipsamet infinita bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia &c., & quòd sit infinitè bona & infinitum bonum, & infinitè magna & infinitum magnum, & infinitè æterna & infinitum æternum &c., ac etiam conditionis ejus est, ipsam esse tantâ infinitate essendi id, quod est quælibet dignitas, & quod sunt omnes; & per consequens quamlibet ipsarum *Dignitatum* esse id, quod est alia, & quod sunt omnes, videlicet una eadem essentia numero, ut ipsa essentia sit indivisibilis & indistincta; & sunt omnes una eadem essentia, ut magnitudo simplicitatis & unitatis sit major, quæ possit esse.

4. Conditionis ipsius essentiæ est, eam esse *Actu* habentem in se bonificantem bonificabile & bonificare bonificatum, magnificantem magnificabile & magnificare magnificatum, & sic de aliis, ut essentia ratione bonitatis &c. sit subsistens ratione bonificantis bonificabilis bonificare bonificati, & sic de aliis: quoniam nisi ipsa essentia secundùm istas conditiones haberet esse, ejus existentia sive subsistentia esset defectiva in existendo bona magna &c., quod est impossibile.

5. Essentia divina est *Forma* conditione existendi formans ratione formativi formantis de suamet essentia formabilem formatum, formato existente ipsâ eâdem totâ essentiâ formantis non sub ratione ipsius formantis, sed sub ratione ipsius formati, ita quòd & formans & formare & formatum sunt una forma, scil. una essentia; quoniam, nisi ipsa essentia ratione formæ haberet has conditiones, esset utique defectiva ratione formæ & actûs ipsius formæ; quia, cùm de conditione formæ sit agere, scil. formare, oporteret, quòd ipsa essentia haberet in se materiam subjectam formæ agenti scil. formanti, & sic formans de sua propria essentia non produceret formatum, sed potiùs de aliena essentia; & sic formans & formatum non remanerent eadem divina essentia, sed esset divina essentia sub formante otiosa, quod est impossibile.

6. Conditionata est etiam ipsa divina essentia ratione *Relationis* actuum dignitatum, sicut bonitas ratione bonificantis est relata esse communis bonificanti & bonifi-

cato, ita quòd bonificans & bonificatum relativè se habent in bonitate magnitudine &c., & hoc modo ipsa divina essentia ratione bonificantis & bonificati, magnificantis & magnificati &c. habet conditiones relativas, quod est, ut ipsa essentia sit sub bonificante & bonificato relativè, ipsâ essentiâ bonitatis, quæ est ipsamet essentia bonificantis bonificare bonificati &c., existente subjecto ipsius relationis, ita quòd essentia bonitas bonificans &c. sunt idem cum relatione, & bonificans & bonificatus sunt distincti in ipsa essentia.

7. Cùm, quidquid est in essentia divina, sit immensum & æternum, impossibilis est in ea *Ordo* primi & secundi, seu majoris & minoris: sed quoniam in ipsa est in distinctione omnimoda æqualitas finis, ratione hujus est ordo in ipsa essentia DEI; nam aliter non posset habere suas conditiones in magnitudine bonitatis &c., nec in ipsa essentia bonificans ordinatè se haberet ad suum bonificatum, nec esset cum eo una eadem essentia una bonitas &c., quod est impossibile; ac etiam bonificans magnificans &c. non possent esse unum suppositum, neque bonificatum magnificatum &c. aliud suppositum, nec remanerent in eadem essentia æqualitatis bonitatis &c.

8. Divina essentia ratione suî non est conditionata agere, cùm sit communis bonificanti & bonificato, producenti etiam & producto: in ratione autem productivi, qui est ipsa essentia, est ipsa essentia activa; & quoniam activus de suamet essentia agit sive producit suum producibile, non est productus passivus, quia de tota essentia activi producitur, nec habet aliquid essentialiter præter id, quod habet à producente, nec producens dare potest ei nisi id, quod habet, habet autem puram actionem sinè passione, cùm ipse sit pura *Actio* sinè passione, sive pura forma sinè materia; manifestum est ergò, quòd productus est pura actio sinè passione sive pura forma sinè materia; & hoc modo ipsa divina essentia consistit activa in ratione activi & agibilis, remota ab omni passione ratione harum suarum conditionum, quæ jam dictæ sunt.

9. Dum F. G. inquirunt conditiones divinæ essentiæ respectu *Articulorum* Fidei Catholicæ, qui sunt unus Deus Pater Filius Spiritus Sanctus, Creator, Recreator, Glorificator, Filius DEI conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, crucifixus & mortuus, descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis, ascendit ad cælos, & venturus est judicare: tunc, cùm descendunt ad magis specialia, inveniunt manifestè, secundùm quòd possibile est eis in hac vita de ista materia pertractare, quòd ipsa divina essentia conditionata est, quòd unus Deus sit Pater Filius Spiritus Sanctus, ita quòd totus Deus est Pater, totus Deus est Filius, totus Deus est Spiritus Sanctus: & conditionata est, quòd ipsa sit creatrix omnium essentiarum creatarum, ratione DEI Creatoris omnium entium creatorum; & quòd ipsa est incarnata ratione Filii DEI incarnati, qui est ipsa DEI essentia, & quòd humana essentia, quam ipsa divina essentia sibi univit, passa fuit, non autem divina essentia, quia cùm ipsa DEI essentia sit immensa & æterna & actio simplex, impossibile est eam pati, & sic de cæteris Articulis. De his autem superficialiter narrando transimus: summum est negotium & indigens ampliori volumine ad id pertractandum explicitè secundùm terminos hujus Artis, quare ad præsens supersedendum est, & maximè quia, qui periti erunt in hac arte, poterunt possibilitatem hujus rei cognoscere.

10. Conditiones Divinæ essentiæ per respectum ad decem *Præcepta* legis oportet recipere secundùm conditiones causæ & effectûs, dominii & servitutis, secundùm quòd isti termini possunt esse in excellentiori gradu scil. [E.A.V.Y.][I.V.Z.][N.A.V.Y.Z.] ratione hujus, quia ipsa Dei essentia est immensa & æterna justitia immensè & æternaliter bona magna &c. justificans, & à creatura est laudabilis, honorificabilis, amabilis &c. ratione ipsius justificantis bonificantis &c.

11. Conditiones Divinæ Essentiæ respectu *Expositionis* respiciunt semper excellentiorem gradum prædictorum terminorum scil. E. A. &c. secundùm quòd expositio ipsorum E. I. N. per hæc, quæ exponunt, attribuit ipsi essentiæ Dei semper id, per quod cognoscitur & diligitur esse in majori bonitate magnitudine &c., & per quod magis remota est à non ente malitiâ parvitate &c.; cùm de conditione illius sit, quòd, quidquid de ipsa dicatur ratione bonitatis magnitudinis &c., sit necessariò in Y., oppositum verò in Z.

12. De conditionibus Divinæ Essentiæ est,
13. quòd, quidquid est in ea, est *Primâ Intentione*; nihil autem est in ea *Secundâ Intentione*, cùm prima intentio sit in majori bonitate &c. atque perfectione quàm secunda; nihil enim est

est in divina essentia majus, nec per consequens minus, cùm in ipsa essentia sit immensa magnitudo bonitatis &c. Et de conditionibus etiam ipsius essentiæ DEI est, ut omnis essentia creata sit secundâ intentione, ipsa verò DEI essentia primâ intentione.

14. Conditionis etiam Divinæ Essentiæ est,
15. quòd ipsa sit infinita *Gloria* bonitatis &c.; idcirco necessariò oportet esse in Y. id, per quod E. attingit majorem gloriam bonitatis &c. in ipsa essentia, & per quod magis distat à *Pœna* & contrarietate & imperfectione.

16. Divina Essentia respectu *Ævi* conditionata est, quòd ipsa est ipsamet æternitas creans sub ratione creatoris omne ævum, quod est à parte post sempiterna duratio creata ad similitudinem æternitatis.

De secunda Parte Figuræ Theologiæ.

De Modo Inquirendi per T. Suppositа in Divina Essentia.

SEcundùm conditiones Divinæ Essentiæ & conditiones triangulorum T. inquirimus suppositа in Divina Essentia isto modo.

1. Divina Essentia est una & indivisibilis, cùm sit immensa in unitate bonitatis &c., habétque in se intrinsecam operationem, ut sit magnæ bonitatis &c.; sed cùm ejus operatio sit magnæ bonitatis &c., habet ergò ipsa essentia operativum & operabilem alium ab operativo ratione operativitatis & operabilitatis, ut operatio sit magna in unitate essentiæ & in bonitate &c.; hæc autem omnia non possunt esse, nisi operativus sit unus per se subsistens scil. unum suppositum, & operabilis alius per se subsistens scil. aliud suppositum immensè distincti in immensa concordantia bonitatis &c. essentiæ, ita quòd totus operabilis producatur de tota essentia operativi, & sit tota ipsa essentia ipsius operativi in ratione operabilis, & totus operativus ipsa tota essentia operabilis in ratione operativi, ergò &c.: quòd si non, otiositas utique est in magnitudine unitatis bonitatis &c. ipsius essentiæ, quod est impossibile.

2. In Divina Essentia est concordantia actuum dignitatum, ut ipsi actus sint in magnitudine bonitatis &c.; nam sinè concordantia suorum actuum essent ipsæ dignitates in minoritate bonitatis &c.; hanc autem concordantiam oportet esse in majori bonitate &c., quæ possit esse, ut magnitudo bonitatis &c. non deficiat majoritati concordantiæ neque majoritati remotionis seu distantiæ à contrarietate; sed concordantia impossibilis est sinè distinctione sive substantiali sive accidentali: accidentalis non potest esse in ipsa essentia, restat igitur, quòd est in ea substantialis ratione suppositorum; ergò in ipsa essentia est distinctio in concordantia aliquorum, quam distinctionem oportet esse tantam, quanta est concordantia, & è converso, & quanta est essentia, & è converso: unde ex hoc manifestum est, quòd in ipsa essentia DEI est aliquis concordanter distinctus ab aliquo, videlicet aliquis per se subsistens, distinctus ab aliquo per se subsistente; hæc autem sunt suppositа, quæ investigamus. Et quoniam non est nisi una divina essentia ratione suî indistinguibili, & in ipsa essentia est immensitas & æternitas, ratione quarum nihil est in ea majus & minus, oportet, quòd unumquodque ipsorum suppositorum sit tota divina essentia infinita, ipsis existentibus infinitè distinctis & concordantibus.

3. Dum F. G. conspiciunt conditiones essentiæ DEI & trianguli rubei, inveniunt in ipsa essentia ultimum finem summum in bonitate &c.; nam aliter DEI bonitas non se haberet ad bonum, & sic de aliis, & sic bonitas &c. carens fine esset defectiva, quod est impossibile: ergò in ipsa essentia est finis, ergò & in ipsa est principium; nam sinè principio non esset in ipsa essentia finis, cùm bonitas &c. non se possint habere ad finem sinè principio: ergò in ipsa essentia est principium; ergò etiam in eadem est medium, cùm de conditionibus principii & finîs sit, principium per medium ad finem se habere; nec tamen sunt in ea principium medium & finis ratione temporis loci quantitatis & hujusmodi, sed potiùs principium medium & finis pertinentia ad conditiones ipsius essentiæ & suarum dignitatum, sinè quibus scil. principio & medio esset privatio finîs in bonitate &c. ipsius essentiæ, quod est impossibile, ergò &c. Sed de conditionibus principii est, quòd principiativus conjunctivus principiabilis conjungibilis sint in ipsa essentia, qui se habentes ad finem sunt ipse finis, quia sinè fine principium in divina essentia non haberet istas suas conditiones, & sinè istis conditionibus esset in ea privatio finîs, quod est impossibile. Cùm autem finis sit in ea immensus in bonita-

te &c., oportet, quòd principiativus conjunctivus & principiabilis conjungibilis sint suppositа distincta & concordantia in magnitudine bonitatis; alioquin deficeret ipsi fini magnitudo bonitatis æternitatis &c., quod est impossibile, ergò &c.

4. In Divina Essentia est æqualitas, habente ipsâ essentiâ in se suppositа æqualia; quia, nisi sit in ea æqualitas, non esset ab inæqualitate tantum remota, nec inter bonificare magnificare &c. esset æqualitas, cujus privatione sequeretur inter ipsos actus inæqualitas seu privatio finis concordantiæ & operationis, quod est impossibile: est ergò in ipsa essentia DEI æqualitas, & hæc est substantialis, non autem accidentalis, ne ipsa æqualitas sit in ea in privatione bonitatis magnitudinis &c.; sed ipsa æqualitas major est in ipsa essentia DEI, si est suppositorum, minor verò, si non est suppositorum, quod per se patet; ergò in ipsa essentia DEI est id, per quod æqualitas est in majori excellentia, quæ esse possit, non autem id, per quod esset in minori: ac etiam conditionis majoris æqualitatis est, quòd in divina essentia, ex quo ipsa habet coæquare suum coæquativum, sit per se subsistens scilicet suppositum in ratione coæquantis; & coæquabilis ejus per consequens sit alterum suppositum per se subsistens in ratione coæquati, cùm ipsa æqualitas sit substantialiter; quòd si non, majoritas æqualitatis non posset ipsam æqualitatem extollere usque ad substantialitatem, quod est impossibile: ergò in essentia DEI coæquativus est suppositum existens per se substantialiter, coæquans sibi suum coæquabilem substantialiter, ipso coæquato permanente cum ipso coæquante eâdem substantiâ sicut eâdem essentiâ; cùm totus ipse coæquans de toto se ipso scilicet de tota suamet essentia sive substantia ipsum suum coæquatum sibi coæquet, de alio quidem non potest, cùm nihil extra se sit immensum & æternum.

5. Affirmabile est secundùm conditiones divinæ essentiæ bonitatis &c. ac etiam secundùm conditiones affirmationis, quòd in Divina Essentia sunt suppositа; secundùm conditiones essentiæ satis hoc patet in prima parte hujus figuræ; secundùm verò conditiones bonitatis &c. hoc patet in figura A.; sed secundùm conditiones affirmationis manifestè hoc patet per affirmationem & negationem in conditionibus aliorum triangulorum, nam E. affirmans in ipsa essentia DEI suppositа plus attingit entitatis in ipsa essentia ratione bonitatis magnitudinis &c. & actuum earum, & ratione operationis concordantiæ principii medii & finis & æqualitatis, ac etiam E. majus est in se sic affirmando in bonitate magnitudine &c., quàm I. negans ipsa suppositа: imò etiam, si I. negaret ea, negaret conditiones hujus figuræ & bonitatis &c. in A. & prædictas conditiones ipsius T., quas non esse est summè impossibile: ergò suppositа sunt in ipsa divina essentia.

De tertia Parte Figuræ Theologiæ.

De Modo Inquirendi Proprietates personales in Divinis.

IN hac tertia parte hujus figuræ damus doctrinam inquirendi per T. proprietates personales in divinis, quæ sunt *Paternitas Filiatio & Processio* vel *Spiratio*, isto modo.

1. Operatio generationis significat in creaturis, sicut in animalibus & plantis, majorem operationem naturalem, quam suppositum animalis seu plantæ possit agere de se ipso, sicut quòd homo pater, quantum potest, & quantum de se est, producat alium hominem filium sibi æqualem specie & naturâ: sed multò major adhuc esset hæc operatio & multò magis naturaliter humana, & pater haberet majorem conditionem patris & filius filii, si homo pater de tota suamet essentia produceret filium absque alterius naturæ auxilio sibi æqualem in omnibus conditionibus humanitatis, videlicet, quòd homo pater totam suam essentiam generativè communicaret in filium hominem sinè diminutione essentiæ ipsius hominis patris, & hoc semper, quamdiu ipse pater fuit pater, & filius filius, sic, ut tota essentia patris non ût patris esset tota essentia filii ût filii, & è converso; & sic pater esset in toto filio, & è converso, & influeretur sive resultaret ab utroque quædam unio sive unitatis operatio, per quam impossibile esset, essentiam patris alienari in filium, & essentiam filii alienari in patrem. Et si hæc unio sive unitatis operatio esset homo unà cum ipsis, tantò ipsa generatio major esset, quia magis impossibile esset, substantiam patris alienari in filium, & è converso; hæc autem operatio generationis in tanta excellentia, sicut dictum est, impossibilis est in homine sive in quacunque alia creatura, quia deficit medium inter patrem & filium, per quod id, quod est de essentia patris, alienatur in filium propter accidentia humanæ naturæ & alterius naturæ influentis & materialis: quoniam igitur ita est, quòd in divina essentia sunt suppositа, ût probatum est, quorum alterum est agens, alterum actum sive agibile, & in ipsa nulla sint accidentia, sed penitus pura substantia, manifestum est ergò, quòd in ipsis suppositis ipsius essentiæ est prædicta generatio & processio, quæ propter impedimentum accidentis non possunt esse in aliqua creatura, ita quòd alterum illorum suppositorum divinorum agens [sicut prædictum est] producendo de toto se ipso alium generat eum, communicando in eum totam suam essentiam sub ratione geniti: & quoniam ipsa essentia in utroque remanet una, producitur ab utroque sive spiratur essentialis unio sapiens totam naturam utriusque, in tantum, quòd habet rationem suppositi spirati; quoniam, nisi resultet illa substantialis unio ab utroque, essent in ipsa divina generatione accidentia sicut in creatis, quod est impossibile; & nisi sit suppositum, non est tantum ab accidentibus remota, ergò &c. Et nisi hæc generatio & hæc spiratio, quæ est impossibilis in suppositis naturæ creatæ, sit in suppositis divinæ essentiæ, sicut dictum est, manifestum est, quòd in ipsa divina essentia deficit magnitudo bonitatis &c. operationi intrinsecæ DEI per omnes actus dignitatum, & oportet, quòd ipsa operatio sit accidentalis & in minoritate & magis propinqua privationi: & multa etiam alia impossibilia sequerentur, ergò in ipsa essentia DEI est generatio & processio, & per consequens Pater generans, cujus proprietas est paternitas, & Filius genitus, cujus proprietas est filiatio, & Spiritus spiratus, cujus proprietas est spiratio.

2. In Divina Essentia non est corruptio, generatio autem & corruptio sunt contrariæ; suppositum igitur, quod est in divina essentia concordativum, majus est ratione sui & ratione principii & finis & æqualitatis, si ipsum est generativum, quàm si non est generativum, eò quòd ratione generationis magis remotum est à contrarietate, quàm si sit sinè generatione: manifestum est ergò, quòd in ipsa essentia DEI est suppositum generativum, & per consequens suppositum generabile, & generare, & generatum esse, & hoc in immensitate & æternitate bonitatis &c. ipsius essentiæ; ergò immensè & ab æterno est impossibilis corruptio in ipsa essentia; sic igitur in ipsa divina essentia est generatio ratione suppositorum, & per consequens proprietas paternalis, & proprietas filialis in ipsis suppositis: sunt ergò in ipsa divina essentia ratione suppositorum istæ proprietates personales, videlicet proprietas generativa, quæ est distinctiva & concordativa, & hæc est paternalis; & proprietas generabilis, quæ est distinguibilis concordabilis, & hæc est filialis, ut magnitudo bonitatis & bonificandi &c. atque magnitudo principii & finis & æqualitatis non deficiat ipsi essentiæ in existere & agere suppositorum ipsius essentiæ, quod est summè impossibile; manifestum est ergò, quòd in suppositis divinæ essentiæ est distinctio personalis, non autem essentialis, ex qua procedit concordantia.

Distinctio dat in divina essentia duos terminos scil. duo suppositа; concordantia verò dat unum terminum ex duobus, ad quem illi duo influunt: hic autem terminus est illorum duorum concordantia vel unio; & quoniam, quidquid est in divina essentia, est totus Deus, manifestum est igitur, quòd iste tertius terminus necessariò est DEUS totus influxus & procedens de toto DEO distinguente & concordante, scil. generante, & de toto Deo distincto & concordato, videlicet genito de toto ipso generante: quoniam autem non est nisi tantùm una Deitas unus Deus, ideo influitur & procedit iste terminus de uno Deo Deus, sicut genitus, generatus de uno Deo Deus: cùm igitur iste tertius sit ejusdem magnitudinis in bonitate æternitate &c. respectu termini sive suppositi, sicut prædicti duo, cùm sit æqualis cuilibet eorum, quia totus ab utroque toto procedit, manifestum est ergo, quòd habet proprietatem personalem, & hæc est proprietas processiva sive spirabilis.

3. In Divina Essentia est proprietas principiativa, & per consequens principiabilis, sicut etiam suprà dictum est, & hoc in infinitate & æternitate. Principiativum oportet esse in ipsa divina essentia, ut actus dignitatum in ea ad aliquem finem se habeant, ne dignitates ratione privationis finis sint otiosæ videlicet non agentes: ergò dignitates ad aliquem finem se habent; sed ad

ad finem non possunt se habere sinè principiativo principiante principiabilem, ut sit finis principiantis & principiandi, aliter enim finis esset in ipsa divina essentia sinè actibus dignitatum; & sic oporteret necessariò, vel quòd ipsæ dignitates essent otiosæ videlicet non agentes, vel si haberent actus, quòd essent eis superflui; utrumque autem est impossibile: ergò in ipsa essentia DEI est conditio seu proprietas principiativa, & per consequens finitiva finitate infinitâ sive immensâ, & hoc ratione alicujus subsistentis. Hæc igitur proprietas seu conditio est finitiva,& per consequens conjunctiva sive unitiva conjungentis sive unientis de toto se ipso per totum se ipsum totum aliquem principiabilem conjungibilem sive unibilem finibilem videl. immensificabilem, ut cum ipso unitivo &c. permaneat una eadem essentia & natura. Cùm igitur ita sit in divina essentia, quòd omnes dignitates scilicet bonitas magnitudo æternitas potestas sapientia voluntas &c. videlicet tota essentia divina, id est, tota Deitas sint ipsa proprietas principiativa conjunctiva & finitiva, quæ prædicta est, sub ratione alicujus agentis, quia ipsæ existentes hæc proprietas seu conditio sub ratione alicujus agentis bonificant, magnificant, æternificant &c., id est, principiant, conjungunt sive uniunt & finiunt, id est, ad esse infinitum producunt de totis se ipsis scil. de tota ipsa essentia divina sub ratione alicujus principiantis &c. aliquem principiabilem conjungibilem sive unibilem & finibilem, id est, ad esse infinitum producibilem, ideo oportet ipsum aliquem principiativum &c. esse suppositum agens, & ita est persona; & per consequens illum alium aliquem, qui est principiabilis &c., similiter esse suppositum agibile sive actum ipsius agentis alium à supposito agente; & ita similiter est persona alia à prædicta: nam quemadmodum omnes dignitates sunt ipsum suppositum activum in ratione agentis, ita & in tantum etiam sunt suppositum agibile in ratione acti essendi, quia ipsum suppositum vel persona agens non potest in divina essentia, cùm sit infinita & æterna in bonitate &c., agere de aliquo alio à se ipsa nisi de semetipsa tota ratione infinitatis & æternitatis suæ tantum, quantum ipsa est. Et manifestum est, quòd generatio est actio conducens ad hunc finem, qui est esse & durare, corruptio verò est cessatio illius actionis conducens ad hunc finem, qui est privatio. Cùm igitur in essentia DEI sit actio conducens ad infinitum esse & ad infinitum durare, oportet, quòd in ea sit infinita generatio, quæ est infinita & æterna actio, cùm summè impossibilis sit in ea cessatio actionis, quæ est corruptio conducens ad privationem: ergò in ipsa essentia est oppositum scil. generatio, & per consequens gignens principians &c., cujus proprietas est Paternitas; & genitus principiatus &c., cujus proprietas est Filiatio: & quoniam tota proprietas generativa principiativa &c., quæ est generantis Patris, tendit ad hunc finem, scil. quòd ipse Pater sit generans de toto se ipso suppositum generabile principiabile &c., quod est Filius, oportet aliquam proportionem seu medium resultare ab utroque toto videlicet gignente & genito, quod sit nexus amborum in amore, ut magnitudo bonitatis &c. non deficiat amori amborum, ita quòd de duobus extremis terminis (ut ita loquamur) influitur sive procedit medium conjunctionis & unionis ex toto generante & toto genito, per quod medium influxum procedens ab utroque illorum totum in bonitate magnitudine &c. generans & genitus unà cum ipso sunt unum ens, unus finis, una Deitas, unus Deus, ut magnitudo bonitatis &c. non sit defectiva; ergò istud medium horum duorum habet personalem proprietatem; nam, cùm sit utrique æqualis in ratione suppositi, oportet eum in tantum habere proprietatem personalem; hæc autem proprietas est spirabilis seu processiva.

4. Cùm ipsa divina essentia sit una eadem in bonitate infinitate &c., sub hac ratione impossibile est, in ea esse totum triangulum croceum & viridem; sed quoniam tota unitas ipsius essentiæ in ratione alicujus per se subsistentis se communicat totam in agere, nec aliquid aliud à Deitate possit actionem ejus infinitam suscipere, oportet, quòd de ipsomet subsistente agente sit aliquod subsistens recipiens tantum, quantum ipsum agens est, ut ejus infinitam actionem suscipere possit: sic igitur est in ipsa divina essentia æqualitas; hæc autem est infinita & æterna in bonitate &c., impossibilis est ergo in divina essentia majoritas, & per consequens minoritas: & quoniam impossibilis est in ea majoritas & minoritas, oportet in ea existere hujus æqualitatis esse coæquativum sub ratione agentis, & coæquabilem sub ratione agibilis seu recipientis, ipso coæquativo coæquante sibi de tota sua substantia & suo existere totum coæquabilem; & quoniam generatio est substantialis, coæquatio bonificandi bonitatis & magnificandi magnitudinis, & sic de aliis, est ad esse substantiale; & quantò major est generatio, tantò major est coæquatio bonificandi, magnificandi, durandi &c., & tantò majus esse substantiale: & è contrario corruptio est inadæquatio bonificandi & magnificandi &c. ab esse substantiali; & quantò est major corruptio, tantò major inadæquatio bonificandi &c. ab esse substantiali: manifestum est ergò, quòd in divina essentia est infinita & æterna generatio, scil. substantialis coæquatio infinita & æterna bonificandi magnificandi æternificandi &c. ad esse substantiale infinitum & æternum, ut infinitè & ab æterno sit substantialiter remota ab inadæquatione, minoritate, corruptione, & privatione; & sic est in ipsa divina essentia proprietas generativa coæquativa paternalis infinita & æterna in bonitate, quæ est alicujus suppositi gignentis & coæquantis, quod ratione gignendi est Pater, & per consequens est in ea proprietas generabilis coæquabilis filialis infinita æterna &c., quæ est alicujus alius suppositi geniti à gignente Patre: & quoniam hoc ita est, manifestum est ergò, quòd una æqualitas sive coæquatio à supposito coæquativo generante & à supposito coæquabili generato resultat & influitur sive procedit in infinitate & æternitate bonitatis &c. de toto generante, & de toto genito: quoniam nisi ita esset, gignens non esset in tantum, quantus ipse est, æqualis genito, nec è converso, & sic deficeret magnitudo bonitatis in utroque, quod est impossibile: ergò hæc æqualitas procedens habet rationem suppositi & proprietatem personalem processivam, sicut generans habet proprietatem paternalem, quia Pater, & Filius filialem, quia Filius: quoniam nisi illa æqualitas haberet rationem suppositi habentis proprietatem processivam seu spirabilem, esset in minoritate bonitatis &c., Pater & Filius verò in majoritate, quod est impossibile: nec etiam divina essentia esset tantum remota ab inæqualitate minoritate & accidente, ergò.

5. Oportet necessariò esse id, per quod essentia DEI sit summum ens, summè bonum, summè magnum, summè æternum, summè potens, summè nobile &c.; si igitur magnum est existere ipsius essentiæ divi-

næ, plùs adhuc accedit ad summitatem entis & affirmabilitatis, & magìs distat à non ente & negabilitate, si totum ipsum existere se habet ad agere tantum, quantum ipsum est; plùs enim est existere & agere alicujus quàm suum existere tantùm; & plùs adhuc, si tantum est agere, quantum existere, & è converso: existere autem divinæ essentiæ nunquam cessat, quia ab æterno est; nec ejus agere per consequens unquam cessat, quia similiter ab æterno est immensum in bonitate &c. sicut ipsum existere: manifestum est ergò, quòd tunc totum existere divinum agit; ergò de se ipso aliquem agit tantum in bonitate magnitudine, sicut ipsum est; sed ipsum est agens in ratione entis per se stantis, quia aliter non esset agens, & sic est suppositum; & quia est suppositum, oportet, quòd agat suppositum tantum in bonitate &c., quantum ipsum est, aliter non esset in agere tantum, quantum est ipsum existere; manifestum est igitur, quòd in essentia DEI est agens suppositum & actum suppositum ipsius unius ejusdem essentiæ: & quoniam in ipsa essentia DEI est incessanter aliquis agens de se ipso, videlicet de suamet entitate & natura aliquem, manifestum est, quòd tale agere incessanter & infinitè hujus agentis est generare, eò quòd impossibilis est in divina essentia cessatio agendi suppositum de supposito, ùt prædictum est, quæ cessatio esset corruptio magnitudinis bonitatis &c., & privatio entis in non ens: ergò in divina essentia est suppositum generans, & suppositum genitum de tota ipsamet infinita essentia generantis; & hoc est affirmabile, oppositum verò negabile: & manifestum est, quòd iste non posset illum generare, nisi possibile esset hunc ab illo generari: hæc ergò possibilitas generandi influitur ab utroque termino, & hoc in tanta delectatione & decentia utriusque, quòd tendit in suppositum infinitæ bonitatis &c. coæquale generanti & coæquale genito, quia iste terminus totus de toto generante & totus de toto genito procedit; quoniam si esset major aliquo istorum, esset major possibilitas & decentia ipsius generationis, quàm ipsa generatio, vel si esset æqualis generanti & non genito, magis esset possibile & decens hunc generare, quàm illum generari; vel si esset æqualis genito & non generanti, magis esset possibile & decens hunc generari, quàm istum generare; sed omnibus istis modis sequitur manifestè impossibile, quia sic se-

queretur defectus magnitudinis bonitatis potestatis &c.; ergò omnia tria suppositа sunt affirmabilia esse æqualia, quia per affirmationem æqualitatis eorum attingit E. ex parte suî maximam bonitatem magnitudinem &c. ipsius entis, quod est ipse Deus, & per negationem æqualitatis eorum attingit I. oppositum; sed omnis æqualitas super distinctionem fundatur, & omnis distinctio æqualium super proprietates, quæ dant distinctionem. Ergò in divino ente, quod est ipsa essentia DEI, sunt affirmabiles proprietates personales prædictorum suppositorum æqualium, videlicet proprietas suppositi gignentis, & hæc est paternalis ratione generandi; & proprietas suppositi geniti, & hæc est filialis ratione geniti essendi; & proprietas suppositi ab utroque procedentis sive spirati, & hæc est processiva sive spirabilis ratione procedendi seu spirati essendi; aliter non esset in eis distinctio, nec per consequens æqualitas, & per consequens sequeretur oppositum omnium eorum, quæ in hac parte per conditiones ipsius sunt necessariò affirmabilia, quod est summum impossibile, ergò &c.

De quarta Parte Figuræ Theologiæ.

De Modo Applicandi Artem ad judicium faciendum in Figura Theologiæ.

MAnifestis rationibus secundùm conditiones T. procedendo & probando explicavimus artem investigandi suppositа in divina essentia, & in ipsis divinis suppositis proprietates personales: nunc autem in hac quarta parte gratiâ applicationis hujus artis ad propositum proponatur hæc quæstio.

Quare in divina essentia sunt tantùm tria suppositа & non plura neque pauciora? Ad applicationem igitur artis ad propositam quæstionem discurrunt F. G. per conditiones essentiæ & per conditiones dignitatum & suppositorum atque per conditiones aliorum terminorum T., & propositæ quæstionis solutionem eliciunt isto modo.

1. DEUS est unus, & ejus essentia una, atque ejus bonitas una, magnitudo una, æternitas una, & sic de aliis; & sic est magna divina unitas, esset enim parva, si essent duo vel plures Dii, duæ vel plures essentiæ, duæ vel plures bonitates &c.; quia si essent duo vel plures, quorum quilibet esset DEUS, aut essent unius ejusdem unitatis essentiæ bonitatis &c., aut non unius sed plurium, ita quòd quilibet eorum haberet suam essentiam distinctam ab alia; primum est necessarium, secundùm quòd suprà probatur; secundum verò falsum & impossibile: & ratio est, quia ex quo duo essent Dii & duæ essentiæ & duæ bonitates &c. seu plures, esset finita unitas & essentia & bonitas &c. cujuslibet eorum, & per consequens quilibet eorum: DEUM autem esse finitum, est falsum & impossibile, ergò &c.; & sicut impossibile est esse duas vel plures divinas unitates essentiales, ita impossibile est in divinis esse duos Patres vel duos Filios vel duos Sanctos Spiritus sive plures, quia unitas cujuslibet eorum esset finita, & per consequens ipse, cujus esset unitas finita; hoc autem est impossibile in Divinis, ergò non sunt in essentia divina plures Patres uno, nec plures Filii uno, nec plures Sancti Spiritus uno; nec possunt esse minus, quia secundùm quòd suprà probatum est, oportet in essentia DEI esse generationem, & per consequens Patrem & Filium: & quoniam Pater de tota sua essentia generat Filium, producens in eum totam unitatem divinæ essentiæ, quæ sub ratione Patris est ipsemet Pater, ideo resultat sive spiratur ab utroque toto ipsa unio utriusque, per quam impossibile est essentiam divinam aliam esse in Filio quàm in Patre, & aliam in Patre quàm in Filio: hæc autem unio sic ab utroque toto procedens est Sanctus Spiritus, sicut etiam suprà probatum est. Hæc autem tria suppositа cognoscimus per eorum distinctas proprietates, quæ probatæ sunt.

Præterea secundùm bonitatem magnitudinem &c. divinæ essentiæ & unitatis non possumus aliam quartam proprietatem sive plures cognoscere, per quam sive per quas plura suppositа cognoscamus, quia non est, sive non sunt, secundùm quòd patet per Deum & creaturam; nam numerus nobilior & perfectior & universalior est unum in tribus, & tria in uno: mundus enim est trinus & unus, unus quidem est, sed trinus ratione sensualitatis & intellectualitatis & animalitatis, & quilibet homo est unus in tria, in corpore & anima & conjunctione utriusque; & planta una ex tribus, ex forma & materia & conjunctione utriusque; unum est etiam argumentum ex duabus propositionibus & unâ conclusione procedente ab illis duabus

bus, atque propositio una habet tria scilicet subjectum & prædicatum & utriusque debitam proportionem, & sic de aliis: quare, si in DEO est quaternitas sive ulterior pluralitas ultra illa tria suppositа, quæ suprà in essentia DEI probata sunt, manifestum est, quòd hæc tria creaverunt suas similitudines sub ratione unius creantis; nullum autem quartum suppositum, sive ulteriùs, creavit suam similitudinem in eas, quia jam appareret in creatura, & esset quælibet creatura in quaternitate vel ulteriùs repræsentans illam similitudinem vel similitudines, cujus oppositum patet, ût declaratum est; manifestum est ergò, quòd non sunt plura suppositа in divina essentia, quia sic hæc tria suppositа in creando essent majora, quàm illud quartum sive illa, quod esset impossibile, ergò &c.

2. In Divinis est distinctio, sicut probatum est; hæc autem distinctio est in majori concordantia, quæ possit esse, magísque à contrarietate distans, ut justitia & magnitudo habeant majorem concordantiam in bonitate &c: si igitur Pater duos sive plures Filios generaret & spiraret duos sive plures Sanctos Spiritus, illa distinctio, quæ est inter duos terminos divinæ generationis, & illa, quæ est inter duos terminos divinæ spirationis, esset in minoritate concordantiæ; nam paternitas in plus se haberet in Patre quàm filiatio in unoquoque filiorum, eò quòd tota filiatio filiorum referretur ad Patrem, sed non tota paternitas ad quemlibet filiorum, & sic esset minor relatio inter ipsum Patrem & unumquemque illorum filiorum; & idem esset suo modo de Sancto Spiritu: hoc autem est impossibile, quia sic essent contra æqualitatem in majoritate & minoritate, ergò &c.: vel si Filius hujus Patris esset Pater alterius Filii, esset Filius hujus Patris Filius & Pater actu, ita quòd prior Pater generaret actu Patrem generando Filium, & Filius actu Filium, cùm illa generatio esset æterna, sed hoc est impossibile, quia sequeretur, quòd Filius generans generaret sub ratione Filii, quod est impossibile, vel quòd ipse existens suppositum totum genitum de toto Patre, sicut suprà dictum est, haberet aliquid, quod non haberet à Patre, quod est contradictio: ac etiam Filius primus generans Filium secundum ratione secundi Patris haberet majorem relationem ad suum Filium generatum quàm ad primum Patrem, & sic esset eorum distinctio in minoritate concordantiæ ratione relationis, & per consequens ratione spirationis Sancti Spiritûs. Hoc idem similiter sequeretur, si Sanctus Spiritus spiraret alium Sanctum Spiritum, vel Pater & Filius spirarent plures Sanctos Spiritus: ergò manifestè patet secundùm majoritatem distinctionis & concordantiæ in divinis, quòd in divina essentia non sint plura tribus suppositis neque pauciora.

3. Si Pater generaret plures Filios, major esset finis paternitatis quàm filiationis, quia paternitas esset unus finis, ad quem se haberent plures filiationes, & paternitas ad plures fines videlicet ad plures filiationes, quarum quælibet esset minor, & omnes etiam essent minores, & minorem finem importarent, quàm si omnes essent unus finis, & magis inæquales paternitati; hoc idem sequeretur de Sancto Spiritu: sed impossibile est in DEO esse majoritatem & minoritatem finis, ergò &c.: vel si unus Filius ipsius Patris generaret alium Filium, finis primi filii non esset tantummodo ratione filiationis sed etiam ratione secundæ paternitatis, & sic finis esset incompletus ratione filiationis & ratione paternitatis, & per consequens finis sui principii videlicet primi Patris.

Præterea primus Pater non remaneret eadem essentia cum primo Filio & cum secundo Filio, nam Filius generans esset idem numero Pater & Filius existens generabilis; de essentia autem generabilitatis non generaret generabilem, cùm sit improprium & impossibile etiam, quòd Filius ratione filiationis possit generare Filium; relinquitur ergò, si Filius generaret Filium, quòd de alia essentia generaret cum, quàm non habuit nec habet à suo Patre, & sic divina essentia esset divisa, & per consequens plures Dii, quod est impossibile; atque forma & finis paternitatis & filiationis essent in divinis confusæ, & per consequens medium conjunctionis, quod est ipse Sanctus Spiritus ratione fruitionis: hæc quidem inconvenientia & multa alia sequerentur, si Filius generaret filium, aut etiam si Sanctus Spiritus spiraret alium Sanctum Spiritum, vel generaret Filium, ergò sunt tria suppositа in divinis & non plura.

Pauciora etiam esse non possunt, quia ipse, qui est Pater, ad nullum finem spiraret Sanctum Spiritum, nisi esset Filius, nec similiter ipse, qui est Filius, nisi esset ille, qui est Pater, atque Pater & Filius sinè

Sancto Spiritu habente rationem tertii suppositi non haberent suum medium fruitionis in tanto fine, sicut ipsi sunt; quia finis medii conjunctionis & fruitionis Patris & Filii esset minor quàm finis hujus principii, qui est Pater & Filius, unde spiratur seu procedit Sanctus Spiritus; sed etiam esset per accidens, nisi in ipsis divinis suppositis esset proprietas spirativa ratione Patris & Filii, & spirabilis ratione Sancti Spiritûs, in tantum sicut proprietas generativa ratione Patris & generabilis ratione Filii; ergò Pater & Filius & Sanctus Spiritus sunt tria suppositа in divinis, nec possunt esse minus.

4. Si Pater in divinis generaret plures Filios, & Filius genitus à Patre iterum generaret alium Filium, & Sanctus Spiritus spiraret iterum alium Sanctum Spiritum, ut magnitudo bonitatis &c. eorum esset in majoritate operationis generandi & spirandi, esset dare hanc operationem usque ad infinitum, & ipsa operatio esset in infinita multiplicatione suppositorum, quod est impossibile, quia sic essent proprietates personales incompletæ, nec in quolibet ipsorum suppositorum attingerent suum finem, & sic esset Dei bonitas &c. in minoritate &c.; restat igitur multiplicationem suppositorum non esse in numero infinito, sunt igitur in numero determinato; istæ autem numerus est Trinitas suppositorum, qui est major & magis perfectus, qui possit esse in divinis, videlicet unus Pater, unus Filius, unus Sanctus Spiritus, qui sunt una essentia una bonitas &c.; est namque major & magis perfectus quàm alius numerus, ut Pater remaneat unus unitate paternitatis sicut remanet unus Deus unitate Deitatis essentiæ bonitatis &c., & ut hoc idem sit de filiatione & spiratione; & in hoc denotatur major æqualitas, si remanet unus Pater, & remanet unus Filius, & remanet unus Sanctus Spiritus, sicut remanet una Deitas, una essentia una bonitas &c.: esset autem summa inæqualitas esse plures Patres, plures Filios & plures Sanctos Spiritus, cùm remaneat tantùm una Deitas, una essentia, una bonitas, non autem plures Deitates essentiæ bonitates &c.; ergò plura suppositа tribus non sunt in divina essentia; quoniam si sunt plura, sic illud, quod est majoritas ratione illius numeri sic multiplicati in divinis, est minoritas, & illud, quod est æqualitas, est inæqualitas, quod est impossibile, ut ipse numerus sit in majori majoritate & majori æqualitate, quâ possit esse; & sic est tantummodo Trinitas suppositorum divinorum, & non ultrà: minor autem non potest esse tribus ipse numerus, quia ratione privationis deficeret majoritas substantialitatis in Patre generando Filium aut in Patre fruendo Filio & è converso ratione Sancti Spiritûs.

5. Attingente E. per hæc, quæ jam ab F. G. investigata sunt, affirmativè tria suppositа in divinis ratione Paternitatis Filiationis & Spirationis, adhuc tamen supponit N. possibile, in A. esse plura suppositа, quàm sint hæc tria, quoniam supponit adhuc ratione aliquarum aliarum proprietatum personalium esse fortè alia suppositа, ad quæ E. non attingit, sicut ratione hujus proprietatis, quæ est distinctio, & hujus, quæ est conservatio, vel fortè alicujus alterius proprietatis sive aliarum proprietatum: factâ igitur hâc suppositione ab N. discurrunt F. G. artificialiter per conditiones & regulas hujus artis, & inveniunt impossibile, in A. esse alias proprietates personales præter Paternitatem Filiationem & Spirationem, cùm sint sufficientes magnitudini bonitati &c., eò quòd generans bonus &c. ratione Paternitatis est sufficiens de toto se generare genitum scil. Filium bonum &c. ratione filiationis; atque generans ratione Paternitatis & generatus ratione Filiationis ambo ratione unius solius generationis spirant de tota una essentia sua unum solum Sanctum Spiritum, bonum &c., & sic sunt sufficientes ipsi spirationi: & in hoc Paternitas & Filiatio & Spiratio habent conditionem conservativam, quia in generabili & genito & spirabili & spirato est in immensitate bonitatis &c. distinguibilis distinctus & distinguere atque conservabilis conservatus & conservare, & sic de aliis: & quoniam istæ prædictæ proprietates sunt sufficientes, superfluum quidem esset aliquas alias proprietates personales esse in A., quæ superfluitas est negabilis, cùm sit proportionata ipsi I. moto ab E. habente A. pro objecto in unitate & trinitate, secundùm quòd possibile est, ipsum E. habere hoc objectum in via.

De Figura Philosophiæ.

PHilosophiæ figuram in *tres Partes* dividimus, in quarum *prima* damus doctrinam inquirendi conditiones terminorum hujus figuræ, ut exemplificetur utentibus hac arte modus & via inveniendi conditiones terminorum, ut in quæstionibus inductis ad ipsos terminos secundùm ipsas conditiones eorum concludere sciant; hanc autem doctrinam damus, addendo terminum termino, nam secundùm quòd terminus diversis terminis adjungitur, respectu diversorum diversæ ex eo eliciuntur conditiones. In *secunda* verò parte conditiones terminorum inquirimus per T. In *tertia* verò parte damus doctrinam applicandi artem secundùm hanc figuram ad propositum, scilicet ad quæstionem.

4. Discurrentia F. G. per conditiones *primi Mobilis* sensibilis inveniunt, quòd habet conditionem movendi per se circulariter ratione suæ formæ, & ratione suæ materiæ, ipsâ formâ habente habitu motum, & materiâ habente ipsum potentiâ; & quoniam istæ duæ ad invicem constituunt primum mobile scilicet firmamentum, inducitur actu motus circularis, ita quòd firmamentum est per se mobile ratione materiæ, & est per se motivum ratione formæ, & habet conditionem essendi in motu circulari per se per suum habitum & potentiam movendi per se út suppositum, sicut planta ratione suppositi habet conditionem per se vivendi: sed quemadmodum planta sive corpus animatum ratione suorum principiorum non vivit per se tantùm, sed per hoc, quod ab extrinseco venit in ipsam plantam, sic nec orbis est per se tantùm movens nec mobile, sed propter bonitatem magnitudinem &c. finîs, quem habet à suo primo movente.

5. Conditio motûs est ratione *Formæ* quo-6. ad habitum, & ratione *Materiæ* quoad potentiam, ipso constituto ex ipsis scilicet habitu & potentiâ reductis in actum in supposito constituto ex forma & materia substantialibus, ipso supposito existente motivo seu movente intrinsecè ratione formæ & mobili seu moto intrinsecè ratione materiæ; hic autem motus intrinsecus est insensibilis & formalis motus, extrinsecus verò ipsius ejusdem suppositi est sensibilis & figuralis.

7. Conditiones motûs *Naturæ* sunt secundùm perfectiones, quas natura habet in se, & secundùm perfectiones exteriores, quæ à natura fluunt, & ad eam refluunt secundùm perfectiones intrinsecas naturæ, sicut in respiramine patet, nam spirando & respirando fluit & refluit anhelitus effluxus à motu intrinseco, & retractus ad eundem, quia cessaret motus intrinsecus, nisi motivum in suum mobile intrinsecum mobile extrinsecum acceptaret. Et hoc etiam patet in S., nam ipsum S. habet primò suum motum intrinsecum movens virtutem suam in B.C.D., deinde suum motum extrinsecum moventibus B. C. D. per E. suam virtutem ad objectum recolibile intelligibile & amabile. Et potentia visiva similiter suam virtutem movet ad proprium visibile, & deinde extrà ad visibile remotum. Hoc idem etiam sequitur de potentia vegetativa, ût dictum est, ratione formæ & materiæ, &

De prima Parte Figuræ Philosophiæ.

De Modo Inquirendi Conditiones Terminorum Figuræ Philosophiæ.

QUoniam in Philosophia multum tractatur de *Motu*, cùm ad cognitionem Philosophiæ valde necessarium sit scire diversas conditiones illius, idcirco nos eas cum singulis terminis hujus figuræ proponimus indagare largè accipiendo motum. Et primò cum *prima Causa* isto modo.

1. Cùm F. G. primam causam respectu
2. motûs accipiunt, inveniunt eam immobilem ratione suæ immensitatis æternitatis simplicitatis & perfectionis, habentem in se conditiones, quæ mobilitati nullatenus possunt convenire, sed potiùs motivitati; nam ipsa movet primum mobile & cætera contenta sub eo ratione suæ voluntatis sapientiæ bonitatis &c. influens actum motûs secundùm conditiones, quas ipsa habet in se & per se & ad se movendi omnia, quæcunque sunt alia à se ipsa; idcirco motus ita habet esse, secundùm quòd requirunt conditiones, quas prima causa habet respectu sui effectûs.

3. Recipientia F. G. motum respectu *Intelligentiarum* separatarum inveniunt eas moventes cætera illis inferiora, secundùm quòd ipsæ à prima causa moventur ad bonum magnum &c.; idcirco movent inferiora, ut ipsi primæ causæ sint magis similes in magnitudine bonitatis potestatis virtutis &c., sunt etenim sub eis mobilia inferiora sensibilia habentia conditiones mobiles ratione temporis quantitatis loci &c., sinè quibus sensibilia conditiones mobilitatis habere non possent.

de motu animæ ad corpus atque de motu phantasiarum in imaginatione, & sic de cæteris terminis naturæ.

8. *Elementa* habent conditiones motivas & mobiles intrinsecè in mixto vel elementato, quolibet ipsorum elementorum movente aliud ad mixtum vel elementatum multimodè naturaliter & innaturaliter secundùm sub & suprà & secundùm cæteras rectitudines. Habent etiam conditiones motivas & mobiles extrinsecè, & hoc mediante elementato in hoc, quòd elementatorum aliud movet aliud convertendo in suam speciem, & movet de se aliud per motum generationis.

9. Motus ratione *Appetitûs* habet similiter suas conditiones, nam appetitus de ratione sui tendit ad perfectum esse tanquam ad terminum *ad quem*; sicut ignis, qui, ut agendo se perficiat, appetit calefacere terram ratione sicci, & appetit calefacere aërem ratione calidi, & ascendere & disgregare, ut ad suum perfectum esse moveri possit: & sic de aliis elementis suo modo. Et istæ conditiones motûs ipsius appetitûs sunt naturales & intrinsecæ; sed innaturales, dum ignis appetens siccum ad suum perfectum esse appetit per accidens frigidum & descensum connexos ipsi sicco; & sic de aliis elementis suo modo. Et nisi esset iste appetitus innaturalis, nunquam cessaret appetitus naturalis alicujus suppositi elementati.

10. Respectu *Potentiæ* conditionatus est motus, secundùm quòd principia educunt formam de potentia ad actum, nam secundùm quòd ipsa principia dispositа sunt ad invicem, habent formam habitu attingentem formam, quæ est in potentia, & secundùm quòd subjectum mobile de pluribus principiis passivis constitutum habentibus illam prædictam formam in potentia materialiter ex principiis agentibus, quæ habent habitu prædictam formam habitualem, disponitur & movetur de potentia ad actum prædicta forma potentialis per ipsam formam habitualem attingentem illam, sicut forma vegetativæ existens habitu in homine attingit formam vegetandi in pane & vino sumpto movens eam de potentia in actum: idcirco iste motus ita conditionatus est secundùm motorem & mobile in movendo id, quod est potentialiter in principiis, ad actum, secundùm quòd principia motoris sunt in habitu ratione actûs.

11. Motus per comparationem ad *Habitum* conditionatus est, secundùm quòd habitus situatus est inter potentiam & actum, ipsis principiis, de quibus habitus constitutus est, moventibus principia, de quibus potentia constituta est, & illa sunt mobilia: & ita conditiones motûs in intrinseco sic habent esse ratione habitûs, ut sit in actu motivum, & permaneat in potentia mobile, ne successio motûs pereat.

12. Conditiones motûs *Actualis* sunt finis conditionum motûs habitualis & potentialis, secundùm quòd subjectum termini *à quo* conditionatum est respectu conditionum termini *ad quem*.

13. In *Mixto* motus conditionatus est secundùm conditiones, quas partes mixti habent mutuò, nam ignis habet conditionem movendi aërem immediatè, ut per aërem moveat aquam, & per aquam terram; & sic de unoquoque aliorum secundùm se. Iste autem motus est intrinsecus, & habet esse *circularis quadrangularis* & *triangularis*, ût de figura elementali dictum est.

14. Conditiones motûs per respectum ad *Digestionem* sunt secundùm conditiones digestivi & digestibilis, movente digestivo in mixto ad suum digestibile propinquum digestibile remotum augendo suppositum de hoc, quod movetur ad proprium digestibile propinquum, ut digestivum ratione augmenti motûs sui proprii digestibilis augmentum movendi habeat in agendo convertendo motum remotum in suum proprium motum.

15. Conditiones motûs respectu *Compositionis* attingunt F. G. componendo aliud mobile cum alio mobili, & aliud motivum cum alio motivo, & motivum cum alio mobili, & è converso, ut sit unus motus compositus ex influentiis virtutum potentiarum & habituum ad actum compositum scilicet suppositum existens subjectum motui composito incessanti, ut ipsum subjectum sub ratione motûs consistat.

16. Motus *Alterationis* est conditionatus, secundùm quòd res sunt alterativæ & alterabiles; alterativæ quidem ratione motivi, movente alterante mobile remotum ad mobile propinquum; & iste est motus generationis & augmenti: sed quando ita est, quòd motivum declinat ad cessationem propter improportionem sui mobilis propinqui provenientem ex superabundantia vel indigentia convertibilis remoti, vel quia etiam principia potentialia inclinant ipsum mobile propinquum alterari ad aliud motivum remotum, tunc est motus corruptionis & detrimenti; & hoc manifestè videri potest per triangulos T., & habebitur magna copia rationum motûs alterationis, eò quòd intellectus multas diversas conditiones motûs alterationis attingit respectu terminorum ipsius T.: & secundùm quòd hîc dicimus posse fieri de motu alterationis per T. ita significatur de motu per respectum ad quemlibet alium terminum hujus figuræ; idcirco si quæstio fiat de motu, artista concludere debet salvis semper conditionibus habitis de termino ad terminum simpliciter, ût dictum est, vel per conditiones, quæ de triangulis T. & de motu comparabili cuilibet termino hujus figuræ resultant, copiosè concludere potest, si materiam voluerit ampliare, sicut hîc in consequenti exemplificare intendimus.

De secunda Parte Figuræ Philosophiæ.

De Modo Inquirendi Conditiones Terminorum Philosophiæ per T.

CONditiones igitur motûs per conditiones trianguli lividi investigantur isto modo.

1. Nec in Essentia DEI nec in unitate nec in dignitatibus ejus nec etiam in ejus operatione intrinseca potest esse motus, quia ratione immensitatis æternitatis simplicitatis &c. habet conditiones immobilitatis, sicut etiam jam dictum est. Est autem in creatis motus, ergò subjecta sunt motui, habente creaturà motum secundùm essentiam & suam unitatem & secundùm sua principia superiora, quæ sunt bonitas magnitudo duratio &c., idcirco diversæ conditiones motûs ex diversitate conditionum subjecti cognoscuntur, & secundùm diversitatem conditionum motûs diversæ sunt essentiæ motûs. Est autem unus motivus movens omnia, in quo motus est impossibilis, sicut dictum est, quem competit esse motivum in ratione actionis extrinsecæ: motus ergò, cùm sit extra Deum, est creatura; creaturæ igitur motum à DEO recipiunt, & influunt illum intra se ipsas adinvicem, & idcirco motus est relativa operatio creaturarum, & potest esse triplex, scilicet motus naturalis, intellectualis & artificialis.

2. Differentia concordantia & contrarietas motûs conditionatæ sunt secundùm differentiam concordantiam & contrarietatem subjectorum videlicet inter sensuale & sensuale, cùm de conditionibus hujus sensualis sit, quòd non sit illud: idem est de intellectuali & intellectuali, & de intellectuali & sensuali; & cùm sit de ratione istorum, quòd concordent in aliquibus & contrarientur, sicut patet inter motum ignis & motum aquæ, & inter motum animæ & motum corporis, & sicut inter motum potentiæ & objecti, velut anima movens E. I. Differentia igitur concordantia & contrarietas motûs conditionatæ sunt ratione conditionum differentiæ & conditionum concordantiæ & contrarietatis subjecti, influente ipso subjecto & movente motum in concordando & contrariando motivum mobile movere motum, sicut bonum, quod influit bonum ratione bonitatis bonificativi & bonificabilis, & ratione bonificandi & bonificati.

3. De conditione finis est, quòd moveat efficiens, & de conditione efficientis est, quòd moveat formam, & de conditione formæ, quòd moveat materiam; & sic continuatur motus de principio per medium usque ad finem, & hoc secundùm tempus & quantitatem, sive illa quantitas sit corporalis sive virtualis, per totum motivum & per totum mobile, ex quorum conjunctione influitur motus per omnes mensurationes & extremitates eorum: hic autem motus est intrinsecus & insensibilis, quia sua prædicta subjecta nullo sensu percipi possunt.

4. Sicut conditiones motûs sequuntur conditiones temporis & quantitatis, & è converso, ita sequuntur conditiones trianguli crocei tanquam sui subjecti, ita quòd sicut conditio majoritatis est substantiæ respectu accidentis, ita conditiones motûs sunt majores ratione substantiæ, quàm ratione accidentis, & sunt majores etiam ratione æqualitatis bonitatis & magnitudinis &c., quàm ratione inæqualitatis earum; & sicut etiam majoritas sive æqualitas major est ratione alterius principii quàm alterius, & sic de medio & fine, sic motus major est ratione hujus principii motivi sive mobilis &c. quàm ratione illius. Hoc idem sequitur de conditionibus, quas triangulus croceus ab aliis trian-

triangulis recipit in suismet conditionibus, nam secundùm illas conditiones impressas in conditiones trianguli crocei imprimuntur in conditiones motûs, *quia sicut diaphaneitas recipit colorem coloratî, sic suo modo motus recipit suas conditiones ex conditionibus triangulorum.*

5. De conditionibus S. est dubitare secundùm R., supponere secundùm N., affirmare secundùm E., negare secundùm I ; de conditionibus igitur motûs ipsius S. est, quòd S. moveatur secundùm E. I. N. R. ; & idcirco S. ratione conditionum, quas habet secundùm E. I. N. R. movetur ad dubitationem ratione R., & ad suppositionem & fidem ratione N., & affirmationem ratione E., & ad negationem ratione I. ; atque finis movet E. & E. movet I. ad oppositum illius finîs, & movetur N. ab E.I., ubi ipsa E.I. non possunt attingere : & movetur etiam R. ab E. I. N., quando S. ex motu suorum E. I. N. nimis fatigatum est, & appetit quietem ; ac etiam E. I. ratione finîs movent N., atque N. ratione efficientis movet F. G., sed F. G. movent objecta ad E. I. ex ista materia, quæ est R. : & in hoc manifestantur conditiones, quas motus recipit ex triangulo nigro.

De tertia Parte Figuræ Philosophiæ.

De Applicatione Artis hujus Figuræ ad Propositum sive ad Quæstionem.

HÆc tertia Pars Figuræ Philosophiæ est de applicatione terminorum ipsius Figuræ ad propositum scilicet ad quæstionem ; proponatur igitur hæc quæstio :

Utrùm octava sphæra sit per se movens & mobilis ? Hæc igitur quæstio explicitè tangit istos duos terminos, *orbem* & *motum* ; idcirco respondendum est secundùm conditiones, quas motus habet ratione firmamenti, ût in *prima parte dictum est paragrapho quarto* ; recurrat igitur Artista ad illum paragraphum, & secundùm illum & alios etiam discurrendo per T. respondere debet : *& hæc est regula generalis in hac Figura & in aliis.*

Si verò quæstio non esset de motu sed de prima causa vel de quodam alio termino hujus Figuræ, sic oporteret conditiones istius termini cum conditionibus aliorum terminorum inquirere, sicut in *prima parte hujus Figuræ* exemplificatum est : & quemadmodum de præsuppositâ quæstione hîc doctrinam exhibebimus, sic suo modo debet Artista respondere ad cæteras quæstiones hujus Figuræ : de hac igitur quæstione per T. prosequimur isto modo.

1. Operationes, quas divinæ dignitates habent in essentiis creatis secundùm magnitudinem bonitatis finîs, repræsentant ipsis F. G. ratione majoritatis finîs primum mobile sensibile per se non posse moveri, nec aliquid sub prima causa contentum, ût *in prima parte hujus Figuræ paragrapho primo dictum est*, quod est, ut motus primi mobilis & cæterorum sub prima causa contentorum sit in majori virtute bonitatis &c. ratione tam nobilis motoris, cujus essentia & unitas sunt in immensitate & æternitate bonitatis &c. videlicet primæ causæ ; ergò octava sphæra per se non movetur, sed à voluntate primæ causæ, quæ idem est quod ipsa prima causa : octava igitur sphæra movetur à prima causa, ut sit nobilior & perfectior in bonitate &c., & ut majorem virtutem influat in sua contenta ratione sui prædicti motoris ; quoniam, nisi prima causa moveret eam, deficeret ejus magnitudo in majoritate finîs sui effectûs ratione bonitatis magnitudinis &c., quod esset inconveniens primæ causæ : veruntamen ratione majoris finîs suppositi ipsa sphæra per se mobilis est motu sensuali, ût in *quarto paragrapho primæ partis* significatum est.

2. Si A. movet orbem, & orbis etiam movetur per se, si A. movet orbem ad inferiora, & orbis se moveat ad inferiora, & hoc ratione inferiorum indigentium motu orbîs, ut ab ipso recipiant influentiam, sequitur, quòd ex tali motu resultat majoritas differentiæ concordantiæ inter motum & motum suprà dictum, per quam plùs distat à contrarietate ; unde sequitur, quòd orbis ratione majoritatis differentiæ ipsius motûs in concordantia sit totus mobilis per respectum ad A., & sit movens & mobilis ratione suî ipsius, & similiter ratione A. & suî ipsius sit movens per respectum ad inferiora, ut in motu consequatur differentiam in majoritate concordantiæ sinè contrarietate inter operationem causæ & effectûs.

3. Circulus est infinitus ratione principii medii & finîs, in quorum quolibet est quælibet pars circuli, nam aliter non posset circulus esse circulariter situatus, nec habere rationem circuli, nisi ex partibus circularibus esset compositus : partes autem non possunt esse circulares, nisi in ipso circulo principium cujuslibet partis sit in medio & in fine, & medium in principio & in fine, & finis in principio & medio, nam aliter non esset partium successio circularis, nec per consequens circulus : est autem circulus firmamenti mobilis ratione principii medii & finîs partium moventium & mobilium, ita quòd quælibet earum est movens & mota ad aliam successivè in circulo.

Iste autem motus est intrinsecus, ratione cujus totus circulus est mobilis & movens per se, cùm sit totus constitutus de ipsis partibus totis moventibus & mobilibus, sicut sol, nam omnes partes, de quibus ipse sol constitutus est, sunt mutuò lucificativæ ratione formæ solis constitutæ de pluribus partibus lucificativis, & sunt similiter mutuò lucificabiles ratione materiæ, quæ de pluribus partibus lucificabilibus constat ; igitur ratione hujus motûs sol est per se lucificativus & lucificabilis, & ex hac perfeitate lucificandi solis influitur extrà lucificatio ad lucificabilia remota. Veruntamen conditio ultimi finîs octavæ sphæræ consistit, ut moveat inferiora, sicut similiter finis solis, ut illuminet inferiora : sed adhuc plùs consistit in hoc, quòd E. habeat A. ; hunc autem finem non habet in se octava sphæra, sed est principium motum ad illum finem, movens se per se ad secundarium finem, qui est medium ; sed prima causa movet eam ad ipsum ultimum finem, qui est E. A.

4. Si firmamentum vel octava sphæra est per se mobilis & movens, motus quidem ejus est major substantialiter, quàm si sit mobilis, & nullam quoad se conditionem habeat movendi semetipsam ; & si octava sphæra habeat conditionem movendi semetipsam, & hanc conditionem recipiat à prima causa influente in eam, sinè cujus influentia ipsa nequaquam moveri posset, nec etiam existere, adhuc major est substantialiter ipsa sphæra & ejus motus, quàm si per se esset movens & mobilis sinè beneficio ipsius primæ causæ, cùm nihil substantialius sit primâ causâ : & major quoque est extrinsecè actio & conditio seu proprietas primæ causæ, si moveat ipsam octavam sphæram ad movendum se ipsam, quàm si per se esset movens & mobilis sinè adjutorio primæ causæ : & quoniam iste motus ipsius sphæræ, videlicet quòd à prima causa moveatur ad per se movendum, est substantialior, &

majorem conditionem & actionem primæ causæ super suum effectum importat in magnitudine bonitatis &c. finîs, quàm si per se moveatur sinè motu suî à prima causa, ergò &c.

5. Major entitas & possibilitas motûs octavæ sphæræ importatur, si sit per se movens & mobilis, quàm si esset mobilis & non movens ; sed adhuc multò major entitas & possibilitas ipsius motûs importatur, si ipsa sit per se movens & mobilis mota à prima causa ad movere per se & moveri, quàm si tantùm esset per se movens & mobilis ; & quoniam per plus entitatis & possibilitatis principii medii & finîs motûs octavæ sphæræ, ne prima causa majoritati sui effectûs sit defectiva, & per majorem conditionem & actionem ipsius primæ causæ super effectum concludendum est, manifestum est, quòd affirmativa conclusio hujus quæstionis procedit necessariò sub tali conditione, quòd octava sphæra à prima causa moveatur ad movendum per se & essendum mota de se, cùm hujus quæstionis negativa conclusio secundùm prædictam conditionem sit impossibilis, eò quòd importat non ens & impossibile majoris principii medii & finîs, & majoris conditionis & actionis ipsius primæ causæ super suum effectum.

De Figura Juris.

EOdem modo, sicut de figura Philosophiæ dictum est, divisa est figura Juris in *tres Partes*, ita quòd in *prima* parte exemplificatur doctrina inquirendi conditiones principiorum Juris & respectuum termini ad terminum. In *secunda* verò parte datur modus ampliandi materiam, exemplificando quomodo conditiones principiorum juris per conditiones triangulorum T. debeant inveniri. Sed in *tertia* & ultima traditur modus applicandi artem ad propositum secundùm scientiam Juris.

De prima Parte Figuræ Juris.

De Modo Inquirendi Conditiones Principiorum Juris per Figuram Juris.

SEcundùm speculationem principiorum Juris in præsenti parte assumimus *Jus naturale*, & ejus conditiones per primum modum discurrendi inquirimus.

1. Cùm Jus naturale respectu *Formæ Juris*
2. accipitur, tunc in ipso respectu apparent
3. conditiones ipsius Juris naturalis formaliter, scilicet secundùm formam ipsius Juris naturalis, & hoc ratione principii medii & finis formæ Juris naturalis, & per consequens conditiones principii, medii & finis *Materiæ* Juris naturalis, ita quòd conditiones ipsius formæ & ipsius materiæ Juris naturalis inveniuntur juxta conditiones trianguli rubei, ipso Jure naturali existente constituto de forma naturaliter justa & de materia naturaliter justa & proportionata ipsi formæ, ipsâ formâ & ipsâ materiâ habentibus secundùm justitiam sua principia naturalia & sua media naturalia & suos fines naturales, quæ sunt [E. A. V. Y.] [I. V. Z.]

4. Inquirunt F. G. conditiones Juris na-
5. turalis secundùm conditiones *Juris commu-*
6. *nis & specialis*; nam secundùm Jus generale est *Jus naturale* generale, & secundùm Jus speciale est ipsum Jus naturale speciale: & tamen conditiones Juris naturalis communis sunt in majore fine, & habet majus principium & medium ad suum finem ratione generalitatis, quàm Jus naturale speciale, eò quòd major est entitas & possibilitas Juris naturalis communis, quàm Juris naturalis specialis, atque majus est substantialiter, quàm Jus naturale speciale: sed Jus naturale speciale majus est respectu suæ substantiæ, quàm Jus naturale commune respectu sui accidentis.

7. Jus naturale additum *Juri positivo* ratione positionis augmentat & fortificat suas conditiones, nam ex parte suæ naturalitatis habet æqualia B. C. D. & F. G. H. & proportionata E. I. N. ad istorum objecta naturalia sicut æqualia B. C. D. in E. Y., & secundùm istam æqualitatem æqualia F. G. H. in I. Z., & secundùm istorum proportionem proportionatum M. in N. Y. Z.: dum autem istæ conditiones Juris naturalis sunt positivè auctoritate Sanctorum Patrum & Principum confirmatæ in B. D. secundùm Y., & F. H. secundùm Z., & in M. diligente Y. & odiente Z., eò quòd Jus positivum plùs consistit in B. D. quàm in B. C., & in F. H. quàm in F. G., tunc ipsum Jus est naturale positivum, eò quòd ipsa naturalitas Juris est auctoritate positionis confirmata.

8. Dum F. G. conditiones Juris nâturalis
9. in conditionibus *Juris Canonici & Civilis* recipiunt, inveniunt istud Jus naturale, quod est æqualitas B. C. D. in E. Y. & proportio E. V. Y., confirmatum in B. D. secundùm canonem auctoritate Sanctorum Patrum esse majus quàm istud Jus naturale, quod est æqualitas F. G. H. in I. Z. & proportio I. V. Z., confirmatum Principum auctoritate in F. H. ad conservandum in timore ritus naturales civium; nam cùm F. G. inveniant Jus naturale majus in B. C. D. Y. quàm in F. G. H. Z., & Jus Canonicum majus propter B. D. Y. quàm civile propter F. H. Z., nihil ergò repugnat, quin Jus, quod est naturale canonicum, sit majus substantialiter quàm Jus naturale civile. Veruntamen Jus naturale civile est majus substantialiter quàm Jus naturale canonicum accidentaliter.

10. Dum F. G. Jus naturale respectu *Juris consuetudinalis* attingunt, & in isto respectu ponunt triangulum rubeum, inveniunt conditiones utriusque qualitatis Juris, scilicet naturalitatis & consuetudinis ipsius Juris esse adinvicem per conditiones ipsius trianguli rubei: nam conditionis Juris naturalis est, quòd ût naturale de principio transeat ad suum finem per medium ratione formæ & materiæ per omnes extremitates ipsius medii perfectum, ut principium per absentiam vel defectum sui medii non careat suo fine. Conditionis autem Juris consuetudinalis est, ipsum Jus consuetudinale esse in prædicto medio ad conservationem & fortificationem ipsius medii: & si contingat, ipsum medium Juris naturalis aut per infirmitatem aut occasionem aliquam sive per quemcunque alium casum impediri, cujus impedimentum est periclitatio finis Juris naturalis, supplet in illo defectu Jus consuetudinale sive privilegiatum; & hoc modo Jus est naturale consuetudinale, videlicet Jus naturale defectivum supplemento consuetudinis vel privilegii in suis necessitatibus suffultum.

11. Jus naturale in *theorica & practica* diver-
12. sas recipit conditiones ratione trianguli viridis; differt enim Jus naturale theoricum à Jure naturali practico, quia, dum E. V. Y. & I. V. Z. & N. Y. Z. sunt interiùs in speculatione S., tunc Jus naturale est theoricum; dum autem hæc influxa ab interiori transeunt ad actus exteriores, tunc Jus naturale est practicum, & sic habent concordantiam, quia alterum est alterius principium, & sic practicum nunquam est sinè theorico, sed è converso potest esse. Veruntamen in theorico bene potest esse practicum videlicet in E. V. Y., I. motum & influxum ab E. ad V. Z.; & istud Jus sic practicum potest dici theoricum, eò quòd non transit ad actus exteriores; & potest dici practicum, quia ab alio applicatur ad opus, & est per secundam intentionem, & suum movens per primam, sicut actus exteriores moti ab actibus interioribus sunt per secundam, & ipsi actus interiores per primam. Jus ergò naturale theoricum ratione finalis principii majus est substantialiter quàm Jus naturale practicum; practicum verò majus substantialiter quàm theoricum accidentaliter; & si contingit contrarietas inter ista duo per aliquod deviatum medium, quod tamen raro accidit, prævalet theoricum practico, & è converso, si practicum fuerit generale, theoricum verò speciale.

13. Conditiones Juris naturalis in conditionibus *Juris nutritivi* diversificantur secundùm conditiones trianguli crocei, seu etiam aliorum triangulorum; nam Jus naturale plùs nutriendum est quoad conditiones substantiales quàm accidentales, cùm naturaliter majoritas major sit ratione substantiæ quàm accidentis: Jus etiam naturale plùs nutriendum est de rebus naturæ æqualibus, videlicet de naturalibus principiis æqualibus, quæ sunt bonitas magnitudo &c. æquales inducibiles ad naturam Juris ratione majoritatis finis substantiæ vel majoritatis finis accidentis; & isto modo Jus naturale conditiones nutritivas & nutribiles recipit respiciens semper ad majorem finem, & Jus nutritivum conditiones naturales respiciens ad principia magis naturalia Juris, ut ea deducat ad finem.

14. Quando Jus naturale fit *comparativum*, vel è converso, tunc inde resultant diversæ conditiones utriusque ratione naturalis comparationis, & ratione comparationis importat triangulum croceum super alios angulos triangulorum; & secundùm quòd diversi sunt naturales anguli triangulorum in triangulo croceo, secundùm hoc resultant diversæ conditiones naturalis comparationis in Jure; quod patet isto modo. Jus naturale respectu DEI magis naturale est & magis substantiale, & majorem finem consequitur, & ratione finis majus principium & majus medium quàm respectu creaturæ animalis rationalis, & respectu S. quàm respectu corporis, & respectu E. quàm respectu I., & respectu æqualitatis bonitatis magnitudinis &c. quàm respectu inæqualitatis earum, & respectu concordantiæ quàm contrarietatis, & respectu finis quàm principii & medii, & respectu æqualitatis quàm majoritatis & minoritatis, & respectu majoritatis quàm minoritatis, & respectu substantiæ quàm accidentis, & respectu affirmationis entis & possibilis quàm negationis & non entis & impossibilis.

15. Jus naturale respectu suæ *antiquitatis* &
16. *novitatis* sortitur diversas conditiones, & è converso antiquitas & novitas respectu naturæ Juris secundùm triangulum viridem rubeum & croceum; nam Jus naturale antiquum in hoc Juri naturali novo concordat, dum ex tantis principiis naturæ necessariis natum est, quòd nullâ mutatione temporis & consuetudinis deleri potest, nec alicui Juri novo repugnat: istud autem Jus venit ab antiquo, & transit per omne tempus ad finem perpetuitatis, ût diligere Deum super omnia, & diligere seipsum & proximum suum in tantum, quòd agat erga proximum illa bona, quæ sibimet vellet fieri. Contrariantur autem Jus naturale novum & antiquum in hoc, quòd quandoque novum privat antiquum, quando ipsum antiquum habet impeditum medium ad suum finem, quod accidit secundùm diversas & contrarias mutationes temporis & consuetudinum, consuetudines enim naturam alterare consueverunt. Jus etiam novum supplet & corrigit defectus Juris antiqui secundùm Jus nutritivum & comparativum; nam quæcunque Jura tam naturalia quàm etiam alia invenerunt antiqui, eadem dimiserunt scripta suis posteris in perpetuum: & quoniam plus erat in potentia respectu materiæ Juris & in habitu respectu formæ Juris, quàm possent reducere in actum, eò quòd tempus & quantitas accidentium semper sunt in majori potentia & habitu Juris quàm in actu, necesse est ergò Jus novum constitui successivè respectu contingentium futurorum, ad quæ Jus antiquum non potest attingere, vel in quibus est diminutum.

De secunda Parte Figuræ Juris.

Quomodo Inquirantur Conditiones Formæ Juris per Conditiones T.

IN hac secunda Parte Figuræ Juris inquirimus conditiones formæ Juris per conditiones triangulorum T. isto modo.

1. Unitas essentia dignitates DEI denotant DEUM esse formam, quæ forma est ipsa unitas essentia dignitates: operatio verò significat in hac forma esse formativum formantem de sua essentia formabilem, cùm de conditione magnæ bonitatis &c. formæ sit, quòd formans bonum &c. de se formet bonificatum bonum &c.: & hoc etiam denotatur in conditionibus creaturæ sicut in agente naturali, nam agens naturale est formativum formans formatum genitum. Ita similiter sicut de istis formis dictum est, habet considerari forma Juris in suis conditionibus, ita quòd forma in Jure est quoddam essentiale principium Juris, per cujus operationem informantur sub regula Justitiæ, quæcunque sunt formabilia & formata in Jure; nam quæcunque regulam Justitiæ sequuntur, informata sunt formâ Juris, quæ est ipsa æquitas & Justitia, de quibus informatur E. in A. V. Y., & I. in V. Z., & N. in A. V. Y. Z. Ex his conditionibus formæ Juris cognoscitur, quæ sunt conditiones B. C. D. secundùm tale E. sic informatum, & quæ sunt conditiones F. G. H. secundùm tale I. sic informatum, & sic de aliis: & ex conditionibus B. C. D. &c. sic informatorum perpenditur manifestè, quæ sunt conditiones Justitiæ & æquitatis in S.

2. Conditiones formæ Juris per conditiones trianguli viridis diversificantur isto modo. Cùm totus triangulus viridis conditionatus sit inter sensuale & sensuale, intellectuale & sensuale, intellectuale & intellectuale, forma Juris addita huic triangulo omnes ejus conditiones in se recipit, ita quòd Jurista ratione formæ Juris scit distinguere inter sensualia & sensualia, sensualia & intellectualia &c., & secundùm conditiones ipsius formæ scit perpendere, in quo alterum istorum alteri concordat sive contrariatur, & in quo principio medio & fine plùs vel minùs vel æqualiter concordant vel contrariantur, vel possunt concordare vel contrariari; & quæcunque concordant secundùm conditiones formæ Juris, contrariantur secundùm conditiones formæ injuriæ, quæ forma est privatio æquitatis & Justitiæ.

3. De conditione principii est transire per medium ad finem, & de conditione medii est conjungere & mensurare proportionaliter principium & finem, ita quòd totus triangulus de principio usque ad finem est informatus existens sub forma regente ipsum: sub his igitur conditionibus percipiunt F. G. conditiones formæ Juris, quas ipsa forma habet respectu principii medii & finis; nam ipsa forma Juris, cùm sit principium formale Juris, informat Jus in suo principio materiali informans ipsam materiam Juris, & informat ipsum in medio, mensurans sibi proportionaliter suam materiam ad finem; & in fine Jus est informatum suâ formâ regente ipsum. Oppositio autem modo secundùm principium medium & finem sequitur de conditionibus formæ injuriæ, quas secundùm principium medium & finem injuriæ considerare debet Artista, ut conditiones hujus propositi per conditiones sui oppositi clariùs inveniat, & per eas sciat evidentiùs judicare; Jus enim & injuria sunt opposita ratione formæ, non autem ratione materiæ, id est, ratione subjecti; & idcirco, in quantum Jus peccat in forma, in tantum introducitur de hoc, quod est materia Juris, in formam injuriæ, quæ est privatio æquitatis & Justitiæ: & sicut ex deviante medio deviatur finis, ita principium Juris per devians medium non potest venire ad finem.

4. Sicut de conditione majoritatis est, ipsam majoritatem esse majorem ratione substantiæ quàm accidentis, & ratione concordantiæ quàm contrarietatis, & ratione finis quàm principii & medii; & æqualitatem similiter esse majorem ratione substantiæ quàm accidentis, & sic de aliis, sic similiter de conditionibus formæ Juris est, eam esse majorem ratione substantiæ quàm accidentis, & ratione concordantiæ quàm contrarietatis, & ratione finis quàm principii & medii; & eam esse majorem per æqualitatem suorum principiorum, quæ sunt bonitas magnitudo &c. quàm per earum inæqualitatem; major enim est, dum ipsa existit in æqualitate boni & magni &c., quàm cùm existit inter bonum & parvum.

5. Sicut de conditionibus affirmationis & negationis est, affirmationem esse majorem substantialiter quàm negationem, quia affirmatio infert positionem vel modum positivum, negatio verò privationem vel modum privativum, non autem accidentaliter, quia major potest esse negatio in Y. secundùm suam privationem quàm affirmatio in Z. secundùm suum modum positivum, ita similiter est de conditionibus formæ Juris, eam esse in veritate, & plus habere entitatis affirmativè secundùm veritatem quàm negativè secundùm veritatem, & majorem possibilitatem ex parte affirmationis quàm negationis. Et si ipsa forma Juris secundùm E. teneat affirmationem entis & possibilis Juris, & forma injuriæ secundùm I. teneat negationem entis & possibilis injuriæ, & supponat secundùm N., quòd possibile est, actorem vel reum habere Jus, sic E. I. Judicis per veram viam Juris ad verum judicium tendunt; sed si per oppositum pervertantur E. I., vel supponant impossibile, aliquem eorum habere Jus, sic incurrit falsus Judex præjudicium & sibi & Reo & Actori.

De tertia Parte Figuræ Juris.

De Modo Applicandi Jus ad Propositum.

CUm de Jure naturali in prima parte & de forma Juris in secunda tractaverimus, igitur ad majorem evidentiam materiæ, de qua specialiter hìc tractabimus, proponatur in hac tertia parte applicandi ad propositum hæc quæstio: *Utrùm Jus naturale sit communius formaliter quàm materialiter, vel è converso?*

1. DEUS ratione suî, cùm per totam suam unitatem, essentiam & dignitates sit pura forma sinè materia, repræsentat, Jus naturale esse generalius ratione formæ quàm ratione materiæ, eò quòd tota essentialis unitas Juris aggregati de forma & de materia magìs similis est unitati & essentiæ DEI per formam quàm per materiam; atque ejus prima principia, quæ sunt bonitas, magnitudo, duratio &c., magis sunt similia divinis dignitatibus per formam quàm per materiam ipsius Juris; hoc idem etiam est de omnibus creaturis. Manifestum est ergò, quòd in hac operatione, quæ est agere, est forma generalior quàm materia in hac operatione, quæ est pati, cùm in DEO sit hæc operatio, quæ est purum agere ex parte formæ, & nullum pati; quare secundùm conditiones ipsius trianguli lividi manifestè significatur Jus naturale esse magìs generale ratione formæ, quàm ratione materiæ, nam aliter ejus generalitas esset contra conditiones suorum principiorum, quod est impossibile.

2. De conditionibus concordantiæ est, resistere contrarietati, ipsâ concordantiâ diversificante se & depurante se, quantùm potest, à contrarietate; sed concordantia magìs contrariatur suo contrario ratione formæ quàm materiæ, & magìs concordat materiam ad esse per formam quàm per ipsam materiam: cùm ergò forma sit magìs universale principium in differendo & concordando & contrariando quàm materia, manifestum est, quòd ratione formæ habent majorem concordantiam principia Juris ad suum finem, qui est ipsum esse Juris, & magìs contrariatur ipsum Jus injuriæ quàm ratione materiæ, ergò &c.

3. Naturaliter forma est principium materiæ dans ei esse in se ratione finìs sui ipsius, tendente ipsâ materiâ ad finem formæ per medium, quod est agere ipsius formæ super ipsam materiam; forma igitur ratione principii medii & finìs est magìs generale principium quàm materia, & per eam magìs distat aggregatum à privatione quàm per materiam. Manifestum est ergò, quòd forma Juris naturalis major est in principio medio & fine quàm materia, nam aliter non sequerentur conditiones generalitatis principii medii & finìs naturaliter, sed potiùs è contrario, & sic non esset Jus naturale, quod est impossibile, ergò &c.

4. Majoritas est major ratione substantiæ quàm ratione accidentis, & ratione formæ quàm ratione materiæ, eò quòd substantia habet majorem concordantiam formæ ratione finìs bonitatis magnitudinis &c. & è converso, quàm materiæ; & idem est hìc de æqualitate, quod est de majoritate: quare manifestè patet, quòd generalitas in altiori gradu est ratione formæ quàm ratione materiæ; ergò generalitas formæ Juris naturalis major est in bonitate &c. ipsius Juris, & major bonitas &c. Juris in generalitate quàm generalitas materiæ ipsius Juris in bonitate ipsius Juris & quàm è converso.

5. Secundùm hæc, quæ dicta sunt, est affirmabile, Jus naturale esse communius ratione conditionum formæ quàm ratione conditionum materiæ. Accidit autem quandoque in particulari ipsum Jus esse generalius ratione materiæ quàm ratione for-

mæ, videlicet quando ratione dispositionis materiæ bonitas, magnitudo &c. sunt in majori proportione quàm ratione dispositionis formæ, existente in materia plus entitatis possibilitatis potentialiter quàm in forma habitualiter, sicut in Judice patet, nam ipse Judex plùs habet materiam dispositam faciendi judicium de alieno quàm de suo proprio, eò quòd non tantum disponit nec habituat judicare de suis rebus quantum de alienis.

De Figuris Y & Z.

FIguras ipsorum Y. Z. ratione oppositæ relationis, quam habent, recipimus pro una parte in præsenti opere. Hanc autem partem dividimus in *tres Partes;* in quarum *prima* damus doctrinam inquirendi per T. conditiones Y. Z.; in *secunda* verò per X.; sed in *tertia* modum applicandi ad propositum explanamus. Per hunc autem processum ita explanatum de Y. Z. patebit via & doctrina judicandi de ipsis; & per hæc, quæ hîc explicitè dicuntur, poterunt implicitè infinita de ipsis Y. Z. judicari.

De prima Parte Figurarum Y. & Z.

De Modo Inquirendi per T. Conditiones Y. & Z.

1. IN dignitatibus A. est Y. increatum, quod in Y. creatum producit suam similitudinem; nam ipsum Y., quod est A., secundùm se, & secundùm quòd se habet cum bonitate, magnitudine &c., imprimit suam similitudinem in Y., quod est creatura, & secundùm istam impressionem ipsum Y. creatum conditionatum est quoad se, & quoad bonitatem, magnitudinem &c.; Z. verò in oppositum conditionatum est, cùm sit ipsius Y. omnimoda dissimilitudo: ratione autem creationis habet Y. creatum conditionem essendi creatura, Z. verò conditionem non essendi creatura, cùm sit oppositum omnino creaturæ; est autem operatio S. in verbo phantastico subjectum ipsi Z., ipso S. attrahente dissimilitudines ab objecto, quas induit suas dissimilitudines vel in E. vel in I. vel in N. vel in R., sicut oppositio modo est subjectum ipsi Y., cùm ab objecto vero producit suas similitudines, induens eas similitudines B. C. D., constituendo Y.

2. Secundùm se simpliciter Y. Z. differunt differentiâ contrarietatis seu contradictionis per hoc, quòd Y. est aliquid reale, Z. verò nihil; concordant tamen in hoc, quòd utrumque objectivè potest esse in ratione ipsius S.; & Y. quidem, cùm sit creatura, est in ratione secundùm realitatem, Z. verò, cùm sit nihil, si sit in ratione, sic illa ratio non est realis videlicet non ex ente reali producta, quod est, quia S. gratiâ suæ libertatis realiter & fictitiè potest ratiocinari; fictitiè quidem, sumens objectum falsum loco veri; & sic S. induit ipsum Z. habitum ipsius Y. falso modo, & concordant etiam ratione imperfectionis, quam habet Y. in R. & maximè in E. V. Z. & in I. V. Y.; & sic objectivè & subjectivè in S. conditionantur Y. Z.

3. Aliam conditionem habet Y. secundùm principium, aliam secundùm medium, & aliam secundùm finem; nam quemadmodum differentia cadit in principio & in medio & fine, ita cadit in Y. ratione trianguli rubei; diversæ sunt ergò conditiones in Y. ratione trianguli rubei: & quod sequitur de Y. in proposito, sequitur de Z. in oppositio, nam quidquid Y. constituit de principio & medio usque ad finem, qui est esse, Z. quantum potest, dissipat, constituens oppositum de principio & medio usque ad finem, qui est privatio.

4. Majus est Y. in re extra S. quàm in ratione S., & majus in re & ratione S., quia majorificat S., quàm in re tantùm; & licèt Z. extra S. sit penitùs nihil, tamen in S. importat majorem privationem quàm extrà, quia in S. minorificat ipsum S., extra verò S. non minorificat illud; & secundùm hoc Y. majus est in esse quàm Z. in privatione, nam Y. extra S. & in S. majorificat substantialiter & accidentaliter suum subjectum, ac etiam objectabiliter majorificando accidens ipsius S. majorificat substantiam ipsius S.; sed Z. extra animam, cùm sit nihil, nullum habet subjectum, in quo agat majorificando vel minorificando, in S. tamen accidentaliter minorificat substantiam S. Hac ergò conditione possibile est, quòd Y. devincat Z., & hoc etiam, cùm ipsum Y. majus sit ipso Z. ratione A. influentis Y., non autem Z.

De

De conditionibus etiam ipsius Y. est, quòd quantò majus est, tantò magis distat à privatione, & quòd majus est ratione entium substantialium quàm accidentalium; sed de conditionibus Z. est, se habere ad oppositum harum conditionum; quia de sua conditione est, esse in accidentalibus; æqualitas autem ipsorum Y. Z. est in libertate ipsius S. potentis producere ita liberè Z. sicut Y., & Y. sicut Z.

5. De conditionibus etiam Y. est, per rectam lineam tendere ad affirmationem ratione necessitatis vel possibilitatis, vel ad negationem ratione impossibilitatis vel possibilitatis; & ratione possibilitatis essendi vel non essendi se habet ad dubitationem, ut F. G. discurrentia perquirant necessitatem ipsius Y. & impossibilitatem ipsius Z.; sed Z. per lineam obliquam ad affirmationem vel negationem tendit, quandoque per aliquod deviatum medium repræsentans falso modo se esse Y., & induens falso modo suas similitudines ipsum Y. facit affirmari per fictam apparentiam necessitatis vel possibilitatis, non autem per existentiam, id, quod est negabile, & negari id, quod est affirmabile, videlicet id, quod est possibile, esse impossibile & è converso: dum autem ita est, quòd Z. non est forte, tunc est hujus conditionis, quòd inducat dubitationem ad hoc, quod est affirmabile vel negabile.

Multas adhuc alias conditiones habent Y. Z. præter istas, quæ hîc secundùm conditiones T. dictæ sunt, quæ scilicet aliæ in his nunc dictis implicitè continentur, quas peritus Artista sciet ad propositum applicare.

De secunda Parte Figurarum Y. Z.

De Modo Inquirendi per X. Conditiones Y. Z.

QUoniam Y. Z. sunt oppositа, intendimus in hac secunda parte dare doctrinam inquirendi conditiones eorum ratione terminorum X., quod est oppositorum Figura; hanc etiam doctrinam, quam hîc de Y. Z. per X. tradimus, potest Artista intelligere de terminis aliarum figurarum suo modo.

1. *Prædestinatio* & *Liberum Arbitrium* se habent in opposito secundùm rationem sinè

re, quod est, quia Y. Z. sunt in S. in opposito, dum ipsum S. subjectum est ipsis Y. Z., ipso E. secundùm Y. attingente prædestinationem, ipso Z. occultante ipsi E. per K. L. liberum arbitrium; vel ipso E. attingente liberum arbitrium, ipso Z. occultante eidem per K. L. prædestinationem; & secundùm hoc Y. conditionatum est, quòd, quando ipsum est in E. secundùm prædestinationem, Z. occultat ipsum ipsi E. secundùm liberum arbitrium, vel si sit in E. secundùm liberum arbitrium, quòd Z. occultet ipsum ipsi E. secundùm prædestinationem. Ad istud igitur principium recurrendum est, quando quæstio fit de prædestinatione & libero arbitrio vel de quocunque alio puncto transcendente; & concludendum est, secundùm quòd Y. Z. conditionata sunt ratione prædicti principii, per quod multæ quæstiones transcendentes solvi possunt.

3. Y. concordat *Esse* & *Perfectioni*, Z. ve-
4. rò *Privationi* & *Defectui*; quare de condi-
5. tionibus Y. est ratione esse & perfectio-
6. nis, quòd concordet majoritati, nam de conditionibus esse & perfectionis est, quòd concordent magnitudini concordanti majoritati; & sic per oppositum de conditionibus Z. ratione privationis & defectûs est, quòd concordet minoritati ratione privationis & defectûs concordantium parvitati. Igitur secundùm istas conditiones, quas habent Y. Z. in conditionibus esse, perfectionis, privationis & defectûs concludenda sunt particularia, quæ de Y. & Z. quæruntur salvis semper ipsis conditionibus.

7. De conditionibus *Meriti* est, quòd ra-
8. tione justitiæ E. habens Y., & I. habens Z., atque N. habens in dilectione Y., & in odio Z. acquirant ipsum meritum, cùm sit de fine S. De conditionibus ergò *Culpæ* est, si E. adhæreat ipsi Z., & I. ipsi Y., atque N. ipsi Z. diligendo, & ipsi Y. odiendo, quòd inducant culpam ipsi S., eò quòd S. de suis potentiis sic agit contra suum finem & contra semetipsum. De conditionibus ergò Y. in E. N., & Z. in I. N. est meritum acquiri; sed de conditionibus Z. in E. N., & Y. in I. N. est importari culpam: ad has igitur conditiones recurrendum est, dum tractatur de Y. Z., & salvis semper his conditionibus concludendum est.

9. Conditionatum est Y. esse in N. ratione

tione *Suppositionis*, & in F. G. ratione investigationis, & in E. I. ratione *Demonstrationis*, Z. verò, cùm sit oppositum ipsius Y., conditionatum est oppositis conditionibus, significans falso modo suppositionem esse in E. I., demonstrationem verò in N.; & idcirco de Y. Z. judicando seu concludendo cavendum est secundùm istas conditiones, ne falsa suppositio & demonstratio ipsius Z. suppositionem & demonstrationem Y. habeant impedire.

Immediatè est T. G. inter Y. Z., cùm Y. indicet ens positivè, Z. verò privativè, etiam cùm Y. ostendendo se ipsum manifestet Z., & Z. occultando se ipsum occultet Y.: *Mediatè* autem est T. G. inter ea, scilicet per X. C. D. T. K. L., quæ concordant cum Y.; & per opposita prædictorum terminorum, quæ concordant cum Z.: contradicit etiam Y. ipsi Z. cum T. L. sed Z. ipsi Y. cum T. N., & sic de aliis terminis his similibus. Est autem ratio, quare Y. naturaliter contradicat ipsi Z. cum T. L., quia ipsum Y. habet T. F. cum A. C., quod cum T. L. concordat, Z. autem est in oppositò; unde, quando Y. sequitur suam naturam, scilicet quòd cum T. L. contrariatur ipsi Z., superat & devincit ipsum; sed quando contrario modo se habet, scilicet quòd cum T. N. contrariatur ei, superatur & devincitur, quia utitur conditione ipsius Z. relinquendo propriam, & sic T. N. ipsius Z. convertitur in T. L. X. L. M. & malitiæ, &c. hujusmodi: ratio est, quia verum bonum perfectum est tractandum cum T. L. contra omne falsum.

Cùm de conditionibus *Realitatis* sit, ipsam esse subjectum *Rationis* sive objectum verum, unde S. rationando abstrahit veras similitudines, de quibus unà cum similitudinibus sui rationalis & sui ipsius verbum constituit, conditionatum est Y. ex parte realitatis esse in ratione concordante realitati, Z. verò in oppositò scilicet in ratione contrariante realitati in hoc, quòd de similitudinibus realitatis, quas ratio fictitiè abstrahit, & de suismet dissimilitudinibus producit verbum subjectum ipsi Z.: unde secundùm istas conditiones ipsorum Y. Z. perpendat Artista, si realitas & ratio concordant adinvicem, & manifestè concludat, quia Y. ex parte realitatis illucescit in ratione; si autem contrariantur adinvicem, concludat Y. ex parte realitatis, & Z. ex parte rationis, quoniam isto modo Z. induens similitudinem Y. facit se apparere Y. in ratione.

Potentia secundùm Y. respectu sui *Objecti* conditionata est abstrahere veras similitudines illius ab eodem, ut ipsæ similitudines objecti abstractæ à potentia sint remotæ similitudines ipsius potentiæ existentes in propinquis similitudinibus veris ipsius potentiæ, de quibus utriusque resultat verbum verum significans Y. ipsius objecti & potentiæ, de quo scilicet Y. potentiæ & objecti productum est Y. ipsius verbi, eò quòd potentia appetit agere producendo suum simile veritati subjectum, sicut ipsa est veritati subjecta; Z. verò, cùm sit contrarium ipsi Y., facit potentiam conditionari respectu sui objecti oppositis conditionibus privantibus prædictas conditiones ipsâ potentiâ producente de dissimilitudinibus objecti, & de suis dissimilitudinibus verbum falsum, aut quandoque producit illud de similitudinibus & dissimilitudinibus sui & objecti ratione R.

Secundùm igitur has conditiones perpendat Artista, utrùm potentia veras similitudines abstrahat ab objecto, quia si sic, verè concludere potest; si verò abstrahat ab eo ejus dissimilitudines, falsa erit conclusio; sed si similitudines & dissimilitudines confusè ab eo abstrahat, erit conclusio dubitabilis scilicet confusa: recurrat igitur Artista ad conditiones ipsorum Y. Z., quas habent secundùm conditiones terminorum ipsius X., ût dictum est, & quas eriam habent secundùm T., & semper ipsis salvis concludat E. Y. & I. Z.

De tertia Parte Figurarum Y. & Z.

De Modo Applicandi ad Propositum.

AD applicandum conditiones Y. Z. per T. X. ad propositum proponatur hæc quæstio: *Utrùm voluntas hominis habeat per se libertatem volendi bonum objectum?*

Triangulus lividus ratione magnæ operationis voluntatis, bonitatis, largitatis A. significat in voluntate humana libertatem volendi objectum bonum, sicut C. habet libertatem intelligendi objectum verum; hæc autem libertas, quam D. habet volendo bonum objectum, data est illi creaturæ operante ipso A. creativè esse illius perfectum, prout decet illud, ut divina voluntas producat perfectam similitudinem in tantum, quantum D. recipere potest; & ad hoc concurrunt largitas &c. A., ut D. de velle magis bono, magno &c. agere possit, & A. magis in illud influere, atque S. magis mereri; hoc autem totum manifestat Y. secundùm conditiones, quas habet ratione trianguli lividi: sed quoniam punctus transcendens est intelligere, D. non posse per se habere objectum bonum, nisi A. gratiâ suî influat eidem, & intelligere, D. per se posse habere objectum bonum & meritum, idcirco ipso C. existente suffocato in superexcellentia puncti transcendentis, Z. ratione suæ conditionis deprimens C. ad inferiora Y., ut C. ad altiora Y. non ascendat, induens habitum & similitudinem ipsius Y., facit apparere, se esse Y., videlicet, quòd D. objectum bonum per se habere non potest, & Y. esse Z., videlicet quòd D. objectum bonum per se habere potest.

Illa differentia, quæ est inter voluntatem & suum objectum, est major in concordantia, & magis remota à contrarietate, si D. liberè per se potest habere bonum objectum, quàm si liberè per se non potest habere illud; sed majoritas & concordantia bonitatis concordant cum esse, & per consequens cum Y. ratione magnitudinis bonitatis A., quare affirmatio propositæ quæstionis tenenda est ratione conditionis, quam esse & Y. habent, negatio verò abjicienda est, eò quòd privationis, defectûs & minoritatis conditiones conditionibus ipsius Z. concordent.

Naturaliter efficiens movet formam, & forma materiam, & finis efficientem; igitur ratione hujus est motus major ratione finîs quàm ratione efficientis & formæ & materiæ: Y. autem hoc, quod dictum est, significat, Z. verò hoc abscondit contradicens eidem; & ita Y. ratione sui finîs denotat, quòd A. ratione finîs movet D. ad habendum objectum bonum, D. verò liberè tendit ad suum finem habens naturalem inclinationem ad illum, sicut imperfectum ad suum perfectum, volendo bonum objectum, ut charitativè per meritum se possit conjungere suo fini, ipso D. movente tanquam forma materiam, quæ est similitudo boni objecti abstracta ab ipso D. per B. C.; igitur ipsum D., quantum ad hoc, habet libertatem influxam à motu efficientis moti à fine.

Efficiens quidem est S. liberè per se movens B. C. D. moventia E. ad objectum, sicut rationalis potentia liberè per se movet sensitivam, & sensitiva liberè per se movet potentiam visivam ad videndum per se liberè coloratum, & sic de aliis. Habet etiam D. habitu libertatem diligendi, sicut Magister legendi scientiam; hæc autem omnia manifestè concurrunt secundùm conditiones Y.; sed Z. secundùm suas conditiones his omnibus contradicit, ergò &c.

A. summè diligibile est, igitur ratione suæ diligibilitatis A. creavit ipsum D., ut ipsum D. esset dilectivum, ita quòd D. in conditionibus A. fuit conditionatum. Cùm autem ratione suæ summæ bonitatis sit de conditionibus ipsius A., ipsum A. esse diligibile in majoritate bonitatis &c., non autem in minoritate, conditionatum est ipsum D. diligere A. in majoritate diligendi, non autem in minoritate; conditio ergò ipsius D. est, quòd liberè, non autem coactè, bonum objectum diligere possit; quoniam, si coactè acciperet suum objectum, non esset conditionatum diligere in majoritate, sed potiùs in minoritate, & sic esset conditionatum contra conditiones sui summi diligibilis, quod est impossibile; hujusmodi autem impossibilitas ratione conditionum Y. apparet, cujus ipsæ conditiones ad majoritatem virtutis, potentiæ & objecti, realitatis & rationis sequuntur; conditiones verò Z. ad oppositum, ergò &c.

Objectum verum affirmabile est ab E., objectum verò falsum negabile ab I.; sed utrumque & verum & falsum dubitabile est secundùm conditiones R., & supponibile quodvis alterum secundùm conditiones N., ut F. G. ab R. convertant Y. in E., & Z. in I.: quare si D. per se non possit objectum bonum liberè attingere, nec H. per consequens objectum malum, nec etiam N. posset liberè per se supponere, nec R. dubitare, nec F. G. liberè investigare, sed potiùs cogerentur, & ita E. coactum affirmaret Y., & I. coactum negaret Z., & sic omnes actus S. essent violenti, quæ violentia suorum actuum meritum aufferret; sed quoniam hæc omnia sunt de conditionibus Z., & oppositæ eorum de conditionibus Y., manifestum est igitur, quòd D. habet libertatem

tem per se volendi bonum objectum, quantum est de se, quam libertatem creavit A. ipsi S., creando esse illius; & isto modo S. habet libertatem agendi de suis potentiis.

De Figura Elementali.

ARs docet, quomodo per T. in elementali Figura proprietates & conditiones elementorum perquirantur, ut per eas ex elementis emineat judicium de infinitis Particularibus. Ipsa etiam figura elementalis aliam derivat de se figuram elementalem, ût suprà dictum est. Hæc igitur figura generaliter in *quatuor Partes* est divisa, in quarum *prima* primam figuram elementalem explanamus. In *secunda* parte damus doctrinam inquirendi proprietates sive conditiones elementorum simplicium. In *tertia* verò parte conditiones elementorum in mixto. Sed in *quarta* parte exemplificamus modum ad propositum applicandi.

De prima Parte Figuræ Elementalis.

De Explanatione Primæ Figuræ Elementalis.

1. PRima igitur figura elementalis in *quatuor Partes* divisa est, *prima* pars est ignîs, *secunda* aëris, *tertia* aquæ, *quarta* terræ. Iterum figura ignîs in *quatuor lineas* divisa est, scilicet in *rubeam, nigram, lividam, viridem. Linea rubea* significat, in quibusdam plantis sive etiam in quibusdam sensatis ignem esse in quarto gradu caliditatis, terram in tertio siccitatis, aërem in secundo humiditatis, aquam in primo frigiditatis. *Linea nigra* significat, in aliquibus aliis plantis & animalibus ignem esse in tertio gradu, terram in secundo, aërem in primo, aquam verò degradatam quartâ parte unius gradûs. *Linea livida* denotat, in aliquibus aliis plantis sive in animalibus ignem esse in secundo gradu, terram in primo, aërem degradatum quartâ parte unius gradûs, & aquam degradatam duabus partibus sive medietate unius gradûs. *Linea viridis* verò repræsentat, in aliquibus plantis seu animalibus ignem esse in primo gradu, terram verò degradatam quartâ parte unius gradûs, aërem verò degradatum duabus partibus seu medietate unius gradûs, sed aquam tribus partibus integris esse degradatam.

2. Veruntamen sciendum est secundùm illam regulam, quam quartus gradus ignis habet, quando descendit de quarto gradu in tertium, quòd eandem tenent cætera elementa secundùm suas proportionatas quantitates, quæ sub eadem planta subjecta sunt ipsi igni; ût, si ignis dimittit quartum gradum retinens tertium, terra dimittit quartam partem tertii gradûs, & aër quartam partem secundi gradûs, & aqua quartam partem primi gradûs: hoc idem sequitur de aliis inferioribus gradibus, ad quos ignis descendit; nam quantum ignis dimittit secundùm suam quantitatem, tantundem dimittunt cætera elementa secundùm suas quantitates proportionatè gradatas adinvicem.

3. Præterea intelligendum est, quòd mixtorum quædam sunt *cholerica*, quædam *sanguinea*, quædam *phlegmatica* & quædam *melancholica* in quarto gradu, & eodem modo intelligendum est in tertio secundo & primo. Si autem mixtum cholericum in quarto gradu & mixtum sanguineum in quarto misceantur adinvicem in aliqua decoctione seu quadam alia mixtione, tunc, cùm caliditas sit in isto cholerico in quarto gradu, siccitas in tertio, & humiditas in secundo & frigiditas in primo; & in isto sanguineo sit humiditas in quarto, caliditas in tertio, frigiditas in secundo, siccitas in primo, quod majus est, attrahit ad se minus suæmet naturæ; & sic caliditas quarti hujus attrahit caliditatem tertii illius, & siccitas tertii hujus attrahit siccitatem primi illius, & è converso humiditas quarti illius humiditatem secundi hujus, & frigiditas secundi illius frigiditatem primi hujus, & sic de aliis suo modo, prout traditur *in Arte Medicinæ*. Unde quemadmodum de figura ignîs & de sedecim cameris ejus dictum est, ita suo modo intelligendum est de qualibet aliarum figurarum & de cameris ejus.

4. In figura ignîs significat linea rubea & cæteræ consequentes, quomodo elementa adinvicem in mixto situata sunt, & quomodo aliud eorum existit in alio; nam *linea rubea* significat, quòd in mixto, in quo ignis prædominatur, ignis & terra continent aërem & aquam ratione extremitatum illius mixti, linea verò nigra significat oppositum, videlicet quòd aër & aqua continent ignem & terram, existentes in extremitatibus; & sic significatur, quòd ignis & terra intensi sunt; & licèt aër & aqua intensi sint, ût per primam lineam in utroque latere significatur, tamen ignis & terra magis intensi sunt quàm aër & aqua, quod significatur per illas quatuor cameras ignîs & terræ, quæ sunt in corde figuræ; & per hoc significatur, quòd ignis & terra magis se habent in interioritate prædicti mixti quàm in exterioritate; sed aër & aqua se habent in oppositio.

5. *Linea livida*, licèt significet suo modo, sicut prædictæ, significat tamen circulariter in prædicto mixto anterioritatem & posterioritatem ipsorum elementorum; nam in ea est aqua antè, aër retrò, aër antè, ignis retrò, ignis antè, terra retrò. In *linea viridi* est aër antè, aqua retrò, aqua antè, terra retrò, terra antè, ignis retrò: oppositum autem hujus viridîs est *linea rubea*, & lineæ lividæ *linea nigra*, quia id, quod hæc anteriorat, ista posteriorat & è converso. Et per hoc patet, quòd in hoc toto prædicto mixto sunt elementa antè & retrò; sed tamen in ipso mixto, secundùm quòd hæc figura denotat, est ignis magis antè & minùs retrò quàm terra, & terra quàm aër, & aër quàm aqua; & quantò plùs ignis descendit de superiori linea ad inferiorem, magis posterioratur, & aqua plùs anterioratur; & è contrariò quantò plùs ascendit de inferiori ad superiorem, & similiter quantò plùs terra recedit à prima linea recta ad ultimam, tantò magis posterioratur, & aër anterioratur, & è contrario, quantò magis recedit ab ultima ad primam. Et idcirco secundùm situm prædictarum sedecim camerarum in prædicta figura significatur, quomodo in prædicto mixto elementa gradata sunt mixtè contenta & continentia sese adinvicem, & quomodo aliæ partes eorum alias præcedunt.

6. *Prima* linea erecta in suis cameris significat, quomodo in prædicto elementato sive mixto elementa situata sunt ratione suarum sphærarum, existente igne super aërem, & aëre super aquam, & aquâ super terram; & iste situs est naturalis cujuslibet ipsorum elementorum secundùm suas qualitates & regiones. *Secunda* verò linea erecta pro tanto significat naturalem situm ipsorum, quia aër & ignis sunt superiores, terra verò & aqua inferiores; sed significat eorum innaturalem situm pro tanto, quia aër est in ea situatus super ignem, & terra super aquam. *Tertia* verò linea erecta est innaturalis pro tanto, quia aqua & terra sunt in ea superiores, ignis & aër inferiores; sed est naturalis in hoc, quòd aqua est super terram, ignis verò super aërem. Sed *quarta* & ultima est innaturalis penitùs & contraria primæ in hoc, quòd in ea elementa situata sunt penitùs innaturaliter, videlicet terra super aquam, aqua super aërem, aër super ignem; & idcirco significatur per has lineas elementa situata in mixto secundùm *sub* & *suprà*, & hoc naturaliter & innaturaliter secundùm magis & minùs; & ideo partes cujuslibet eorum sunt in ipso mixto sub & suprà secundùm istum modum prædictum: & quantò plùs ipsa elementa recedunt à prima linea accedendo ad ultimam, tantò magis accedunt ad suum situm contrarium, recedentia plùs à suo situ proprio, sed è converso fit, quantò plùs recedunt ab ultima accedentia ad primam; & talis situs habet necessariò esse in ipso mixto secundùm motum elementorum sub & suprà in rectitudine & declivitate, depurante & digerente altero eorum alterum, secundùm quòd alterum illorum agit in alterum sibi proximum de semet ipso concordativè, sed contrariativè de oppositio illius, in quo agit, & hoc circulariter; sicut ignis, qui de se ipso concordativè & de terra contrariativè agit in aërem, & aër de se ipso concordativè & de igne contrariativè agit in aquam, & sic de aliis circulariter suo modo.

7. Ignis rubeus, niger, lividus & viridis & cæteræ lineæ declives, quæ se non habent secundùm sub & suprà, antè & retrò, significant, quomodo elementa situata sunt in mixto à dextris & à sinistris. Sic igitur per lineas transversales sive planas denotatur elementa esse in mixto secundùm duos oppositos situs, qui sunt *antè* & *retrò*, ût suprà dictum est, per lineas verò erectas repræsentantur alii duo situs ipsorum elementorum oppositi, qui sunt *sub* & *suprà*, ût similiter prædictum est: nunc autem lineæ declives restant ad significandum alios duos situs eorum oppositos, qui sunt *dextrorsum* & *sinistrorsum*.

8. Secundùm igitur hæc, quæ prædicta sunt, significatur, elementa esse situata in mixto secundùm dispositionem *sex rectitudinum*,

dinum, in quibus omne corpus mixtum concluſum eſt.

Alii etiam ſitus elementorum cum prædictis ſitibus linearibus ſunt in mixto, & iſti ſunt *circulares*, *quadrangulares* & *triangulares*.

⊙ Eſt autem *circularis*, ſicut in linea
1. rubea, ſimiliter & in qualibet aliarum ſubſequentium vel in prima linea erecta, & in qualibet conſequentium; nam ignis calefacit aërem, aër humefacit aquam, aqua infrigidat terram, terra deſiccat ignem. Hæc autem linea, licèt ſit hîc erecta, imaginanda eſt tamen circularis, cùm naturalis ſitus elementorum ſit in circulo.

2. Alius eſt etiam ſitus circularis elementorum in prædicta linea & in aliis ſequentibus, diminutus tamen reſpectu prioris, quia prior eſt ſubſtantialis, iſte verò accidentalis, videlicet dum ignis infundit in aërem ſuam caliditatem, infundit in eum ſiccitatem, quam habet à terra; & aër ſimiliter infundens ſuam humiditatem in aquam, infundit in eam caliditatem, quam habet ab igne; & aqua ſimiliter infundens ſuam frigiditatem in terram, infundit in eam humiditatem, quam habet ab aëre, & terra infundens in ignem ſuam ſiccitatem, infundit in eundem frigiditatem, quam habet ab aqua.

3. Poſt hunc ſitum circularem ſequitur tertius adhuc magis remiſſus, confractus & digeſtus, quàm ſecundus, qui eſt in hoc, quòd ignis infundens ſuam ſiccitatem, quam habet à terra, in aërem infundit in eum frigiditatem ſociam illi ſiccitati, quam ipſamet ſiccitas, dum erat in terra, recepit ab aqua, atque aër infundens in aquam ſuam caliditatem, quam habet ab igne, infundit in eam ſimiliter ſiccitatem ſociam caliditati, quam ignis recepit à terra; & aqua ſimiliter infundens in terram ſuam humiditatem, quam habet ab aëre, infundit in eam caliditatem ſociam ipſius humiditatis, atque terra infundens in ignem ſuam frigiditatem, quam habet ab aqua, infundit in eam humiditatem ſociam illi frigiditati.

4. Poſt iſtum tertium ſitum circularem ſequitur quartus, & iſte eſt adhuc magis digeſtus & remiſſus quàm tertius, qui ſcilicet ſitus eſt in hoc, quia ignis infundens in aërem frigiditatem, quam recepit à terra, infundit in eum humiditatem ſociam illi frigiditati, & aër infundens in aquam ſiccitatem, quam recepit ab igne, infundit in eam frigiditatem ſociam illi ſiccitati, atque aqua infundens in terram caliditatem, quam recepit ab aëre, infundit in eam ſiccitatem ſociam ipſius caliditatis, atque terra infundens in ignem humiditatem, quam recepit ab aqua, infundit in eum caliditatem ſociam illius humiditatis.

In his igitur quatuor ſitibus circularibus denotatur, quomodo partes elementorum ſituatæ ſunt eodem tempore in partibus eorundem, & quomodo motus eſt in eis virtualis & ſubſtantialis, & per ipſum motum mixtio, digeſtio, alteratio, intenſio & extenſio & etiam inveteratio & renovatio, recedente qualibet parte à ſuo principio, & revertente ad idem.

Atque per hæc, quæ hîc dicta ſunt, perpenditur, quomodo quilibet prædictorum circulorum eſt infinitus, ipſis partibus elementorum ſe moventibus circulariter, videlicet aliâ aliam ſibi continuam ſive contiguam.

□ In prima linea erecta vel jacente, & ſic de aliis lineis ſequentibus, ſignificatur, elementa eſſe ſituata in *Quadrangulo* in hoc, quòd ignis alio modo ſe habet ad terram, alio modo ad aërem, & alio modo ad aquam, & ſic ſuo modo de quolibet aliorum, ſecundùm proprietates, quas quodlibet eorum habet per ſe & per aliud; ſicut ignis, qui ratione ſuî eſt calefactivus, ſed deſiccativus ratione terræ, de qua ſuſcipit ſiccitatem; & ideo iſte quadrangulus diviſus eſt in *Quatuor Quadrangulos* gradatos in præſenti figura, quemadmodum ipſa elementa in ea gradata ſunt, quorum *Primus* eſt ignis, aër, aqua, terra, & iſte eſt in quarto gradu. *Secundus* eſt terra, ignis, aër, aqua, & iſte eſt in tertio gradu. *Tertius* eſt aër, aqua, terra, ignis, & iſte eſt in ſecundo gradu. *Quartus* eſt aqua, terra, ignis, aër, & iſte eſt in primo gradu. Itaque ignis in quolibet quadrangulo eſt activus, & cætera elementa ſub eo paſſiva: & ſimiliter quodlibet aliorum elementorum agit ſuper alia ſecundùm ſuum gradum; hi etiam quadranguli degradantur, quemadmodum de elementis dictum eſt ſuprà.

△ Ex iſto verò quadrangulo generali oriuntur *Quatuor Trianguli* in ſcripta linea, ac etiam in aliis lineis conſequentibus, quorum *Primus* eſt de igne, aëre & aqua, concordante igne aëri, & contrariante aquæ. *Secundus* eſt de aëre & aqua & terra, concordante aëre aquæ, & contrariante terræ. *Tertius* eſt de aëre & igne & aqua, concordante aëre utrique. *Quartus* eſt de aqua, aëre & terra, ipsâ aquâ concordante utrique: & ſic ſuo modo ſequitur de unaquaque tium linearum conſequentium; & quia quælibet linea componit quatuor triangulos, ideo ſunt ſedecim trianguli numero, quorum octo ſunt in differentia concordantia & contrarietate, reliqui verò octo in differentia & duplici concordantia.

In præſenti figura ignîs eſt ignis, aër, aqua in quarto gradu, & terra ignis aër in tertio, & aër aqua terra in ſecundo, & aqua terra ignis in primo, atque ignis terra aër in quarto, & terra aqua ignis in tertio, & aër ignis aqua in ſecundo, & aqua aër terra in primo.

„Per hæc igitur, quæ de circulis, qua„drangulis & triangulis dicta ſunt, peritus „Artiſta ponens T. in quolibet circulo, qua„drangulo & triangulo, ſecundùm quòd „triangulus ſituatus eſt in quadrangulo, & „quadrangulus in circulo, ſicut prædictum „eſt, attingit, *quomodo elementa ſint in mixto „quoad eſſentiam & virtutem, actionem & „paſſionem, generationem & corruptionem, ſim„plicitatem & compoſitionem, actum & poten„tiam, intenſionem & extenſionem, levitatem „& ponderoſitatem, motum & quietem, & ſic de „aliis, & quomodo etiam ſit plenum, & evita„tur vacuum*, & attingit etiam, quomodo „quadrangulus dividit circulum, exiſtente „igne in directa linea contra aquam & è „converſo, & aëre contra terram & è con„verſo; & ſic circulus in quatuor partes di„viditur: & quemadmodum quadrangu„lus dividit circulum ratione quatuor di„verſarum qualitatum, ita etiam ratione „ſubjectorum ipſarum quatuor qualitatum, „& ita quadrangulus ſubſtantialiter & ac„cidentaliter dividit circulum, & ſimiliter „trianguli condividunt quadrangulum, ût „jam dictum eſt.

Hæc figura ita diſpoſita & imaginata, ût dictum eſt, valde neceſſaria eſt ad quæſtiones naturales, concludendo ſemper ſalvis conditionibus graduum, linearum, circulorum, quadrangulorum & trianguloruin, ſicut ſuprà dictum eſt; quæ ſi deſtruerentur, ſicut ſuprà poſitæ ſunt, deſtruerentur conditiones terminorum T., quod eſt impoſſibile.

De ſecunda Parte Figuræ Elementalis.

De Modo Inquirendi Proprietates & Conditiones Elementorum ſimplicium.

CAmeram [*ignis ignis*] in hac ſecunda parte accipimus volentes inquirere proprietates & conditiones ignis per conditiones T., ut, ſicut de igne hîc dicetur, pateat via ad proprietates & conditiones cujuscunque alterius elementi. Significat autem alia dictio hujus cameræ præaſſumptæ ignem ſimplicem, & alia ignem compoſitum; aut alia ipſarum formam, & alia materiam ignis vel ſimplicis vel compoſiti; aut iſta proprietatem quandam, illa verò aliam ipſius ignis quamcunque; idcirco T. applicabile eſt ad propoſitam cameram, aut ratione ignis ſimplicis & compoſiti, aut ratione ignis & alicujus proprietatis ipſius ignis cujuscunque.

1. Per triangulum lividum inquirimus proprietates hujus cameræ [*ignis ignis*] iſto modo. Creatura ſignificat ignem eſſe ſenſibilem, id eſt, ſenſu corporeo perceptibilem; perceptibilis enim eſt viſu, quia lucidus, tactu, quia calidus, guſtu, quia ſapore pungitivus, ſicut patet in pipere & alleo & conſimilibus; & cùm ſit calefactivus, deſiccativus, intenſivus, diſſolutivus, diſperſivus, exhalativus, igitur habet operari effectivè, ſcilicet calefacere, deſiccare, intendere, diſſolvere &c. naturaliter de ſe; *hæc autem natura illius poteſt alicujus artificio de potentia & habitu duci ad actum.*

Dignitates, eſſentia & unitas Dei ſignificant, igneitatem ſimplicem eſſe unam de quatuor eſſentiis, de quibus tota eſſentia chaos conſtituta eſt, & denotant etiam, ipſum ignem ſimplicem eſſe ens conſtitutum de primis ſimplicibus formis, quæ ſunt ſimilitudines dignitatum Dei; nam in eo, quòd ignis eſt bonus, habet ſimilitudinem bonitatis Dei, & quia eſt magnus in exiſtere & agere, habet ſimilitudinem magnitudinis Dei, & quoniam divina magnitudo eſt immenſa, idcirco repræſentat eam ignis in magnitudine ſui, eò quòd exiſtens corpus, eſt longus, latus & profundus, habétque corpus plenum magnitudinibus infinitis, ſicut de punctis infinitis in linea & circulo. Per æternitatem denotatur, quòd ignis habet conditionem durandi, & per poteſta-

tem conditionem possificandi, & per sapientiam directionem ad objectum sibi naturale effectivè. Per voluntatem conditionem seu proprietatem appetendi suum locum & suas perfectiones. Per virtutem conditionem virtuativam & virtuabilem. Per veritatem conditionem essendi actu. Per gloriam conditionem ardentis lætitiæ effectivè. Per perfectionem conditionem perficiendi. Per justitiam proportionem suarum partium adinvicem. Per largitatem diffusionem & exhalationem effectivè & communicabilitatem. Per simplicitatem conditionem essendi simplex. Per nobilitatem conditionem essendi nobilior cæteris tribus elementis. Per Dominium conditionem prædominandi cæteris elementis in mixto. Ex omnibus igitur his similitudinibus DEI est essentia ipsius ignîs constituta, & per istas est ignis quid, qualis, quantus &c., & omnes istæ concurrunt ad constitutionem unius esse, quod est ignis simplex absolutè, in quo sunt plures rationes & proprietates.

2. Differentia & concordantia sinè contrarietate sunt in igne simplici ratione distinctarum formarum prædictarum, de quibus ipse ignis ratione sui existere constitutus est, & per consequens ratione sui agere in se quoad suas rationes, quas habet diversimodè, secundùm quas diversimodè agit: & habet etiam in se differentiam & concordantiam ratione suæ formæ & materiæ, quia rationes, de quibus ipse est, cum constituunt formaliter, ut habeat unam formam constitutam de pluribus; atque similiter constituunt eum materialiter, ut habeat unam materiam de pluribus materiis constitutam, ita quòd ipsa forma & materia ipsius ignîs habent concordantiam, hæc agendo, illa verò patiendo, sub illa actione, ut sint una essentia ipsius ignîs, & ignis sit esse sive actus earum.

Differt autem ignis simplex ab igne composito, quia in aliquibus concordant, in aliquibus verò contrariantur; concordant quidem, quia iste est causa, scilicet simplex, ille verò effectus, scilicet compositus, iste est principium, scilicet simplex, ille verò finis, scilicet compositus; nam rationes, de quibus ignis simplex constitutus est, se habent ad ipsum ignem esse compositum, ut per compositionem se habeant ad mixtum, ut sit corpus animatum, planta &c. Contrariantur autem ignis simplex & compositus ratione simplicitatis & compositionis.

3. Principia ignîs simplicis sunt similitudines DEI, ût etiam dictum est; hoc autem est substantialiter, ut ipsæ similitudines sint ipsis dignitatibus magìs similes ratione majoritatis substantiæ quàm minoritatis accidentis.

Quantitas autem ignîs, qualitas, relatio & cæteræ hujusmodi similitudines sunt formæ sive rationes, de quibus ignis simplex est constitutus, ût in triangulo livido dictum est. Istæ formæ accidentales à superioribus formis substantialibus ignîs influuntur tanquam similitudines ipsarum influentium, non tamen de entitate earum, ita quòd effectivè forma ignîs ex semet & ex sua propria materia influit assimilativè quantitatem, qualitatem &c.

Est autem finis hujus influentiæ, ut ipsa accidentia sint instrumenta, cum quibus ignis agere possit & intra se, & extrà suis rationibus uti, ut otiosus non consistat; intra se quidem, sicut per suam propriam formam in sua propria materia formando in ea suas rationes; sed extra se, sicut de toto supposito formando in materia remota & composita suas rationes.

Medium verò denotat, quomodo partes ignîs adinvicem conjunguntur in existendo omnes unum elementum per omnes suas extremitates & interioritates mensuratas ad hoc aliquid, videlicet ad hoc ens, quod est ignis.

Finis autem privativè, terminativè & perfectivè denotat depurationem ignîs à cæteris elementis, quantum potest, ut fiat simplex in essentia & natura.

4. In triangulo croceo debent conditiones & proprietates ignîs inquiri substantialiter & accidentaliter ratione majoritatis, æqualitatis, minoritatis, existente igne in majoritate ratione substantiæ, & in minoritate ratione accidentis, cùm ejus substantia sit constituta de similitudinibus Dei substantialiter, & ejus accidentia influxa sint ex similitudinibus illarum partium, de quibus ignis est constitutus.

Æqualitas autem in ipso igne habet esse, secundùm quòd sua substantia est de similitudinibus Dei æqualiter constituta, & consistit etiam in hoc, quòd, quantùm est forma ignîs activa, tantùm est materia ejus passiva, ratione tamen intensitatis major est forma agendo quàm materia patiendo, & sic de aliis hujusmodi.

5. In igne non est proprietas vel conditio affirmativa, nec per consequens negativa nec dubitativa; sed quoniam ignis est ens habens possibilitatem ratione potentiæ, & relativè habet habitum ratione formæ, igitur ratione potentiæ & habitûs habet inclinationem ad suum objectum, scilicet ad finem, qui est actus, quemadmodum intellectus ratione affirmationis & negationis; atque ratione impossibilitatis, quam ignis habet extra suas rationes, est ipse infirmus in agendo, sicut intellectus in dubitando; & ita per conditiones trianguli nigri possunt superficialiter aliquæ conditiones ignîs attingi.

De tertia Parte Figuræ Elementalis.

De Modo Inquirendi Conditiones Elementorum in Mixto.

QUomodo conditiones Elementorum in mixto mutuè perquirantur, exemplificamus in hac præsenti tertia parte Figuræ elementalis, miscendo T. per cameram [*ignîs aëris*], ut, sicut de ista camera dicemus, ita possit de aliis intelligi suo modo.

1. Addito T. in hac præsenti camera [*ignîs aëris*] significat creatura sensualis in triangulo livido, ignem & aërem esse in mixto aliquo sensibile vel sensuale productum de ipsis duobus unà cum cæteris elementis, sicut corpus animatum sive planta, cujus essentia & unitas significantur in primo angulo livido, & cujus etiam rationes seu conditiones denotantur per divinas dignitates, toto ipso composito existente bono, magno, durante &c.; quæ rationes sunt etiam ignîs, aëris, aquæ & terræ. Operatio significat in prædicta camera, quomodo ipsa duo elementa ipsius cameræ habent operationem naturalem, aliud eorum in alio; itaque ignis est ignificativus in aërem, aër verò ignificabilis in ignem ratione transmutationis suæ materiæ sub forma ignîs, & è converso aër aërificativus in ignem, & ignis aërificabilis in aërem, ut sit mixtum.

2. Inter ignem & aërem est differentia ratione distinctarum essentiarum, proprietatum & rationum, quas habent adinvicem, sicut ratione igneïtatis & aëreïtatis, caliditatis & humiditatis, & sic de aliis hujusmodi, bonitate, magnitudine &c. ignîs concurrentibus ad constituendum substantialiter hoc tale quid, quod est ignis habens talem essentiam & proprietates, quas non habet aër, atque bonitate magnitudine &c. aëris concurrentibus ad constituendum hoc tale quid, quod est aër habens talem essentiam & tales proprietates, quas non habet ignis. Et sicut ista duo elementa differunt isto jam dicto modo, eodem modo differunt ipsa quatuor elementa, scilicet ignis & aër, aqua & terra.

Habent etiam concordantiam ignis & aër, quia sicut ignis est constitutus de bonitate &c. in ratione ignîs, ita similiter aër de eadem bonitate &c. est constitutus in ratione aëris: concordant etiam in calido, alio dante calorem, scilicet igne, alio verò recipiente illum, scilicet aëre, & in levitate similiter; tamen ignis levior est; ac etiam concordant ambo, agendo in alio & patiendo ab alio; nam sicut ignis agit in aërem sibi concordantem, dando ei caliditatem, & patitur à terra sibi concordante in recipiendo siccitatem, ita eodem modo agit aër in aquam sibi concordantem, dando ei humiditatem, & patitur ab igne sibi concordante in recipiendo caliditatem; veruntamen hæc concordantia est principium efficiens contrarietatis inter ignem & aërem; nam ex eo, quòd ignis dat aëri suam caliditatem, dat ei contra humiditatem siccitatem ipsi caliditati annexam, quam recipit à terra, & ex eo, quòd aër dat suam humiditatem aquæ, dat eidem contra frigiditatem caliditatem humiditati annexam, quam recipit ab igne, sicut in prima parte hujus Figuræ dictum est; & sic ex duabus concordantiis, quarum alia est recipiendo, alia dando, oriuntur duæ contrarietates, quarum alia est recipiendo & alia dando, recipiente igne siccitatem contra aërem, & dante aëre caliditatem contrario ignîs scilicet aquæ, & consequuntur suum finem, qui est contrariari per istud medium, quod est concordantia ignîs & aëris, dante igne aëri & aëre recipiente ab igne.

3. In mixto caliditas ignîs est principium effectivum caliditatis aëris, cùm aër caliditatem ab igne recipiat; atque humiditas aëris est principium effectivum humiditatis aquæ, cùm aqua similiter humiditatem recipiat ab aëre, existente igne formâ ratione suæ caliditatis, & aëre materiâ ratione

tione suæ caliditatis, & existente aëre formâ ratione suæ humiditatis, & aquâ materiâ ratione suæ humiditatis: ita similiter sequitur de aliis elementis adinvicem in suis complexionibus.

Medium autem conjunctionis ignis & aëris est suppositum elementatum, in quo ignis & aër mutuò se conjungunt usque ad omnes suas extremitates, mensurante se quolibet eorum alii proportionaliter, alio ipsorum intrante alium digerendo partes, alio confrangente & remittente alii suas proprias proprietates, quantitates, qualitates &c., quas habet alius in alio, ut quælibet ipsarum possit esse collocata in alia, & esse mutuò ad unum finem, videlicet ad unum mixtum, in quo sit una communis complexio sapiens naturam proprietatis cujuslibet eorum, & in quo sit una quantitas continua ex pluribus quantitatibus confractis & remissis existens, & una qualitas ex pluribus eorum qualitatibus confractis & remissis adinvicem, & sic de cæteris accidentibus, ita videlicet, quòd sicut ipsæ essentiæ substantiales mixti, videlicet partes substantiales ejus, quæ sunt ignis, aër &c., sunt quælibet per totam aliam essentiam intensè & continuè usque ad extremitates suppositi, & remanent naturaliter ejus essentiæ & partes contiguæ ratione suæ distinctionis, ita similiter quantitas & qualitas &c., quæ sunt accidentales essentiæ sivè accidentales partes ipsius suppositi mixti, sunt quælibet per totam ipsam communem essentiam intensè & continuè quælibet in qualibet alia usque ad extremitates ipsius suppositi mixti; sed sunt contiguæ partes in hoc, quòd alia non est illud, quod alia; ita quantitas est tota intensa & continua per totam ipsam essentiam suppositi & per totam ejus qualitatem, relationem, actionem & passionem, & similiter tota qualitas, tota intensa & continua eodem modo, & sic de aliis: & licèt quælibet sit ita per totum continua, sunt tamen partes contiguæ, videlicet quantitas qualitati relationi &c., & qualitas quantitati relationi &c., & sic de aliis, eò quòd sunt partes accidentales simplices mixtæ intensæ continuæ quælibet per omnes extremitates cujuslibet, quarum quamlibet impossibile est esse id, quod alia. Hanc autem mixtionem ita continuam & intensam oportet esse, ut sequatur iste finis, videlicet quòd vera digestio & compositio omnium partium & principiorum tam accidentalium quàm substantialium fieri possit.

4. In illa planta sive in illo mixto, in quo ignis prædominatur aëri, est ignis major ratione substantiæ & accidentis, quàm aër; & idcirco ignis proprietates aëris ad se attrahit effectivè compellens eas suis proprietatibus subjacere, & è converso in illo mixto sive suppositio, in quo aër prædominatur igni; veruntamen ignis major est in illo suppositio, ubi aër prædominatur igni, quàm aër in illo suppositio, ubi ignis prædominatur aëri, si utrumque prædominari sit æquale, quod patet, nam ubi aër est in quarto, ignis est in tertio, & ubi ignis est in quarto, aër est in secundo; idcirco, si compositio fiat ad invicem de duobus suppositis, in quorum alio ignis prædominetur, & in alio aër, ita quòd in æquali gradu sit iste & ille, semper ignis superabit aërem; & hoc idem sequitur de cæteris elementis duobus, quorum aliud est dans sive influens immediatè, & aliud recipiens sive abstrahens immediatè, quia semper dans sive influens immediatè majus est in suo recipiente sive abstrahente immediatè quàm è converso, ût prædictum est; & licèt quodlibet istorum sit in alio accidentaliter, tamen magis substantialiter est prædictus influens in prædicto abstrahente quàm è converso, quia abstrahens propter suam necessitatem abstrahit in se ab influente suo, influens verò dat ex superabundantia sui.

Æqualitas verò ignis & aëris est, quia quantum est ignis, ubi aër prædominatur, tantum est aëris, & non ulteriùs, ubi aqua prædominatur, si prædominari utriusque scilicet aëris & aquæ sit æquale; & quantum est aëris, ubi ignis prædominatur, tantum est ignis, & non ulteriùs, ubi terra prædominatur, si similiter utriusque prædominari scilicet ignis & terræ sit æquale; & quantum est ignis, ubi aqua prædominatur, tantum est aëris, ubi terra prædominatur, si utrumque prædominari sit æquale.

5. Triangulus niger ratione potentiæ elementativæ non facit ad propositum, nisi fortè metaphoricè loquendo, ût jam dictum est, ratione tamen hujus objecti, quod est elementum, bene facit ad propositum ratione affirmabilitatis, dubitabilitatis & negabilitatis ipsius objecti, quæ sunt aut entis aut non entis, aut possibilitatis aut impossibilitatis ipsius objecti, sicut patet in præscripta camera; nam ignis in cholerico habet majorem entitatem & possibilitatem quàm aër, sed aër habet majorem in sanguineo quàm ignis, si cholericum & sanguineum sint

sint æqualis gradûs; atque ignis habet majorem affirmabilitatem entis & possibilitatis in sanguineo quàm aër in cholerico æquali ipsi sanguineo, & minorem possibilitatem habet aqua in ipso sanguineo quàm terra in ipso cholerico, & sic de consimilibus; ac etiam ignis reducit aërem, quantum potest, ad non ens ratione siccitatis, aër verò eidem resistit scilicet ipsius siccitati, recipiens ab eo caliditatem, *nam quemadmodum elementum mortificatur recipiendo suum contrarium, ita vivificatur recipiendo suum concordans:* per impossibile autem significatur impossibilis conditio transmutandi ignem in aërem simplicem ratione caliditatis vel è converso ratione humiditatis, cùm substantialiter distincti sint quilibet ab alio ratione suarum proprietatum.

Nunc igitur per hæc, quæ de elementis dicta sunt, manifestatur maxima multitudo conditionum, quas elementa habent inter se adinvicem in conditionibus terminorum ipsius T., & adhuc, si quis in præsenti materia alium triangulum T. per alium fortificare vellet, adhuc fortificarentur prædictæ conditiones, & per consequens multiplicarentur, *hoc autem non tantùm habet hic locum, imò etiam in omni materia, quæ per T. ministrabilis est*, sicut etiam suprà tactum est; sic ergò in præsentibus conditionibus elementorum concludendum est, quòd integræ conserventur.

De quarta Parte Figuræ Elementalis.

De Modo Applicandi Artem ad Propositum.

AD applicationem artis ad præsentem materiam de elementis, ut per conditiones elementorum in conditionibus T. manifestemus viam solvendi, proponatur hæc quæstio: *Utrùm ignis habeat majorem concordantiam cum aëre quàm cum terra?* Cùm hæc præsens quæstio fiat de majoritate concordantiæ ignis & aëris, & ignis & terræ, potissimè igitur super hos quinque terminos, in quos hæc quæstio cadit explicitè, est ipsa quæstio pertractanda, & potiùs istorum conditiones & proprietates accipiendæ sunt quàm aliorum. Conditiones ergò terminorum ipsius T. super hos quinque terminos revolvendæ sunt isto modo.

1. Significant creatura & operatio, hanc quæstionem quærere de creaturis sensualibus & earum operationibus naturalibus videlicet actionibus & passionibus, & idcirco ratione siccitatis, quam ignis à terra recipit, judicatur siccus, quia immediatè post caliditatem inhæret sibi, & ideo habet ignis majorem concordantiam cum terra quàm cum aëre, cùm ignis ratione aëris non judicetur humidus, & hoc in sensualitate patet per naturalem operationem ignis, quia calor ignis, quantò plùs intenditur, tantò plùs desiccat, non autem humefacit, ergò est magis unus cum proprietate terræ quàm aëris, quia magis habet suam essentiam junctam sive unitam proprietati terræ, quæ est siccitas, quàm proprietati aëris, quæ est humiditas; quare isto modo magis concordat terræ quàm aëri, secundùm quòd per unitatem & suam essentiam significatur: sed per aliam operationem naturalem magis concordat aëri quàm terræ, in hoc, quia est proprium ignis inter cætera elementa ascendere sursum, & est proprium terræ inter cætera elementa descendere deorsum, & est proprium igni inter cætera elementa subtiliare & clarificare, & rarificare & purificare, cùm subtilior, lucidior, rarior & purior sit cæteris elementis, deinde aër: & proprium est terræ inter cætera elementa se habere naturaliter ad oppositum prædictarum operationum, cùm sit grossior, obscurior, solidior & impurior cæteris elementis. Manifestum est ergò, quòd ignis habet majorem concordantiam cum aëre, cùm ipse aër sit levis subtilis, diaphanus, rarus & purus, quàm cum terra, quæ est oppositum, & hoc significatur per dignitates; quia sicut bonum & bonum, magnum & magnum &c. concordant, bonum verò & malum, magnum & parvum contrariantur, ita ignis subtilis & aër subtilis, ignis levis & aër levis &c. concordant, terra verò grossa ignis subtilis, ignis levis terra verò ponderosa &c. contrariantur: & quoniam ignis plures invenit in terra contrarietates quàm concordantias, in aëre verò plures concordantias & nullam contrarietatem ratione aëris, ergò &c.; est ergò ignis passivus ratione terræ, activus verò ratione aëris, qui ratione sui non contrariatur eidem; & quoniam plus est agere quàm pati, sicut per dignitates A. significatur, quæ semper agunt, & nihil patiuntur, ergò &c.

2. Majoritas major est in concordantia quàm in contrarietate, & per consequens

differentia, eò quòd concordantia & esse concordant, contrarietas verò & non esse sive privatio. Ignis & aër in caliditate concordant, terra verò & ignis in siccitate, sed terra ratione aquæ est frigida, aër verò non; manifestum est ergò, quòd ignis habet majorem concordantiam cum aëre quàm cum terra.

3. In mixto caliditas ignîs est principium caliditati aëris, recipiente ipso aëre ab igne suam caliditatem, atque siccitas ignîs à siccitate terræ similiter principiata est; sed ignis suam caliditatem attribuit aëri, ut ipsum aërem ad se reducat, terra verò siccitatem ipsi igni, ut eum similiter ad se reducat; & quia terra est frigida, aër verò humidus, concordat ignis terræ contra istum finem, qui est calidum esse; sed humiditas non est contra istum finem, ergò respectu principii & finîs magis concordant ignis & aër quàm ignis & terra, & per consequens respectu medii, cùm medium semper conditionatum sit respectu sui principii & sui finîs.

4. Ignis habet majorem æqualitatem cum aëre ratione caliditatis, quam ignis habet substantialiter, quàm cum terra ratione siccitatis, quam habet accidentaliter; veruntamen quia ignis à terra recipit majorem siccitatem quàm humiditatem, quam terra recipit ab aqua, ideo habet majorem concordantiam cum terra quàm cum aëre.

5. Triangulus niger ratione possibilitatis denotat, quòd ignis in hoc scilicet ratione materiæ, & terra ratione formæ magis concordant, ipso igne recipiente à terra siccitatem, quàm ignis & aër; sed in hoc, scilicet ratione formæ ignîs & materiæ aëris recipientis caliditatem concordat ignis magis cum aëre quàm cum terra.

Assumptis igitur suprà dictis rationibus hujus capituli & reductis ad F. G., attingunt ipsa F. G., quòd ignis & aër alio modo concordant, & alio modo ignis & terra; concordant autem ignis & terra in recipere tantùm, sed non in dare, ita quòd ignis per se non extendit suam essentiam ad terram; ignis verò & aër utroque modo concordant videlicet in dare & recipere, quia ignis suam essentiam extendit usque ad aërem: manifestum est ergò, quòd plus est ei influere suam caliditatem in aërem, & eam in aërem recipi quàm siccitatem à terra recipere tantùm: ac etiam concordantia ignîs & terræ non est sinè contrarietate, & major est etiam ipsa contrarietas ignîs & terræ quàm concordantia, quia, licèt concordent in siccitate, contrariantur tamen immediatè in cæteris qualitatibus, quas habent de se principaliter, sicut in ponderositate & levitate, obscuritate & lucididate &c. hujusmodi, ût jam dictum est; sed concordantia ignîs & aëris est sinè contrarietate immediatè, quare secundùm majorem operationem, minorem contrarietatem, majus principium, majus medium & majorem finem & æqualitatem & entitatem manifestè concludendum est, cæteris paribus, quòd ignis habet majorem concordantiam cum aëre quàm cum terra.

De Figura Demonstrativa.

FIgura demonstrativa continet in se cæteras Figuras hujus artis, sicut in suis circulis patet, nam in duobus inferioribus continet Figuram elementalem, in duobus verò mediocribus continet A. S. T. V. X. Y. Z. & omnes Figuras, quæcunque possunt scribi sicut istæ; sed duo superiores circuli, in quorum quolibet B. C. D. &c. usque ad S. continentur, comprehendunt terminos cujuscunque Figuræ ad artem reductæ. Hæc autem Figura in *quatuor Partes* est divisa, in quarum *prima* tractatur de explanatione hujus Figuræ, *in secunda datur via inquirendi conditiones & proprietates rerum*, in *tertia* verò parte datur doctrina multiplicandi argumenta & rationes, sed in *quarta* & *ultima* modus ostenditur applicandi artem secundùm hanc Figuram ad propositum, videlicet ad quæstionem.

De prima Parte Figuræ Demonstrativæ.

De Explanatione hujus Figuræ.

1. DUorum circulorum, in quibus sunt B. C. D. &c., inferior est volubilis, ut cameræ alterari possint, qualibet ipsarum literarum existente in rectitudine alterius: per istos duos circulos discurrunt omnia alia B. C. D. &c. hujus artis, ita quòd unum B. hujus Figuræ significat omnia B., quæ sunt in aliis Figuris, & ita est similiter de C. D. E. &c.; unde si sit quæstio de A. & de suis B. C. aut B. D., fiat camera de illis duabus litteris, quæ plùs pertinent ad quæstionem, & discurrantur cum T., & ita solvendum

vendum est, quòd camerarum aliqua non sit contra aliam, sed applicentur omnes cameræ ad eam, in quam cadit quæstio, ut de illis cum ista Artista fortificet conclusionem, ita videlicet, ut, si quæstio est ratione B. C., applicet ad eam C. D. & D. E. & E. F. & sic de aliis, recipiendo semper conditiones, quas quælibet habet per se, & per comparationem illius, cui applicatur, & adducantur ad propositum, & ita fiat de quacunque alia camera, in quam quæstio cadit, *& hæc est generalis regula in omnibus Figuris ad istam reductis.*

2. Isti autem duo circuli combinati sunt sive mixti in figura alphabeti, alii verò duo circuli, in quorum quolibet sunt A. S. T. V. X. Y. Z., sunt volubiles significantes mixtionem ipsarum Figurarum in miscendo aliam Figuram cum alia, ût A. cum S. vel cum T., & sic de aliis; & fiat camera de duabus literis, quâ factâ per consequens fiunt cæteræ cameræ horum duorum circulorum, & tunc reducendæ sunt omnes ad primam, quæ facta est ad propositum, sic, quòd conditiones Figurarum non destruantur, ita videlicet, quòd, si particulare ratione affirmationis convenit primæ cameræ & cæteris, per consequens in conclusionibus teneatur affirmatio, si autem contrarietur, teneatur negatio, & hæc est regula generalis.

3. Isti autem duo circuli mediocres combinati sunt ipsa secunda Figura demonstrativa, quæ est in tabula cum aliis figuris: & sciendum est, quòd sicut B. significat omnia B. figurarum, ita similiter in his duobus circulis A. significat omnes literas, quæ sunt in sua figura. Idem est de S. T. V. X. Theologia &c.; & in hoc patet, hanc artem esse valde generalem, & in se sub compendio plurima continere; idem est de igne, aëre &c., significat enim quilibet, quidquid de se dici potest.

4. Duo circuli inferiores significant quatuor elementa, & sunt etiam volubiles sicut superiores, ut formetur illa camera de elementis, in quam quæstio cadit. Si igitur fiat quæstio de elementis vel conditionibus vel proprietatibus eorum, tunc Artista formet illam cameram, quæ magis pertinet ad quæstionem, ita, ut si quæstio fiat de igne simplici vel composito, sic debet formare hanc cameram [*ignis ignis*], vel si fiat de igne, aëre, sic formare debet cameram [*ignis aëris*] & sic de aliis, & cæteras cameras reducere ad illam, in quam quæstio cadit; & ita concludatur sive affirmativè sive negativè, quòd ipsæ cameræ non amittant suas conditiones, videlicet illas conditiones & proprietates, quas quodlibet elementum habet secundùm se ipsum & per comparationem ad aliud elementum. Isti autem duo circuli sunt secunda Figura elementalis.

5. Ille triangulus, qui est in centro hujus Figuræ, denotat triangulos T., ad significandum, quòd Artista cum T. semper debet inquirere conditiones, quibus indiget ad sibi propositam quæstionem, & ut reducat ad memoriam Artistæ, quòd nunquam F. G. sinè T. discurrere permittat.

6. Hæc autem Figura de cupro vel aliquo alio metallo fieri debet, ut sui circuli sint faciles & habiles ad movendum, ut in eorum motu possit Artista cameras alterare.

De secunda Parte Figuræ Demonstrativæ.

De Modo Inquirendi Conditiones & Proprietates rerum.

1. MOdum inquirendi conditiones & proprietates rerum exemplificare proponimus in hac secunda parte figuræ demonstrativæ secundùm significata alphabeti T. super Deum & creaturam. B. significat in T. Deum, C. verò in eodem creaturam, sicut in ipsamet Figura T. patet; idcirco sub B. supremi circuli ponatur C. sequentis circuli, & per consequens sub C. supremi circuli dirigetur D. sequentis circuli, & sub D. supremi E. sequentis, & sic de aliis successivè. Postmodum Artista conditiones B. C. per conditiones C. D. D. E. &c. investiget isto modo.

2. In camera de B. C. recipienda est quæstio, quæcunque de Deo & creatura fiat, deinde concludendum est, secundùm quòd B. C. se habent inter se, & sic attingunt F. G. discurrentia, quòd B. se habet relativè ad C. per proprietatem creativam, & C. relativè ad B. per proprietatem creabilem, & secundùm istam proprietatem ipsius B., quæ est creativa, habet ipsum B. proprietatem uniendi, essentiandi, bonificandi C. sensuale, intellectuale, animale; & per consequens C. ratione hujus receptionis habet proprietatem essendi unitum, essentiatum,

bonificatum &c.; unde per hanc similitudinem inter B. C. acceptandæ sunt proprietates ipsorum B. C., deinde concludere pro eis ad propositam quæstionem de B. C. affirmativè, & contra eas negativè.

3. Sequens verò camera à parte sinistra, quæ est de C.D., significat conditiones creaturæ & operationis videlicet ipsorum C. D. esse acceptandas secundùm prædictas conditiones ipsorum B.C., ita videlicet, quòd D. naturale, intellectuale, artificiale recipiatur in B. & in C., & sic applicetur ad ea, quòd B. habeat D. creativum, unitivum &c., & C. creabile unibile &c., & inde attingitur, quòd B. habet proprietatem sive conditionem operativam & operabilem in se ipso infinitè & ab æterno in magnitudine bonitatis &c., C. verò non habet proprietatem operabilem immensè, nec ab æterno, cùm ratione magnitudinis non possit tantùm recipere, quantùm B. influere.

4. Secundùm quòd D. conditionatum est cum C. & C. cum B., acceptandæ sunt conditiones sequentis cameræ videlicet D. E.; significat autem E. differentiam esse inter D. ipsius B., & D. ipsius C., & ita D. E. significant differentiam, scilicet E. esse inquirendum inter D. ipsius B. & D. ipsius C., & cum illo E. inquirendum est particulare ratione concordantiæ ipsarum camerarum, quæ sunt B. C. & C. D. & D. E.

5. Sequens camera videlicet E. F., quæ sunt differentia & concordantia, significant ipsa E. F. esse inquirenda sensualiter & intellectualiter & animaliter in B. C. respectu unitatis essentiæ dignitatum, unde sic speculando apparebunt E. F. inter B. C., secundùm quod, prout se habent E. F. in B. C. & in se ipsis, concludendum est.

6. Deinde sequens camera ipsorum F. G., quæ sunt concordantia & contrarietas, significat, B. C. esse inquirenda ratione ipsorum F. G., ita quòd B. nullo modo habeat in se G., cùm ipsum B. sit magnum in bonitate &c., & quòd C. non possit ei resistere ratione infinitæ & æternæ bonitatis, potestatis &c. ipsius B., quæ impossibiles sunt esse ipsius C., nulla est ergò comparatio majoritatis B. & minoritatis C.; quare manifestè attingitur, quòd B. miraculosè potest super C., & quòd C. ratione infinitæ bonitatis, potestatis &c. illius de sua minoritate non potest ei resistere, potest tamen ratione culpæ.

7. Deinde sequens camera G. H. scilicet contrarietatis & principii denotat, quomodo se habent B. C. respectu ipsorum G. H., & camera G. H. mediante H. I. repræsentat sequentem cameram videlicet I. K., quæ sunt medium & finis, ut percipiatur, quomodo B. C. se habeant respectu ipsorum I. K., & per I. K. ad sequentem cameram videlicet K. L., quæ sunt finis majoritas, & sic de aliis cameris, quas enumerare prolixum est; nam per istas, quæ dictæ sunt, satis videri potest, quomodo cæteræ se habent ad B. C.

8. Doctrina igitur hujus artis in præsenti Figura est, ut secundùm illas conditiones, per quas prædictæ cameræ se habent mutuè, de particularibus concludatur.

De tertia Parte Figuræ Demonstrativæ.

De Modo Multiplicandi Argumenta & Rationes.

RAtionum & argumentationum multiplicatio secundùm modum præsentis Figuræ habet fieri *tripliciter*.

1. *Primus* modus est reducere ad unam præassumptam cameram cæteras cameras consequentes, sicut in B. C. de cæteris consequentibus cameris dictum est, & ita, quòd rationes, quæ acquirentur per conditiones ipsarum camerarum consequentium, ad primam cameram reducantur.

2. *Secundus* verò modus multiplicationis est volvere circulos, ut alterentur cameræ, sic; sub B, ubi erat C., ponatur D., & habebuntur istæ cameræ B. D., C. E. &c., & sic renovabuntur conditiones camerarum, & multiplicabuntur rationes: & iterum volvatur, ut alterentur cameræ, & tunc sub B. veniet E., & sub C. F. &c., & erunt istæ cameræ B. E. & C. F. &c., & sic renovabuntur conditiones, & semper multiplicabuntur rationes; unde quoties circulus volvetur alterando de litera ad literam, toties renovabuntur conditiones, & toties possunt concludi diversæ rationes seu diversa argumenta, quousque redibit camera de B. C.

3. *Tertius* modus multiplicationis est, quando in alphabeto hujus Figuræ recolliguntur omnia significata, quæ ipsum alphabetum habet in qualibet alphabetali Figura hujus artis, & reducuntur ad alicujus Figuræ terminos, in quos quæstio cadit, ùt si quæstio fieret de bonitate & magnitudine A. videlicet de B. C. ipsius A., tunc ratione secundi modi fiat investigatio per totum alphabetum ipsius A., deinde per alphabetum T. & per alphabetum V. X., Theologiæ, Philosophiæ & Juris, ita, quòd B. significet bonitatem, Deum, fidem &c., C. magnitudinem, creaturam, spem &c., quibus ita recollectis venentur conditiones ad propositam quæstionem ratione cujuslibet significati ipsius alphabeti, & concludatur; & sicut fiet de camera de B. C., ita fiat de camera C. D. & D. E. &c. per totam ipsam Figuram, de qua quæstio principaliter habet ortum, sicut dictum est de B. C. in A.

Isto igitur tertio modo Artista invenire potest diversas rationes infinitas vel argumenta ad unam conclusionem applicabilia, ita, quòd alia ipsarum rationum non erit talis, sicut alia. *Iste tertius modus multiplicationis adeò generalis est, quòd non potest altiùs elevari; hic enim tertius modus præsupponit secundum & secundus primum.*

De quarta Parte Figuræ Demonstrativæ.

De Modo Applicandi Artem ad Propositum.

AD applicandum artem ad propositum in hac Figura proponatur hæc quæstio: *Quæ sit nobilior operatio Dei, quæ possit esse in creatura, vel quam Deus habeat in creatura?* Secundùm igitur *tres modos multiplicationis* suprà dictos intendimus dare doctrinam applicandi rationes ad conclusionem propositæ quæstionis. Hæc autem quæstio est de Deo & creatura, idcirco cadit in B. C. ipsius T., nam B. in T. significat Deum, C. verò creaturam. In supremo igitur circulo, ubi est B., dirigatur C. sequentis circuli, ut fiat camera B. C., & per consequens fient istæ cameræ, videlicet C. D. & D. E.; unde ad B. C. cæteræ cameræ consequentes deducantur, & recipiantur earum conditiones, quas habent secundùm significata alphabeti T., & adducantur ad conclusionem propositæ quæstionis isto modo.

1. *Per primum modum multiplicationis.* In B. sunt essentia, unitas, dignitates, quæstio enim tangit potestatem, bonitatem, magnitudinem &c., & tangit C. D., idcirco B. C. considerentur, secundùm quòd in C. D. significat D. operationem ipsius B., de cujus majoritate quæritur respectu ipsius C. in bonitate, magnitudine, potestate &c. ipsius B., & ipsius etiam C., significatur manifestè, quòd nobilius D., quod B. habet in se ipso, est, quòd producat B. existens cum producente unum B., una essentia, una bonitas, una magnitudo &c.; relato igitur isto D. ad C., manifestum est, quòd majus D., quod Deus habere possit in creatura, est, quòd ipsum C. sit in B. & cum B. unum suppositum, quod sit B. & C.

2. Hoc idem etiam significant D. E., sed alio modo, cùm E. ratione C. distinctionem significet inter B. C. D., quare majus E. [sumendo E. pro distinctione] quod B. possit operari in C., est, ipsum C. esse distinctum naturâ ab ipso B. existens in ipso B. unum in supposito seu persona, non existente E. inter B. C. sic unita ratione suppositi seu personæ, sed tantùm ratione naturæ B. & naturæ C.

3. Per E. F. similiter significatur illud nobilius D. prædictum, sed alio modo, cùm F. secundùm T. significet concordantiam; quare majus D., quod B. potest in C. producere, est, quòd per ipsum producat majus F. in majori E. & è converso, quæ in C. produci possint, existentibus E. F. in majoritate bonitatis, magnitudinis &c. ipsorum B. C., quod esse non posset, nisi per unionem divinæ naturæ & humanæ.

4. Significant etiam F. G. consequentia eandem conclusionem alio modo, cùm G. ratione T. significet contrarietatem, nam oportet esse majus F., quod B. habere possit cum C., ut ratione ipsius majoris F. ipsa B. C. sint magis remota à G., quantum possunt; hæc autem majoritas remotionis non esset, nisi esset illud summum F. in B. C., per quod D. ipsius B. sit majus in C. & C. in B.; nec istud F. posset esse, nisi ratione unius suppositi vel personæ B. sit C., & C. sit B. in summo D. ipsius E. divinæ naturæ & humanæ.

5. Consequenter significant G. H., quòd majus principium & per consequens majus medium & major finis, quæ B. potuit dare ipsi C., & per quod ipsum C. plùs distat à G. bonitatis, magnitudinis &c. ipsius H. & per consequens ipsius K., quod est finis, est, ipsum B. creare omnia C. ad finem unius C., quod sit in summa bonitate, magnitudine &c., illo existente principio omnibus aliis C., cùm existat una eadem persona cum ipso B.

6. Hoc idem etiam sequitur de H. I.,

quæ significant, quòd major conjunctio, quæ possit fieri in C., est conjungi B. C., videlicet summum H. cum ipso C. creativè principiato. Hoc idem similiter sequitur distinctimodè discurrendo per cæteras cameras consequentes usque ad cameram B. C. Horum autem, quæ in præsenti parte diximus, quædam sunt per se nota, cætera verò, quæ per se nota non sunt, demonstrabilia sunt secundùm artem, ut autem prolixitatem evitemus, illa probare nolumus quoad præsens.

1. *Per secundum modum multiplicationis* alteratis cameris veniente D. in rectitudinem ipsius B. significatur, quòd majus D., quod B. possit habere in C., est, quòd C. habeat majorem potestatem patiendi, quæ possit esse, videlicet, quòd ipsum C. sit deificabile; & significatur similiter, quòd major potestas operandi, quam ipsum B. possit dare ipsi C., est ea, per quam potest plùs agere, hæc autem est, quòd ipsum C. se recolat, intelligat & diligat esse Deum, & quidquid creatum est esse propter se ipsum C. deificatum.

2. Revoluto D. in B., per consequens revolvitur E. in C., per quod significatur, quòd major differentia, quam B. possit dare ipsi C., est, quòd intelligat magnum E., videlicet magnam distinctionem in divinis, & per consequens inter causam, quæ est ipsum B., & effectum, qui est ipsum C.

3. Hæc eadem rationum multiplicatio etiam per cæteras consequentes cameras fieri potest; & iterum volvendo circulum fiat iterum discursus per novas cameras secundùm significata ipsius T., & iterum ad eandem conclusionem aliæ novæ rationes resultabunt. Itaque anguli T. combinati in ipsa Figura quindecies volvi possunt, & inde adduci ad eandem conclusionem quindecies quindecim rationes, & secundùm terminos V. quatuordecies quatuordecim rationes, similiter sedecies sedecim in cæteris Figuris habentibus alphabetum sicut in A. S. X. Theologia &c.

1. *Secundùm tertium modum multiplicationis* ad eandem conclusionem præassumptæ quæstionis multiplices rationes adduci possunt, secundùm quòd alphabetum per plura significata sumi potest, ita, quòd B. habebit duo vel tria vel quatuor vel plura significata, & similiter C. D. E. &c., ita quòd B. ratione A. significabit bonitatem, ratione T. Deum, ratione S. memoriam recolentem sub E., ratione V. fidem, & sic de aliis; & C. ratione A. magnitudinem, ratione T. creaturam, ratione S. intellectum intelligentem sub E., ratione V. spem, & sic de aliis; quare quolibet significato sic accepto in universali debet elici inde universale, & applicari ad quæstionem propositam isto modo.

2. B. C. ratione bonitatis & magnitudinis repræsentant, quòd melior & major operatio, quam Deus possit facere in creatura, est, quòd assumat eam, videlicet, quòd uniat eam in se ipso, ita quòd Deus & creatura sint unum suppositum sive una persona, nam meliori modo non potest eam meliorificare nec majorificare; & non plures creaturas sed unam tantùm, videlicet unam naturam humanam, ut ratione magnitudinis, bonitatis, unitatis Deus & creatura meliùs conveniant. Unitas autem hìc accipitur in B. sub T., ita, quòd B. significat hìc unitatem, & C. ratione creaturæ assumptæ denotat participationem omnium creaturarum cum DEO per creaturam assumptam à Deo; ac etiam secundùm A. significatur inde majoritas bonitatis, unitatis.

3. Secundùm S. significant B. C., quòd major operatio, quam memoria recolendo & intellectus intelligendo possint habere in Deo & creatura, est recolere & intelligere, Deum esse creaturam & creaturam esse Deum; major ergò operatio, quam Deus possit habere in creatura, est id, quod de B. C. secundùm S. dictum est: & secundùm V. similiter significant B. C., quòd major fides & spes, quam Deus possit dare creaturis de operatione ipsius Dei in creatura, est, credere Deum esse hominem & hominem esse Deum, & sperare in ipso Deo & homine, quod per se patet.

4. Et eadem similiter conclusio potest per X., Theologiam &c. confirmari, secundùm quòd B. C. diversa significant per illas Figuras: & eadem etiam conclusio, quæ per B. C. confirmatur secundùm tertium modum multiplicandi, potest eodem modo per C. D. & D. E. &c. multiplicibus rationibus confirmari; & si super hoc volvantur circuli, tunc ad eandem conclusionem confirmandam infinita materia rationum redundabit.

5. Ars in præsenti Figura manifestat compendium hujus rei, practica verò prolixa est & diffusa, quare quoad præsens ingeniosis intellectibus sufficiant hæc prædicta.

De

De Figura Alphabeti.

Figura alphabeti in *tres Partes* est divisa, in quarum *prima* explanatur ipsa Figura, in *secunda* verò doctrina traditur inquirendi conditiones rerum, sed in *tertia & ultima* applicatur arte ipsamet Figura ad propositum scilicet ad quæstionem. In prima igitur parte explanatur ipsa Figura isto modo.

De prima Parte Figuræ Alphabeti.

De Explanatione ipsius Figuræ.

1. OMnes aliæ Figuræ hujus artis alphabetum habentes in hac Figura continentur ratione B. C. D. &c., ac etiam continet Figuram elementalem ratione bonitatis alicujus elementi significatam per B., & ratione magnitudinis alicujus eorum significatam per C., & sic de aliis.

2. In prima linea sinistra, quæ est de B., significatur, Artistam debere inquirere à capite de B. B. usque ad B. R., quidquid de B. per illam lineam dici potest, & de linea sinistra se transferre ad lineam dextram ipsius C., scilicet de B. C. ad C. C., & descendere de termino ad terminum usque ad C. R., inquirendo, quidquid per C. potest dici de ipso B. & sic de aliis literis.

3. Hoc idem sequitur de linea dextera ipsius D. & ipsius E. & ipsius F. usque ad R., ita quòd per lineam sinistram debet descendere, & per lineam dexteram ascendere; vel si descendat per lineam dexteram, oportet eum ascendere per sinistram, nam omnes literæ, quæ sunt inter B. & R. habent lineas sinistras & dexteras: & illas combinationes, quas quælibet non potest consequi in sinistra, consequatur in dextera; B. autem omnes suas combinationes consequitur in sinistra, R. verò in dextera; & sicut inquiritur de B. ratione ipsius B. per totam lineam B. & per totam C. &c., ita similiter inquiratur de C. ratione ipsius C. per totam lineam ipsius C. & B. & D. &c.; lineæ verò jacentes significant omnes combinationes, quæ per revolutionem supremorum circulorum fieri possunt in Figura demonstrativa, ita quòd in hac Figura, quantum diminuitur successivè in superioribus, tantundem successivè recuperatur in inferioribus.

4. De his autem combinationibus sufficiant hæc, quæ superiùs in Figura demonstrativa dicta sunt. Significant autem B. B., quòd simpliciter potest quæri de B. quoad suum existere & quoad suum agere, sive ipsum B. sit in A. vel in S. vel in T. &c. Idem sequitur de C. C. de D. D. &c.; B. C. verò significant, quòd quæri potest de actu existendi & agendi ipsorum B. C. adinvicem. Idem sequitur de B. D. de C. D. &c.

De secunda Parte Figuræ Alphabeti.

De Modo Inquirendi Conditiones & Proprietates rerum.

IN hac parte datur doctrina inquirendi conditiones & proprietates rerum per T.; hanc autem inquisitionem exemplificamus in A. secundùm C. in B. & in T. D., inquirentes proprietates seu conditiones magnitudinis in bonitate & operatione isto modo.

1. C. positum in B. repræsentat, quòd divina magnitudo est bona ratione bonitatis, & est magna ratione suî ipsius, & ita habet conditionem essendi bona & magna, & per consequens ratione operationis habet istam conditionem, videlicet essendi bonificativa & bonificabilis, magnificativa & magnificabilis ratione alicujus bonificantis & magnificantis; hoc autem totum significatur in B. C. secundùm A., & in operatione scilicet in D. secundùm T., ac etiam in unitate, hoc est, in B. secundùm T., significatur, quòd B. C. secundùm A. videlicet bonitas & magnitudo sunt idem numero, ut in unitate sit ipsa bonitas magna, & ipsa magnitudo bona.

2. Per C. C. in A. speculantur proprietates magnitudinis secundùm æqualitatem, & per hoc denotatur, quòd ipsa magnitudo habet substantialiter ratione alicujus persistentis proprietatem magnificativam & magnificabilem ratione alterius persistentis, magnificante coæquante sibi suum magnificatum; & ratione finîs attingitur, quòd magnitudo bonificantis est finis bonificato ipsius bonificantis, & magnitudo ipsius bonificati finis bonificanti ipsius bonificati, eò quòd ipse magnificativus sive magnificans habet conditionem coæquandi.

3. Per C. D. in A. denotatur secundùm differentiam, quòd magnitudo habet in

æterni-

æternitate proprietatem magnificativam, & per consequens magnificabilem infinitè & æternaliter & intellectualiter, ratione cujus infinitatis & æternitatis habet ipsa magnitudo conditionem seu proprietatem æternificativam & æternificabilem, & per consequens æternitas eandem proprietatem seu conditionem magnificativam & magnificabilem, æternificativam & æternificabilem ratione unitatis essentiæ, ut magnitudo & æternitas non deficiant in æqualitate & fine substantiæ & intrinsecæ operationis.

4. Per C. E. in A. secundùm æqualitatem significatur, quòd magnitudo habet tantam potestatem, quanta est ipsamet magnitudo, & potestas tantam magnitudinem, quanta est ipsamet potestas; quòd si non, magnitudo & potestas in æqualitate deficerent, quod est impossibile. Addità autem prædictæ cameræ secundùm prædictam conditionem operatione naturali & intellectuali in majori actu operationis, quo possit operatio esse in infinitate & immensitate & æternitate, significatum est, quòd magnitudo ratione alicujus agentis habet proprietatem agendi & producendi de tota se ipsa infinitum potentem, ut habeat proprietatem magnificativam in infinito & æterno posse, & potestas proprietatem possificativam in infinito & æterno magnificare, hoc est, quòd ipsa potestas Dei, quanta ipsa est in ratione alicujus persistentis, in tantum ratione alicujus agentis se convertat ad agendum de se & de magnitudine.

5. Per C. F. in A. secundùm concordantiam intellectualem significatur ratione alicujus concordantis proprietatem concordativam esse in magnitudine, ut sapientia ratione concordantiæ sit infinitè remota à contrarietate.

6. Per C. G. in A. denotatur secundùm unitatem & distinctionem, quòd C. G. habent proprietatem conservandi unitatem essentiæ & distinguendi suppositа, ut voluntas sit magnificans & magnitudo volens sic remanentes in essentia, quòd magnitudo sit volens & volitus, & voluntas magnificans & magnificatus, magnificato volito existente distincto à magnificante volente relativè, & è converso, non autem ratione essentiæ; quòd si non, magnitudo non sufficeret voluntati ratione magnitudinis, nec voluntas magnitudini ratione voluntatis, quod est impossibile.

7. Sicut conditiones C. in suprà dictis cameris inventæ sunt, ita possunt per alias consequentes cameras inveniri, sicut per C. H. C. I. C. K. &c.; atque doctrina data inquirendi conditiones C. sufficit exempli gratiâ ad inquirendum conditiones B. D. B. E. B. F. &c. vel D. E. D. F. &c., sive hoc sit in A. vel in S. vel in T., aut in quacunque alia alphabetali Figura. Unde inventis conditionibus seu proprietatibus rerum, secundùm quòd ipsæ sunt affirmativæ vel negativæ, sic affirmativè vel negativè concludendum est.

De tertia Parte Figuræ Alphabeti.

De Modo Applicandi Artem ad Propositum.

THeoricam hujus Figuræ ad practicam applicantes intendimus dare doctrinam in præsenti parte, quomodo alta puncta transcendentia artificialiter attingantur, ratione autem hujus proponatur aliqua quæstio difficilis, in cujus solutione puncta transcendentia intelligantur, ut exemplo istius solutiones cæterarum quæstionum, quæ sinè punctis transcendentibus minimè possunt intelligi, valeant inveniri. Quæstio igitur sic hæc: *Supposito, quòd sapientia Dei sciat, mundum durare in æternum, utrùm divina potestas possit eum ducere in nihilum?* Hîc quæritur de mundo & de dignitatibus Dei, & maximè de potestate & sapientia, idcirco hanc cameram E. F. sumimus in A., & per T. quærimus solutionem hujus quæstionis isto modo.

1. In linea de B. sunt E. & F. cum B. in duabus diversis cameris, videlicet in B. E. & in B. F., existente B. in quadam camera cum E. & in alia cum F., ût in Figura patet. In recipiendo igitur cameram B. E. & cameram B. F. cum æqualitate concordantiæ & finîs denotatur, quòd bonitas Dei æqualiter se habet in potestate & sapientia Dei secundùm concordantiam & finem. Idem similiter significatur in linea de C., quod similiter est in quadam camera cum E., & in alia cum F.: hoc idem etiam sequitur de linea de D. usque ad lineam de E., ubi E. F. sunt una eadem camera; idcirco E. F. speculanda sunt, sicut in lineis de B. C. D. nunc dictum est, & apparebit solutio quæstionis isto modo.

2. Dum humanus intellectus sic speculatur, ût prædictum est, attingit divinam potestatem

testatem esse bonam, magnam & æternam: magnam quidem non posset eam attingere sinè illius bonitate infinita & æterna, & sic attingit eam liberam in bonitate, magnitudine & æternitate; idcirco ratione majoritatis, bonitatis, magnitudinis & æternitatis attingit, quòd potestas potest mundum reducere in nihilum, non obstante, quòd sapientia sciat eum in æternum durare, quòd si non, non utique attingeret intellectus potestatem Dei in summitate bonitatis &c.

3. Sicut intellectus attingit E. in B. C. D. videlicet potestatem in bonitate magnitudine & æternitate, ût jam dictum est, ita attingit sapientiam Dei in eisdem videlicet F. in B. C. D., & sic intelligit ipsam potestatem Dei non posse mundum annihilare, cùm sapientia sciat eum æternaliter durantem, eò quia scire ipsius sapientiæ oportet stare necessariò infallibiliter, cùm sit æquale ipsi posse in bonitate, magnitudine & æternitate, ac etiam cùm ipsum posse & ipsum scire æqualiter concordent ad finem; & ex hoc in humana ratione implicatur contradictio, & fit dubitatio rationativa ab utraque parte, & obfuscatur intellectus destructâ affirmatione & negatione circa idem. Hæc autem dubitatio destruitur isto modo.

4. Intellectus rationaliter existens in prædicta confusione rationando descendit secundùm E. G. in A. ad potestatem & voluntatem, & ascendit secundùm F. G. in A. ad sapientiam & voluntatem, & tunc respicit potestatem & sapientiam cum voluntate, & secundùm B. C. D. H. I. K. L. M. &c. in A. respicit voluntatem cum bonitate, magnitudine, æternitate, virtute, veritate, gloriâ, perfectione, justitiâ &c., quibus ita circumspectis, denudatur intellectus à confusione, & transit in intelligere veram solutionem hujus quæstionis; quocirca attingit ratione voluntatis volentis esse actus æquales utriusque, videlicet posse potestatis, & scire sapientiæ cum bonificare, magnificare, æternificare, virtuificare, verificare &c., quòd divina voluntas vult suam potestatem & suam sapientiam esse liberas in omnibus suis conditionibus existendo & agendo; hæc autem sic apprehensa ab intellectu sunt in Y. & absque contradictione, ipso intellectu denudante se à sua ratione, in qua fuit contradictorie inter Y. & Z., & transeunte super ipsam rationem ad realitatem, & quoniam realitas se habet in plus quàm ratio, ideo attingit excellentiùs ratione realitatis voluntatis, potestatis, sapientiæ, bonitatis &c. simpliciter, quàm ratione phantasticarum similitudinum Dei & creaturæ; hoc autem ita est, quia realitas objecti concordat majoritati, ratio verò ejusdem minoritati.

5. Quidquid igitur intellectum est hîc in hac solutione simpliciter ratione bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. intellectum est transcensivè, nam alio modo nunquam posset intelligi. Dictum est de Figuris, amodò de Regulis videamus.

INCIPIT
SECUNDA DISTINCTIO
QUÆ EST

De Regulis.

Regula est tanquam breve medium directivum ad aliquem finem, videlicet quid oporteat agi, & quid evitari ad aliquem finem obtinendum; ut igitur Artista tanquam per brevem directionem possit pervenire ad promptiorem notitiam hujus artis, traduntur in præsenti opere *quadraginta Regulæ*, quamvis multæ aliæ valentes ad propositum traditæ sint in suprà dictis conditionibus Figuratum. Istæ autem quadraginta in *duas Partes* divisæ sunt: *in Prima* continetur traditio regularum per T. ad speculandum sub compendio videlicet in summa, quidquid ordinatum est, dando viam & modum, quo debeat Artista ascendere de effectu ad summam causam & eam contemplari, & postmodum de ipsa causa descendere ad effectum, & ipsum effectum secundùm suam causam primariam judicare. *Secunda* verò pars est de pluribus aliis regulis, quæ se habent, secundùm quòd materia exigit se tractari.

De prima Parte Regularum.

De Modo tractandi Regulas per T. in ascensu & descensu intellectus.

REgulæ igitur primæ partis per T. tractantur isto modo.

Ars requirit F. G. discurrere ratione principii medii & finis, ita quòd ab inferioribus incipiant ascendentia de gradu in gradum usque ad primam causam, & tunc ipsis F.G. conversis in E. actu contemplentur ipsum E. ipsam primam causam in perfectionibus, quas ipsa habet simpliciter in se; postmodum, ipso E. sic contemplante converso in habitum, descendant F.G. ad inferiora secundùm illas impressiones, quas recipit E. contemplativè, quibus descendentibus, tunc ratione illarum impressionum magis adhæreant E. I. in judicio de inferioribus in descensu de causa ad effectum quàm in ascensu de effectu ad causam.

Ratio autem, quare hoc ita est, stat in hoc, quia, quidquid virtutis habent F. G. ascendendo, habent similiter descendendo, sed non è converso, quia descendentia imprimunt in se ab E. contemplativo primæ causæ lumen & virtutem, de quibus in descensu illuminantur E. I. de inferioribus judicantia. Hæc autem regula est valde generalis in hac arte, & declaratur isto modo.

1. In elementato ignitivum ad ignibile propinquum reducit ignibile remotum scilicet aërem &c., & fit elementatum; operatio propinqua est de ignitivo in suo proprio ignibili, remota verò in ignibili remoto, igne ratione ignitivi induente materiam ignibilis propinqui ignibili remoto, inde faciente de duobus ignibilibus prædictis unum ignitum, & quoniam ignitivum & ignibile propinquum sunt unus ignis, ergò est ignitivum cum illis unum elementatum ignitum, ita quòd ignitivum influit suas similitudines in aërem &c. induens ex illis similitudines aëris &c., quas sic indutas reducit in suum proprium ignibile, & igniendo eas facit esse ignitas; & hoc modo fluit operatio de igne ad aërem &c., & de aëre &c. refluit ad ipsum ignem. Iste igitur est *primus gradus* per quem ascenditur

2. Ad *secundum*, qui est iste: vegetativum vegetans in suo proprio vegetabili vegetat in eodem vegetabili vegetabile remotum, quod est elementatum; idcirco agente vegetativo super prædicta duo vegetabilia reducit ea secum ad vegetatum, quod est planta, induens suas proprias similitudines vegetabilis propinqui similitudines vegetabilis remoti, quod est elementatum, ratione quarum similitudinum sic indutarum, quas pura essentia vegetans in se recipit ab ipso elementato, influit totum conjunctum videlicet totum vegetatum extra se in figuram similitudines conjuncti participantes simul naturam utriusque conjungibilis, videlicet naturæ vegetativæ & elementativæ, sicut sunt albedo, viriditas, caliditas, siccitas & hujus similia; & hoc modo fluit operatio de vegetato extra vegetatum, & refluit in hoc, quòd totum aggregatum scilicet vegetatum ab exteriori essentia elementata recipit beneficium per viam alimenti convertens illud in vegetatum, & iterum fluit extra se generando de se aliud vegetatum.

3. Post istum gradum ascendendum est per rectam lineam ad *tertium* isto modo consimili: sensitivum sensans suum proprium sensibile sensat in eodem sensibile remotum, quod est vegetatum elementatum unitum ipsi naturæ sensitivæ, & fit de utraque natura videlicet sensitivâ & vegetativâ unum animal, ipso sensitivo induente cum suo proprio sensibili suas similitudines, videlicet naturæ sentientis similitudines remotas videlicet vegetatas & elementatas eis unitas.

Hæc autem operatio naturæ sensûs quinque modis distincta est, secundùm quòd sunt quinque sensus, & quinque modis ratione formæ est activa videlicet visiva, auditiva &c., & quinque modis passiva videlicet visibilis, audibilis &c., ita quòd visitivum auditivum &c. est sensitivum habens visibile, audibile &c. videlicet sensibile, quod est eadem natura secum; & ista duo scilicet sensitivum & sensibile habent visibile & audibile &c. scilicet sensibile remotum, quod est vegetatum elementatum, cum quo sunt unum animal, cujus similitudines induunt de suismet similitudinibus, ut dictum est, & induendo eas induunt similitudines exteriores in ipsis similitudinibus vegetati indutis, in quantum similitudines exteriores per aliquas lineas de extrà & intrà participant cum interioribus similitudinibus indutis; & quoniam istæ sunt quinque modis indutæ scilicet visibiliter, audibiliter &c., induuntur illæ exteriores intrà quinque modis videlicet visibiliter, audibiliter &c.; & idcirco est in animali operatio objectiva fluens & refluens, nam similitudines sensitivi & sensibilis influxæ à sensitivo in sensibile remotum interiùs eis conjunctum transeunt per ipsum sensibile remotum cum similitudinibus ejus ad sensibile remotum exteriùs, & similitudines ipsius sensibilis remoti exteriùs non conjuncti, quas inveniunt in similitudinibus ipsius sensibilis remoti conjuncti, induunt, & sic res extrà sensibilis sentitur objectivè in suis similitudinibus abstractis & attinctis in similitudinibus interioribus & indutis de ipsismet similitudinibus interioribus, & concipitur unum quid sensibiliter constitutum de similitudinibus exterioribus materialiter, & de similitudinibus interioribus formaliter.

4. Deinde ad *quartum* gradum viâ consimili ascendendum est; iste autem gradus est animal imaginatum, id est, factum imaginans; in isto imaginativum imaginans suum proprium imaginabile imaginatur imaginabile remotum unitum & conjunctum ipsi imaginabili propinquo & ipsi imaginativo; hoc autem imaginabile remotum est sensatum vegetatum elementatum unitum ipsi naturæ imaginativæ animalis imaginativi; & imaginans imaginativum imaginabile remotum in suo proprio imaginabili, induit similitudines ipsius imaginabilis remoti, & quascunque alias similitudines in eis invenit, de propriis similitudinibus videlicet suî & imaginabilis propinqui. Et idcirco animal imaginativum habet operationem objectivam fluentem & refluentem in hoc, quòd similitudines imaginativi & imaginabilis influxæ ad suum imaginabile remotum unitum & conjunctum eis, induentes de se ipsis similitudines ipsius imaginabilis remoti, videlicet sensati vegetati elementati, induunt per consequens cæteras similitudines exteriores, quas participantes inveniunt cum similitudinibus prædicti imaginabilis remoti, sicut dictum est, & reducunt eas cum similitudinibus prædicti imaginabilis remoti in imaginabili propinquo ad imaginativum, & concipitur ibi quid imaginabiliter constitutum de similitudinibus exterioribus materialiter, & de similitudinibus interioribus formaliter. Unde animal imaginationi subjectum producit extrà in artificialem figuram similitudines, quæ sunt ipsius concepti prædicti, sicut Faber clavum, & apis favum, & avis nidum, &c. hujusmodi.

5. Deinde ad *quintum* gradum continuum, qui est animal rationale, consimiliter ascendendum est, videlicet ad hominem, cujus rationativum & rationabile propinquum sunt ejus anima rationalis, quæ de tribus constat una, sive in tria distincta est, quæ sunt memoria, intellectus & voluntas, & per consequens rationativum in tria, scilicet in reco-

recolitivum, intellectivum & volitivum, & rationabile propinquum in tria videlicet in recolibile, intelligibile & volibile propinquum. Rationans igitur in homine rationativum suum rationabile propinquum rationatur rationabile remotum conjunctum ipsi animæ rationali, videlicet imaginatum, sensatum &c., & de omnibus his fit homo, & sic agendo induit de similitudinibus animæ rationalis similitudines ipsius rationabilis remoti, & quascunque invenit similitudines exteriores in eis participantes cum eis, ût etiam prædictum est; & sic indutæ reducuntur in rationabile propinquum, & generatur inde verbum constitutum de similitudinibus exterioribus materialiter & de interioribus formaliter, quo generato homo producit similitudines hujus verbi ex ipso verbo ad exteriora in artificialem figuram, & sic fluit & refluit objectiva operatio hominis; & quoniam multa sunt subjecta, quæ nec sensui nec imaginationi sunt subjecta nisi solùm rationi, idcirco anima sumens prædicta objecta denudat se ipsam ab objectis sensûs & imaginationis, sicut sumendo A. pro objecto vel substantias separatas vel animam vel scientiam &c. hujusmodi.

6. Postquam autem per operationes suppositi naturalis continuè gradatas & per operationes abstractas de extrà intrà objectivè, & refluxas de intrà extrà per artificium usque ad hominem deventum est, non est ulteriùs ascensus per operationes continuas sive contiguas immediatè participantes; quare tunc est videndum, quæ sunt operationes, cum quibus operationibus separatis ab homine habet homo participationem. Istæ sunt operationes firmamenti solis lunæ &c., & operationes quatuor sphærarum sive regionum elementorum, & operationes plantæ, bruti &c. hujusmodi, quæ omnia diriguntur ad hominem, qui, cùm sit eorum finis, superior est omnibus istis ratione nobilitatis, magnitudinis, bonitatis, perfectionis, potestatis in intelligendo, volendo &c.; veruntamen homo ad suum finem non potest ea movere, quia non est ex eis vel cum eis conjunctus, movet autem ad suum finem id, quod ab eis recipit, orbe, elementis &c, influentibus in hominem recipientem & attrahentem ad se id, quod ab eis influitur, ut de eorum influentia vivat, movente Deo orbem &c., ut homo vivat.

7. Consideratis igitur generaliter his omnibus, quæ sunt citra essentiam primi, ascendendum est ad ipsum primum secundùm illas similitudines, quæ in creaturis ascendendo sunt inventæ, & concipiendæ sunt rationes illius sive dignitates secundùm similitudines, quæ inventæ sunt in creaturis, quæ similitudines sunt bonitas, magnitudo, duratio &c. creaturarum; rationes autem illius sive perfectiones sunt summa bonitas, summa magnitudo, summa æternitas, summa potestas, summa sapientia, summa voluntas &c., quibus mediantibus homo ipsum primum videlicet Deum attingit, secundùm quòd attingibile est in via; & secundùm illos gradus, per quos ascensum est, sic speculandus est Deus agens in se & extra se, quòd ipsa operatio tam intrinseca quàm extrinseca Dei & operatio intrinseca & extrinseca, cujuscunque creaturæ sit, non sint contra summas perfectiones, quas E. attribuit ipsi A.

Hoc itaque considerato de A. statim concipit E., ipsum A. esse quandam naturam superexcellentem infinitè & æternaliter in omni perfectione, quæ scilicet natura est ipsa summa bonitas, summa magnitudo &c., cujus naturæ similitudines secundùm possibilitatem receptionis creaturæ sunt impressæ in qualibet creatura, & hoc secundùm magis & minùs, secundùm quòd plùs accedunt ad superiorem gradum, ubi est homo, sicut prædictum est, ita quòd quælibet creatura secundùm magis & minùs sui summi artificis portat signum; & idcirco F. G. colligentibus omnes similitudines, quas magis perfectas in creatura reperiunt, E. contemplatur in A. id, unde prædictæ similitudines influxæ sunt, sicut artificialis figura ex intellectu & imaginatione artificis est influxa; & tunc concipit E. in suo verbo, A. esse bonum, magnum &c. absque aliquo defectu habens in se de semet ipso Deificativum, qui est bonificativus, magnificativus &c., suum proprium Deificabilem, qui est bonificabilis, magnificabilis &c., existente ipso Deificativo & ipso Deificabili unâ eâdem naturâ divinâ, ita, quòd Deificativus in tantum gloriatur, quantus ipse est, se Deificare Deificatum, & Deificatus eodem gloriari in tantum gloriatur, quantus ipse est, se totum à Deificante Deificari: itaque procedit quædam glorificatio, quædam mutua fruitio ab utroque in tantum, quantum est uterque, ambo autem sunt unus Deus, & uterque est suppositum;

tum; ergò ista fruitio procedit de Deo Deus & de supposito suppositum, aliter enim in utroque vel in altero eorum esset defectus & accidens, quod est impossibile in A., ût suprà *in tertia Parte Figuræ Theologiæ* probatum est.

8. E. igitur ita speculando, ût suprà dictum est, attingit, A. esse suppositum essentiale indistinctum in tribus suppositis personalibus in quolibet totum, quolibet eorum existente distincto ab alio ratione suppositi personalis, non autem essentialis, cùm cujuslibet eorum una sit Deitas, videlicet una essentia divina, quæ est una bonitas, magnitudo &c., ut non deficiat bonitas magnitudini &c., nec magnitudo bonitati &c. Horum autem trium suppositorum alius est Pater, alius Filius, alius Sanctus Spiritus; Pater quidem, eò quòd generativus, Filius, eò quòd generabilis, Sanctus Spiritus, eò quòd mutua fruitio ab utroque spiratur.

Est autem generativus, eò quòd A., cùm sit ipsa summa sapientia, ratione intellectivi intelligit semet ipsum totum, & in tantum intelligit se, quantum ipse est, & sic intelligendo generat intellectivus de natura suî ipsius, quam totam intelligit, verbum tantum in eadem natura, quantum est ipse intellectivus, aliter non posset eam intelligere totam, majus enim esset existere ipsius divinæ naturæ quàm agere, quod est impossibile; ergò intellectivus, qui est A., ratione suæ summæ sapientiæ in bonitate &c., intelligendo suam naturam totam, generat verbum tantum in ipsa natura, quantus ipse est, & ita est generativus, & ratione generativi est Pater, & verbum est generabile, & ratione generabilis est Filius, & mutua fruitio utriusque ratione spirationis ab utroque est Sanctus Spiritus, sicut prædictum est; & sic intellectivus Deificativus intelligendo Deificat suum intelligibile Deificabile, sicut prædictum est; [hîc tamen intelligendum est, quando dicimus Deificativus, quòd non intendimus dicere, quòd de non Deo fiat Deus, vel quòd de Deo diminuto fiat Deus perfectus; sed intendimus dicere, quòd Deus, qui est suppositum personale agens, habet suum actum perfectum ab æterno, qui est Deificare, & per consequens est in Deo Deificatus perfectus suppositum personale, qui ab æterno habet Deificare perfectum; hoc idem sequitur de bonificare &c.: *& idcirco circa imperfectionem verborum non est attendendum, sed ad ea, quæ per ipsa verba intendimus significare; neminem enim arbitramur de Deo propriè posse loqui, cùm imperfecti simus ad intelligendum, & sermones nostri ad proferendum ea, quæ sunt in divinis.*]

9. Dum igitur E. ita contemplatur A. unum & trinum in intrinsecâ operatione suarum perfectionum, imprimit in se, quantum potest, ea, quæ attingit de A., de quibus in se impressis descendit ad operationem extrinsecam ipsius A. attingens, orbem & cætera creata esse influxa ab A. tanquam figura & similitudo hujus, quod est in A.; & quemadmodum artificialis figura est aliud essentialiter ab illo verbo artificis, unde est influxa, ita ipsum A. alias essentias, quæ non sunt A., creativè influxit extra se faciens stare essentialiter in creatis similitudinem & figuram hujus, quod ipse est, sicut artifex facit stare realiter similitudinem & figuram hujus, quod est in intellectu & imaginatione; & idcirco creatura induta est similitudine existendi & agendi intrinsecè & extrinsecè ipsius A., in quantum ipsam similitudinem potest recipere; hoc autem ita est, ut omnis creatura secundùm totam suam possibilitatem laudet, & testificetur naturaliter id, cujus ipsa est similitudo & figura, & cujus gratiâ & ad cujus finem ipsa est id, quod est, & ut maximè homo, in quem ipsum A. super cæteras substantias corporaliter creatas suam similitudinem & imaginem influxit, videat in se ipso similitudinem & imaginem hujus, quod est in A., & cæteras creaturas de se repræsentando laudare & attestari istud idem; & videndo imaginem & similitudinem non esse illud summum ens immensum & æternum in omnibus perfectionibus, cujus est similitudo & imago, moveat se totus ipse homo naturaliter ad illud scilicet ad fruendum ipso A. de tota sua essentia humana, & de omnibus suis actibus tanquam imperfectum ad suum perfectum.

10. Postmodum verò considerans E. summam perfectionem & nobilitatem operis extrinseci ipsius A., ratione ipsius A., videlicet ratione magnitudinis operandi extrinsecè in bonitate magnitudine &c., ut ejus operatio extrinseca habeat majorem similitudinem bonitatis &c., quam possit recipere ab ejus operatione intrinseca, sicut major similitudo operationis, quam sensatum possit recipere ab operatione intrinseca animæ rationalis hominis, est in hoc, quòd ra-

tionativum rationando suum rationabile propinquum & in eodem per consequens rationabile remotum videlicet sensatum induit ipsum rationabile remotum in rationabili propinquo de tota anima rationali tanquam de forma, & fit homo, & sic de aliis inferioribus, ût dictum est, tunc considerat ipsum E., quòd A. ratione suæ summæ bonitatis magnitudinis &c. operationis extrinsecæ de omnibus creatis trahit unam summam suam similitudinem tanquam finem omnium creatorum; summa verò ejus similitudo & imago est homo inter cætera creata, quæ non sunt homo, ût dictum est: & adhuc super omnes homines creavit unum hominem ad suam imaginem & similitudinem, quem tanquam Deificabile remotum Deificat in Deificabili propinquo, induens illum hominem totum Deum in Deificabili propinquo, qui Deificabilis propinquus est eadem natura divina cum suomet Deificativo, ita quòd sicut sensatum & anima rationalis sunt unus homo, scilicet unum homificatum, sic unum homificatum & Deus sint unum suppositum, quod dicimus Christum, de Deo & homine constitutum; nec sunt plures tales Christi, sicut plures homines de anima rationali & corpore constituti, quia non sunt plures Dii nisi unus tantùm, sicut non possent esse plures homines, si non esset nisi una anima rationalis tantùm: & hæc est major influentia & refluentia divinæ operationis extrinsecæ, quæ possit esse, quòd Deificativus, qui est Pater, suum proprium Deificabilem, qui est Filius, videlicet ipsa infinita & æterna similitudo Patris existens eadem natura divina cum Patre, influeret seu mitteret ad Deificandum ipsam majorem similitudinem Dei exteriorem, qui est homo, ut de similitudine interiori, quæ est ipse Deus, & de similitudine exteriori, quæ est homo, sit unus Deus homo, *aliter non continuaretur linea de gradu in gradum ab infimo, ultra quod non est realis descensus, usque ad illud summum, ultra quod impossibilis est ascensus*; ac etiam ipse participans cum omnibus creaturis per ejus præsentiam, non participaret cum eis per unionem suæ naturæ cum naturis omnium earum; & sic deficeret magnitudo bonitatis &c. divinæ operationi extrinsecæ, & creatura esset magis Deificabilis in Deo, quàm Deus Deificativus in creatura, & plus entis & realitatis importaret vel significaret imago & similitudo ipsius divinæ operationis extrinsecæ, quàm ipsa res imaginata & similata, videlicet ipsa operatio, ac etiam figura & imago alicujus esset producta de aliquo summè conveniente, quod esset nihil, ac si de verbo intellectûs & imaginationis artificis esset producta artificialis figura, ita quòd nunquam fuisset ipsum verbum, cujus ipsa artificialis figura est similitudo extrà impressa, & unde producta est, quod est contradictio manifesta; & sic prædicta impossibilia & multa alia sequerentur, nisi creatura esset Deus, ût prædictum est, ergò &c.

II. Isto gradu impresso in E. descendit ipsum E. inferiùs ad sequentem gradum, considerans de ista operatione extrinseca Dei, quæ habet esse abstractivè de extrà in Deum, aliquid extrà simile influi retinens figuram illius impressam, sicut similitudinibus exterioribus abstractis in intellectum & imaginationem artificis, & indutis proprias similitudines intellectûs & imaginationis concepto verbo influitur de ipso figura artificialis existens similitudo ipsius verbi in rem artificiatam impressa, ût jam dictum est; & quoniam prædicta operatio extrinseca Dei, quæ est unio dictæ naturæ creatæ & increatæ, superat cursum naturæ inferioris, sicut operatio extrinseca animæ rationalis hominis superat cursum naturæ sui corporis, hinc influitur ex ea extrà aliqua similitudo & figura ipsius prædicti operis superans cursum naturæ inferioris, sicut in Sacramentis & miraculis, ad quæ nec sensus neç intellectus humanus secundùm naturam creatam pertingere possunt: nam sicut miratur sensus (ut ita dicamus) figuram artificialem posse imprimi à verbo intellectûs & imaginationis in rem artificiatam, quia non potest ad hoc attingere, sic miratur ratio, eò quòd non est naturæ creatæ secundùm se posse attingere ad realitatem Sacramentorum & miraculorum, quia secundùm suam naturam non potest attingere hujus rei principium efficiens sive influens, quod est unio naturæ creatæ & increatæ, sicut nec sensus sentire imaginationem nec imaginatio imaginari animam. Ipsa autem Sacramenta & miracula sunt in re, & intellectus ea intelligit in subjecto divino secundùm conditiones bonitatis, magnitudinis, largitatis &c., & sunt ad laudem & cognitionem ipsius unionis divinæ naturæ & humanæ, sicut artificialis figura extrà impressa est signum & magnificatio hujus, unde influxa est.

II. Descendens E. itaque ab isto ad alium intelligit naturam creatam esse subjectam & obedientem omnibus, quæcunque A. vult de ipsa operari in ea & super eam, & quantò plùs A. operatur de illa, tantò majores similitudines sui imprimit in eam, per quas ipsa natura creata est majoris virtutis; nam in hoc, quòd A. creavit hominem ad suam imaginem & similitudinem super omnes creaturas corporeas, ût suprà dictum est, creavit in eo majorem obedientiam, ut per majorem obedientiam posset acquirere majores virtutes; majorem autem obedientiam, quam homo possit habere ab A., est, quòd ipse homo liberè obediat ipsi A., sicut A. liberè & gratis dedit ei esse de non esse, imprimens in eum suam imaginem & similitudinem; & sicut liberè & gratis condescendit ad assumendum ipsam imaginem & similitudinem, videlicet ipsam humanam naturam, sicut dictum est, idcirco dedit A. ipsi homini præcepta & regulas, in quibus obediat ipsi A., ut per ipsam liberam obedientiam influat A. in eum magnas virtutes & magnam gloriam, quia magis facit se similem ipsi A.; & quantò magis similis est A., tantò magis accedit ad esse & ad vitam & gloriam, quæ est ipsum A., quam reservat ei in futurum post hujus vitæ cursum; quemadmodum in homine sensus, quantò plùs obedit animæ rationali, tantò felicior est amborum participatio, & magis accedunt ad vitam & conservationem sui suppositi, quod est homo: si verò homo transgrediatur regulas & præcepta, ad quæ ipsum A. creavit eum, privat virtutes induens se vitiis, quæ sunt dissimilitudines A. privantes medium & viam videlicet obedientiam creaturæ creatori, per quam non cessat A. influere suam similitudinem, videlicet suam gratiam & benedictionem in hominem; & sic plùs cessat ipsa gratia influentis, secundùm quòd plùs privatur medium in creatura, non autem cessat ex parte influentis, quia, ex quo creavit, nunquam cessat influere, sed cessat ex parte recipientis medium destruentis, & quantò plus privatur, tantò magis fit homo dissimilis, & quantò magis est dissimilis A., tantò magis accedit ad privationem, pœnam & mortem æternam, ad quam A. expectat eum, nisi per gratiam ipsius A. liberè revertatur, & reintegret medium influentiæ ipsius A., quod privavit; summa enim injuria est, impedire æternam influentiam Dei; homo quidem ex parte sui potest eam impedire, non autem ex parte A., quia si medio perturbato non potest influere gloriam, per idem medium perturbatum influet æternam damnationem, sicut, si pomum in ore illius, cujus gustus perturbatus est, non potest influere dulcedinem, influet per ipsum gustum perturbatum amaritudinem, quæ non provenit ex parte influentis sed ex parte recipientis.

Dictum est de explanatione primæ regulæ, ad hanc autem primam regulam sequitur secundùm hanc artem hæc regula, „videlicet quòd Artista ad ipsam primam „regulam adducat suas conclusiones, sive „sint ex Philosophia seu ex Theologia seu „etiam ex utraque, *nam ipsa regula est ad hoc sufficiens, cùm sit subjectum concordantiæ Philosophiæ & Theologiæ;* & tunc si ipse Artista de particularibus Theologiæ vel Philosophiæ vel utriusque secundùm conditiones ipsius regulæ superiùs exemplificatas non potest concludere affirmativè, ex hoc concludat de eis negativè, vel si non potest negativè, concludat de eis affirmativè: & frequenter in conclusionibus prædictarum scientiarum prædictâ regulâ utendum est, ut E. de gradu in gradum ascendendo & descendendo suprà dictas impressiones valde habitualiter possit sibi facere adhærere, sunt enim valde necessariæ & utiles in hac arte.

De secunda Parte Regularum.

Quæ est de quadraginta Regulis specialibus.

REgulæ, quæ in hac secunda parte continentur, multæ sunt & diversæ, eò quòd in hac arte de multis & diversis materiis pertractare oporteat. *Hæ enim regulæ à prima tanquam à suo universali possunt particulariter elici, & reduci ad eandem, cùm sit omnium regularum hujus artis fons & origo.* Et hæ regulæ secundùm exigentiam materiæ erunt tanquam breve medium ab universali inferens particulare in conclusionibus quæstionum.

1. Et primò debet advertere Artista, quid sit subjectum & prædicatum in proposita quæstione: & est sciendum, quòd hîc in hac

hac arte T. est subjectum principale, & quælibet figura est subjectum omnium suorum terminorum, sicut A. suorum B. C. D. &c., & sic de aliis figuris; & etiam triangulus lividus est subjectum omnium triangulorum ipsius T., in quo omnia cadunt, & quilibet angulus cujuslibet trianguli omnium contentorum super se, & quilibet terminus potest esse subjectum T. & omnium aliorum terminorum; & si Artista sciverit regulare subjectum & prædicatum secundùm regulam conditionum & mixtionum datam in *secunda & tertia parte T. in prima distinctione*, habebit doctrinam faciendi quæstiones, solutiones & objectiones. Regulæ igitur istæ sunt hæ, quæ sequuntur.

2. De A. semper concludendum est id, per quod ipsum A. appareat esse summum in omnibus suis conditionibus, & per quod dignitates ejus in existere & agere appareant excellentiùs esse summæ. Ratio autem hujus regulæ confirmatur, quia, cùm A. sit summum ens, & habeat summas perfectiones, ejus magnitudo magis concordat huic, quod est majus, non autem huic, quod est minus; explanatio hujus regulæ in multis locis hujus libri habetur.

3. Quædam dignitas A. & maximè, de qua quæritur, primò absolutè & simpliciter assumenda est, postmodum cum qualibet alia combinanda, & combinata ad propositum applicanda: explanatio hujus est hæc, sumatur, divina potestas potest per se omnia, addatur bonitati magnitudini &c., non potest contra bonitatem magnitudinem &c., nec bonitas &c. contra potestatem, & sic non potest contra hoc, quod sapientia scit fieri vel non fieri, nec sapientiam cogere, nec restringere libertatem suæ potestatis, nec è converso, & sic de aliis: ratio autem hujus est, nam omnes dignitates sunt unum idem numero, & quælibet id, quod omnes, & quod quælibet. Hæc regula est valde necessaria in omni eo, quod de Deo dicitur.

4. Cùm locutio fiat de A., distinguendum est inter contradictionem & contradictionem, inconveniens & inconveniens quoad ipsum A. & quoad nos, & quoad realitatem & rationem; & hæc est ratio, quia aliquid quandoque videtur cadere in contradictionem quoad A., quod cadit in contradictionem quoad nos, non autem quoad ipsum; sicut prædestinatio & liberum arbitrium, quæ contradictoriè se habent quoad nostram rationem, non autem quoad rem, agente A. de suis perfectionibus in nobis ratione suæ perfectæ sapientiæ & justitiæ: contradictio verò quoad Deum & quoad nos, videlicet quoad rem & rationem, est, Deum esse simpliciter bonum & non bonum, magnum & non magnum &c.; inconveniens quidem est, quòd ipse sit magis bonus existendo quàm agendo, vel è converso, vel quòd ipse existens bonus producat malum in esse, vel quòd ipse immensus producat creaturam immensam, vel quòd ipse æternus æternam, vel quòd ipse omnipotens produceret creaturam omnimodè omnipotentem; & sic de aliis hujusmodi. Ratio hujus est, quia ejus perfectiones concordant omnimodæ summitati.

5. Ars vult, perfectiones A. ita esse in ipso A., quòd quælibet earum existat & agat ratione sui ipsius, & ratione cujuslibet earum, & ratione omnium earum, & omnes ratione cujuslibet, & omnes & quælibet ratione unius ejusdem, & è converso; nam ipsa Ars vult, quòd quælibet earum sit idem quod quælibet alia, & idem quod omnes, & omnes idem quod quælibet, & omnes & quælibet unum & idem, & è converso; hoc autem est ratione infinitæ simplicitatis perfectionis, per quam impossibile est, esse in A. accidens, minoritatem & cæteros defectus. Et nos quidem de ipsis rationantes ex hoc excellentiùs attingimus eas quoad existere & agere, & E. altiùs ascendit ad contemplanda divina suppositа, nam inde rationes earum in nobis altiùs eluescunt. Explanatio autem hujus regulæ est hæc. Bonitas est id, quod est, & bonificat ratione sui & ratione magnitudinis & ratione æternitatis, & sic de qualibet, atque ratione omnium, & omnes ratione bonitatis, & ratione magnitudinis, & sic de aliis, sunt ipsa bonitas, & bonificant; & magnitudo ratione bonitatis & ratione sui & ratione æternitatis, & sic de aliis, est ipsamet bonitas, & bonificat; atque bonitas ratione sui & ratione magnitudinis, cùm ipsa sit ipsamet magnitudo, & ratione æternitatis, cum ipsa sit ipsamet æternitas, & sic de aliis, atque magnitudo ratione sui & ratione bonitatis, cùm ipsa sit ipsamet bonitas, & ratione æternitatis, cùm ipsa sit ipsamet æternitas, & sic de aliis, & sic de æternitate &c., sunt unum & idem numero bonificans, & ipsum idem bonificans ratione sui & ratione omnium & cujuslibet est, & agit idem, quod omnes & quod quælibet. Et sicut hîc dictum est de bonitate, ita intelligendum est de magnitudine & æternitate, & sic de qualibet.

6. In A. concludendum est *per æquiparantiam, propter quid, & quia: per æquiparantiam* quidem miscendo dignitatem cum dignitate, ut tantum sit ipsa magnitudo in existere & agere bonitatis & in omnibus conditionibus ejus, quantum ipsamet bonitas, & è converso, atque tantum sit ipsa bonitas in existere & agere magnitudinis & in omnibus conditionibus ejus, quantum ipsamet magnitudo, & è converso. Hoc idem sequitur de qualibet combinatione dignitatum. *Propter quid* verò, sicut propter suam bonitatem oportet Deum esse bonum, & propter magnitudinem suæ bonitatis oportet eum bonificare suum bonificatum, & sic de aliis. Secundùm *quia* in eo, quòd bonificativus & bonificabilis sunt in A., oportet in eo esse bonitatem & sic de aliis. Hîc tamen attendendum est, quòd *propter quid* & *quia* non sunt in Deo realiter, cùm inter suas dignitates in existere & agere & in omnibus conditionibus sit æqualitas vel æquiparantia, ût dictum est; veruntamen quia in A. sunt quædam nobis magis nota, quædam verò minùs, licèt sint æqualia realiter, secundùm rationem nostram attingit E. in A. per aliquid sibi notum aliquid, quod prius erat ei in N., conservante ipso E. æquiparantiam inter illa, & sic affirmativè ratione ipsius A. & realitatis est in ipso A. æquiparantia, ratione verò defectûs nostri E. affirmamus & negamus in eo per *propter quid* & *quia*.

7. Concludendum est de A. & effectu ejus id, per quod ipse effectus est magis similis ipsi A., & per quod similitudines dignitatum sint in effectu majores; ratio autem hujus est ista, *quia remotâ inde omni imperfectione, & additâ omnimodâ perfectione est id in A., quod est in effectu*, & per quod effectus principaliter est nobilior, aliter non esset in esse id, quod rectâ ratione melius sed quod pejus posset ab omnibus considerari, quod est impossibile. Explanatio hujus regulæ patet per explanationem primæ regulæ; & ideo concludendum est propter hoc, per quod E. magis dispositum est ad A. V. Y., & I. ad V. Z.; cùm etiam A. creaverit omnia propter se, quare finis creationis debet eligi in conclusione in majoritate, non autem in minoritate.

8. Doctrina reducendi per artem ad ne-

cessitatem demonstrationis secundùm exigentiam materiæ veras positiones vel probabilitates tantùm dictas scientiarum particularium est, Artistam videre, sub qua figura artis specialiùs cadit illa positio sive probabilitas dicta, & cum F. G. discurrere per tres modos discurrendi, de quibus diffusè datur doctrina in secunda parte figurarum, & concludere de particulari secundùm regulam sui universalis: & gratiâ majoris doctrinæ dicimus, quòd *primus modus* est inquirere conditiones sive proprietates illius figuræ scilicet unius termini cum alio. *Secundus* est inquirere conditiones prædictorum terminorum cum conditionibus T. *Tertius* est considerare ipsas conditiones terminorum ipsius T., & secundùm hoc demonstrativè concludere; *plures autem, qui non viderunt ista principia, credunt in scientiis particularibus multa solùm esse probabilia, quæ per artem ostenduntur necessaria.*

9. Concludendum est ita de bonitate, magnitudine &c. ipsius A., quòd E. secundùm se faciat distinctionem inter bonitatem, magnitudinem &c. A., ita quòd intelligat actus earum distinctos videlicet bonificare distinctum à magnificare &c. secundùm rationem ipsius E., quæ ratio est aliquid in ipso E., non autem in ipso A., nisi ratione productionis personarum & creaturarum, in qua quælibet dignitas habet actum proprium secundùm se & secundùm alias & non confusum, quoniam ipsæ dignitates & actus earum in A. sunt unum idem, & absque earum essentiali distinctione; sed in S. bonitas magnitudo duratio &c. sunt unum idem S. sed distinctè, ita quòd bonitas non est magnitudo nec è converso, & sic de aliis; idcirco bonitas & magnitudo &c., quæ influxæ sunt à bonitate, magnitudine &c. S. constituentes E., sunt distinctæ, ita quòd bonitas non est magnitudo, & sic de aliis; & idcirco S. influens E. ad A. recipit objectivè bonitatem, magnitudinem &c. A. distinctè, secundùm quòd S. constitutum est, sicut domus, cujus fenestræ quædam sunt rotundæ, quædam triangulares, quædam quadrangulares &c., radium solis indistinguibilem secundùm se recipit rotundum, triangularem, quadrangularem &c. secundùm dispositionem fenestrarum ipsius domûs, tamen id, quod recipit, est radius solis; ita similiter bonitas magnitudo &c., quas E. attingit in A., sunt bonitas magnitudo A. &c. scilicet similitudines

earum; & si nullam distinctionem faceret realiter in eis, aut penitùs intelligeret eas sinè N., aut nihil intelligeret de eis, quorum utrumque est impossibile, sicut domus, quæ à radio solis tota illuminata est sinè aliqua umbra, vel quæ est tota umbrosa sinè aliqua scintilla radii solis, & sic F. G. nihil possent investigare de A., quia à nullo N. moverentur, cùm esset totum notum ipsi E. id, quo indigeret de A., vel quia non haberent aliquam scintillam notam de A. (ut ita loquamur) per quam possent investigando notificare id, quod N. habet ignotum. Manifestum est ergò, quòd per distinctionem oportet E. attingere dignitates A., aliter de eis F. G. nihil poterunt investigare.

10. Si F. G. discurrentibus artista per E. non potest attingere de A. id, quod F. G. investigare conantur, quia ipsum A. fortè revelare non vult ei, quod petit, S. ipsum N. declinet ad credere, ut sub magnitudine dignitatum A. humiliet suum intellectum. Ratio autem hujus regulæ est, quia N. est refugium ipsorum E. I. tunc, quando Artista nescit arte uti, sicut decet, aut fortè, quia A. vult id, quod Artista petit scire, alio tempore revelare.

11. Cùm ista ars sit inventa ad honorem Patris & Filii & Sancti Spiritûs, qui sunt unum A., ideo principalius objectum hujus artis est ipsum A., & per consequens ratione ipsius alia objecta inferiora; idcirco regulatur ad hoc ista ars, quòd Artista principaliter hac arte propter A. debeat uti, ut finis hujus artis auxilietur ei, & dirigat ad principia & media finîs. „Sit ergò Artista virtuosus, prudens, verax, timidus, audax, largus, benevolus, hilaris, pudicus, pacificus, diligens, bene dispositus & devotus, & sic de aliis hujusmodi, quoniam, nisi sit, finis artis est contra illum, nam, qui caret principiis & mediis, est penitus extra finem.

12. Quandocunque in hac arte inveniuntur indeterminatè B. C. D. E. F. G. &c., sciendum est, literas esse de S., si verò determinentur nomine alicujus alterius figuræ alphabetalis, sunt in illa figura, à qua determinantur, ût si dicatur B. C. &c. secundùm A. vel ipsius A., dicitur bonitas magnitudo &c. ipsius A., vel si dicatur B. C. &c. in T., dicitur Deus creatura &c., & sic de aliis figuris; & si inveniatur A. B. C. vel T. B. C. vel Theologiæ B. C. vel Philosophiæ B. C. vel Juris B. C., & sic de aliis, intelligatur, literas significantes terminos esse figuræ immediatè præcedentis, quousque alia figura inveniatur; & iste modus est valde utilis ad breviter notandum: & sciendum, quòd ista figura T^{a}. significat Theologiam, & ista figura P^{a}. Philosophiam, & ista *Jus* ipsum Jus, cujuscunque casûs sit; sed si dicatur B. C. D. &c. simpliciter sinè determinatione, dicitur memoria recolens sub dilectione, intellectus intelligens sub dilectione, voluntas diligens sub memorari & intelligere, & sic de aliis literis S. secundùm sua significata. Ratio verò hujus regulæ est hæc, termini figurarum alphabetalium sunt sub certis literis comprehensi, ut ad usum demonstrativæ figuræ vel figuræ alphabeti, cùm necesse fuerit, redigantur, & ut per eas notari possit: magna quidem sententia importari potest per notam addendo literam literæ: termini verò S. non solùm istâ necessitate sub literis stare compelluntur, sed potiùs quia unusquisque eorum caret aliquo uno nomine, quo illum liceat appellare; & idcirco cùm dicitur in hac arte B. C. &c. simpliciter, tunc terminos S. intelligere oportet.

13. Similiter notandum est, quandocunque invenitur V. Y., est ipsum V. lividum, & quandocunque invenitur V. Z., est V. rubeum, & quandocunque invenitur M. vel N. V. Y., sumitur M. vel N. pro diligere, & quandocunque invenitur M. vel N. V. Z., sumitur pro odire; vel sumitur pro utroque, dum invenitur M. vel N. V. Y. Z., ita quòd diligere ad V. lividum & Y., & odire ad V. rubeum & Z. pertinet: hoc tamen intelligendum est, quando præcedunt istæ cameræ E. Y. & I. Z. vel aliqua istarum, sed sequitur totum oppositum ipsarum prædictarum camerarum, si præcedant E. Z. & I. Y. vel aliqua istarum; si verò non præcedunt, stant secundùm priorem acceptionem: ratio autem hujus regulæ stat in concordantia & convenientia rerum & conditionum & proprietatum per hos terminos significatarum.

14. In principio investigationis supponendum est, id consentire conclusioni, per quod E. I. ex similitudinibus A. melius influxa sunt, & dari ipsis E. I. N. objecta sibi magis proportionata, videlicet majus Y. ipsi E., & majus Z. ipsi I.; in tali namque suppositione propositum bonum & verum oritur, quod est via & directio ad particulare inveniendum. Ratio autem hujus regulæ stat

stat in hoc, quia bonum magnum &c. sive intentio bona magna &c. plùs se habet ad finem in majoritate bonitatis magnitudinis proportionum ipsorum E. I. N. ad sua objecta quàm in minoritate, unde hæc regula est multùm necessaria in hac arte.

15. Particulare in universali *duobus modis* inquiritur in hac arte; *Primus* est applicare T. ordinatè in aliqua camerarum de duabus dictionibus compositarum, secundùm quòd T. illam intrare potest, salvis suis conditionibus & ipsius cameræ, ita quòd, si affirmatio vel negatio conservet eas, procedit hæc earum vel illa necessariò; si verò affirmatio destruat eas, procedit necessariò ejus opposita negatio; vel si negatio eas destruat, ejus opposita affirmatio assumenda est. *Secundus* verò modus est duabus cameris vel tribus vel pluribus mixtis ad invicem cum duobus aut tribus vel pluribus triangulis mixtis ad invicem alio cum alio ad sic concludendum de particulari, quòd eligatur particulare præ cæteris, quod ex illa mixtione vehementiùs eluceſcit, & quod magis & meliùs conservat conditiones & principia hujus mixtionis. Explanatio autem hujus regulæ in ultima distinctione hujus libri videlicet in quæstionibus traditur, & in ejus explanatione vis & ratio hujus regulæ nec non ipsius summa utilitas apparebit.

16. Ita inquirendum est particulare, videlicet quòd particularis bonitas sub universali bonitate quæratur, & particularis magnitudo sub universali magnitudine, & sic de aliis, & aliquod bonum particulare sub aliquo bono universali, & aliquod magnum particulare sub aliquo magno universali & sic de aliis; & aliquod bonum magnum &c. particulare sub aliquo bono magno &c. universali, ita quòd si conservat ipsum universale, manifestè affirmetur, si verò destruit universale, manifestè negetur. Ratio hujus regulæ stat in hoc, quia ex hoc, quòd universalis bonitas, & sic de magnitudine &c., habet majorem concordantiam magnitudini, durationi, potestati, virtuti &c., habet necessariò ratione suî probare vel reprobare particularem bonitatem, & non è converso, *virtute enim & potestate universalis confirmatur particulare, & non è converso.* Explanatio verò hujus regulæ in quæstionibus manifestè patebit.

17. Formato universali videlicet mixtis terminis figurarum ad invicem secundùm T. applicandi sunt ad propositum illi termini, qui in ipso universali videlicet in ipsa rationabili mixtione terminorum meliùs se habent ad propositum; quemadmodum ignis mixtus cæteris elementis magis ex mixto calido & sicco se habet ad hoc propositum, quod est conservatio choleræ, quàm aliquod aliorum elementorum; & sicut ignis in tali mixto magis applicabilis est choleræ, quàm cætera elementa, ita ratione majoris concordantiæ alicujus termini concludendum est per illum terminum magis quàm per alium, eò quòd majoritas concordantiæ magis attingit finem quàm minoritas. Explanatio hujus regulæ jacet in prima distinctione hujus libri in illis capitulis, ubi termini figurarum ad propositum applicantur.

18. Dum est investigatio facienda alicujus particularis, primò discurrant F. G. in T. miscentes angulos ejus ad invicem, alium eorum in alium, deinde mixti ponendi sunt in terminos aliarum figurarum, quæ sunt A. S. V. &c.; factâ autem hac mixtione videndum est, per quem terminum & in quo angulo quilibet angulus magis est distans à suo contrario, & per quem angulum & in quo termino alius terminorum magis est distans à suo contrario, sicut majoritas ratione bonitatis magnitudinis &c. plùs distat à minoritate in Deo quàm in creatura, & in concordantia quàm in contrarietate, & in fine quàm in principio & medio, & sic de aliis, atque bonitas ratione majoritatis, concordantiæ & finîs magis distat à malitia in magnitudine durationis potestatis virtutis &c., & sic de aliis; & tunc concludendum est id, per quod terminus sive angulus plùs distat à suo contrario, & per consequens id, per quod magis propinquus est suo concordanti, sicut finis Deo, concordantiæ, majoritati, perfectioni, nobilitati &c. Majoritas & finis concordantes docent principium & medium rerum substantialium & accidentalium, & quanta sit & qualis, & quomodo est earum differentia in concordantia vel contrarietate, in majoritate vel minoritate, in esse vel privatione, in perfectione vel defectu, in bonitate vel malitia, & sic de aliis. Ratione conditionum magnæ concordantiæ finîs, majoritatis, esse, perfectionis, bonitatis, nobilitatis &c. concludenda est major propinquitas inter eas, quæ possit concludi, & major distantia à suis oppositis, quæ possit concludi.

19. Sic concludendum est, quòd Deus concordet majoritati, creatura verò minoritati, & creatura intellectualis majoritati, sensualis verò minoritati, atque operatio intrinseca & intensa & subjectum propinquum & habitus majoritati, operatio verò extrinseca & extensa & subjectum remotum & potentia minoritati, & sic de consimilibus ad naturam pertinentibus. Ratio autem hujus regulæ est, ut Artista cum suprà dictis principiis per majoritatem finîs concludat, majoritate finis attrahente ad se minoritatem finîs, ut in se perficiat eam, & minoritate finîs dirigente se ad eam tanquam imperfectum ad suum perfectum.

20. Si fiat investigatio alicujus rei supernaturalis videlicet miraculosæ, considerandum est, quæ sunt principia cursum naturæ sequentia, & quæ sunt principia supernaturalia pertinentia ad illam investigationem; & cum dignitatibus A. ita concludendum est, quòd naturalia principia obediant supernaturalibus principiis, dando conveniens ipsi E., & inconveniens ipsi I.: & ratio hujus est, quia A. naturam cogit, ut conditiones actuum dignitatum A. in majoritate appareant, conditiones verò naturæ in minoritate.

21. Ascendendum est ad puncta transcendentia per T., sicut per T. intelligere, quòd in A. Pater & Filius & Sanctus Spiritus sint Personæ infinitè distinctæ & permanentes una eadem infinita essentia, natura, Deitas, bonitas &c.; & sicut per T. intelligere in Incarnatione ipsius A. unam personam seu unum suppositum indivisibile ex duabus naturis distinctis unitum, videlicet ex divina & humana, & sicut intelligere prædestinatum posse damnari vel præscitum posse salvari, & Hostiam in Sacramento Altaris confici in verum Deum & hominem, & intellectum se intelligere in suo proprio intelligibili intelligendo intelligibile remotum, & formam agere in sua propinqua materia agendo in remota, & Angelum, cùm non sit de natura corporis, transire substantialiter per locum, & sic de consimilibus. Attamen horum punctorum alia plùs aliis sunt transcendentia, ad hæc autem puncta ascendendum est, ut E. subtilius & sublimius fiat. *Nam ista Ars ratione suæ universalitatis super cæteras artes & scientias ad altissima puncta pervenire docet, quæ per cæteras scientias particulares sive artes attingi non possunt.* De conditionibus ergò hujus artis est, quòd Artista suum E. altiùs, quo poterit, extollat eo modo, sicut exigit altitudo hujus artis, ratione cujus altitudinis est super cæteras scientias universalis; quòd si non, non poterit utique recipere influentiam hujus artis.

22. Cavendum est & maximè in ascensu ad puncta transcendentia, ne imaginativa imaginando contra conditiones terminorum figurarum hujus artis impediat intellectum, sicut fit, dum imaginamur antipodes, posito quòd sint, cadere inferiùs ratione loci, in quo sumus, & ascendere pluviam & similia apud eos: hæc enim imaginatio est falsa respectu sitûs loci eorum, quia hoc esset secundùm situm loci eorum ascendere, sicut si ipsi imaginarentur secundùm situm sui loci similiter nos cadere, hoc autem esset nobis secundùm situm nostri loci ascendere, quod est impossibile. Hæc autem deceptio provenit, quia imaginatio sumit *situm* pro *dispositione*, sicut decipitur, quando sumit *formam* pro *figura*; forma enim est insensibilis, sensibilitas verò figuræ repræsentat formam, habente figurâ similitudinem formæ, sicut figura motûs localîs formam motûs insensibilîs; & idcirco inter situm & dispositionem, & inter formam & figuram est distinctio facienda, ne imaginatio alterum pro altero sumat: & cavendum est etiam, ne memoria propter frequentem recordationem alicujus alterius objecti, seu voluntas propter nimium diligere vel odire occupet intellectum artificiosè imaginatione uti, nam ex hoc impedimento contingit aliquando credere, imaginationem imaginari, quod est inimaginabile, seu etiam aliquid imaginari quoad istud, quod est imaginabile quoad illud. Ratio autem hujus regulæ est, quia aliis potentiis perturbantibus alias deviatur intellectus à scientia, & fit inde homo phantasticus, quod est signum imperitiæ.

23. Inter realitatem & rationem distinguendum est dando majoritatem rei, minoritatem verò rationi verbi phantastici, cùm intellectus non possit tantum de realitate rationari, quanta est ipsa realitas sui objecti; idcirco particulare importat majorem virtutem concludendi ex parte rei quàm ex parte rationis, ratione sequente realitatem tanquam suum finem, & non è converso, sicut figura formam, cujus est figura, & non è converso, existente realitate formâ, & ratione figurâ illius formæ.

Nullo

24. Nullo modo secundùm hanc artem est respondendum ad quæstionem sinè F. G. aliquo modo per T. discurrentibus; ratio hujus est, quia dum intellectus successivè discurrit per objecta, attrahit ad memoriam aliam speciem post aliam, & memoria ita recipit eas successivè, sicut intellectus ministrat eidem, ut inde habitus scientiæ fieri possit; tunc autem cavendum est de nimia voluntate, quia, cùm sinè discursu sit infusiva, impedit F. G. discurrentia privans in eis successionem discursûs eorum propter nimium fervorem dilectionis vel odii.

25. Cùm circa aliquid fit discursus, ut habeatur copia fortium rationum, innuit ista ars, Artistam recurrere ad textum hujus artis & maximè ad secundam partem figurarum, utendo conditionibus & regulis triangulorum T. & aliorum terminorum figurarum, sicut in eadem parte innuitur, salvando textum; quia, quidquid est contra textum, necessariò aut est falsum, aut impossibile, aut summum inconveniens. Idem judicium est de regulis hujus artis: & tunc multiplex impossibilis destructio textûs, cùm sit ex universalibus, quæ non possunt destrui, significabit multiplicem hujus particularîs, quod quæritur, necessitatem, vel impossibilitatem, vel possibilitatem, vel summam convenientiam. Hæc autem regula est multùm generalis, & ratione suæ generalitatis requiritur, quòd Artista habeat in habitu valde hunc textum cum suis regulis, ut sciat loca, quæ faciunt ad sibi propositam quæstionem.

26. Principia hujus artis in majori parte per se nota sunt; illa verò, quæ fortè per se non sunt manifesta, sunt per T. demonstrabilia, perquirendo particulare in universali illius principii, quod indiget probatione. Exemplum autem hujus multipliciter manifestatur in secunda parte primæ distinctionis; *quare, si quis neget principia per se nota hujus artis, non est cum eo conferendum, si verò neget ea, quæ per se nota non sunt, probentur ei modo probandi hujus artis.* Hoc igitur modo habent conservari principia hujus artis; hoc idem sequitur de positionibus & regulis hujus artis.

27. Si verò termini quæstionis non sunt scripti in figuris, sicut in A. gratia, libertas, sanctitas, benignitas &c., alternentur pro illis termini, qui magìs sunt similes, vel qui idem sunt quod illi, licèt alio nomine dicantur, vel sunt proprietates illius, sicut gratia, quæ pro voluntate accipiatur, & libertas pro potestate, cujus proprietas in Deo est, non posse cogi, & sanctitas pro perfectione, & benignitas pro bonitate, & sic de aliis; vel intelligantur isti sub illis, & è converso: similiter etiam sequitur in aliis figuris, sicut in V. patientia pro vel sub fortitudine, largitas pro vel sub temperantia vel charitate sumatur, & sic de aliis hujusmodi: vel etiam ad creaturam intellectualem vel ad operationem possunt applicari, vel si sunt proprietates sicut caliditas, levitas &c. pro igne vel sub igne accipiantur, & sic de aliis.

Aut etiam, si termini quæstionis sunt directè oppositi quibuscunque terminis figurarum, nec sunt scripti, sicut malitia bonitati, & parvitas magnitudini &c., & sicut diffidentia vel incredulitas fidei, & desperantia spei, & crudelitas charitati &c., & sobrietas gulæ, castitas luxuriæ, humilitas superbiæ, &c. hujusmodi; hi namque termini quilibet sub suo opposito collocandus est, ut oppositum per oppositum magìs illucescat; vel si indirectè opponuntur, quia termini, quibus opponuntur, non sunt in figuris scripti, sicut in A. coactio contra libertatem & ingratitudo contra gratiam, & apostasis vel profanitas contra sanctitatem, & cætera hujusmodi, tunc libertas accipienda est pro vel sub potestate, & coactio pro vel sub debilitate, & gratia pro vel sub voluntate, & ingratitudo pro vel sub voluntate, & sic de aliis hujusmodi. Ratio hujus regulæ est, ut, quocunque modo fiat quæstio, possit aut directè aut indirectè, ût dictum est, applicari ad terminos hujus artis; hæc autem regula est valde necessaria.

28. Si fortè respondens aut etiam opponens sit occupatus probare positivè, probet privativè, vel per impossibile vel inconveniens: impossibile & inconveniens inveniuntur in destructione illius universalis, cujus est particulare, quod quæritur, dando ipsam destructionem ipsi I.; habet autem fieri destructio universalis, quando privantur universales conditiones & proprietates rerum, videlicet quando oppositæ universalia affirmantur esse idem vel habere eandem conditionem vel proprietatem, vel aliud eorum immediatè concordare cum alio, vel eorum particularia habere esse simul & semel & secundùm idem

in eodem, vel quando, quod uni soli naturæ vel alicui particulari convenit, dicitur commune, & sic de aliis hujusmodi; horum exemplum diffusum est per practicam hujus artis.

Si tamen probatio possit fieri positivè secundùm E. concordando plura universalia adinvicem ad particulare, potior erit secundùm hanc artem, quàm privativè secundùm I.: ratio autem hujus est, quia major est probatio per modum concordantiæ quàm per modum contrarietatis, & affirmativè quàm negativè; nam E. principaliùs movet I. ad suum contrarium objectum quàm è converso; & idcirco si positio existens in se vera non possit in principio faciliter demonstrari, reducendæ sunt rationes contradicentes ad impossibile secundùm I.; postmodum oportet reduci necessitatem positionis secundùm E., & eam demonstrari transeundo de contrarietate universalis & particularis negativè ad concordantiam eorundem affirmativè.

29. Opponente arguente pro & contra discurrant artificialiter F. G. respondentis per utrasque rationes tam propositas quàm oppositas opponentis, & fiet ei quæstio magis nota, & elongabitur vehementiùs ab R.; & sic F. G. discurrentibus perpendet, quæ duarum partium importat majorem finem, & fortè, si peritus fuerit, ex altera illarum partium sciet elicere rationes ad dissolvendum partem oppositam suæ conclusioni. Exemplum autem hujus longum est & diffusum, quare ad præsens supersedendum est, & hoc faciliter poterunt experiri disputantes secundùm principia hujus artis. Ratio hujus regulæ est, quia quandoque respondens semiplenè intelligit quæstionem, si fortè opponens & respondens non habent idem objectum, vel laborant in æquivocum; & multa etiam impedimenta, quæ occurrunt inter ipsos, arguendo pro & contra fiunt manifesta.

30. Propositâ quæstione discurrant F. G. respondentis per T. inquirentia, quæ principia sunt superiora terminis quæstionis, & plùs in radice hujus, quod quæritur; & videant, quomodo se habent ipsi termini quæstionis cum conditionibus & proprietatibus Dei & suarum dignitatum, ita quòd, de quocunque quæratur, videant, quomodo secundùm propositam quæstionem bonitas & magnitudo se habent ad illud; & si sit de creatura, videant, quomodo illa creatura est constituta de bonitate, magnitudine, duratione &c. secundùm radicem suî; & inde descendant ad principia secundaria, quæ sunt forma & materia & essentia & esse rei, percipiendo, quomodo esse & essentia se habent ad illa principia, de quibus constituta sunt, & quomodo per hæc ipsum suppositum, de quo quæritur, est agens & objectum, ad quod sua operatio se habet; & isto modo particulare poterit inveniri, cùm omne particulare in suprà dictis terminis sit contentum.

31. Si fiat quæstio de Deo vel creatura secundùm suas operationes, oportet secundùm hanc artem terminos declinare; de Deo quidem Deificativus Deificabilis Deificare Deificatus, unitivus unibilis unire unitus, essentiativus essentiabilis essentiare essentiatus, dignificativus dignificabilis dignificare dignificatus, videlicet secundùm A. bonificativus magnificativus &c. bonificabilis magnificabilis &c. bonificare magnificare &c. bonificatus magnificatus &c.: & ista declinatio est ratione „ suppositorum, non quòd essentia sive bo„ nitas &c. generet, sed quòd Pater gene„ rando Filium dat ipsi, quidquid habet. De creatura creativum creabile creare creatum, intellectivum intelligibile intelligere intellectum, & sic de sensualitate &c., & sic de cæteris angulis & suis contentis: hæc autem declinatio se extendit per omnes terminos S.V.X. &c. Ratio hujus regulæ est, quia docet inveniri particulare ratione formæ & materiæ, & potentiæ & actûs, atque denotat omnes triangulos T., & indicat conditiones & proprietates rerum, idcirco ante judicium particularis, si necessaria fuerit, est hæc declinatio speculanda.

32. Conditiones & proprietates hujus, quod dicitur per nomen, per T. inquirendæ sunt, quibus per T. inventis fiat judicium de hoc, quod dicitur per nomen, secundùm quòd illæ proprietates & conditiones inventæ sunt in eo per T., ût si quæratur de igne, ita concludendum est, quòd ignis sit creatura sensualis, & quòd remaneat unus essentialiter constitutus de bonitate ignea in magnitudine ignea &c., & quòd ratione suæ operationis sit ignitivus, calefactivus, levificativus, lucificativus, disperšivus &c. & concordans terræ ratione siccitatis, & aëri ratione caliditatis, & contrarians aquæ ratione frigiditatis, & habet majus principium, medium & finem in cholerico quàm in aliquo alio supposito alterius complexionis, & quòd sit major in eo ratione finîs, minor verò ratione principii & medii, & quòd habeat in se æqualitatem ratione bonitatis, magnitudinis &c., & quòd sit ens in natura ducens aquam ad non ens, quantum sibi possibile est; nam quodcunque particulare ignîs destruat istas suas conditiones, falsum est aut impossibile, & illud particulare, quo destructo istæ conditiones stare non possunt, oportet esse necessariò, & sic de aliis suo modo.

33. Sicut formatur universale ex conditionibus & proprietatibus, & fortificatur per terminos T. ad concludendum particulare, ita potest formari particulare ex suo universali ad faciendam quæstionem, & potest fortificari dubitatio quæstionis per terminos T. arguendo hinc & inde: veruntamen argumenta, quæ sunt veræ conclusioni contraria, si non sunt alicujus efficaciæ, interimantur; si verò habent aliquam efficaciam, hoc accidit ratione alicujus similitudinis vel concordantiæ seu convenientiæ, quam aliquod universale extraneum habet respectu ipsius particularis, de quo quæritur, cum illo universali, cujus est ipsum particulare, ratione cujus similitudinis vel concordantiæ eorum respectivè ad ipsum particulare latet vel latere videtur vera conclusio ipsius particularis, & falsa conclusio ratione indistinctionis apparet esse vera. Exemplum hujus patet apud communiter disputantes, hæc autem solvuntur per distinctionem illius concordantiæ vel similitudinis.

34. Ad dissolutionem argumentorum contrariorum applicandum est alterum illorum in T. ad illum angulum, ubi videtur habere majorem efficaciam; & secundùm conditiones illius anguli discernendum est, in quo & secundùm quid est vel apparet ejus efficacia, dein oppositum hujus eidem angulo & conditionibus ejus applicandum est, & videndum similiter, in quo & secundùm quid est vel apparet ejus efficacia, & in hoc & secundùm hoc, quod erit vel apparebit hujus oppositorum efficacia, non erit vel non apparebit illius, nec è converso.

Deinde secundùm istum modum applicandum est quodlibet istorum oppositorum cuilibet aliorum angulorum seu triangulorum ipsius T., judicando in quolibet eorum secundùm conditiones illius, in quo & secundùm quid est vel non est, aut apparet vel non apparet cujuslibet ipsorum oppositorum efficacia, hoc namque habet fieri discursivè addendo & miscendo angulum cum angulo, triangulum cum triangulo, & miscendo ibidem terminos X. adinvicem cum ipsis angulis; & tunc manifestè patebit, in quo & secundùm quid unumquodque ipsorum oppositorum concludit vel non concludit; & tunc necessariò hoc erit ita, aut quòd illud concludet secundùm existentiam & apparentiam, & istud secundùm apparentiam & non existentiam, & tunc interimatur istius existentia, & concedatur apparentia; vel quòd istud concludet secundùm existentiam & apparentiam, & illud secundùm apparentiam & non existentiam, vel è converso, & tunc similiter interimatur illius existentia, & concedatur apparentia: aut ita erit, quòd illud concludet secundùm existentiam & non apparentiam, & istud secundùm apparentiam & non existentiam vel è converso, & tunc interimatur illius apparentia, & concludatur existentia, & istius interimatur existentia, & concedatur apparentia, vel è converso, si sit è converso. Iste secundus modus habet esse in prædestinatione & libero arbitrio, & in aliquibus aliis punctis transcendentibus. Aut etiam ita erit, quòd utrumque concludet secundùm existentiam & apparentiam habitis diversis respectibus, & tunc secundùm respectum istius concedendum est isti, & interimendum illi, & secundùm respectum illius concedendum est illi, & interimendum isti; & tunc manifestè patebit, in quo peccabit argumentum oppositum veræ conclusioni per suum oppositum, cujus conditiones per plures conditiones suprà dictorum terminorum fortificantur. Isto modo discurrendi habet fieri etiam electio, quodnam duorum prævalet, videlicet illud, cujus conditiones in prædicto discursu sunt magis fortificatæ.

35. Valde utile est in arte distingui inter primam intentionem & secundam, cùm prima intentio sit finis, secunda verò se habeat ad finem: conditiones enim distinctæ sunt ratione conditionum primæ intentionis & secundæ; & ideo conditiones particularis per T. judicandæ sunt artificialiter miscendo triangulum in triangulum vel angulum in angulum secundùm conditiones primæ intentionis & secundæ, & sic judicando distinctionem & finem

duarum

duarum intentionum earum particulare judicatur.

36. In faciendo judicium recipiendæ sunt in verbum phantasticum illæ similitudines, quæ sunt in E. I. ex parte B. C. D. F. G. H., & illæ similitudines, quæ sunt ex parte objecti ipsius E. vel I. & earum conditiones in triangulis T. miscendo eos: ratio hujus est, quia cavendum est, ne similitudines alterius improportionentur ascendendo plùs vel minùs quàm oporteat, sunt etenim coæquandæ, ne illarum nimia vel modica influentia particulare, quod quæritur, faciat ignorari: & dandæ sunt metaphoræ, nam similitudo similitudinem attrahit, participante aliâ similitudine cum alia in verbo phantastico, & revelabitur particulare per concordantiam principium & finem similitudinum, nec contradicens tantùm repugnat similitudinibus & metaphoris, quantùm objecto, quod odit, & sic respondens fortè poterit transmutare opponentem ab I. in E.

37. Cùm in hac arte S. sit figura agens, & T. instrumentum agendi per quascunque figuras hujus artis, de ratione hujus artis est, quòd Artista recipiat id, per quod S. est magis aptum investigare, & T. est magìs aptum ipsi instrumentum investigationis, & cæteræ figuræ magìs objectabiles eidem S.; & hinc inde sumenda est major aptitudo, miscendo aliam figuram cum alia, ût in secunda figura demonstrativa patet. Inventâ autem illâ majori aptitudine applicetur ad propositum, & per eam fiat judicium; major autem prædicta aptitudo est, quòd E. magìs habeat A. V. Y., & I. habeat V. Z. Ratio hujus regulæ est, quoniam sicut S. est magìs proportionatum inquirere ratione alicujus particularis quàm alterius, ita aliquod particulare est magìs aptum ad eligendum & magìs proportionatum conclusioni quàm alterum.

38. Advertendum est, quomodo principia T. & conditiones ex principiis & conditionibus A. sumuntur, nam creatura sumitur & consideratur quantum ad existere A. & suam productionem intrinsecam, quam habet producendo suum simile, & operatio creaturæ ab operatione A., & differentia seu distinctio à distinctione, quam habet, & concordantia à concordantia ejus, & contrarietas à dissimilitudine ejus, & principium de principio illius, existente Deo Patre principio Dei Filii, & Patre & Filio principio Sancti Spiritûs, & totâ Deitate principiante omne creatum; & medium à medio, quod est Sanctus Spiritus, qui est nexus amoris Patris & Filii; & finis à summo fine, qui est ipsum A., quantum ad existere & suum agere; & majoritas à magnitudine A.; & æqualitas ab æqualitate ejusdem; & minoritas à dissimilitudine illius; & affirmatio, quia A. est summùm ens; & negatio, quia A. non est lapis, vel quia non est aliquod inconveniens summo enti; dubitatio ex dissimilitudine Sapientiæ Dei. Itaque cognoscuntur principia T. per A. & è converso. Eodem modo possunt cognosci S. V. X., & sic de aliis figuris.

39. Dum Artista se applicat ad alias scientias speculandas, advertat ad modum, secundùm quem seminati sunt in eis termini figurarum hujus artis, & secundùm quòd termini ordinati & conditionati sunt in hac arte, concludat in eis. Ratio autem hujus est, quia hæc ars super cæteras scientias est universalis, ratione cujus universalitatis particularia aliarum scientiarum per viam rationis ad eam sunt reducibilia; *idcirco cùm hæc sit omnibus generalior, huic omnes subesse debent*, ut, dum fit ex particularibus earum judicium, depurentur & cognoscantur earum conditiones, quas habent per se, secundùm conditiones, quas habent in suis universalibus principiis.

40. Hæc Ars requirit viros intelligentes & attentos maximè speculationi deditos, ut eorum intellectus ex virtute terminorum recipiant magnum beneficium habitûs; & plurimum conferendo exercitativos, ut gratiâ disputationis hæc, quæ speculatio sumpsit, usui recommendent: & si quandoque contingat, quòd in disputatione speculatio exercitationi non bene respondeat, non videndo dare solutionem alicujus particularis quæsiti, quia tunc non bene privatum est R., petenda est deliberatio, cum non omni tempore F. G. aptitudinem habeant discurrendi, nam factâ deliberatione securior est responsio, quia longiori spatio celebrata est digestio speculationis; igitur sinè deliberatione periculum est respondere; quare, si tunc contra Y. fiat judicium, non est ex defectu artis, sed utentis arte, *sicut si pravus medicus interficiat ægrotantem, propter hoc non deficiunt regulæ medicinæ.* Optima est igitur deliberatio respondendi, quia licèt etiam sinè deliberatione respondeatur veritas, post responsionem aliquando se sentiet respondens efficaciùs posse dixisse.

Si quis igitur bene speculatus fuerit terminos & conditiones figurarum hujus artis & suprà dictas regulas, & eas, sicut decet, exercitationi accommodaverit, abundabit copiosissimis rationibus circa unumquodque, nec falsæ objectiones poterunt ei resistere, erit enim felix intellectu, *nam speculatione & exercitio acquiritur summus fructus & utilitas hujus artis.*

INCIPIT
TERTIA DISTINCTIO
QUÆ EST
De Quæstionibus.

VT Via & doctrina pateat ad practicam hujus artis, *triginta Quæstiones* assumimus, subdendo cuilibet figuræ *duas Quæstiones*; quarum prima notatur, & per literam explicantem illam notam solvitur; alia verò notatur similiter, nec habet literam explicantem eam notam, sed remanet solubilis secundùm modum primæ, ut Artista sequens præsens opus discat solvere secundam quæstionem modo primæ. Secundùm solutionem primæ proceditur *duobus modis*. *Primò* in prima camera solutionis ponitur T. successivè & ordinatè videlicet triangulus post triangulum successivè, altero eorum fortificante alterum, sicut suprà de T. dictum est. *Secundò* tres cameræ consequentes primam miscentur ad invicem cum triangulis, prout ad propositum indigetur: his siquidem *duobus modis* inquiritur particulare in universali, ut suprà *decimâ quintâ Regulâ* dictum est. In hac igitur ultima distinctione per hæc, quæ dicuntur de quindecim quæstionibus artificialiter solutis, sunt intelligibiles solutiones infinitarum quæstionum, procedendo eodem modo, sicut hîc exemplariter demonstratur: & sic Artista istarum exemplo tenens modum artis poterit ad placitum formare cameras, quas magìs ad solutionem quæstionis intelliget pertinere, & ad placitum discurrere secundùm suam altitudinem intellectûs. Nunc igitur ad propositum accedamus & primò de A., deinde de cæteris consequenter.

De Quæstionibus A.

QUæstio. *Utrùm Deus sit tam magnum bonum agendo quàm existendo?*

Solutio. Bonitas magnitudo, magnitudo æternitas, potestas sapientia, sapientia voluntas.

Quæstio. *Utrùm possibilitas & impossibilitas habeant in Deo æqualem magnitudinem?* Solutio. Bonitas magnitudo, magnitudo æternitas, potestas voluntas, æqualitas negatio.

De primo Modo solvendi.

AD primam quæstionem applicando T. ad primam cameram respondendum est secundùm veram probationem, tenendo, quòd A. tam magnum bonum est agendo quàm existendo; & hoc declaratur sic primò

1. In triangulo livido bonitas unitatis
a. essentiæ significat, A. esse A. in suo existere, ita quòd ipsummet existere est ipsum A., ut ipsum existere sit in magnitudine bonitatis, unitatis & essentiæ divinæ; & quemadmodum A. est A. in existere, in tantum est etiam A. in suo agere, ut magnitudo bonitatis unitatis Deitatis non deficiat ipsi agere bonificativi & bonificabilis & bonificati, sicut nec deficit ipsi existere istorum; quòd nisi ita sit, magnitudo esset parvitas in divino agere, atque parvitas esset magnitudo in divino existere, quod est impossibile; ergò Deus est tam magnus agendo quàm existendo. Et inde sequitur necessariò, quòd quantus Deus existit, tantum agit Deum, quòd si non, non esset secundùm bonitatem tantus existendo, quantus agendo, cujus oppositum necessariò probatum est.

b. Creatura verò videtur significare, A. esse majus agendo quàm existendo, ipso producente bonas creaturas agendo, non autem existendo; quoniam si existendo

produceret eas, utique produceret eas in immensitate & æternitate, quod est impossibile.

c. Sed F. G. ascendunt ad finem, quare Deus est bonus, magnus &c., & interimendo tradunt ipsi I. illum finem, quem fecerant K. L., videlicet Deum esse bonum, magnum &c. propter productionem creaturarum, & affirmando tradunt ipsi E. istum finem videlicet, quòd Deus propter suam bonitatem & magnitudinem, cùm sit bonus & magnus, producit creaturas; & ratio affirmationis istius & interemptionis illius est, quia bonitas Dei est magna, vel magnitudo bona substantialiter, non autem accidentaliter.

2. Triangulus viridis denotat, esse & pri-
a. vationem esse in opposito, in quo significat magnitudo, quòd Deus, cùm sit Deus in existendo, non potest ratione infinitæ existentiæ esse in privatione, cùm sint opposita, ita similiter in tantum etiam significat magnitudo bonitatis, quòd Deus, cùm sit Deus in agendo, non potest esse in privatione ratione infinitæ actionis; quod nisi ita sit, Deus non esset tantùm distans à privatione ratione agendi, quantùm ratione existendi, quod est impossibile &c.: & inde sequitur, quòd sicut Deus existendo Deus est Deus, ut sit infinitum esse remotum ab omni privatione, ita & in tantum Deus agendo Deum est Deus, videlicet producendo, ut infinitum agere sit remotum ab omni cessatione & privatione; & sic est in A. distinctio & concordantia Dei agentis & acti, videlicet producentis & producti, distinctio quidem in ratione agentis & acti, videlicet producentis & producti, concordantia verò in unitate essentiæ.

b. Veruntamen distinctio substantiæ & accidentis videtur significare, illam distinctionem esse vel substantiæ vel accidentis; sed accidentis nequaquam, nullum enim accidens potest esse in A. propter minoritatem & defectum, quem importat respectu summi entis perfecti in omni simplicitate: cùm ergò illa distinctio non sit accidentalis, erit substantialis; & si est substantialis, distinguet substantiam à substantia; & si sic, sunt ergò multi Dii ratione distinctionis substantiæ, quâ distinctione substantia istius limitaret substantiam illius, & è converso; & sic quælibet earum haberet magnitudinem bonitatis & perfectionis & simplicitatis in privatione; & magnitudinem malitiæ, defectûs & compositionis in esse, quod est impossibile; ergò nulla est in A. distinctio, nec est per consequens tantum in agere quantum in esse.

c. In hoc autem F. G. discurrentes concedunt distinctionem accidentalem ipsius A. esse in I. negativè, & distinctionem substantialem ejus esse in E., sed non illam nec eodem modo, quam K. L. superiùs affirmant esse in A.; nam quando F. G. attingunt unitatem & distinctionem in A. in infinita potestate, perfectione, simplicitate & nobilitate &c., attingunt ipsam essentiam A. totam indistinctam ratione infinitæ potestatis, perfectionis & simplicitatis &c. suæ unitatis esse totam in distinctione ratione infinitæ potestatis, simplicitatis, perfectionis & nobilitatis &c. ipsius distinctionis A. producentis ab A. producto, & è converso, ipso A. producente existente sub ratione producentis totâ divinâ essentiâ ratione suæ infinitæ unitatis, potestatis, perfectionis, & ipso A. producto in ratione A. producti existente etiam totâ ipsâ divinâ essentiâ, & sic non valent, quæ contradicta sunt.

3. Magnitudo bonitatis in triangulo ru-
a. beo significat tantum esse finem in A. ratione agendi intrinsecè, quantus est ratione existendi; quòd si non, existere ipsius A. esset finis, & suum agere intrinsecum se haberet ad finem, & sic ipsum agere non esset A., quia esset aliquid in A., quod non esset A., quod est impossibile; ac etiam sequeretur, quòd in A. bonificativus bonificans existens principium bonificabilis, & bonificare existens medium inter bonificativum bonificantem & bonificabilem tenderent ad hunc finem, scilicet quòd bonificabilis esset bonificatus, & nunquam attingerent illum; & sic esset in A. privatio finis privans, & per consequens malitia malificans magnitudinem bonificativi bonificantis & bonificandi & bonificabilis in A., quod est impossibile: ergò sicut divina essentia per hoc medium, quod est existere, est Deus existens & agens, ita & in tantum etiam activus, videlicet bonificativus &c. per hoc medium, quod est agere, videlicet bonificare, producit Deum actum, videlicet bonificatum &c. existentem; ergò tantum est agere ipsius, quantum suum existere; quare ipsum A. in tantum est finis producendo A. sicut existendo A.; quòd si non, major esset finis in magnitudine bonitatis ratione existendi quàm agendi, quod est impossibile.

b. Objiciunt autem K. L. credentia, se esse F. G., quòd in A. nihil est de triangulo rubeo; principium enim non est in ipso A., quia in eo non est tempus nec quantitas, nec materia nec forma informans, quia in eo non est agens, eò quòd non est in eo materia, vel etiam, quia non est in eo finis, quia nihil est in ipso A., quod se habeat ad illum, cùm finis major sit eo, quod se habet ad ipsum finem: nec est in ipso aliquod medium, quia in eo nulla est extremitas, nec mensuratio, cùm sit immensum, nec conjunctio, quia non est in eo finis, nec imperfectio, ût dictum est, nec privatio, ût de se patet, nec terminatio, sicut nec mensuratio, cùm sit immensum; ergò nihil est in A. de triangulo rubeo; quare videtur, quòd A. sit majus in existere quàm in agere, quia necessariò ratione sui existendi A. est A., quod est summum existere; sed privato toto triangulo rubeo in eo, impossibile est, ipsum A. posse producere A., quod per se patet.

c. Sed F. G. discurrentia per triangulum viridem & croceum in livido concedunt tempus & quantitatem, materiam, extremitatem & privationem penitus non esse in A.; & distinguunt de residuo, quia si residuum accipiatur sicut in creatura, sic verum est, quod objicitur; si verò accipiatur secundùm æqualitatem divinæ unitatis & uniendi, bonitatis & bonificandi, magnitudinis & magnificandi &c. in divina essentia ratione infinitæ potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, justitiæ &c., falsum est, quod objicitur.

4. Manifestum est, quòd magnitudo di-
a. vinæ bonitatis major est quoad existere & agere quàm quoad existere tantùm & non agere, & major similiter, si tantum est ipsum agere in ipsa magnitudine bonitatis, quantum est ipsum existere; hoc autem non esset, nisi Deus esset tantus in agendo bonum, quantus ipse est in existendo bonus: ergò tantum bonum est Deus in agendo quantum in existendo; quòd si non, magnitudo deficit majoritati æqualitatis existendi & agendi habens concordantiam minoritati & inæqualitati existendi & agendi, quod est impossibile, ergò &c.: & si sic, manifestum est, quòd Deus est tantus in bonitate &c. producendo Deum, quantus est ipse in agendo; quia si non, ageret utique accidentaliter, non autem substantialiter, cùm magnitudo bonitatis major sit ratione agendi producendo quàm ratione agendi non producendo.

b. Sed objiciunt F. G. conversa in K. L. isto modo. Existentibus duobus æqualibus in uno, quodlibet eorum per se minus est quàm ambo simul; quare si in A. agere est æquale ipsi existere, minus est ipsum existere per se vel agere per se quàm existere & agere simul, quod est impossibile in A., cùm in eo nihil sit majus, nec per consequens minus.

c. Ad hoc respondent F. G. recurrentia ad unitatem essentiæ Dei in bonitate magnitudine simplicitatis perfectionis ipsius essentiæ Dei, quòd verum esset, si illud unum, in quo sunt, esset constitutum ex illis duobus tanquam ex diversis essentiis implicantibus quantitatem; vel si eorum aliud non esset id, quod aliud essentialiter & è converso; vel si quælibet essentia eorum non esset id totum, quod sunt ambæ simul; sed quoniam ratione simplicitatis & perfectionis in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c. ipsum existere Dei est immensum in bonitate, & eodem modo ipsum agere, & quodlibet eorum est, id quod aliud eorum, & quodlibet eorum per se & insimul sunt ipsa immensa essentia Dei, ergò falsum est in Deo, quod objicitur.

5. Negatio æqualitatis existendi & agen-
a. di Dei in bonitate & magnitudine includit in A. minoritatem entitatis bonitatis magnitudinis, & minoritatem possibilitatis æqualitatis, & majoritatem impossibilitatis inæqualitatis; sed quoniam affirmatio contradictoria prædictæ negationi importat in A. necessariò oppositum prædictæ negationis ratione bonitatis contra malitiam, & magnitudinis contra parvitatem, & potestatis contra impotentiam, & perfectionis contra defectum, & entis contra non ens, & sic de aliis, quæ videlicet malitia, parvitas, impotentia, defectus, non ens &c. essent in A., quod est impossibile, si prædicta negatio esset vera, ergò necessariò sequitur, affirmationem oppositam illi negationi necessariò esse veram & objectabilem ipsi E., quia prædicta negatio ei opposita est objectabilis ipsi I.; ergò necessariò tam magnum bonum est Deus agendo quàm existendo, ergò necessariò Deus in tantum agit, seu agendo producit Deum, quantum existit Deus, cùm sinè productio-

ne ex entitate essendi Deus non possit tantùm agere quantùm cum ipsa productione; & hæc affirmatio summè recolibilis est ab E., quoniam, si negetur ab N. credente se esse I., esset utique summum periculum ipsi S., quia, cùm quidquid est in Deo ratione infinitæ & simplicis perfectionis Dei, sit totum ipsum ens divinum totum, quicunque negat aliquid in Deo, quod in Deo est, negat ipsum totum summum ens divinum, aut si affirmat in eo aliquid contra ejus dignitates, implicat illud idem.

b. Objicitur autem contra illud, quod sequitur ex solutione quæstionis: si Deus agendo producit Deum, producens quidem, cùm sit Deus, est immensus, & productus similiter, cùm sit Deus, est immensus; sed duo immensi includunt impossibile, quia immensitas istius limitat magnitudinem illius, vel è converso; vel uterque est limitatus, cùm sit impossibile, plures immensitates esse, ergò &c.

c. Ad hoc respondent F. G. ratione unitatis immensitatis ipsius producentis & producti, quòd procederet argumentum, si immensitas istius non esset immensitas illius; sed quoniam est tantùm una immensitas, & producens totus est tota immensitas ratione producentis, & productus tota eadem ratione producti, non procedit objectio.

Dictum est de primo modo universali solvendo quæstionem & objectiones; nunc autem est dicendum de secundo modo.

De secundo Modo solvendi.

1. MAjoritas in secunda camera significat magnitudinem esse majorem in æternitate, si æternitas æternificat magnificare magnitudinis in tantum, quantum est ipsamet æternitas existendo, quàm si in tantum non æternificat illud, & è converso æternitas major est in magnitudine, si ipsa magnitudo immensificat æternificare æternitatis in tantum, quantum ipsa est immensa existendo: hoc habito transeunt F. G. cum majoritate de secunda camera ad tertiam, in qua significatur, quòd sapientia habet majorem potestatem sciendi, si scit potestatem tantam esse in agendo, quanta est in existendo, ut suum posse sit tantum, quantum suum existere: hoc etiam habito transeunt cum ipsa majoritate de tertia ad quartam cameram, ubi denotatur, quòd sapientia scit majus velle voluntatis, si vult, quòd æternitas tantùm æternificet actum magnitudinis, quantùm est ipsa æternitas existendo, & quòd magnitudo tantùm magnificet actum æternitatis, quantùm ipsa magnitudo est immensa existendo, & si vult tantùm agere, quantùm ipsa est in existere.

a. His itaque investigatis debent F. G. se transferre in E. concludendo affirmativè ratione majoritatis potestatis sciendi, magnificandi, æternificandi & volendi, cùm inde sequatur majoritas finîs sciendi, & major perfectio entis, & major distantia à parvitate & parvificare, & à privatione & privare, & ab impotentia & non posse, & ab ignorantia & ignorare, & ab ira vel odio & irasci vel odire; quare necessariò concludit E. in Deo æqualitatem existendi & agendi movens I. ad minoritatem prædictæ distantiæ propter summam privationem & defectum & impossibilitatem & cætera summa mala, quæ sequerentur in A.

b. Et inde sequitur, si prædicta affirmatio esset falsa, & negatio vera, quòd nec divina potestas nec divina magnitudo possent satisfacere ipsi E. concludendo diligenti majoritatem actûs & existentiæ divinæ magnitudinis potestatis &c., nec ipsi I. odienti oppositum illius majoritatis, quod est impossibile; ergò est manifestum, quòd DEUS est tam magnum bonum agendo quàm existendo.

c. Et ad istud antecedens sequitur necessariò istud consequens, videlicet Deum in tantum esse Deum producendo Deum, quantus est existendo DEUS; quòd si non, suum agere est majus sinè producere, quàm cum producere, & per consequens suum existere, quàm suum agere, quod est impossibile, sicut multis rationibus jam probatum est; ergò necessariò Deus in tantum producit Deum, quantus existit Deus.

2. Sed K. L. videntur destruere ipsum a. prædictum agere per easdem cameras isto modo: si æternitas æternificet & magnitudo immensificet, æternitas ratione suæ magnitudinis est immensa, & suus actus idem cum ea, & magnitudo ratione suæ immensæ durationis æterna, & suus actus idem cum ea; quare si actus æternitatis æternificat actum magnitudinis, & magnitudo immensificat actum æternitatis, aut ita est (cùm magnitudo & æternitas sint

sint unum & idem) quòd non æternum fit æternum, & non immensum fit immensum, quod est contradictio, aut æternum recipit superfluam æternificationem, & immensum superfluam immensificationem, quod est impossibile.

b. Præterea per tertiam cameram divina sapientia non potest scire defectum divinæ potestatis nec sui ipsius, sed si æternitas æternificaret, sciret itaque posse potestatis non esse totum actu, eò quòd id, quod est æternum, non potest esse ita æternum, quòd ipsum iterum non oporteat æternificari & immensum immensificari; & quoniam ratione divinæ unitatis posse & scire sunt simpliciter unum & idem, si posse potestatis non est totum actu, nec scire sapientiæ est totum actu, quod est impossibile, ergò &c.

c. Præterea per quartam cameram bonum est esse æternum & immensum, sed adhuc plùs est esse æternum & immensum & æternificare & immensificare, quàm æternum & immensum tantùm; sed quod plus est, plùs diligitur à voluntate, quàm quod est minus, ergò voluntas plùs diligit esse æternum & immensum, & æternificare & immensificare, quàm immensum & æternum tantùm: sed cùm nihil sit ultra immensum & æternum, divina sapientia nihil intelligit ultra immensum & æternum; & sic majus est velle, quàm intelligere; ac etiam, cùm nihil sit ultra immensum & æternum, nihil potest diligere ultra immensum & æternum, & sic implicatur contradictio, ergò &c.

3. Ad solutionem harum objectionum a. F. G. discurrentia attingunt, ex quibus principiis istæ objectiones veniunt, & in quibus mediis deviant à fine veritatis; & sic respondent primò ad primam, quando dicitur: *quòd non æternum fit æternum, vel æternificatio superfluit æterno &c.*, quòd verum esset, si alio modo esse non posset, sed quoniam alio modo est, & ita oportet esse, non valet objectio; quòd autem alio modo à prædictis oporteat esse, patet, nam ex hoc, quòd est impossibile, magnitudinem & æternitatem esse otiosas & minores quàm sapientiam & voluntatem, quarum actus sunt intelligere & velle, oportet quamlibet earum necessariò habere suum actum; & quoniam ipsi actus cum suis dignitatibus ratione simplicis & perfectæ atque immensæ unitatis sunt unum & idem, nihil est ibi superfluum vel diminutum.

b. Et ad aliam, quando dicitur: *æternum non potest esse ita æternum, quòd non oporteat ipsum iterum æternificari &c.*, verum esset, si in ipso æternificari &c. incideret successio seu quantitas, sed ipso æternificari existente simul & semel ens æternum & ipsamet æternitas, non valet objectio.

c. Et ad aliam, quando dicitur: *plus est esse æternum & immensum, & æternificare & immensificare, quàm æternum & immensum tantùm*; verum est secundùm nostrum E. dividens & uniens ad placitum, sed falsum est secundùm realitatem, nam ratione simplicis & perfectæ atque immensæ unitatis, quidquid est in A., est ipsum totum ens immensum simplex & perfectum, quare non valet objectio.

Multæ aliæ objectiones possunt fieri in proposita quæstione, hæ verò prædictæ datæ sunt, ut pateat via & modus objiciendi & solvendi, & ut R. deveniat in majorem privationem, & E. I. in suis esse vehementiùs exaltentur; nam quantò plùs K. L. sub N. objiciunt ipsis E. I. construendo R., tantò vehementiùs investigant F. G., quia inveniunt ampliorem materiam investigandi convertentia O. in B. vel in F., & P. in C. vel in G., & Q. in D. vel in H., privando K. L.; & hoc modo convertitur R. in E. vel in I. secundùm objectum verum vel falsum privatis partibus ipsius N.

De Quæstionibus ipsius S.

QUæstio: *Utrùm intellectus & voluntas in anima sint æquales potentiæ?* Solutio: C. D., K. L., E. I., P. Q.

Quæstio: *Utrùm anima in radice sit constituta de similitudinibus Dei?* Solutio: E. A. V. Y., I. V. Z., bonitas magnitudo, magnitudo largitas.

De primo Modo solvendi.

SImilibus modis, sicut de præcedentibus duabus quæstionibus de A. dictum est, intendimus prosequi in præsenti & hoc sic:

1. Triangulus lividus additus ipsis C. D. a. significat Deum ratione suæ unitatis & essentiæ & suarum dignitatum æqualiter esse intelligibilem & amabilem, cùm in ipso Deo bonitas & veritas sint æquales in magnitudine æternitatis &c., & æqualiter distent à malitia & falsitate; idcirco ratione suæ justitiæ creavit Deus æqualiter C. D., ut C. sit intellectivum & Deus intelligibi-

lis, & D. volitivum & Deus volibilis, ita quòd intelligere & velle æqualiter se habeant ad Deum intelligibilem & volibilem, intellectum & volitum, ut Deus magis possit influere suam bonitatem, magnitudinem &c. in æqualitatem ipsorum C. D. quàm in inæqualitatem eorundem, cùm de conditionibus A. S. sit, quòd A. magis potest influere, & S. recipere mediantibus similitudinibus ipsius A., quàm mediantibus dissimilitudinibus ejus, existente æqualitate in A. & in C. D.

b. Sed superveniunt K. L. ipsis F. G., & objiciunt ratione majoris operationis isto modo. Manifestum est, quòd D. majus est in volendo, quàm C. in intelligendo, nam D. potest velle multa, quæ non cadunt in intelligere, quod patet per N., ergò non sunt æqualia.

c. Ad hoc respondent F. G. privantia K. L., quòd verum esset, si intellectus non intelligeret multa, quæ non cadunt in actum ipsius voluntatis, sed quoniam intellectus intelligit multa, quæ non cadunt in actum ipsius voluntatis, quod patet per G. discursivum, non valet objectio.

2. Inter C. D. est differentia in concor-
a. dantia, C. intelligente D., & D. diligente C., ut cum auxilio ipsius B. influant E. influentia suas similitudines differendo & concordando; quare, si C. D. existendo & agendo sunt æqualia ratione bonitatis & magnitudinis, de quibus constituta sunt, ut magis & meliùs possint attingere A., manifestè sequitur, quòd sunt æqualia, & per consequens magis possunt resistere malitiæ & parvitati; quòd si non, minùs, & sequitur defectus creatoris ad creaturam, eò quòd non creavit creaturam magis resistentem malitiæ, parvitati &c., quantùm potuit, cùm in proposito nullum inconveniens sequatur de creatura ad Deum; sed iste defectus ex parte Dei est impossibilis, & ex parte creaturæ inconveniens, ergò C. D. necessariò sunt æqualia, ut magnitudo bonitatis &c. Dei non repugnet majoritati, bonitatis &c. ipsorum C. D., per quam etiam majoritatem C. D. dissimilitudinibus Dei possunt resistere.

b. Sed objiciunt F. G. isto modo: majus est id, quod pluribus differentibus & concordantibus actibus agit, quàm quod non agit nisi uno actu, & plùs etiam concordat fini & suo esse, quod habet actum rejiciendi oppositum sui finis, ita quòd ipse actus sit distinctus ab illo actu, qui amplectitur finem, quia magis simpliciter se habet ad suum finem, & magis simpliciter ad oppositum sui finis; sed voluntas est hujusmodi habens duos actus distinctos videlicet diligere & odire, ita quòd odire est propter diligere, & diligere simpliciter se habet ad bonum, & odire simpliciter ad malum; intellectus verò non habet præter intelligere, quod indistinctè se habet ad verum & ad falsum, ergò voluntas major est intellectu.

c. Ad hoc F. G. discurrentia per triangulum lividum, rubeum & croceum & nigrum attingunt identitatem & differentiam, & distinguunt de operatione potentiæ & objecti: & tunc, quando objicitur: *voluntas habet duos actus distinctos videlicet diligere & odire*, concedunt F. G.; sed quando dicitur: *intellectus verò non habet præter intelligere* &c. interimunt, quia duplex est intelligere, est enim intelligere *sic*, & intelligere *non*, sicut velle *sic*, & velle *non*; & sicut ipsi velle *sic* est impositum hoc nomen, quod est diligere, & ipsi velle *non* hoc nomen, quod est odire, sic ipsi intelligere *sic* est impositum istud nomen, quod est affirmare; & intelligere *non* istud nomen, quòd est negare; nam sicut de largitate & perfectione bonitatis voluntatis est, eam diligere bonum, & propter diligere bonum odire naturaliter malum, sic de largitate & perfectione veritatis intellectûs est, eum affirmare verum, & habere naturalem inclinationem ad negandum falsum oppositum vero propter affirmare verum.

3. C. D. sunt principia, intelligere & velle
a. sunt media, per quæ C. D. tendunt ad finem, qui est Deum recoli, intelligi & diligi, quare si C. D. sunt æqualia, media eorum meliùs conjungibilia sunt ad invicem ad finem ratione æqualitatis quàm ratione inæqualitatis, & magis intensè se habent per omnes extremitates & terminos virtutis, & magis connexæ sunt conditiones & proprietates eorum, & per consequens tantò magis se habent ad objectum; quare ex hoc eorum æqualitas significatur, ut divina æqualitas non sit contra majoritatem suæ similitudinis ratione principii medii & finis C. D.

b. Sed objiciunt K. L. per triangulum rubeum, quòd nobilior seu major est illa potentia, quæ successivè de principio transit per medium ad finem nobilis habitûs; sed C. est hujusmodi, transit enim de B. per ob-

objecta memorata, & apprehendens species eorum successivè venit cum eis ad finem verbi phantastici, constituens in B. habitum scientificum, qui est valde nobilis, D. verò non, quia non est ei proprium, sed ipsi C., habitum scientificum constituere, quare videtur C. esse majus quàm D.

c. Respondent F. G. discurrentia secundùm triangulum croceum in rubeo, quòd verum esset, si D. nullum habitum haberet constituendi sibi proprium & æquivalentem habitui C., quod falsum est; quoniam sicut C. habet habitum scientificum, ita D. habet habitum volificum, & sicut C. transit successivè de objecto in objectum sub ratione affirmandi veritatem & negandi falsitatem objectorum constituens habitum scientificum, ita movetur D. per consequens sub ratione diligendi bonitatem vel odiendi malitiam eorundem constituens habitum volificum, & in tantum etiam, cùm tanta sit bonitas objecti, quanta veritas; quòd si non, plùs distaret veritas à falsitate, quàm bonitas à malitia, & verum esset nobilioris conditionis quàm bonum, & falsum pejoris conditionis quàm malum; & sic verum esset magis bonum, quàm bonum verum, & falsum magis malum, quàm malum falsum, quod est impossibile implicans contradictionem; quare non valet objectio.

4. Majoritas est major ratione substan-
a. tiæ quàm ratione accidentis; si igitur C. esset majus quàm D., eò quòd A. esset magis intelligibile quàm volibile, majoritas ipsius C. esset substantialis, & per consequens minoritas ipsius D. esset substantialis; vel è converso, si D. esset majus quàm C.; & ex hoc manifestè sequitur, quòd majoritas quoad hoc non est major ratione substantiæ quàm ratione accidentis, concordante majoritate substantiæ, & minoritate accidenti; nec per consequens minoritas minor ratione accidentis quàm ratione substantiæ, quod est impossibile; per quod manifestè patet C. D. esse substantialiter æqualia: veruntamen dum sunt in via sub E., & objectum per aliquod accidens aut ratione corporis aut ratione ipsius objecti est magis aptum intelligi quàm diligi vel è converso, ideo accidit, quòd influentia ipsorum C. D. aliquando est inæqualis in E. sive in I., sicut in elementato influentia elementorum est inæqualis, quodam eorum existente à prædominio.

b. Sed objicitur: D. est subjectum liberi arbitrii, non autem C., D. igitur de sua libertate imperat ipsi C. subjecto ejus imperio, ergò D. est majus ipso C.

c. Recurrit G. ad F. recolens in X. conditiones ipsius X. per triangulum croceum, viridem & rubeum, & conditiones seu regulas ipsius X. in *prima parte primæ distinctionis*, ubi secundùm T. objectiones sunt applicandæ, & secundùm conditiones X. T. solvendæ: & recolente F., ùt dictum est, G. attingit potentiam rationativam & suum objectum in esse perfectionis meriti, si C. habeat tantam libertatem intelligendi, quantam D. volendi; & major finis inde sequitur & major concordantia; quòd si non, attingit utique meritum in imperfectione essendi vel in esse privationis; atque minor finis & major contrarietas sequitur inter ipsam potentiam & objectum, quia objectum est aptum de natura sui, quòd liberè possit intelligi sicut diligi; & sic tota rationativa potentia non esset glorificabilis, quod est magnum inconveniens, ergò ipsum C. est subjectum libero arbitrio sicut D.; & sic interimitur, quod contra hoc objicitur.

5. Affirmatio æqualitatis inter C. D. plus
a. importat similitudinis entitatis & possibilitatis quàm ejus opposita negatio, & sic affirmatio plùs concordat enti, & magis contradicit non enti quàm negatio; manifestum est ergò, quòd æqualitas est inter C. D.; quòd si non, ejus utique contradictoria negatio magis contradiceret non enti, & concordaret enti quàm ipsa affirmatio, quod est impossibile & contra majoritatem finis affirmationis & negationis, ergò &c.

b. Sed L. affirmat, D. esse subjectum fidei attingens A., ubi C. ad conditiones A. non potest attingere, quas D. transmutatum in M. diligit super C.; quare manifestè videtur L. affirmare, D. esse nobilius quàm C.

c. At hoc solvit G., quando F. recolit triangulum rubeum & croceum, qui sunt inter affirmare & negare ipsorum C. G., & affirmare & negare ipsius L., & inter diligere ipsius D. & odire H., & diligere M. cum suomet odire; & tunc attingit G., quòd sicut S. consequitur suum finem per affirmare objecta diligibilia scilicet A. V. Y. secundùm E., & per negare objecta odibilia scilicet V. Z. secundùm I., ita similiter consequitur

sequitur suum finem per affirmare objecta diligibilia scilicet A. V. Y. secundùm N., quæ E. non potest attingere, & per negare objecta odibilia scilicet V. Z. secundùm N., quæ I. non potest attingere, ut S. ita consequatur meritum credendo sicut intelligendo; & sicut C. consequitur suum finem affirmando sub E., & D. suum finem diligendo sub E., & sic de I., ita L. consequitur suum finem affirmando vel negando sub N., & M. diligendo vel odiendo sub N.: & per hoc solvitur objectio, quando dicitur, *D. esse subjectum fidei &c.* verum est secundùm quid, sed falsum est simpliciter; quoniam sicut M. est subjectum fidei diligendo vel odiendo sub N. credente, ita similiter L. est subjectum fidei affirmando vel negando sub N. credente, quare non valet objectio.

De secundo Modo solvendi.

Dictum est de primo modo universali, nunc videndum est de secundo, per quem probamus eandem conclusionem, quam probavimus in præcedenti, & hoc isto modo.

1. Significant K. L. in secunda camera per triangulum viridem, rubeum & croceum in tertia camera de E. I., quòd si C. præcedit B. positivè, & K. necessariò præcedit L. privativè, sicut majus præcedit minus; quod patet per majorem oppositam distantiam B. K. & C. L., quoniam si C. majus est B. positivè, & L. majus K. privativè, & sic minor privatio præcedit majorem, & major positio minorem; & ita C. est principium & finis B., & K. est principium & finis L.: & quod sequitur de secunda camera in tertia ratione E., hoc idem sequitur in eadem ratione I.; & ideo si D. præcedit C., vel C. præcedit D., quod est judicium de B. C., idem est de C. D., & de P. Q. in quarta camera; sed hæc omnia sunt contra conditiones triangulorum & ipsorum A. S. & etiam contra libertatem, quam potentiæ S. habent in proprietatibus triangulorum, sicut patet discurrentibus F. G. per T. in cameris quæstionis, quare concludenda est æqualitas ipsorum C. D., ut prædicta inconvenientia non sequantur.

2. Sed per easdem cameras arguunt K. L.,
a. quòd C. majus est ipso D., & hoc sic: cùm memoria, intellectus & voluntas sint tres potentiæ ipsius S., illa videtur esse major & nobilior, quæ habet substantialem actionem in memoriam; sed C. est hujusmodi, non autem D., quia C. per G. investigat, & B. conservat investigata ipsius C., & hæc est substantialis operatio ipsius B. vel F. conservare investigata; sed nec D. nec H. investigant, quia sola F. G. sunt discursiva, ergò C. est majus ipso D.; & hoc etiam patet in oppositis, quia privato intelligere ipsius C. vel G. in L. necessariò privatur recolere ipsius B. vel F. in K., sed privato diligere D. vel odire H. non privatur actus ipsorum B. C. vel F. G., quia sic nunquam fieret investigatio, ergò &c.

b. Sed contra hoc est camera E. I. sic: I. non diversificatur ab E. nisi ratione D. H., quia converso H. in D. conversum est I. in E., & è converso converso D. in H.; sed de conditione E. est affirmare per viam intelligendi, & de conditione I. negare per viam intelligendi, & cùm de conditionibus E. sit, ipsum E. movere I. ad negandum ratione odiendi malum & falsum esse, ergò ipsum E. ratione D. movet ipsum I. ad negandum ratione H., cùm solùm diversificentur secundùm D. H., ût dictum est, ergò D. est majus ratione movendi I. quàm C., cujus conditionis est non movere I., cùm E. I. in intelligere sint idem, ût dictum est.

c. Præterea per cameram P. Q. arguitur, C. D. non esse æqualia, quia, quæ non sunt in agere æqualia, non videntur in existere esse æqualia, sed C. D. non sunt in agere æqualia, nam si C. D. in agere essent æqualia, R. sub ratione P. Q. nunquam construeretur, nec destrueretur, nec per consequens E. I. N. essent generabilia de R., quod falsum est, quia, ex quo eorum existere essent æqualia, eorum agere essent æqualia, & sic agere cujuslibet eorum esset indestructibile, quia nihil superius sibi conjunctum destrueret illud, quod manifestum est nobis esse falsum, ergò C. D. non sunt æqualia.

3. Ad hæc respondent F. G. discurrentia
a. secundùm T. ad terminos objectionum discernendo, in quo procedunt, & in quo deviant: & primò ad primam, quando dicitur: *C. habet substantialem actionem in B.*, quod verum est, & quando dicitur: *non autem D.*, falsum est; & quando dicitur: *quòd nec D. nec H. investigant*, statim G. apprehendit differentiam, quæ est inter investigare verum & falsum, & investigare bonum & malum; & sic verum est secundùm investigare verum & falsum, & de ista objicitur; sed falsum est secundùm investigare bonum & malum,

malum, quoniam sicut C. sub E. sequitur G. discursivum, quod movetur ab N., ut in bono C. sub E. affirmet verum, & G. sub I. sequitur ipsum G. discursivum, ut in malo G. sub I. neget falsum, ita D. sequitur ipsum G. discursivum, ut in vero diligat bonum, & H. similiter sequitur ipsum G. discursivum, ut in falso odiat malum; & propter hoc non valet: & cùm dicebatur: *quòd C. per G. investigat* &c., verum est, & ulteriùs, quando dicitur: *sed nec D. nec H. investigant*, verum est per se, sed per G., sicut nec C. per se, sed per G., quoniam sicut G. attrahit verum ipsi B., & falsum ipsi F., ita similiter attrahit bonum ipsi B. & malum ipsi F., quare non valet objectio.

b. Et per hoc etiam patet solutio ad aliud, quando dicitur: *I. non diversificatur ab E., nisi ratione D. H.*, interimitur; & quando L. hoc videtur probare, *quia converso H. in D. conversum est I. in E.*, tunc G. considerans concordantiam veritatis & bonitatis, & per oppositum malitiæ & falsitatis, dicit, quòd sit impossibile, H. converti in D., nisi F. convertatur in B. & G. in C.; quia sic sequeretur, quòd falsitas & bonitas possent stare simul, & veritas & malitia, quod est impossibile: & sic non valet, quod ulteriùs dicebatur, quoniam sicut, E. movente I., D. diligens bonum movet H. ad odiendum malum oppositum illius boni, ita C. affirmans verum movet G. ad negandum falsum oppositum illius veri, & B. recolens verum & bonum movet F. ad recolendum falsum & malum oppositum illius veri & boni.

c. Et ad aliud, quando dicit L.: *quæ non sunt in agere æqualia, non videntur in existere esse æqualia, sed C. D. non sunt in agere æqualia*; hîc distinguit G. de agere ipsorum C. D., nam ipsum agere est alterum respectu potentiæ, & est alterum respectu objecti, nam secundùm quòd objectum aliquando magis est proportionatum ratione C. quàm ratione D. vel è converso, bene sequitur, quòd agere ipsius C. sit majus quàm agere ipsius D. vel è converso, quando est è converso proportionatum; & hæc inæqualitas semper construit vel destruit R.; & secundùm hoc bene procedit objectio; si autem consideretur agere respectu potentiæ, nihil prohibet esse æqualia agere ipsius D. respectu ipsius D. & non objecti, & agere ipsius C. respectu ipsius C. & non objecti; & sic non procedit objectio.

Dictum est de quæstionibus S. objiciendo & solvendo ad dandum modum objiciendi & solvendi in S., nunc autem accedamus ad quæstiones, quas de T. consimili modo facimus.

De Quæstionibus T.

Quæstio: *Utrùm Deus sit?* Solutio: Affirmatio negatio, bonitas magnitudo, æternitas potestas, finis majoritas.

Quæstio: *Utrùm Deus possit creare ens infinitum?* Solutio: Deus creatura, operatio æqualitas, finis majoritas, contrarietas majoritas.

De primo Modo solvendi.

Triangulos T. ad primam cameram inducimus isto modo. Affirmatio dicit, Deum esse, negatio verò, Deum non esse: triangulis ad hanc primam cameram applicatis recolat F. conditiones triangulorum, & discernat G. quamlibet earum, cui istarum duarum concordant secundùm propositam quæstionem aut affirmationi aut negationi; nam illa, cui plùs concordant, tenenda est; cùm majoritas concordantiæ triangulorum & cameræ & esse concordent, & minoritas concordantiæ eidem oppositæ & non esse.

1. Posito triangulo livido in prima ca-
a. mera denotant ipsa camera & ipse triangulus ratione negationis, si Deus non est, quòd nullam essentiam est reperire, quæ sit unum ens, in quo bonitas, magnitudo, æternitas &c. sint idem numero, ita quòd bonitas sit magnitudo & sit æternitas &c., & magnitudo sit æternitas & sit potestas &c., & sic de omnibus aliis summis dignitatibus, quia, si istæ haberent sic esse, jam essent summum ens, quod inquirimus; & ita negatio denotat identitatem suprà dicti numeri in non ente, & per consequens summum esse esse summum non esse, & summum non esse esse summum esse, quod est summa contradictio; nec etiam bonificativus ratione sui haberet magnitudinem æternitatem &c., cùm non essent idem numero cum bonitate, potestate, sapientia, voluntate eo modo, sicut dictum est; & sic quælibet prædictarum rationum quælibet in alia infinitâ & æternâ limitatione limitaretur, quæ limitatio esset infinita & æterna malitia in bonitate, & infinita & æterna bonitas in malitia; & sic infinitus & æternus bonificativus esset infinitus & æter-

nus malificativus, & infinitus & æternus malificativus esset infinitus & æternus bonificativus, quod esset infinita & æterna contradictio; idémque judicium esset de magnificativo &c.: & inde sequeretur, quòd summum bonum & summum malum converterentur, & summum esse & summum non esse, similiter quòd omnia entia, quæ creaturas dicimus, appetendo suum ultimum finem, appeterent summam privationem, & appetendo summum bonum appeterent summum malum, quod est impossibile, atque in hoc, quòd bonificarent, malificarent, & in hoc, quòd malificarent, bonificarent, & in hoc, quòd agerent, cessarent, & in hoc, quòd cessarent, agerent, & multæ aliæ impossibilitates & etiam contradictiones sequerentur. Cùm igitur F. G. resumunt hæc, quæ de triangulo livido in prædicta camera dicta sunt, attingunt, quòd ex summa & infinita contradictione & impossibilitate, quam importat negatio, importat ejus contradictoria affirmatio infinitam & summam necessitatem, quòd bonitas & magnitudo sunt unum idem numero, & per consequens infinitam & summam necessitatem summi & infiniti entis scilicet summi & infiniti boni &c., quod summum & infinitum ens, quod est summum & infinitum bonum &c., dicimus esse Deum.

b. Contra hoc objiciunt K. L. isto modo. Si Deus est, oportet eum esse bonum infinitum & potentem infinitum &c., & sic impossibilis est malitia & privatio in aliquo ente, nam ejus bonitas non videtur esse infinita, quia, cùm ipsa sit summum ens, non privat malitiam ab omnimoda participatione cum ente, multa autem videmus entia subjecta malitiæ, ergò non videtur bonitas esse infinita potestate, nec per consequens Deus est, imò etiam, quia alia entia sunt, quæ non sunt Deus, quæ dicimus creaturas, videtur, quòd non sit Deus; & hoc arguitur ratione unitatis & essentiæ, quoniam si Deus est, ipse est una infinita essentia & una infinita unitas, ergò nulla est alia essentia, nec unitas, nec bonitas &c., quia sic limitaretur divina essentia, eò quòd non esset id, quod illa essentia, & divina unitas, eò quòd non esset id, quod illa unitas, & divina bonitas, eò quòd non esset id, quod illa bonitas, & sic de aliis; ergò nulla est alia essentia neque unitas &c., quod falsum est, prout manifestè videmus ad sensum, ergò divina essentia & divina unitas &c. est limitata, ergò Deus non est.

c. Ad hoc F. G. discurrentia per magnitudinem bonitatis, potestatis, justitiæ, perfectionis, simplicitatis &c. essentiæ & unitatis concedunt, si Deus est, quòd oportet eum esse bonum infinitum, potentem infinitum &c., & quando dicitur: *sic impossibilis est malitia & privatio in aliquo ente*, respondent, quòd non sequitur, quia nullum ens potest esse perfectum omnimodâ perfectione, nec bonum omnimodâ bonitate, & sic de aliis, extra Deum, quia sic esset dare plures Deos, & in quolibet eorum limitationem & imperfectionem; & quando dicitur: *nam ejus bonitas non videtur esse infinita, & cùm ipsa sit infinita, non privat malitiam ab omnimoda participatione cum ente*, respondent verum esse, si illa malitia, cum qua illa entia participant, non esset occasio alicujus bonitatis, sicut privatio in plantis & in brutis, quoniam, si plantæ & bruta essent inprivabilia, non posset conservari homo, qui nobilior est ipsis, & si homo non esset subjectum malitiæ, non esset subjectum ad virtutes, quia non posset acquirere eas, & privaretur liberum arbitrium, & sic esset majus malum; & si homo etiam non esset mortalis, quod videtur esse malum, sic non esset tam subjectus virtutibus, cùm sit alia vita, ût probabimus, & sic non valet objectio. Et ad aliud, quando dicitur: *quoniam, si Deus est, ipse est una infinita essentia &c.* concedunt F. G., & quando dicitur: *ergò nulla est alia essentia* &c. *quia sic limitaretur divina essentia, eò quòd non esset id, quod illa.* Jam K. vincebat hîc F., & L. ipsum G., & sic ratione hujus argumenti contra hoc, quod probatum est, necessariò de Deo esse, volebant F. K. componere O., & G. L. componere P.; sed recordatur F., & G. speculatur finem, quare convenit esse aliam essentiam à Deo, & formam intrinsecam ex parte ipsius Dei, propter cujus nobilitatem bonitatem &c. oportet esse illam essentiam, & sic ratione magnitudinis & bonitatis divinæ essentiæ oportet esse essentiam aliam ab ea, & sic, cùm ipse Deus sit de se & propter se amabilis, intelligibilis & recolibilis & assimilabilis ac etiam amabilis &c. in sua assimilatione, oportet esse aliam essentiam, & sic falsum est, quando dicitur: *ergò nulla est alia essentia*, & quandò dicitur: *quòd limitaretur, eò quòd hæc non esset id, quod illa*, dicunt F. G., quòd nequaquam

quam sequitur, & ratio hujus fundatur super esse & privatione in triangulo croceo & rubeo, quia pejor esset hæc limitatio ipsius Dei, quòd propter se non esset amabilis, intelligibilis & recolibilis, quàm hæc limitatio [essentia Dei non est id quod illa] quod per se patet; sed quoniam plùs est adhuc, quòd non limitatur ex parte suî, ût dictum est, nec etiam ex parte essentiæ extrinsecæ, quod est minus, ideo supplet ipsa essentia Dei, cùm sit infinitæ potestatis, quòd divina essentia est illimitata, licèt ipsa non sit id, quod illa, & sic similiter solvitur ad unitatem bonitatem &c.; quare non valet objectio.

a. Differentia est major in concordantia quàm in contrarietate, nam ratione con-
a. cordantiæ, quæ concordando differunt, sunt ad invicem permanentia in esse, quæ verò contrariando differunt, alterum eorum propter alterum ratione contrarietatis habet inclinationem ad non esse. Præterea differentia est major in concordantia intellectualium, quàm sensualium, & est pejor contrarietas intellectualium quàm sensualium, propterea objectum intellectûs est veritas, & objectum voluntatis est bonitas. His igitur principiis præsuppositis, quæ per se nota sunt, discurrunt F. G. per eadem in prima camera, & ratione negationis attingunt, quòd, si Deus non est, suprà dicta principia penitus destructa sunt & conversa in sua opposita, ita quòd, G. intelligente Deum non esse, H. inde importat odium, ut odiat eum esse, & sic H. ratione veri objecti ipsius G. odire debet, summum bonum esse, & per consequens objectum ipsius D. est, summum malum esse, cùm summum malum sit Deum non esse; & sic, cùm de natura ipsius I. sit, recolere falsum & malum, & negare falsum & odire malum, & de natura ipsius E. sit recolere verum & bonum, & affirmare verum & diligere bonum, cùm summum malum sit, Deum non esse, si non est, & summum bonum, ipsum esse, si est, sequitur necessariò, si non est, quòd F. de natura suî recolens falsum & malum recolit verum & bonum, & G. de natura suî negans falsum negat verum, & H. odiens malum odit bonum, atque è contrario B. de natura suî recolens summum verum & bonum recolit summum malum & falsum, & C. de natura suî affirmans summum verum affirmat summum falsum, & D. de natura suî diligens summum bonum diligit summum malum, & sic major differentia est in contrarietate, & minor in concordantia, & summa contrarietas inter E. I., quia E., sicut dictum est, accipiens objectum secundùm suam naturam accipit objectum pertinens ad naturam ipsius I. & è converso, & sic naturaliter minor contrarietas est in rebus sensualibus & major in intellectualibus: & quoniam hæc impossibilia seu summa inconvenientia proveniunt ex parte negationis, sumitur necessariò ejus opposita seu contradictoria affirmatio, & affirmatur necessariò Deum esse, & sic ratione indestructibilium conditionum principiorum hujus artis infertur hæc necessaria conclusio, *Deus est.*

b. Contra: id non videtur esse, per cujus esse differentia est in majori contrarietate, quàm si non esset, si autem Deus est, differentia est in majori contrarietate, quàm si ipse non esset, quia sic est differentia & contrarietas inter ens infinitum & finitum ratione finitatis & infinitatis, sed contrarietas in majoritate ratione corruptionis & privationis habet majorem dependentiam ad non esse, quàm contrarietas in minoritate, & magis privat concordantiam ei oppositam, quæ est conservativa entis in esse; quare, si Deus est, id, quod est plùs contra esse, plus habet entitatis, & quod magis est pro esse, habet minus, quod est impossibile, ergò &c.

c. Recurrentia F. G. ad triangulum viridem, rubeum & croceum inveniunt, si Deus est, quòd ratione principii, medii & finis ens finitum magis accedit ad esse & perfectionem, & si Deus non est, magis ad non esse & imperfectionem; quia si Deus est, omnia entia habent naturalem inclinationem ad eum tanquam imperfectum ad suum perfectum, & si non est, utique est infinitum non esse videlicet infinita privatio, per quam omne ens habet majorem inclinationem ad privationem quàm ad esse, quod est falsum; & propter hoc falsum est, quando dicitur: *si Deus est, differentia est in majori contrarietate, quàm si non esset:* & ulteriùs, quando dicitur: *quia sic est differentia & contrarietas inter ens finitum & infinitum ratione finitatis & infinitatis:* hîc dicit G., quòd inter ens infinitum, & ens finitum est differentia & concordantia inter ens & ens, & contrarietas inter finitatem & infinitatem, finitas autem est contraria enti, quia per suam finitatem ens finitum

tum habet dependentiam ad non esse; & ideo falsus est processus, videlicet differentia & contrarietas est inter ens finitum & ens infinitum ratione finitatis & infinitatis, ergò inter ens & ens.

3. Assumptis conditionibus trianguli ru-
a. bei intrant F. G. in propositam cameram, & inveniunt negationem dicentem, Deus non est, & affirmationem dicentem, Deus est, & tunc F. G. applicant conditiones utriusque partis cameræ ad conditiones hujus trianguli recipientia conditiones negationis, deinde conditiones affirmationis isto modo: primò supponit N., negativam esse veram, factâ igitur suppositione inveniunt F. G., si Deus non est, quòd æternitas non præcedit tempus, neque immensitas quantitatem, imò potiùs omne principium causativè se habet ad tempus & quantitatem, non autem se habet ad æternitatem & immensitatem, ac etiam ratione medii inveniunt in omni ente conjunctionem & participationem contrariorum, cùm nullum ens sit omnino bonum nec omnino malum, nec omnino magnum nec omnino parvum, nec æternum sinè tempore, nec potens sinè impotentia, & sic de aliis hujusmodi: ente igitur existente subjecto huic conjunctioni manifestum est, cùm summum ens nihil sit, quòd plùs est privatio bonitatis, quàm præsentia bonitatis, & sic de aliis, ita quòd inveniunt medium magìs inclinatum ad malum &c. quàm ad bonum &c.; ergò magis tendunt principia & media ad finem ratione mali quàm ratione boni, & ratione falsi quàm ratione veri, & sic de aliis; & sic finis est major ratione mali quàm ratione boni.

Postmodum se reflectunt F. G. super conditiones affirmationis contrapositæ, & ponentia eas in conditiones ejusdem trianguli inveniunt oppositum eorum, quæ ex negatione sequuntur, necessariò verum; & sic revelatur Deus ipsi E. accipienti consequentiam hujus affirmationis, ipso I. accipiente consequentiam ipsius negationis, cùm sit objectabilis ipsi I., & consequentia affirmationis ipsi E.; quòd si non, objectum utique ipsius E. esset naturaliter privatio, & objectum ipsius I. esset naturaliter esse, quod est impossibile & contra conditiones ipsorum E. I. & principiorum hujus artis.

b. Contrà arguunt K. L., aut Deus non est, aut ipse est omnimodè infinitus, sed ipse non est omnimodè infinitus, quod patet per triangulum rubeum, ergò Deus non est; nam illud non est infinitum, in cujus essentia est reperire finem, & aliquid, quod se habeat ad finem; sed si Deus est, aut oportet, quòd habeat finitam sapientiam & infinitam potestatem potentem facere id, quod sapientia scit nunquam posse fieri, & sic potestas se habet tanquam finis, & sapientia tanquam id, quod se habet ad illum, quia non potest resistere potestati, quin possit facere id, quod sapientia scit possibile & impossibile fieri; aut oportet, quòd habeat infinitam sapientiam & finitam potestatem non potentem facere id, quod sapientia scit impossibile fieri, & sic potestas se habet ad sapientiam tanquam ad finem & superiorem in posse id, quod sapientia scit possibile, & in non posse id, quod sapientia scit impossibile: utraque autem non potest esse infinita, quia sequeretur contradictio, videlicet quòd sapientia sciret & nesciret, & potestas posset & non posset, ergò bene videtur sequi præmissa conclusio, quia Deus non est omnimodè infinitus.

c. Ad hoc F. G. discurrentia non poterant vincere K. L., & jam F. pervertebatur in K., & G. in L., donec F. recoluit, & G. intellexit suprà dictas necessarias rationes inferentes Deum; & tunc F. destruxit K., & G. similiter L., sed non ex toto, quia non poterant solvere istam objectionem; & tunc F. K. composuerunt O., & G. L. construxerunt P., & supervênit Q., & ecce R.; & quoniam in proposito erat major proportio recolendi quàm obliviscendi in O., & major proportio intelligendi quàm ignorandi in P., F. recolebat, se non recolere, & G. intelligebat, se non intelligere solutionem hujus objectionis; & sic F. recolebat, se esse K., & G. intelligebat, se esse L., & supervênit M. ex parte affirmationis, & destructa sunt O. P. Q., & ecce N., quod, destructo R., supponit, prædictam objectionem esse falsam, movens iterum F. G. ad discursum attingentia, in quo peccaverunt, videlicet quòd plus est realitatis in re objecta quàm in ratione potentiæ, & maximè in ista re, quæ est Deus; & tunc recurrunt ad triangulum lividum, & ratione unitatis infinitæ essentiæ Dei attingunt sapientiam & potestatem ejus esse unum & idem ens numero infinitum, ita quòd infinita potestas nihil aliud est quàm infinita sapientia & è con-

verso, & infinitum posse nihil aliud est quàm infinitum intelligere & è converso, & hoc est summa nobilitas, summa perfectio, summa justitia, summa simplicitas, summa bonitas &c.; & tunc solvunt F. G. objectionem negantia finitatem utriusque scilicet sapientiæ & potestatis: & quando dicitur: *quòd sequeretur contradictio, videlicet quòd sapientia sciret & nesciret, & potestas posset & non posset*, respondent F. G., quòd sequitur secundùm nostram rationem, quæ, cùm sit finita, rationatur de Deo finitè, & rationando de Deo finitè secundùm finitatem facit contradictionem, quæ non est secundùm infinitatem, quod manifestâ ratione patet: nam cùm sapientia sit infinita, & potestas infinita, & quælibet idem quod alia, non potest potestas ultra sapientiam, quia si sic, posset ultra infinitum, & ultra semet ipsam, quod est impossibile, nec c. sapientia scit ultra potestatem, quia sciret ultra infinitum, & ultra semet ipsam, quod est impossibile; & sic falsa est objectio ex parte rei, & absurdum est dicere, quòd nostra contradictio aliquid addat vel minuat in essentia Dei; hoc itaque discurso, K. est conversum in B., & L. in C., & M. in D., affirmante E. Deum esse, movendo I. ad Deum non esse.

4 Ingredientia F. G. triangulum croceum
a. in præsuppositа camera ad inveniendum Deum esse inveniunt, supponente N., A. esse, quòd majoritas est major in ente, & in possibili *sic*, & in impossibili *non*, & minoritas est major in non ente, & in possibili *non* & in impossibili *sic*, eò quòd, si Deus est, ût N. supponit, est utique infinitum ens summum in bonitate &c.; si autem Deus non est, infinitum ens non est, & sic est majoritas minor, & minoritas major; & sic ex consequenti ad negationem concluditur, quòd majoritas habet dependentiam ad privationem, & minoritas ad esse, & per consequens subjecta earum per easdem habent dependentiam ratione majoritatis ad privationem, & ratione minoritatis ad esse; hæc autem omnia sunt impossibilia, per quæ necessariò manifestatur, Deum esse; *sed hæc manifestatio indiget sano intellectu, attingitur enim per alta puncta.*

b. Sed objicitur: illud non est summum ens, quod includit in se defectum alicujus dignitatis, sed si est summum ens, quod dicitur Deus, includit in se majoritatem & minoritatem, & per consequens defectum, quia posse illius aut est majus in existere quàm in agere, quod est impossibile, aut agit subjectum exteriùs infinitum, quod tanquam materia possit recipere totam actionem illius, quod similiter est impossibile, quia ratione infinitatis esset dare plures Deos, quorum quilibet esset finitus, cùm infinitas non possit esse nisi una; aut oportet, quòd tantùm agat in se ipso, quantùm potest in se ipso, quod similiter est impossibile, quia ratione actionis esset in ipso passio, & per consequens materia & compositio & prima intentio & secunda, sed nullo alio modo agendi potestatis nisi istis potest esse summum ens, quod dicitur Deus, si est, nec aliquem istorum habet sinè defectu, ût dictum est, ergò summum ens defectivum non est summum ens, nec per consequens Deus.

c. Ad hæc F. G. discurrentia per triangulum lividum, rubeum & croceum perpendunt, in quo bene procedit objectio, & in quo deviat à veritate, & concedunt, quando dicitur: *aut est majus in existere &c.* usque hîc, quando dicitur: *aut oportet, quòd agat tantùm in se ipso, quantùm potest in se ipso, quod est impossibile.* Dicunt F. G., quòd imò est necessarium, & respondent ad confirmationem hujus impossibilis, quando dicitur: *quia ratione actionis esset in ipso passio*, quod falsum est, quia aliter non ageret in se ipso tantùm, quantùm posset in se ipso, quia suum posse & agere est infinitum, & limitaretur, si ad actionem illius sequeretur passio &c.; & licèt nostra ratio apprehendat actionem cum passione, si ita esset, quòd infinitum posse potestatis cessaret agere tantum in se ipso, quantum ipsum est ratione impedientis materiæ, sic illud, quod convenit cum defectu & minoritate videlicet materia esset majoris resistentiæ, quàm infinitum ens potestatis, quod est impossibile, ergò posse potestatis summi entis, quod est Deus, tantum agit in se ipso, quantum ipsum est absque aliqua materia & compositione seu defectu, quare non valet objectio.

5. R. dubitat Deum esse, & N. influit
a. supponens eum esse vel non esse, ut F. G. discurrentia videant, quid ex utraque suppositione sequatur, „idcirco dum F. G. per „totum triangulum nigrum discurrunt, „inveniunt ipsum triangulum sic condi„tionatum, quòd simpliciter affirmatio „præcedit negationem, cùm inducat po-

sitiones rerum, negatio verò privationes rerum, igitur ratione positionis inveniunt, affirmationem præesse negationi, ita quòd ens positivè concordat affirmationi, non ens verò privativè concordat negationi; idcirco, cùm N. supponit, Deum non esse, inveniunt F. G., quòd simpliciter negatio præest affirmationi negans & odiens summum ens infinitum, & concordat positioni, & affirmatio affirmans & diligens Deum esse sequitur ad negationem esse summè falsa, & ideo succedit ipsi negationi, & ita I. præest ipsi E., hæc autem sunt impossibilia & contra nostram experientiam; ac etiam ex parte rei sequeretur, quòd sicut, si summum ens esset, compelleret ratione suæ infinitæ potestatis summum non ens non esse, sic, si summum non ens est, eò quòd est, habet infinitam potestatem compellendi summum ens non esse, & sic ratione suæ infinitæ potestatis summum non ens est summum ens, quod est summa contradictio sequens ex parte negationis, ergò ex summa necessitate affirmatio dicit summum verum, affirmando summum ens, quod est Deus summè benedictus.

b. Arguitur contra. Nullum ens est summum seu infinitum, quod importat in se defectum immensitatis, sed si summum ens est, aut non est immensum, quod est impossibile, aut habet immensum corpus, quod est falsum, quoniam immensum non potest esse nisi ratione infinitæ extensionis, nec infinita extensio nisi ratione infiniti corporis, infinitum autem corpus est impossibile, ergò immensum esse est impossibile, & per consequens summum ens impossibile; quare Deus non est.

c. Recurrunt F.G. ad triangulum lividum ponendo triangulum viridem, rubeum & nigrum in operatione creaturæ sensualis & intellectualis, & hoc inter potentiam & objectum, realitatem & rationem, mediatè & immediatè, & vident manifestè, quòd in hoc peccat objectio, quòd potentia intellectiva per potentiam sensitivam seu imaginativam sibi unitam accipit objectum purè intellectuale, quod accipiendum est ab ea per se immediatè, cùm sit ei & nulli alteri potentiæ proportionabile; & idcirco K. L. credentia se esse F. G., errant formantia mediante imaginativâ rationem penitùs alienam ab illa realitate, quam per illam rationem credunt habere, quando dicunt: *si summum ens est, aut non est immensum, aut habet immensum corpus;* hic autem error patet in falsitate suæ confirmationis, quando dicitur: *quoniam immensum non potest esse nisi ratione infinitæ extensionis &c.* Dicunt F. G., quòd verum est secundùm rationem non realem imaginationis formantis hanc phantasticam rationem, cujus realitas est impossibilis; sed falsissimum est secundùm simplicitatem & perfectionem summi entis, quia si ipsum summum ens est, est utique tantæ bonitatis, tantæ magnitudinis, tantæ potestatis, nobilitatis, perfectionis &c., quòd nullus penitùs est terminus, ultra quem ipsum non sit bonum, ultra quem ipsum non sit magnum, potens, nobile, virtuosum, perfectum &c., & ultra quem ipsum non sit ipsa bonitas, magnitudo, æternitas, potestas &c. & summum ens infinitum, & hoc est inimaginabile sed solùm intelligibile; quare non valet objectio, imò etiam peccat contra *vigesimam secundam regulam*, in qua præcipitur, esse cavendum, ne imaginatio deviet intellectum.

De secundo Modo solvendi.

FActo priori discursu discurrendum est per cæteras cameras consequentes, ut per eas ad propositam quæstionem adducatur conclusio, & hoc isto modo.

1. Discurrentia F. G. per secundam & tertiam & quartam cameram assumunt earum conditiones miscendo alias earum cum aliis, deinde conspiciunt, quid ex illa mixtione sequitur, & inveniunt, si Deus est, bonitatem & magnitudinem atque æternitatem & potestatem esse majorem finem, qui possit esse, ac etiam malitiam, parvitatem, impotentiam & non durationem esse majorem privationem, quæ possit esse, eò quòd, si Deus est, summa magnitudo est summa bonitas & è converso, & summa potestas summa æternitas & è converso; & per oppositum summa malitia summa parvitas & è converso, summa debilitas summa non duratio & è converso; & hoc ita investigatum affirmat E. necessariò movens I. ad oppositum. Istam autem necessitatem inveniunt F. G. ex N. supponente Deum esse, & hoc etiam confirmatur ex N. supponente oppositum, videlicet Deum non esse, quoniam, si Deus non est, inveniunt F. G. bonitatem & magnitudinem atque æternitatem & potestatem, ac etiam majorem finem, qui possint esse, esse majorem privationem, quæ possit esse, & malitiam & parvitatem & debilitatem & non durationem & majorem privationem, quæ possint esse, esse majorem finem & perfectionem, quæ possint esse, & hoc summè affirmando diligitur ab E., quod etiam summè negando odiebatur ab I.; atque oppositum hujus, quod E. summè affirmat diligendo, oditur summè negando ab I., videlicet bonitatem, magnitudinem & potestatem, æternitatem esse majorem finem & perfectionem, quæ possint esse, quod E. priùs summè affirmaverat diligendo ex N. supponente Deum esse; & quoniam hæc sunt manifestissimè impossibilia, quæ sequuntur ex N. supponente Deum non esse, necessariò oportet esse ea suprà dicta, quæ sequuntur ex N. supponente Deum esse; & ita E. attingit necessariò Deum esse, & impossibile Deum non esse, & I. attingit necessariò Deum non esse, & impossibile Deum esse.

2. Sed F. G. conversa in K. L. per cameram bonitatis & magnitudinis objiciunt isto modo: impossibile est Deum esse id, cujus causa est privatio, quia si Deus est, utique est, quia ipse non est lapis, quia non est planta, quia non est asinus, quia non est homo, quia non est firmamentum, quia non est sol, & sic de aliis hujusmodi, cùm impossibile sit, Deum esse aliquod ens, in quo sit parvitas & privatio bonitatis, magnitudinis &c., ergò privatio & parvitas bonitatis & magnitudinis istorum prædictorum videtur esse causa essendi Dei, quòd est impossibile, ergò Deus non est.

b. Præterea per tertiam cameram objiciunt isto modo: si Deus est, ejus potestas & æternitas ratione immensitatis bonitatis ejus tantâ immensitate concordantiæ convertuntur, quòd ipsamet immensa potestas est ipsamet immensa duratio in immensa bonitate, & è converso; sed hoc videtur impossibile, quia nullum posse ad malum, quod est contrarium ipsius summi posse, posset habere durationem, quoniam si haberet durationem, non converterentur in immensitate bonitatis in hoc, quòd æternitas permitteret durare illud, & in hoc, quòd potestas de suo posse illi contrario non privaret illud.

c. Præterea additâ quartâ camerâ secundæ & tertiæ objiciunt K. L. isto modo: illud non est summum ens, quod dicitur Deus, quod habet suam potestatem in minoritate finis; sed si Deus est, videtur, quòd habeat suam potestatem in minoritate finis, eò quòd, cùm ipse sit summum ens perfectissimum, oportet, quòd ejus æternitas habeat perfectissimum finem, ita, quòd potestas non potest in ea aliquid agere, cùm ratione immensæ & perfectæ æternitatis, bonitatis &c., quidquid est in Deo, sit in perfecto fine, ita quòd nullo alio indiget; ergò videtur, si Deus est, vel quòd æternitas vel potestas sit in minoritate finis, & habeat aliquam dependentiam ad malitiam & parvitatem; utrumque autem est impossibile summo enti, quod est Deus, ergò Deus non est.

3. Ad hoc respondent F. G. & primò ad a. solvendum primam objectionem recipiunt triangulum nigrum in rubeo attingentia, quòd est contradictio, non ens esse causam entis, quia sic sequeretur, quòd non ens esset ens; & idcirco concedunt, quando dicitur: *impossibile est esse Deum id, cujus causa est privatio*, & negant istam causam, quando dicitur: *quòd Deus est, quia non est lapis, non est planta &c.*; quia sequeretur prædicta contradictio, quæ causa tamen esset vera, si parvitas bonitatis concordaret magis cum esse quàm magnitudo bonitatis, quod est impossibile; ergò per oppositum, ratio, quare Deus est, est magnitudo bonitatis &c., quæ tantâ immensitate & perfectione tendit in esse, quod est infinitum esse, quod est Deus; & ratione hujus impossibile est, Deum esse lapidem vel plantam vel asinum &c. hujusmodi; quare non valet objectio.

b. Et ad aliud, quando dicitur: *potestas ejus* &c., concedunt F. G., & quando dicitur: *sed hoc videtur impossibile, quia nullum posse ad malum, quod est contrarium ipsius summi posse, posset habere durationem*, distinguunt F. G. de posse ad malum, quia duplex est, est enim posse ad malum in potentia, ita quòd non in actu mali, & istud posse est gratiâ libertatis abstinendi ab actu mali, non entis & falsi, & tale posse ad malum est posse ad bonum; & est aliud posse ad malum, quod est in actu mali & non entis, videlicet in privatione entis & boni, & tale posse realiter non est posse, sed potiùs privatio possendi, quia posse malificans est posse privans posse bonificans; & sicut posse bonificans ratione bonificationis est ens, ita posse malificans ratione malificationis est non ens: & idcirco divina justitia habet actum

actum puniendi illam potestatem, cujus posse se pervertit in privationem possendi, sicut habet actum puniendi illam bonitatem, cujus bonificare se pervertit in privationem scilicet in malificare : & ita concluditur, quòd nullum posse ad malum actu est realiter posse, nec per consequens habet durare; nec aliud posse ad malum, de quo dictum est, est posse ad malum agendum sed potiùs evitandum, & sic est realiter posse ad bonum; quare non valet objectio.

c. Et ad aliud, quando dicitur: *si Deus est, videtur, quòd habeat suam potestatem in minoritate finis*, negatur; & quando videtur probari dicendo: *eò quòd, cùm ipse sit summum ens perfectissimum, oportet, quòd ejus æternitas habeat perfectissimum finem*, concedatur; & quando dicitur: *ita quòd potestas non potest in ea quidquam agere*, verum est cum tempore & quantitate, sed falsum est cum immensitate & æternitate agendi in bonitate &c., qui est ipse summus & perfectissimus finis æternitatis ratione immensitatis, bonitatis &c. & majoritatis finis; quare non valet.

De Quæstionibus V.

QUæstio: *Quomodo Sacramentum Altaris attingitur?* Solutio: Fides charitas, bonitas magnitudo, potestas voluntas, finis majoritas.

Quæstio: *Quare charitas in bonitate præcellit cæteras virtutes?* Solutio: Charitas justitia, E.A.V.Y., I.V.Z., principium finis.

De primo Modo solvendi.

1. AD primam quæstionem respondendum est per primam cameram, & a. primò cum triangulo livido isto modo. In hoc, quòd E. attingit potestatem Dei infinitam in bonitate magnitudine &c., & I. odit oppositum, attingit, creaturam esse subjectam omnibus operationibus, quas Deus de ipsa vult agere, & in hoc attingit Sacramentum Altaris & etiam cæteras operationes supernaturales, quæ nec sensui nec imaginationi sunt subjectæ; sed quoniam sensus & imaginatio sunt instrumenta ipsius G. ad repræsentandum sensualia & operationes sensuales ipsi G., pervertitur G. in L., & F. in K., & statim supervenit M. odiens, quia sua instrumenta sibi deficiunt, quando dicitur: panis fit homo, & vinum sanguis: & ipso N. existente in actu, F. G. recuperant suprà dicta E. I. cum suis objectis, & addunt ea prædicto N., & statim confunduntur hinc & inde actus ratione contrarietatis, & fit inde unus actus confusus, qui est R., eò quòd B. F. K. fiunt O., & C. G. L. fiunt P., & D. H. M. fiunt Q., & sic generatur dubitatio circa ipsum Sacramentum Altaris: sed ex eo, quòd F. G. attingunt istas partes scilicet B. C. D., & per consequens quòd F. G. H. sint fortiores in ipso R., quàm istæ partes scilicet K. L. & M. odiens, ideo convertuntur K. L. negativa in K. L. affirmativa, & M. oditivum in M. dilectivum, & sic illa pars incredulitatis & credulitatis, quæ erat ipsius N. increduli in R., conversa est in N. fidei & charitatis; attamen istud N. ratione majoris charitatis appetit esse E., & ratione hujus ipsum N. credens movet F. G. ad discursum, quæ ratione majoris bonitatis, magnitudinis, potestatis, justitiæ & voluntatis in majori operatione Dei in creatura, & ratione majoris participationis & charitatis inter Deum & creaturam, & majoris V. lividi & minoris V. rubei creaturæ attingunt Sacramentum Altaris necessariò. Sed adhuc ex toto F. G. non se convertunt in B. C., quousque attingant, utrùm I. poterit habere hujus oppositum; & tunc attingunt, quòd nisi ita sit, esse utique minorem bonitatem, magnitudinem, potestatem, justitiam & voluntatem in operatione Dei existente in creatura, & minorem participationem inter Deum & creaturam, & minus V. lividum; & creaturam esse plùs operabilem, quàm Deum operativum, & F. G. in hoc plùs esse investigativa de operatione Dei quàm ipsam operationem investigabilem, & plùs esse secundùm hoc in ratione ipsorum E. I. quàm in re ipsius rationis, & in hoc etiam plùs esse N. creditivum de Deo, quàm sit de eo credibile; & quoniam hæc omnia sunt impossibilia secundùm I., convertunt se F. in B., & G. in C., & supervenit D., & ecce E. ad oppositum istorum impossibilium, movens I. ad ipsa impossibilia, & sic habet E. charitatem ad Deum; & quoniam S. nititur, quantum potest attingere A. cognoscendo & diligendo ipsum in suis operationibus, A. influit illi ipsum N. super E. ratione meriti, ut sit ei occasio vehementius cognoscendi & diligendi ipsum A.

2. Dum F. G. recipiunt prædictum Sa- a. cramentum in triangulo viridi inveniunt differentiam inter operationem Dei & operationem creaturæ; hanc autem differentiam attingunt in contrarietate in prædicto Sacramento, in hoc, quòd non est operationis naturæ creatæ sustinere, substantiam panis posse dimittere sua propria accidentia, & existere sinè illis.

c. Dum verò F. G. recipiunt operationem Dei in creatura secundùm magnam concordantiam, quæ est inter actus divinarum dignitatum, ita quòd super subjectum creatum ipsum bonificare concordat ipsi magnificare & possificare & è converso, ita quòd agant super illud tantum, quòd appareat ipsi E. magnum dominium, quod habent super ipsum subjectum, & ut ipsi actus dignitatum habeant suum usum concordantiæ in illo, & ut etiam ipsum subjectum relinquat cursum naturæ concordantem defectui & privationi, sequens cursum naturæ & concordantiæ eorum, attingunt utique magnam largitatem, magnam gratiam, magnam justitiam & misericordiam &c. datas à Deo ipsi creaturæ, per quas attingunt majorem concordantiam & similitudinem inter Deum & creaturam; quare necessariò attingunt, ipsum Sacramentum esse verum, & sic ratione prædictæ divinæ operationis falsa est suprà dicta objectio. Dum igitur F. G. sic discurrunt, N. credente seu supponente prædictum Sacramentum, E., assumendo concordantiam dignitatum, attingit in illa concordantia Sacramentum, & ita N. credit ex parte operationis creaturæ, & E. intelligit ex parte operationis dignitatum.

3. Dum per triangulum rubeum F. G. mota ab N. credente & supponente inquirunt Sacramentum Altaris in prima camera quæstionis, inveniunt ratione temporis & quantitatis illud esse impossibile, sed ratione summi principii efficientis formalis & finalis, quod est Deus, attingunt illud; & sic N. supponente per F. G. investigativa ascendit E. ratione charitatis ad superiora principia, quæ sunt actus dignitatum, & sub illis principiis respicit finem inferiorum principiorum & mediorum, quæ sunt secundaria & imago ipsorum superiorum principiorum, ut in ipsa imagine appareat virtus & potestas, quam ipsa principia superiora & increata habent in ipsis principiis inferioribus & creatis, volente divinâ voluntate, & perficiente divinâ potestate, & magnificante divinâ magnitudine, & bonificante divinâ bonitate, & sic de aliis, quolibet ipsorum actuum conjungente se cum alio ad agendum in subjecto, ut ipsi actus dignitatum non sint in privatione magnitudinis ostensionis & actionis per omnes terminos, quos materia subjecti habere potest; & hoc modo E. ascendens cum charitate & triangulo rubeo ad actus dignitatum attingit Sacramentum Altaris, & hoc tamen transcendenter, nam alio modo ipsum nequaquam potest attingere.

4. Ingredientia F. G. prædictam cameram cum triangulo croceo inveniunt majoritatem esse majorem in actibus dignitatum quàm in actibus creaturarum; „nam „sicut naturaliter fit transmutatio de sub„stantia in substantiam, videlicet de sub„stantia cibi in substantiam carnis & sangui„nis comedentis, attingente sensitivo in „suo proprio sensibili sensibile remotum, ita & multò melius sinè comparatione fit suo modo transubstantiatio de substantia panis in substantiam Corporis Christi, & de substantia vini in substantiam sanguinis, attingente ipso transubstantiativo, videlicet ipso bonificativo magnificativo &c. in verbo ministri & testamento JESU Christi transubstantiabile remotum; & hoc ita esse oportet secundùm conditiones majoritatis Dei & creaturæ in operatione extrinseca, quia voluntas Dei, quæ idem est, quod ipsa perfecta potestas Dei, vult ita, & creatura non resistit, quoniam, si voluntas Dei nollet ita, nollet utique id, per quod esset majorificativa & majorificabilis inter nos, & deficeret eidem in hoc largitas, & creatura esset plùs majorificabilis in hoc quàm ipsa voluntas majorificativa, atque creatura plùs majorificaret ipsam voluntatem in hoc, quàm ipsa voluntas esset majorificabilis, quod est impossibile; nam in omni, quod est, ipsa divina Essentia est magis majorificabilis, quàm creatura majorificativa; & quantum est ex parte ipsius A., ipsum A. est plùs in actu majorificandi in omni, quod est, quàm creatura possit recipere, nec creatura potest resistere prædictæ majorificationi ipsius Sacramenti, quia sic esset major in resistendo, quàm divini actus in agendo, quod est impossibile, imò potiùs habet ad hoc inclinationem tanquam imperfectum ad suum perfectum.

5. Confluentibus affirmatione & negatione simul ad invicem ad prædictum Sacramentum, dubitat R., & dubitando se convertit ad suppositionem videlicet in N.,

quod supponendo movet F.G. ad prædictam cameram in triangulo nigro, inveniúntque negationem importantem impossibile & privationem entis in magnitudine possibilitatis agendi divinarum dignitatum, & recipiendi creaturarum, quod est summum inconveniens vel impossibile, & affirmationem importantem hujus negationis oppositum, quod est summè conveniens & summè possibile; & sic F. G. inveniunt N. obliviscendo & ignorando actus divinarum dignitatum affirmans prædictum Sacramentum esse in Y., & sic crescit fides ratione ipsius N. ex parte conditionum creaturarum, & multiplicatur charitas ratione ipsius E. ex parte actuum dignitatum Dei, & isto modo secundùm conditiones triangulorum T. in conditionibus actuum dignitatum Dei attingitur Sacramentum Altaris.

De secundo Modo solvendi.

POst primum modum F. G. discurrentia secundùm modum secundum ingrediuntur tres sequentes cameras prædictæ quæstionis ipsius V., & miscentibus ad invicem illas cameras cum triangulis T. illucescit eis Sacramentum isto modo.

1. Magna bonitas est, quòd Deus revelat nobis suum magnum bonificare, magnificare, possificare, & velle, & quantò plùs istos actus cognoscimus & diligimus, tantò plùs majoritas finîs actuum bonitatis, magnitudinis &c. illius nobis revelatur, & quantò plùs hæc majoritas finîs nobis revelatur, tantò plùs nostra spes confidit in actibus divinarum dignitatum, & tantò plùs nostra justitia in nobis justificatur, & nostra prudentia exaltatur, & nostra fortitudo fortificatur, & in nobis nostra temperantia ordinatur, ac etiam nostræ virtutes simul ad invicem concordantes vehementiùs contradicunt vitiis: & hoc modo discurrendi ipsorum F. G. attingit E. prædictum Sacramentum attingens id, per quod divinæ dignitates plus agunt in creatis ratione majoritatis finîs, movens I. ad hoc, per quod non esset illa majoritas finîs; & quoniam F. recolit & G. intelligit plus esse entitatis & impossibilitatis non essendi, quàm E. I. attingere possint, ideo ascendit N. diligendo, ubi E. I. non possunt attingere, & sic fides non amittit meritum, sed potiùs augetur eidem, eò quòd N. credens super E. est majus ratione ipsius E., quàm N. credens sinè E., nam E. sub N. præparat viam ad credendum ipsi N.

Dictum est de quæstionibus V., consimili modo de quæstionibus X. procedamus.

De Quæstionibus X.

QUæstio: *Quomodo puncta transcendentia attinguntur?* Solutio: Potentia objectum, realitas ratio, esse perfectio, majoritas finis.

Quæstio: *Utrùm homo possit tantùm mereri gloriam quantùm pœnam?* Solutio: Meritum culpa, esse perfectio, privatio defectus, contrarietas majoritas.

De primo Modo solvendi.

APplicantes T. ad primam cameram primæ quæstionis tradimus doctrinam, per quam Artista sciat ascendere ad puncta transcendentia artificialiter, sequendo modos, quos alius angulorum habet cum alio secundùm propositam quæstionem, & quos etiam alia figurarum habet cum alia; cum enim aliqua quæstio fit de modo, Artista debet sequi modum triangulorum & figurarum; per hanc etiam doctrinam, quam de punctis transcendentibus damus hîc, patebunt modi ascendendi ad alia puncta transcendentia consimili viâ.

a. Punctum transcendentem dicimus, quando F. G. investigant aliquam difficilem conclusionem per triangulos T., & per terminos illarum figurarum & per conditiones eorum miscendo triangulum cum triangulo, terminum cum termino & triangulos cum terminis & è converso, ita quòd G. colligit tantum universale, quòd vix potest illud sustinere, ipso universali ratione suæ magnitudinis ministrante necessariò particulare sed cum magna difficultate inquirendi & sustinendi, sicut intelligere ratione essentiæ bonitatis &c. unitatem in divinis, & ratione personarum distinctionem.

b. Aut etiam punctus transcendens est, quando D. superexcellentiùs accipit suum objectum quàm B. C., quâ superexcellentiâ D., cùm sit subitaneum, subitò cogit B. C. accipere ipsum objectum contra naturam accipiendi ipsorum B. C., cùm sint successiva, & in hoc est punctus transcendens, quia B. C. vix, id est, in violentia suî illud accipiunt, sicut D. diligente excellenter, Deum esse perfectum hominem & perfectum Deum, coguntur B. C. subitò sub D. attingere

tingere naturam divinam & humanam esse unam personam.

c. Et aliquando etiam coarctatur eorum successio, quando nimis altè sequuntur D., nam tantùm distrahitur tunc eorum successio, quòd præ nimia altitudine objecti quasi evanescunt, & in tali coarctatione ipsorum B. C. est punctus transcendens, sicut patet in investigatione Sacramenti Altaris.

d. Et etiam punctus transcendens est, quando E. ratione dignitatum A. & actuum earum compellitur concedere necessariò id, cujus oppositum ratione potentiæ non audet I. assumere, sed supplet ipsum N. contra I. phantasticum, quod patet in prædestinatione & libero arbitrio.

e. Aut etiam omnis punctus transcendens habet esse, quando potentia non potest attingere objectum sinè contradictione per ea, quæ sua sunt, sed per ea, quæ sua non sunt, videlicet quando ratio potentiæ & ratio objecti ad invicem opponuntur generantes contradictionem, & quia tunc potentia exuit suas conditiones, & induit proprias conditiones objecti, sicut in consequentibus apparebit; nam sicut oportet potentiam exuere conditiones imaginabiles ad accipiendum objectum inimaginabile, ita oportet ipsam potentiam exuere conditiones defectivè intelligibiles, quas habet ex parte suî, ad attingendum conditiones perfectivè intelligibiles superexcellentis vel perfecti objecti: nam falso modo attingitur objectum, si accipiatur secundùm eas conditiones, quæ illius esse non possunt.

Nunc igitur ad propositam materiam secundùm aliqua puncta transcendentia veniamus, ut, secundùm quòd de his explanabitur, consimili modo pateat via & doctrina ad cætera puncta transcendentia perscrutanda, & primò per triangulum lividum isto modo:

1. Potentia rationativa influens naturaliter E. verum bonum magnum durabile &c. convertit se naturaliter ad Deum contemplans eum in unitate essentia & dignitatibus ejus cum actibus earum, sed adducens triangulum viridem facit differentiam inter unitatem, essentiam & bonitatem, magnitudinem &c. & inter actus earum, atque inter ipsas dignitates & actus earum, videtur enim sibi, eas esse differentes ad invicem, eò quòd G. non potest attingere rationem cujuslibet earum nisi distinctam ab omni alia ratione cujuslibet earum: dum autem F.G. sic investigantia ratione suî, non autem ratione sui objecti, conversa sunt in K. L., venit I. cum summo odio, intelligens per hæc, quæ dicta sunt, diversas essentias esse in Deo secundùm numerum dignitatum, & sic oritur R. ratione affirmationis K. L. & negationis I., & N. statim supponit possibile, K. L. errare; & ecce F. G. adducentia triangulum viridem, qui est inter potentiam & objectum, in triangulum rubeum croceum & nigrum respectu trianguli lividi, attingunt ipsum objectum perfectum in omnibus conditionibus dignitatum habere tantam concordantiam ipsi potentiæ, quòd principians eam dedit ei esse ad hanc operationem, quæ est excellens investigatio objecti, ut maximum E. possit habere ad A. V. Y., & I. ad V. Z., & N. ad A. V. Y. Z., & ut multùm distet ab R., ita quòd affirmatio & sequens negatio sint in tanto fine & in tanta concordantia, quòd F. G. ex parte unitatis essentiæ, bonitatis, immensitatis, perfectionis, simplicitatis, potestatis &c. prædicti objecti nequeant attingere altiorem. Dum autem F. G. hæc scrutata sunt, vident manifestè maximam differentiam seu distantiam inter potentiam & objectum secundùm unitatem, essentiam, bonitatem &c. hujus & illius, & discernunt, bonitatem &c. potentiæ quasi nihil esse respectu ipsius objecti, cujus unitas, essentia, bonitas &c. est immensa æterna simplex & perfecta, & tunc dimittunt conditiones potentiæ, & quantum possunt, adhærent tanquam ad suum ultimum finem ad conditiones ipsius objecti, attingentia, quòd ratione immensæ simplicitatis & perfectionis oportet necessariò, divinas dignitates esse unum ens immensum perfectissimum & simplicissimum, ita quòd ratione immensæ & perfectissimæ simplicitatis unaquæque dignitas est illud summum ens totum, & idem quod quælibet, & idem quod omnes; hoc itaque attingit potentia, & apprehendit hoc ita esse in ipso objecto videlicet in ipso perfectissimo & immenso ente, quod est A., & miratur in se ipsa secundùm se, sed non secundùm objectum, quia ratio ipsius objecti superat rationem potentiæ.

2. Attingentibus F. G. productionem in divinis, Deo Patre producente Deum Filium &c. ût suprà dictum est, superveniunt K. L. dicentia, si in Deo est productio, sic est in eo pluralitas ratione differentiæ vel distinctionis ipsius producentis à producto, ergò com-

compositio contra simplicitatem, & per consequens defectus contra perfectionem, & sic de aliis, eò quòd, ubicunque est unio plurium, hoc nequaquam potest esse sinè compositione ipsorum plurium, sicut manifestè videtur in elementatis, plantis & animalibus: & ecce per hæc, quæ F.G. suprà investigârunt, & per hoc, quod K. L. se contrà invenisse dicunt, constitutum est R., quo constituto supponit N., utramque partem contrariam esse possibilem, ut possit movere F. G. ad discursum, & tunc F.G. cum triangulo viridi, & cum quibusdam terminis X. & aliis angulis ipsius T. intrant cameram potentiæ & objecti, considerantia hanc contradictionem oriri aut ex parte potentiæ vel objecti vel utriusque: ex parte quidem objecti nequaquam, cùm sit ens perfectissimum, nec ex parte utriusque, quia sic ipsum summum ens participaret cum defectu, quod est impossibile; restat ergò, quòd ex parte potentiæ: & circumspiciendo modum, per quem triangulus viridis est inter potentiam & objectum, manifestè perpendunt, differentiam, quæ est inter rationem potentiæ & rationem objecti, esse in contrarietate contradictoria, & tunc adducunt cuilibet contradictoriarum rationum concordantiam majoritatis & minoritatis finis & essendi & perfectionis, & concludunt manifestè prædictam distinctionem personarum divinarum in immensa concordantia ratione immensi finis & immensi esse & immensæ perfectionis, bonitatis &c. secundùm rationem objecti immensi & perfecti in bonitate &c., & manifestè perpendunt F. G., quòd K. L., quia opinantur ita esse in objecto prædicto, sicut est in potentia, concludunt secundùm minoritatem finis & essendi & perfectionis; & quoniam est majus esse & major perfectio atque major remotio ipsius esse à privatione & perfectionis à defectu, quòd de infinito bono &c. producatur infinitum bonum &c., ita quòd ambo remaneant una eadem simplicitas, quàm si productivus non auderet producere producibilem, ut non esset compositio in divina essentia, manifestum est, quòd in divinis est suprà dicta distinctio absque aliqua compositione & aliquo defectu; quòd si non, plus posset utique compositio auferre, quàm immensa & perfecta simplicitas dare: & per hoc simplificativus sic non auderet simplificare suum simplificabilem, & sic non esset in Deo immensa potestas, neque immensa sapientia, neque immensa voluntas, quod est impossibile: & in hoc est punctus transcendens, quia ratione conditionis objecti secundùm prædictos angulos & terminos oportet, potentiam necessariò affirmare id, per quod oportet eam necessariò negare illud, quod sua ratio videtur affirmare.

3. Quia potentia de natura suî habet esse in tempore, successione & quantitate, ratione istorum accidentium non potest secundùm imaginationem attingere in divinis medium sinè extremitate, nec finem sinè termino, & ideo, quando ipsa potentia attingit in divinis bonificativum & bonificare & bonificabilem & bonificatum, attingit, ipsum bonificare ratione æternitatis & immensitatis & perfectionis ipsius objecti esse sinè successione & quantitate, & attingit, se ipsam ratione suæ conditionis non posse hoc attingere sinè successione & quantitate, & rationatur apud semetipsam, dicens, ex quo ita est, quòd bonificabilis ab æterno fuit bonificatus, & ab æterno consecutus est finem suæ bonificationis, non oportet iterum illum bonificari; sed ratione objecti manifestè videt æternam & immensam cessationem agendi, & cadit in contradictionem: sed revertitur ad conditiones suî, retinens habitu conditiones objecti, & dicit, utique peccavi, quia secundùm rationem mearum conditionum, cùm sim subjecta successioni ratione temporis, in quo sum, posui *fuit*, ubi non est *fuit* neque *erit*, cùm sit ibi æternum & immensum *est*: itaque transcendit potentia ultra naturam suî ipsius ad finem verè attingendi, dimittens medium defectivum, in quo peccaverat venire ad finem, & recipiens medium perfectum dirigens ad verum finem, & in hoc est punctus transcendens.

4. Quoniam ita est, quòd posse & scire potentiæ non sunt æqualia, quia, quæcunque ipsa potentia posset scire, sciret utique, & è converso, quod falsum est manifestè, ideo ipsa potentia est hujus conditionis, quòd secundùm rationem suî non potest intelligere sinè contradictione æqualitatem possendi divinæ potestatis & sciendi divinæ sapientiæ, eò quòd potestas potest facere ea, quæ sapientia scit nunquam fieri, vel quia sapientia scit aliquid in esse perpetuo, quod potestas nunquam poterit convertere in nihilum: dum autem potentia consistit in tali contradictione, recurrit ad utramque partem contradictionis, & videt manifestè, quòd contradictio procederet, si potestas & sapientia non essent æquales tantâ immensitatè bonitatis, perfectionis &c., quòd alia ipsarum esset idem, quod alia, & actus hujus idem, quod actus illius, cujus oppositum in Deo est falsum & impossibile ratione immensæ perfectionis in bonitate &c. potestatis & sapientiæ; quare isto modo nullam videt contradictionem: deinde revertitur ad se ipsam, ut videat, unde orta fuit prædicta contradictio; & statim facit differentiam inter concordantiam suæ potestatis & sapientiæ, & inter concordantiam potestatis & sapientiæ objecti, dicens, si mea potestas esset idem quod mea sapientia & è converso, possem sciendo omnia, quæcunque scirem, & scirem possendo omnia, quæcunque possem, & sic non fecissem prædictam objectionem, quam feci ratione meæ minoritatis & majoritatis objecti perfectissimi, & quoniam per ea, quæ mea sunt, videlicet per parvitatem & defectum meæ potestatis & sapientiæ attingo meum objectum perfectissimum & immensum, judico ipsum per ea, quæ sua non sunt, & in hoc est punctus transcendens, quia potentia transcendit inæqualitatem suæ potestatis & sapientiæ ultra naturam suî, & per immensam & perfectam æqualitatem potestatis & sapientiæ ipsius objecti transit ad attingendum impossibilitatem contradictionis possendi & sciendi ipsius objecti.

5. Potentia attingens perfectam sapientiam summi objecti generat E. affirmativum & dilectivum ipsius perfectæ sapientiæ, derivans de se I. negativum & oditivum omnium eorum, per quæ ipsa sapientia non esset perfecta, cùm sint impossibilia: dum autem attingit perfectam justitiam ipsius ejusdem objecti, generat eadem E. I. ratione perfectæ justitiæ, sicut generavit ea ratione perfectæ sapientiæ: & quoniam videtur ipsi potentiæ, quòd I. primi E. neget per impossibile secundum E., dicens, quia sapientia Dei est perfecta, impossibile est liberum arbitrium, & sic non est justitia perfecta, & similiter, quòd I. secundi E. neget primum E., dicens, quia justitia Dei est perfecta, necessarium est liberum arbitrium, & per consequens impossibilis est prædestinatio, & sic non est perfecta sapientia Dei, vertitur ipsa potentia in dubitationem ratione contradictionis primi I. & secundi E., & secundi I. & primi E., & generat R., & venit N. supponens, & discurrunt F. G. venientia cum magnitudine perfectionis in bonitate &c., nec audent negare duo E., quia positivè se habent ad divinam essentiam cum magnitudine perfectionis in bonitate &c., nec audent negare alterum ipsorum cum suo I., quia ipsum E. positivè se habet in divina essentia cum magnitudine perfectionis in bonitate &c., & sic est necessarium, & si ipsum E. est necessarium, etiam suum I., quod derivatur ab eo, est necessarium, nec etiam audent negare duo I., quia necessariò sequuntur ad sua E.; & sic affirmantur necessariò prædestinatio & liberum arbitrium, & negatur necessariò negatio ipsius prædestinationis & ipsius liberi arbitrii, & revertitur potentia ad conditiones suî ipsius, tenens habitu conditiones ipsius objecti, & perpendit, in quo medio deviat, dicens, si meum scire esset idem, quod meum justificare & è converso, quæcunque scirem, eadem meum scire justificaret, & quæcunque justificarem, eadem meum justificare sciret, & sic solvit contradictionem concedens, prædicta duo E. cum suis duobus I. necessariò esse vera: & quando videtur inferre contradictionem, quòd primum I. neget secundum E., falsum est, quia negaret necessariò primum E., & per consequens semetipsum; idem est de secundo I., quia quando dicitur, prædestinatio est, sequitur necessariò falsum consequens, si dicatur, liberum arbitrium non est, vel quando dicitur, liberum arbitrium est, si dicatur, prædestinatio non est; & in hoc est punctus transcendens, quia per aliud necessarium medium ratione objecti oportet potentiam concludere, quod medium simpliciter ratione potentiæ est impossibile.

De secundo Modo solvendi.

1. CUm potentia secundùm se ipsam attingit, A. multa fecisse, quæ subjecta sunt malitiæ, parvitati, defectui &c., dicit, ipsum A. esse causam vel occasionem malitiæ, parvitati, defectui &c.; sed dum revertitur ad perfectam bonitatem, magnitudinem &c. ipsius A., affirmat necessariò impossibile, A. esse prædictam causam vel occasionem, & ratione contradictionis labitur in dubitationem, & N. movet F. G. circumspicientia, quæ pars contradictionis

est magìs vel minùs realis, & quæ magìs vel minùs convenit esse & fini: & statim N. supponit, potentiam intelligere falsum, & sic supponendo movet F. G. per suprà dictas cameras, ut videant, quæ duarum partium contradictionis fallit, & quæ procedit necessariò; & miscentia prædictas cameras ad invicem procedunt isto modo.

2. Realitas ipsius A. est infinitum esse & infinita perfectio & infinitus finis, quare oportet rationem illius esse realissimam; realitas verò potentiæ est finitum esse & perfectio cum defectu, & est finis includens in se privationem & terminum & majoritatem cum minoritate, quare necessariò oportet, rationem hujus realitatis esse defectivam & subjectam privationi & minoritati & termino, quare F. G. manifestè vident, si potentia accipit ipsam summam realitatem secundùm rationem propriæ realitatis ipsius potentiæ, dimittens rationem summæ realitatis, quòd fallit manifestè, accipiens realitatem ipsius A., cùm sit perfectissima, secundùm rationem, quæ non est illius, cùm sit defectiva, per quam rationem falsè acceptam includuntur falso modo defectus, privatio &c. in ipsa summa & perfecta realitate, quod est impossibile: & in hoc attingit E. manifestè, quòd A. multa fecit, & multa potest facere, quæ sunt subjecta malitiæ, parvitati &c., ipso non existente causâ vel occasione malitiæ parvitati, nam hoc est plus, & significat perfectiorem potestatem, sapientiam, voluntatem &c., si ipsum A. plura faciat, quæ sunt subjecta malitiæ parvitati &c., ita quòd non sit causa vel occasio illius malitiæ parvitatis &c., quàm si non posset ea facere, ut non esset prædicta causa vel occasio malitiæ parvitatis &c.; quòd si non, sequeretur, quòd malitia parvitas &c. possent ei facere resistentiam, quod est impossibile, ac etiam, quòd potentia attingeret rationem realitatis ipsius A. majorem & magìs perfectam & importantem majorem finem & majus esse, quàm esset ipsa realitas, quod est manifestè impossibile; quare manifestum est, quòd A. multa facit, & multa potest facere, quæ sunt subjecta malitiæ, ipso nullatenus existente causâ vel occasione ipsius malitiæ, parvitatis &c.; & in hoc potentia transcendens rationem sui ipsius, cùm sit defectiva & subjecta privationi &c. transit per rationem necessariam ipsius objecti ad realitatem ejus, & sic est hic punctus transcendens.

3. Sciendum est autem, quòd, sicut iste punctus per secundum modum, ût dictum est, attinctus est, sic etiam potest attingi per primum modum, & illa, quæ attincta sunt per primum, possunt attingi similiter per secundum: & sicut etiam attinguntur ista puncta transcendentia, de quibus exemplificatum est, ita declaratur via ad cætera attingenda, sicut quòd Angelus transit per locum sinè successione, & attingit coloratum, & quòd partium aliæ sunt in aliis, ita quòd quælibet earum est contenta ab illa, quam continet, & sic de aliis hujusmodi.

De Quæstionibus Theologiæ.

QUæstio: *Utrùm sit Resurrectio?* Solutio: Ordinatio articuli, dignitates actus, prima intentio secunda intentio, principium finis.

Quæstio: *Utrùm homines plùs debeant diligere vitam contemplativam quàm activam?* Solutio: Vita forma, dignitates actus, E. A. V. Y., I. V. Z.

De primo Modo Solvendi.

REsurrectio, de qua hîc loquimur, est unus de articulis Christianæ Fidei, quare istum terminum, qui est Resurrectio, accipimus in prima camera sub nomine *Articuli:* hic autem articulus secundùm veritatem Christianæ Fidei est, quòd omnis anima rationalis recuperabit suum proprium corpus humanum, & unietur cum eo, & fient ambo, sicut priùs, unus homo, & de ista resurrectione prosequi intendimus isto modo:

1. a. Discurrentia F. G. per triangulum lividum respiciunt propositam quæstionem in prima præscripta camera, ut inde solutio eis appareat, sed dubitat R., Resurrectionem esse, cùm sit contra naturalem operationem & ordinationem in creatis: & statim N. supponit eam esse possibilem ratione actuum dignitatum Dei, & eam non esse possibilem ratione dubitationis ipsius R., & movente N. ipsa F. G. attingunt, quòd dignitates A. possunt agere supra naturalem operationem, cùm earum operatio magìs concordet magnitudini quàm ipsa naturalis operatio: postmodum respiciunt Deum

Deum & creaturam in conditionibus, quas Deus habet respectu suæ creaturæ, & quas creatura habet respectu sui creatoris; & sic attingunt, quòd divinæ dignitates inducunt majorem operationem bonitati, magnitudini &c., quibus Deus utitur in creaturis, & quas creatura habet ad ipsum creatorem, si suprà dicta resurrectio est, quàm si ipsa non est, & sic concludunt, resurrectionem esse ratione majoris operationis in bonitate magnitudine &c., quæ nisi sit, bonitas Dei non tantum elongaret suum bonificare à privatione boni, quo utitur in creatis, neque magnitudo suum magnificare à parvitate, neque æternitas suum æternificare à tempore, & sic de aliis, ergò ipsa resurrectio est, ut actus dignitatum, quibus ipsæ dignitates utuntur in creatis, & ordinatio eorum sint majores in creatis.

b. Sed objicitur, si resurrectio est, aut erit cessatio elementorum, aut erit eorum operatio ad invicem, & sic erit generatio & corruptio sicut modò, & si sit cessatio elementorum, in glorificatis corporibus erunt elementa quoad existere tantùm & non quoad agere, & sic erunt in minoritate finis, quod est inconveniens; si autem sit eorum operatio ad invicem, sic est corruptio, & tunc oportebit iterum mori, ut iterum sit resurrectio, & sic ad infinitum, quod est impossibile, ergò &c.

c. Recurrentia F. G. ad triangulum lividum per viridem & rubeum solvunt objectionem, nam in operatione dignitatum ad invicem nulla est contrarietas, sed infinita & æterna concordantia inter bonificativum & bonificabilem, magnificativum & magnificabilem &c., ût suprà dictum est, & sic ratione magnæ concordantiæ & similitudinis, quam glorificata corpora habebunt cum ipso Deo, elementa ipsorum corporum erunt in differentia & concordantia, quia tunc erunt in ultimo & perfecto fine, & eorum contrarietas erit in privatione, & cessante contrarietate cessabit corruptio, sed nunquam cessabit concordantia in ipsis corporibus, quia ipsa elementa erunt concordantia ad invicem sinè contrarietate, sicut B. C. D. in E.; & sic non valet objectio.

1. a. Agente toto homine bonum magnum &c., & concordante magnum cum magno, bonum cum bono, bonum cum magno &c. Deus habet majorem differentiam & concordantiam cum eo toto, quàm cum parte illius, videlicet cum anima illius vel cum corpore, & per oppositum majorem distantiam & contrarietatem, si agit oppositum; idcirco ratione magnitudinis divinæ justitiæ oportet esse resurrectionem, ut pro tanta concordantia vel contrarietate, quam Deus habet cum homine, retribuat ipsi homini, ergò resurrectio est, quòd si non, plus potest homo mereri vel demereri, quàm divina justitia eidem retribuere, quod est impossibile; si autem dicatur, quòd ex parte animæ potest illi retribuere, sic sequitur, quòd Deus habet majorem concordantiam vel contrarietatem cum parte ipsius hominis quàm cum toto homine, quod est falsum, ergò &c.

b. Ad hoc objicitur per triangulum viridem inter Deum & hominem & inter Deum & animam isto modo: Homo est ens ex anima & corpore constitutum, Deus autem est res incorporea, quia simpliciter intellectualis, & anima res incorporea, quia simpliciter intellectualis, ergò anima unita corpori ratione corporis discordat ab A. seu dissimilatur eidem, separata verò à corpore concordat seu assimilatur ei; si igitur resurrectio habuerit esse, sic erit, ut sit major discordantia & dissimilitudo & per consequens major inordinatio inter Deum & creaturam, & cùm ipsa resurrectio non possit fieri nisi ab actibus ipsarum dignitatum, tunc sequitur, quòd dignitates per suos actus privabunt id, quod est eis magìs simile, & quod est eis magìs dissimile, reducent in esse, & sic habebunt inordinationem contra se ipsas, quod est impossibile, ergò &c.

c. Ad hoc respondendum est per eundem triangulum additâ majoritate, & dicendum est, sicut priùs, quòd major est concordantia inter Deum & hominem, quàm inter Deum & animam, cujus ratio est, quia totam illam concordantiam & similitudinem, quam ipsa anima separata habet cum Deo, illam eandem habebit anima conjuncta corpori glorificato, & quoniam ipsum corpus erit similitudo Dei, quia etiam modò est similitudo illius, cùm sit constitutum de bonitate, magnitudine, duratione &c., & tunc multò magìs, eò quòd glorificatum; manifestum est, quòd homo glorificatus habebit majorem similitudinem & concordantiam cum Deo, quàm nunc habeat anima glorificata. Et propter hoc

hoc solvitur objectio, quando dicitur: *ergò anima unita corpori ratione corporis discordat ab A. seu dissimilatur eidem*, dicatur, quòd non est verum, quia, cùm corpus sit unitum de bonitate, magnitudine &c. est similitudo ipsius A., licèt non sit ejus similitudo ratione corporëitatis, & quoniam ipsum corpus ratione suæ bonitatis, magnitudinis &c., quæ sunt similitudines A., habet majorem concordantiam ad ipsum A. quàm discordantiam ratione corporëitatis, quia hæc discordantia importat non ens & minoritatem, & concordantia ens & majoritatem: manifestum est ergò, quòd anima unita corpori magis assimilatur ipsi A., quia plus multiplicat bonitatis magnitudinis &c., quàm separata à corpore: quare non valet objectio.

3. Suprà probatum est, Deum esse incar-
a. natum, id est, verum hominem factum, ita quòd Deus est homo, & homo est Deus, cùm igitur ita sit, quòd homo participet cum natura sensuali & intellectuali, & Deus sit homo incorruptibilis & immortalis, est utique ipse homo Deus medium, per quod natura intellectualis & sensualis consequitur majorem finem, quem consequi possit, & ideo sequitur, si resurrectio non erit, quod natura sensualis & intellectualis, quæ idem est specie cum natura sensuali & intellectuali, quam Deus assumpsit, habeat majorem concordantiam in principio temporis & quantitatis illi naturæ sensuali & intellectuali, quam Deus assumpsit, quàm in fine, quia in via omnis homo est idem in specie cum illa natura sensuali & intellectuali, sed in patria non; ergò sequitur, aut quòd Deus tantùm faciat durare homines sinè corruptione videlicet in gloria, quantùm ipsum hominem sibi unitum, aut quòd ipse homo sit magis fruitivus in principio quàm in fine, & plùs in minoritate quàm in majoritate, & sic deficit magnitudo bonitatis &c. divinæ Incarnationi respectu ipsius creaturæ, quod est impossibile, ergò necessariò oportet esse resurrectionem, ut sint homines sinè quantitate temporis tantùm durantes in gloria, quantùm ipse homo Deus, & ut etiam omnis natura sensualis intellectualis magis fruatur in fine naturâ sensuali intellectuali unitâ Deo quàm in principio.

b. Sed ad hoc objicitur: esse corporis habet suum finem in agere, cùm agere sit perfectio ipsius esse, corpus autem animatum non potest agere, nisi per suos sensus, cùm sint media, per quæ esse agit: si autem resurrectio sit, oportet necessariò deficere medium, per quod corpus agit de suis sensibus, quia ibi non erit aër neque cætera elementa, & ubi aër non est medium, impossibile est ibi esse visum, sermonem, auditum, anhelitum, odoratum, gustum & cætera ad hæc pertinentia, & sic privabitur corpus fine agendi secundùm suos sensus, quod est magnum inconveniens, ergò non videtur, resurrectionem esse.

c. Respondendum est per eundem triangulum in triangulo viridi & croceo isto modo: sicut est magna differentia inter corpus animatum glorificatum & non glorificatum, ita est magna differentia inter triangulum rubeum hujus & triangulum rubeum illius, & major discordantia, quàm concordantia, nam principia substantialia tam formalia quàm materialia & efficientia corporis non glorificati non sunt sinè concordantia & contrarietate, & ad hoc, ut conservetur majoritas in concordantia & minoritas in contrarietate, indiget corpus gustare & anhelitare, & sentire calidum & frigidum, humidum & siccum, & hoc secundùm temperantiam; quoniam, si non gustaret, vel si non anhelitaret, calor naturalis consumeret cætera sibi subjecta, & sic esset majoritas in contrarietate, & minueretur concordantia, & sic privaretur illud corpus: eodem modo sequeretur, si non temperaret in tactu calidum & frigidum, humidum & siccum; sed quoniam principia substantialia tam formalia quàm materialia & efficientia corporis glorificati resuscitati erunt in pura concordantia sinè aliqua contrarietate & resistentiâ, manifestum est, quòd non indigebit gustare, anhelitare, neque sentire calidum &c. contra finem contrarietatis, quam non habebit; quodcunque autem corpus glorificatum habebit videre illud objectum, quod est finis omnium creaturarum, videlicet ipsum Deum hominem, per quem & ad quem omnia facta sunt, ût probatum est, & audire ipsum & Angelos, & quodlibet corpus glorificatum, magnificando & glorificando Deum: medium autem, per quod videbunt corpora glorificata, & per quod audient & loquentur, conceditur non esse aërem nec aliquod elementorum, nam divina sapientia & voluntas, quarum potestati nihil est impossibile,

bile, ministrabunt glorificatum medium, sicut cœlum empyreum ita lucidum, quòd erit ipsa lux, de qua videndo, audiendo & loquendo tanquam de medio utentur ipsa corpora glorificata, ita & multò meliùs, sicut hîc utimur aëre; unde bene valeret objectio, si corpora glorificata & non glorificata quantùm ad suas substantias & sua loca essent ejusdem conditionis.

4. Dum F.G. considerant triangulum cro-
a. ceum in E. A. V. Y. & in I. V. Z., vident manifestè, quòd resurrectionem oportet esse, eò quòd major ordinatio est de E. ad A.V.Y. & de I. ad V. Z., quoniam, si resurrectio sit, E. attingit manifestè majores actus dignitatum in creatis, & majorem fruitionem creaturarum ad ipsum A., & ipsas creaturas videlicet homines esse magis subjectos virtutibus, & plùs posse contrariari vitiis, & esse magis in veritate & plùs distare à falsitate; si autem resurrectio non est, sequuntur omnia ista in minoritate, & sic sequitur, quòd minoritas & esse habeant majorem concordantiam, & majoritas & non esse, atque majoritas & esse minorem concordantiam, & minoritas & non esse, quod est impossibile & contra principia hujus artis, ergò &c.

b. Sed objicitur: præsens vita est per secundam intentionem, alia vita superna per primam, & corpus humanum per secundam intentionem, & anima per primam; si igitur resurrectio est, corpus & anima fruuntur aliâ vitâ, & sic videtur divina justitia injuriari, dans majoritatem minoritati, & faciens istam æqualitatem de majori & minori, quòd corpus, quod est per secundam intentionem, & anima, quæ est per primam, fruantur aliâ vitâ, quæ est per primam intentionem, quare non videtur resurrectionem esse.

c. Ad hoc respondendum est per eundem triangulum in triangulo rubeo, quòd alia vita est finis hujus vitæ, in hac autem vita vivunt anima & corpus videlicet homo, & plùs est vivere totius, quàm vivere partis, sed si resurrectio non est, in alia vita non erit vivere totius, sed tantùm vivere partis videlicet animæ, & sic sequitur, quòd id, quod se habet ad finem & secunda intentio est major & nobilior, quàm ipse finis & prima intentio, quod est impossibile, ergò &c. Et per hoc solvitur objectio, quando dicitur: *corpus humanum est per secundam intentionem, & anima est per primam*, verum est, si accipiantur divisim per comparationem partis ad partem; si autem accipiantur conjunctim corpus & anima, scilicet homo est per primam intentionem, & anima per secundam, & sic objectio vertitur in contrarium, videlicet si resurrectio non est, quòd divina justitia injuriatur dans majoritatem minoritati videlicet aliam vitam animæ, & minoritatem majoritati videlicet præsentem vitam homini, & sic objectio, quæ erat contrà, facit ad propositum.

5. F.G. inveniunt in triangulo nigro ne-
a. gationem resurrectionis habere possibilitatem tantùm ex parte naturæ creatæ, quia esse resurrectionem est superare ipsam naturam creatam, & inveniunt affirmationem ipsius resurrectionis habere possibilitatem ratione majoris actionis & ordinationis naturæ increatæ super naturam creatam, & ratione majoris finîs & nobilitatis naturæ creatæ, & ratione hujus est ita fortis affirmatio, quòd includit necessitatem, videlicet ita oportere esse necessariò, ut non sequatur affirmatio defectûs bonitatis magnitudinis &c. in actione & ordinatione naturæ increatæ super naturam creatam, & negatio majoris finîs & nobilitatis naturæ creatæ, quare impossibile est, non esse resurrectionem.

b. Sed contrà: De conditione summæ causæ est, non esse contra naturam & ordinationem sui effectûs; si igitur resurrectio sit, hoc non est nisi per potestatem & voluntatem summæ causæ, sed cùm resurrectio sit contra naturam & ordinationem prædicti effectûs, quia superat naturam & ordinationem ipsius effectûs, ergò potestas & voluntas summæ causæ, quæ sunt ipsa summa causa, sunt contra naturam & ordinationem ipsius effectûs, quod est summum inconveniens.

c. Ad hoc respondendum est per triangulum nigrum in triangulo viridi & croceo isto modo. Differentia contrarietatis est inter has duas affirmationes, resurrectionem esse, & modernam naturam creatam & ordinationem esse, & idcirco quælibet contra aliam principiat de se unam negationem, ita quòd, quamdiu hæc natura talis erit, negatur resurrectio, & si resurrectio sit, impossibile est, talem naturam & ordinationem esse: modò videndum est, cujus negatio plus negat entis & boni & finis & perfectionis ex parte naturæ increatæ & ex parte naturæ creatæ, & manifestum est, quòd negatio resurrectionis, ût etiam prædictum est.

Præterea sicut quælibet prædictarum duarum contrariarum affirmationum principiat de se contra aliam unam negativam, ita principiat de se unam affirmationem contra aliam, ita quòd affirmatio resurrectionis, ût etiam dictum est, dat majorem actionem & ordinationem summæ causæ super suum effectum, & majorem finem & nobilitatem & ordinationem ipsius effectûs; sed affirmatio modernæ naturæ & ordinationis effectûs negans resurrectionem, & ea, quæ sequuntur ad resurrectionem, principiat de se hanc affirmationem, videlicet semper esse in minoritate & defectu & extra perfectum finem, quod est potiùs contra naturam & ordinationem ipsius effectûs, quare potiùs valet objectio ad propositum quàm oppositum: & cùm dicitur: *quòd resurrectio est contra naturam & ordinationem effectûs*, negatur, & quando videtur probare, quia superat naturam & ordinationem ipsius: differentia est inter superare & superare, est enim superare idem quod destruere, sicut ignis in patiente febrem ex cholera superat aquam, id est, destruit, & isto modo non superat resurrectio naturam & ordinationem effectûs; & est aliud superare, videlicet facere id, quod aliud non potest facere, & hoc modo superabit potestas causæ in ipsa resurrectione potestatem effectûs, quia potestas effectûs non potest ipsum in altiorem gradum nec in perfectiorem finem elevare, ad quem potestas ipsius causæ ipsum elevabit in bonitate &c.; & hoc superare non est contra, sed potiùs pro natura & ordinatione ipsius effectûs, quare non valet objectio.

De secundo Modo solvendi.

1. ASsumentibus F. G. quartam cameram in secunda & tertia cum creatura & majoritate concordantiæ inveniunt, animam & corpus esse principia hominis, & hominem esse finem; principia autem hominis sunt per secundam intentionem, homo verò per primam, cùm sit finis suorum principiorum, prima namque intentio est finis secundæ; quare si resurrectio sit, omnes dignitates habent concordantiam in homine ratione principii & finis, & primæ intentionis & secundæ; si verò resurrectio non sit, est utique homo, ut anima sit beata, non ut ipse sit beatus, & sic anima est per primam intentionem, homo verò per secundam, & ita est totum, ut sit sua pars, & sic consistit finis in minoritate scilicet in parte, non autem in majoritate scilicet in toto, & sequitur, quòd actus dignitatum plus possunt agere in parte quàm in toto, imò etiam est contrarietas inter ipsos actus dignitatum adinvicem per comparationem ad suum effectum, quod est impossibile & contra regulas hujus artis, ergò resurrectio habet esse, cùm etiam nullum inconveniens ex suo esse sequatur.

2. Sed objicitur, cùm Deus sit principium & finis omnium, quæcunque sunt citra ipsum Deum, est ipse Deus per primam intentionem, & cætera quæcunque per secundam; Deus autem non est sensibilis, sed est recolibilis, intelligibilis & amabilis, & hoc per primam intentionem, S. verò recolitivum intellectivum & volitivum per secundam: si igitur resurrectio sit, sic erit secunda intentio sinè prima, quod est impossibile, quia sensitivum sic erit sinè ultimo sensibili, cùm Deus sit insensibilis, & sic omnia, quæcunque sunt citra Deum, non erunt per secundam intentionem, & sequitur defectus & minoritas in actibus dignitatum, quia ad se non ordinabunt omnia, quod est impossibile, ergò resurrectio non erit.

3. Ad hoc dicendum est per eosdem terminos, addito mediatè & immediatè, quòd Deus est principium omnium, quæcunque sunt citra ipsum Deum, & hoc duobus modis: est enim principium quorundam immediatè, sicut ipsius S., & principium mediatè, sicut corporis, cùm corpus sit de quatuor elementis productum, anima verò de non esse; & idcirco quodlibet istorum consequitur suum finem, qui est A., in suis actibus, videlicet anima immediatè in E. A., corpus verò mediatè videlicet per ipsum hominem, quem Deus sibi univit unitate personæ: & per hoc solvitur objectio, cùm dicitur: *Deus non est sensibilis*, verum est, immediatè, sed falsum est, mediatè, quoniam sicut anima conjuncta corpori est sensibilis per hominem, ita Deus est sensibilis per illam personam unitam de divina natura & humana, ût suprà probatum est; & ideo, quando dicitur: *si igitur resurrectio est, sic erit secunda intentio sinè prima*, quia sensitivum sic erit sinè ultimo suo sensibili, cùm Deus sit insensibilis, totum hoc falsum est; nam sicut S. rationativum junctum corpori habebit suum ultimum & finale rationabile, quod est A., ita suum corpus sensitivum habebit suum ultimum & finale sensibile, quod est homo Deus. Unde bene valeret objectio, si Deus non esset incarnatus, cujus oppositum suprà probatum est.

De Quæstionibus Philosophiæ.

QUæstio: *Utrùm mundus sit æternus?* Solutio: Prima Causa orbis, magnitudo æternitas, bonitas voluntas, finis majoritas.

Quæstio: *Quomodo elementa intrant mixtionem?* Solutio: Elementa mixtio, motus digestio, appetitus actus, potentia habitus.

De primo Modo solvendi.

CUm quæritur, *utrùm mundus sit æternus?* intelligimus, utrùm non habuerit suum esse post non esse? & ad hanc quæstionem discurrunt F. G. per T., & primò per triangulum lividum isto modo:

1. Deus est unus, cujus essentia est una & a.immensa in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & cujus æternitas est una & immensa in bonitate, magnitudine &c., & sic de bonitate magnitudine &c. cùm ipsa divina unitas ratione suæ immensitatis, bonitatis &c. sit in majori magnitudine, quâ possit esse, & divina immensitas ratione suæ bonitatis, unitatis &c. in majori unitate, quâ possit esse, est ergò impossibile, esse aliam æternitatem præter æternitatem divinam, quia sic oporteret immensitatem æternitatis esse majorem ratione dualitatis, quàm ratione unitatis, & unitas ad majorem magnitudinem bonitatis &c. æternitatis se haberet in dualitate quàm in se ipsa, atque bonitas &c. æternitatis ad majorem magnitudinem dualitatis quàm unitatis, & multa etiam alia impossibilia similiter sequerentur; & sic divina unitas ratione suæ immensitatis bonitatis &c. non est in majori magnitudine, quâ possit esse, nec divina immensitas ratione suæ unitatis in majori unitate, quâ possit esse, quod est summè impossibile, quia aliter Deus non esset Deus; nulla est ergò æternitas præter æternitatem divinam, relinquitur ergò impossibile, mundum esse æternum. Hoc idem etiam sequitur ex parte divinæ unitatis & divinæ operationis, nam divina operatio ratione suæ unitatis, bonitatis, magnitudinis &c. est in majori magnitudine, quâ possit esse, & divina unitas ratione operationis, bonitatis, magnitudinis, &c. eodem modo; est ergò impossibile, aliquod esse productum æternum præter Deum, videlicet Deus Filius à Deo Patre, & Deus Spiritus Sanctus à Deo Patre & Deo Filio, qui tres sunt una Deitas, unus Deus, ût suprà probatum est; est ergò impossibile, mundum esse productum æternum, quia, si sit productus æternus, sunt duo producti æterni, divisi per essentiam, & sic divina operatio quoad æternitatem se habet plùs ad dualitatem divisam per essentiam, quàm ad unitatem Dei indivisam per essentiam, & est in majori magnitudine ratione illius dualitatis secundùm æternitatem quàm ratione suæ unitatis, bonitatis, magnitudinis &c., quod est impossibile, igitur mundus non est æternus.

b. Contrà: sicut de conditione primæ causæ est, quòd ejus bonitas causet bonum, & ejus magnitudo magnum, & sic de aliis, ita est de conditione æternitatis illius, quòd causet æternum; & sicut sunt duæ bonitates scilicet bonitas causæ & bonitas effectûs, & duæ magnitudines scilicet magnitudo causæ & magnitudo effectûs, & sic de aliis, ita oportet esse duas æternitates videlicet æternitatem causæ & æternitatem effectûs; quòd si non, bonitas, magnitudo &c. operantur suam similitudinem in effectu, non autem æternitas, quod est inconveniens, ergò effectus est ita æternus, sicut bonus magnus &c.

c. Ad hoc dicendum est per triangulum croceum in viridi, quòd differentia inæqualitatis est inter bonitatem, magnitudinem &c. causæ, & bonitatem & magnitudinem &c. effectûs in hoc, quòd bonitas causæ est immensa in omni perfectione, & magnitudo &c. similiter, sed bonitas effectûs est finita & limitata, & similiter ejus magnitudo &c., & sic bonitas, magnitudo &c. causæ æqualiter concordant ad productionem bonitatis, magnitudinis &c. effectûs; sed si ipse effectus est æternus, æternitas causæ se habet ad productionem effectûs in plus, & bonitas, magnitudo &c. ipsius causæ in minus, & sic ratione majoritatis & minoritatis ipsæ dignitates contrariantur in productione sui effectûs, quod est magnum inconveniens, ergò sicut bonitas mundi, & sic de aliis, est producta limitata seu finita,

ita similiter & duratio ejus, quæ est similitudo æternitatis, est producta finita.

Per hoc solvitur objectio, cùm dicitur: *sicut est de conditione primæ causæ, quòd ejus bonitas causet bonum & ejus magnitudo magnum, & sic de aliis, ita est de conditione illius, quòd ejus æternitas causet æternum;* verum esset, si ipsum bonum causatum & magnum causatum essent infinitum, sed quoniam hoc est impossibile, quia sic oporteret dari plures Deos, falsa est consequentia, quòd æternitas causet æternum; & cùm dicitur ulteriùs: *sicut sunt duæ bonitates, duæ magnitudines &c. videlicet causæ & effectûs, ita oportet esse duas æternitates* &c. dicendum est, quòd bene valeret consequentia, si illæ duæ bonitates & illæ duæ magnitudines essent infinitæ, & sic sequerentur plures Dii; sed quoniam alia ipsarum bonitatum videlicet causæ est infinita, & alia videlicet effectûs est finita, falsa est consequentia, sed bene sequitur, quòd sunt duæ durationes, quarum alia est infinita, & hæc est æternitas, & alia est finita, & hæc est duratio mundi, & propter hoc non valet, cùm dicitur: *quòd bonitas, magnitudo &c. operarentur suam similitudinem in effectu, non autem æternitas.*

2. Oportet illud necessariò esse, per quod
a. causa & effectus scilicet Deus & mundus sint in majori differentia concordantiæ & separationis, ut magnitudo non deficiat majoritati differentiæ, concordantiæ & separationis, quæ si deficeret, deficeret utique potestas justitiæ, sapientiæ, voluntatis & nobilitatis, quod est impossibile, ergò &c.; sed si mundus est creatus, videlicet productus in esse, cùm non esset, Deus & mundus sunt in majori differentia concordantiæ & separationis: sunt quidem in majori differentia concordantiæ, quia, cùm ipse mundus sit productus ad Deum tanquam ad suum finem, totam nobilitatem, totam suam perfectionem recipit ex parte finîs, in nobilitate igitur & perfectione finîs consequitur mundus suam nobilitatem & perfectionem, sed de majori nobilitate & perfectione ipsius finîs, qui est Deus, est, quòd produxerit mundum de non esse in esse, quàm si produxerit eum æternum, quoniam, si produxisset eum æternum, defecit ipsi Deo hæc potestas nobilitati & suæ perfectioni, quòd de non esse non potuit producere tam bonum & tam magnum esse, quod est mundus, & in hoc sequitur, quòd potestas in magnitudine & nobilitate & perfectione fuit limitata à non esse, ergò, si mundus est productus de non esse, ipse est nobilior & perfectior, quia ratione suæ productionis de non esse in esse Deus hanc nobilitatem & perfectionem retineret in sua summa potestate, quòd tam bonum & tam magnum esse, quod est ipse mundus, produxit de non esse in esse, nec in hoc ejus potestas in magnitudine & nobilitate & perfectione fuit limitata à non esse, ergò Deus & mundus sunt in majori differentia concordantiæ, si ipse mundus sit à Deo productus de non esse in esse, videlicet quòd, cùm mundus non esset, dederit ei esse, & per consequens in majori differentia remotionis, quia sic remanet Deus infinitus, & mundus omnimodè finitus, videlicet in bonitate magnitudine, duratione &c., & si esset æternus, Deus non esset infinitus, eò quòd non potuit eum producere de non esse, nec mundus omnimodè finitus, quia esset infinitus duratione; quare manifestè sequitur, si mundus est æternus, quòd Deus & mundus sunt in majori differentia contrarietatis & propinquitatis, & deficit eis majoritas differentiæ, concordantiæ & separationis, & per consequens deficit potestas justitiæ, sapientiæ, voluntatis & nobilitatis, quod est impossibile, ergò &c.

b. Contrà: si mundus est æternus, major est differentia concordantiæ inter essentiam primæ causæ & essentiam sui effectûs scilicet mundi, quàm si non est æternus, quia, cùm ipse mundus sit propter Deum tanquam propter suum finem, totam suam nobilitatem & perfectionem recipit ex parte finîs; si igitur finis ejus est nobilis & perfectus, mundus est nobilis & perfectus; sed de nobilitate & perfectione finîs, qui est ipse Deus, est, quòd æternaliter non fuerit otiosus in sua operatione extrinseca, ergò Deus operatus est mundum æternaliter, videlicet quòd dedit ei æternum esse, ut in æterno divina operatio non sit otiosa; ergò mundus est æternus, ut ratione æternitatis ipsius mundi Deus nunquam cessaverit agere extrinsecè in æternum; ergò major est differentia concordantiæ inter Deum & mundum, si mundus est æternus; & si mundus non est æternus, est major differentia contrarietatis inter Deum & mundum ratione suæ finitæ durationis, quæ

quæ limitat potestatem Dei in nobilitate & perfectione in non posse agere extrinsecè in æternum, ergò mundus est æternus.

c. Ad hoc dicendum est, quòd, si mundus non est æternus, major est differentia concordantiæ inter causam & effectum in justitia, bonitate, sapientia, voluntate, nobilitate, perfectione &c., & major operatio justitiæ bonitatis ipsius causæ ad effectum, & ipse effectus consequitur majorem finem in sua causa, quàm si sit æternus, nam major differentia concordantiæ & remotionis, & etiam major operatio & finis, quas F. G. invenire possint inter justitiam, bonitatem &c. causæ & effectûs, sunt, cùm omne sensibile consequatur suum finem in homine, quòd justitia, sapientia, voluntas, bonitas, nobilitas, perfectio &c. hominis in æternum à parte post fruatur intellectualiter & sensualiter justitiâ, sapientiâ, voluntate, nobilitate, perfectione &c. Dei, influentibus bonitatem &c. gloriæ in bonitate &c. hominis, retribuente ipsâ justitiâ meritum gloriæ ipsi homini per E.A.V.Y., I.V.Z., N.A.V.Y.Z.; sed si mundus est æternus, hæc major differentia concordantiæ inter causam & effectum, & hæc major operatio & finis sunt impossibiles, quia impossibilis est resurrectio, quam etiam superiùs probavimus, eò quòd impossibile est, materiam sufficere corporibus resurrecturis; quare, si mundus est æternus, ejus quidem æternitas præbet majorem privationem majoris differentiæ & concordantiæ, & majoris operationis & majoris finîs, quàm esse earum, & majorem etiam cessationem divinorum actuum & causatorum, quàm incessationem eorum; & in hoc solvitur objectio per interemptionem, nam bene valeret objectio, si Deus illam operationem, de qua objicitur, posset habere æternam à parte antè, & illam operationem, per quam solvitur, posset habere æternam à parte post, sed quoniam hoc est impossibile, major scilicet ea, quæ est æterna à parte post, interimit minorem scilicet eam, de qua objicitur, esse æternam à parte antè, quare non valet objectio.

3. Cùm Deus ad se ipsum tanquam ad
a. ultimum finem sit causa efficiens mundi, de ratione suæ justitiæ est impossibile, quòd dignitates illius causantes suas similitudines, de quibus mundus formaliter & materialiter est constitutus, tendant ad finem injuriæ, sive implicent injuriam inter se ipsas ratione creationis mundi; sed si mundus est æternus, implicant inter se ipsas injuriam contra justitiam respectu sui effectûs, in hoc, quòd æternitas suam similitudinem causet infinitam, sed non bonitas nec cæteræ dignitates, & sapientia scit, & voluntas vult ipsam similitudinem æternitatis infinitam, sed non suam similitudinem nec bonitatis, nec cæterarum dignitatum, & sic causant injuriam sibi ipsis & cæteris dignitatibus: hoc idem eodem modo sequitur de cæteris dignitatibus sic se habentibus ad causandum plùs similitudinem æternitatis tanquam ad finem quàm suasmet similitudines, est ergò impossibile, mundum esse æternum, & sequeretur inde magnum impossibile, si esset æternus, videlicet eum non habere principium quantitatis temporis seu durationis, nec per consequens medium nec finem, & sic sapientia & voluntas non possent attingere eum duratione finitum sed infinitum, & sic est impossibile, quòd potestas possit privare ipsum, eò quòd sapientia nescit ipsum in privatione, & eò quòd voluntas ratione sapientiæ non vult eum in privatione, & sic est defectiva potestas ratione sapientiæ & voluntatis; aut si voluntas ratione suæ potestatis vult ducere ipsum in privationem, vult contra sapientiam, & sapientia scit contra eam: sapientia quidem ita habet scire necessariò, ex quo ita est, cùm sit impossibile, quòd sciat esse non esse, quod est contradictio; cùm igitur mundum esse æternum implicet contrarietatem inter divinas dignitates, ût dictum est, & ipsa contrarietas sit impossibilis, ergò est impossibile, mundum esse æternum.

b. Contrà: quod est in instanti, nunquam de non esse cepit esse, nec desinet esse, eò quòd instans semper habet ante se aliquid, de quo fluit, quod est principium ipsius instantis, sicut præteritum tempus, & aliquid, ad quod fluit, sicut futurum, & quod nunquam cessavit recipere nec dare fluxum, nunquam cessavit esse, ergò instans nunquam cessavit esse; sed mundus aut est aut non est in instanti, ergò mundus de non esse nunquam cepit esse; ergò relinquitur, quòd est æternus, quòd si non, manifestum est, quòd, antequam mundus esset, non fuit tempus nec motus, si igitur cepit esse, cepit illud in instanti, sed cùm instans sinè præterito tempore non possit,

nec potuerit esse, sequitur, quòd tempus movens illud instans fuerit ante tempus & motus ante motum, quod est contradictio, ergò mundus non cepit esse, nec eodem modo desinet esse, quia sic instans flueret in nihilum, quod est impossibile, quare sequitur, quòd mundus est æternus.

c. Considerantia F. G. triangulum viridem secundùm triangulum rubeum in substantia & operatione mundi solvunt prædictam objectionem, & primò, cùm dicitur: *quod est in instanti, nunquam de non esse cepit esse*, negatur, & cùm videtur confirmari: *instans semper habet ante se aliquid, unde fluit* &c. Differentia est inter instans quidditatis mundi & instans operationis mundi, & concordantia, quia utrumque habet principium, & alterum ab altero principiatur, videlicet instans operationis ab instanti quidditatis ratione ipsius quidditatis operantis; & contrarietas, quia instans ipsius quidditatis non habet medium nec finem, quia, ex quo ipsa quidditas est, per suum instans non se habet ad suum esse; & sic, cùm oporteat mundum esse causatum post non esse, ût probatum est in triangulo rubeo & in aliis triangulis antedictis, nulla contradictio nec aliquod impossibile nec etiam inconveniens sequitur ex parte instantis, quia, cùm instans habeat naturaliter subsequi substantiam, nihil repugnat, quin divina actio potuerit principiare, cùm mundus non esset, substantiam seu quidditatem mundi principiantem suum instans, ita quòd instans ipsam divinam actionem non potuerit mensurare, & quin ex isto instanti potuerit principiari instans operationis, ipsâ operatione substantiæ subsequente esse substantiæ; & sic verum est, quòd instans operationis non autem quidditatis mundi semper habet aliquid ante se, unde fluit, postquam fuit: & sic per consequens solvitur id, quod sequitur scilicet: *quòd nunquam cessavit recipere &c.* verum est, postquam fuit, & per consequens negatur sequens conclusio: *ergò mundus de non esse nunquam cepit esse:* & cùm videtur ad oppositum inferri contradictio confirmans illam conclusionem, videlicet *si cepit esse, cepit illud in instanti*, verum est, sed tamen priùs naturaliter in substantia; & ulteriùs; *sed cùm instans sinè præterito tempore non possit nec potuerit esse*, verum est, quòd instans operationis, postquam est, non est sinè præterito; nec potuerit esse sinè tempore, non est verum, imò potuit, nam, ex quo habuit instans quidditatis simplex, unde fluxit, non oportuit tunc, quòd haberet præteritum, unde flueret; & sic non potest inferri contradictio sequens, nec per consequens ea, quæ sequuntur ad oppositum contradictionis; ergò relinquitur secundùm ea, quæ dicta sunt in suprà dictis triangulis, quòd mundus non est æternus.

4. Duratio substantiæ habet esse propter
a. substantiam tanquam accidens propter suum subjectum, & si est impossibile, divinam potestatem limitari à substantia mundi, cùm sit finita & limitata ratione finitæ bonitatis magnitudinis &c., de quibus constituta est, ergò est multùm impossibile, quòd accidens ipsius substantiæ possit limitare divinam potestatem; ergò necessariò substantia mundi non est æterna, quoniam, si est æterna, ejus duratio est infinita seu immensa, sed super immensum impossibile est plus addi, ergò super durationem substantiæ mundi non potest divina potestas plus addere, neque divina sapientia neque divina voluntas attingit, super eam plus posse addi: igitur constat, potestatem Dei esse limitatam ratione immensæ durationis mundi, & sapientia plus scit, & voluntas plus diligit, durationem mundi esse immensam quàm ipsam potestatem, sed cùm ipsa potestas sit idem quod ipsa sapientia & voluntas, & ipsæ tres sint unus idem Deus, manifestum est, quòd Deus plus scit & plus diligit, durationem mundi esse immensam, quàm se ipsum esse immensum, quod est valde absurdum, ergò mundus non est æternus: & dato, quòd Deus sit immensus, & duratio mundi ratione suî immensa, sequitur, quòd Deus habet majorem similitudinem & proportionem cum accidente quàm cum substantia mundi, cùm ipsa substantia mundi sit limitata in sua bonitate, magnitudine, potestate &c., & sic accidens est majus quàm substantia, & substantia est propter suum accidens & non è converso, quod est impossibile, & æqualitas est major sub ratione durationis inter substantiam primi & accidens mundi, quàm inter substantiam mundi & substantiam primi, & sic sequitur, cùm in Deo nullum sit accidens, quòd est major æqualitas inter res dissimiles quàm similes, quod est impossibile, & multa etiam alia impossibilia sequerentur, ergò mundus non est æternus.

Con-

b. Contrà: illud oportet esse, per quod est major similitudo inter substantiam primæ causæ & substantiam sui effectûs videlicet mundi, & per quod est major similitudo inter divinam operationem intrinsecam & extrinsecam, & per quod divinæ dignitates causando habeant majorem concordantiam ad invicem; sed si mundus est æternus, sunt prædictæ majoritates in similitudine & concordantia, ergò mundus est æternus; & hoc manifestè videtur ratione æternitatis mundi, quoniam, si mundus est æternus, bonitas Dei semper habuit suam similitudinem actu, & magnitudo suam similitudinem actu, atque æternitas suam similitudinem actu, & per consequens substantia Dei suam similem substantiam actu, atque operatio Dei intrinseca semper suam operationem extrinsecam actu, & sequitur inde major concordantia inter dignitates causantes similitudines, quia æternitas ratione suî & ratione bonitatis magnitudinis &c. & bonitas ratione suî & ratione æternitatis magnitudinis &c., & sic de aliis, semper habuerunt suas similitudines actu: nec sequitur inde contrarietas, quoniam sicut bonitas, potestas &c. mundi limitatæ sunt sub magnitudine quanta, ita sunt limitatæ sub æternitate successiva, & sicut quantitas limitat magnitudinem mundi, ita successio temporis ejus æternitatem, ergò mundus est æternus; quòd si non, dignitates Dei habuerunt suas similitudines in potentia ab æterno, & in actu post æternum, & eodem modo operatio intrinseca operationem extrinsecam, & deficit æternitas sibi ipsi & omnibus dignitatibus & è converso, & bonitas similiter sibi ipsi & omnibus, & sic de aliis, in productione suarum similitudinum, & sic sequitur, si mundus non est æternus, quòd major sit dissimilitudo quàm similitudo inter substantiam causantem & substantiam causatam, & inter operationem intrinsecam & extrinsecam, eò quòd potentia & privatio habent concordantiam, atque major est contrarietas ad invicem inter dignitates causantes suas similitudines, quàm concordantia, quod est summum inconveniens, ergò mundus est æternus.

c. Recurrentia F. G. ad triangulum croceum in triangulo livido viridi & rubeo solvunt objectionem: & primò cùm dicitur: *illud oportet esse, per quod est major similitudo inter substantiam causæ & effectûs &c., & per quod est major similitudo inter operationem Dei intrinsecam & extrinsecam*, verum est, si recipiens sit tantæ magnitudinis in bonitate &c., quòd illam similitudinem ex parte suî posset sustinere, sed cùm effectus sit limitatus in bonitate, magnitudine &c., ex parte suî non potest eam sustinere, quare falsæ sunt ambæ illæ positiones ût sic: & cùm dicitur: *illud oportet esse necessariò, per quod divinæ dignitates in causando habent majorem concordantiam adinvicem*, verum est, nisi sequatur inde major contrarietas quàm illa concordantia, & ideo, cùm dicitur: *si mundus est æternus, sunt prædictæ majoritates*, negatur, & cùm videtur confirmari: *si mundus est æternus, bonitas Dei semper habuit suam similitudinem actu* &c. falsum est, imò potiùs suam dissimilitudinem, quia, cùm bonitas & magnitudo mundi sint finitæ, & sic de aliis hujusmodi, habuerunt majorem dissimilitudinem quàm similitudinem ratione finiti & infiniti; & cùm dicitur: *atque operatio Dei intrinseca semper suam operationem extrinsecam actu*, verum est, nisi sequeretur impossibile, nam sicut est impossibile, bonitatem operari extrinsecè bonitatem aliquo modo infinitam sub ratione bonitatis, & sic de magnitudine, ita & in tantum est impossibile, æternitatem operari extrinsecè durationem aliquo modo infinitam sub ratione durationis, quia sic esset dare, quòd æternitas plus ageret extrinsecè quàm bonitas, magnitudo &c., quod est summè impossibile, quare non valet: & propter hoc falsum est, quando dicitur: *nec sequitur inde contrarietas;* & quando videtur probari: *quoniam, sicut bonitas, potestas &c. mundi limitatæ sunt &c.* non valet, quia illa æternitas aliquo modo remaneret infinita, sed bonitas, magnitudo &c. omnimodè limitatæ; & cùm videtur inferri ad oppositum: *dignitates Dei habuerunt suas similitudines in potentia ab æterno, & in actu post æternum*, dicendum est sicut priùs, quòd ratione finiti & infiniti potiùs sunt dissimilitudines quàm similitudines, & dato, quòd similitudines sint, non fuerunt in potentiâ ratione agentis sed ratione recipientis, quod est impossibile, esse æquale agenti, & per prædicta interimuntur cætera, quæ sequuntur in prædicta objectione videlicet: *& deficit æternitas sibi ipsi* &c.

5. Cùm sit impossibile, G. de non ente
a. abstrahere similitudines constituentes suum

verbum,

verbum, dicit, impossibile est, mundum non esse æternum, sed cùm convertitur G. ad A. respiciens in dignitatibus ejus mundum in ratione nobilioris entis secundùm majoritatem concordantiæ & finis æqualitatis dignitatum, tunc affirmat E., necessarium, mundum esse principiatum, & I. negat, impossibile, mundum non esse æternum, & sic ratione prædicti I., quod est L., generatum est R., dicens dubitativè adinvicem, impossibile est, mundum esse æternum, possibile est mundum esse æternum; & statim supponit N. majorem partem ratione A., cùm invenit materiam paratam, & movet F. G. ad discursum, & cùm attingunt majorem remotionem entis divini à non ente, & majorem resistentiam ipsi non enti, videlicet, quòd ratione suæ summæ immensitatis produxerit omne ens sibi extrinsecum à non ente in ens, affirmat E., necessariò mundum habere principium, & ita I. habet majorem rationem negandi quidquam extrinsecum produci de entitate Dei, seu aliquid entitatis Dei alienari in entitatem extraneam, quare manifestè secundùm rei veritatem dicit I. impossibile, mundum esse æternum, quia ratione æqualitatis & simplicitatis dignitatum alienaretur necessariò essentia unitatis divinæ æternitatis simplicis, quod est impossibile, ergò &c.; sed adhuc dubitat R., quare K. ita libenter se inclinat ad mundum esse æternum, & tunc movente N. vident F. G., quòd magis conveniens & magis propinquum est ad naturam potentiæ, ens ab ente produci, sicut verbum de similitudinibus, elementatum de elementis, & omne aliquid ex aliquo præjacenti ente quàm ex non ente; & ideo non est mirum, si potentia fert actum ad hoc, quod magis est ei proportionatum, & propter hoc F. G. destruunt R. destruentia in eo partem ipsorum K. L.

b. Contrà: si mundus non est æternus, necessariò productus est de non ente, sed id, quodcunque sit illud, de quo aliquod ens producitur, oportet, quòd sit materia, materia autem est ens, manifestum est ergò, quòd ens erat non ens & è converso, unde productum est ens, quod est contradictio: ac etiam contrarium non potest transmutari in contrarium nisi per corruptionem transmutabilis, & per motum termini à quo ad terminum ad quem, sed, si mundus productus est de non ente, sequitur, quòd non ens fuit corruptibile & transmutabile, sed nihil aliud est corruptibile & transmutabile, nisi ens, ergò ens fuit non ens, & motus à quo incepit à nihilo, & transivit per nullum medium, cùm inter ens & non ens nullum sit medium, sed hoc est impossibile, ergò mundus non est productus de non ente; ergò relinquitur, quòd est æternus, aliter sequerentur multæ contradictiones & impossibilitates.

c. F. recordatur, & G. resumit hæc, quæ dicta sunt de potentia in prædicto triangulo nigro, & addunt triangulum viridem in croceo super lividum, & affirmant triangulum viridem in majoritate inter operationem entis divini & operationem entis creati seu entis causati, ita quòd majoritas operandi est entis divini, & minoritas operandi est entis creati, ita quòd impossibile & contrarium est coæquari potestatem operationis utriusque; & in hoc solvitur objectio, quoniam si accipiatur, mundum non esse æternum secundùm operationem entis creati, & secundùm quòd ipsum ens creatum secundùm suas proprias conditiones potest sustinere, procedunt utique prædictæ contradictiones & impossibilitates, & hoc modo impossibile est, mundum non esse æternum: si autem consideretur, mundum non esse æternum secundùm operationem entis divini, cujus potestas operandi est immensa, & secundùm quòd ipsum ens creatum secundùm conditiones entis divini potest sustinere, & secundùm ea, quæ dicta sunt in suprà dictis triangulis hujus capituli, sic non procedunt prædictæ contradictiones & impossibilitates, sed potiùs est impossibile, mundum esse æternum; & hoc modo generaliter & absolutè solvuntur prædictæ rationes: specialiter autem sic possunt solvi; & primò ad primam, nam produci mundum de non ente duobus modis potest assumi, aut de non ente materialiter, & hoc modo bene procedit hæc ratio & duæ consequentes, aut de non ente videlicet, cùm non esset, & sic non valet, & sic isto secundo modo per consequens negatur corruptibilitas & transmutabilitas & motus; quare non valet.

De secundo Modo solvendi.

1. IN cameris consequentibus primam discurrunt F. G. secundùm propositam quæstionem, & mensurantia æternitatem majori magnitudine, quâ possunt eam mensurare secundùm finem majoritatis inveniunt utique, si non est nisi tantùm una sola essentia æternitatis, quòd illa potest esse in tanta magnitudine, quòd est impossibile, eam esse majorem; sed si sit alia æternitas videlicet causata, stante æternitate causatâ adhuc posset æternitas causans esse major, privatâ verò æternitate causatâ non potest esse major; hoc autem est ratione infinitatis æternitatis causatæ, sicut si bonitas causata staret infinita, adhuc bonitas causans posset esse major, sed quando bonitas causata stat finita, cùm finiti & infiniti nulla sit proportio, non habet bonitas causans conditionem essendi inde major vel minor, & idcirco est impossibile, aliquid infinitum esse extra Deum, est enim impossibile, duo distincta per essentiam esse infinita absque utriusque limitatione, ergò est impossibile, esse aliam æternitatem præter æternitatem divinam, quia sic deficeret magnitudo essentiæ æternitatis in majoritate finis & bonitatis &c., quod non potest velle voluntas volens majorem finem in magnitudine æternitatis, qui possit esse; & quoniam posse & velle sunt unum & idem in Deo, sicut etiam voluntas & potestas possunt esse, & ita est ille major finis, ergò nulla est æternitas alia à Deo, ergò mundus non est æternus.

2. Contrà: de conditione magnitudinis æternitatis est, si ipsa æternitas sit, ut consequatur suum finem in majoritate, quòd in voluntate, quæ idem est cum ipsa æternitate, sit impossibilis alteratio seu mutatio, & nisi potestas ipsam voluntatem faciat esse sinè mutatione, est defectiva & limitata, & per consequens ipsa voluntas & magnitudo in æternitate, quod est impossibile, ergò &c.; sed si mundus non est æternus, manifestum est, quòd in divina voluntate fuit mutatio nolendi in velle, & volendi in nolle, eò quòd noluit, eum esse, cùm mundus non esset, & eò quòd vult, eum esse, dum est; ergò mundus semper fuit, ita quòd nunquam fuit in non esse, & sic necessariò est æternus.

3. Attingentia F. G. magnitudinem potestatis Dei in voluntate æterna respectu magnitudinis potestatis mundi vident potestatem Dei in tanta infinitate majoritatis excedere potestatem mundi, quòd penitùs nullam habent proportionem, ita quòd esse & non esse mundi nullum finem in Deo mutare vel alterare possunt, nec sunt causa nec occasio mutandi vel alterandi quidquam in Deo, quia sic haberet suum finem in se ipso defectivum in immensitate æternitatis, bonitatis &c., eò quòd non esset tantæ magnitudinis in potestate suæ voluntatis, quòd esset sufficiens de se ipso sibi in fine sui ipsius, quod est impossibile; & sic non oportet, mundum esse æternum, ut non sit causa vel occasio alterandi seu mutandi actum divinæ voluntatis, si non esset æternus; & major finis etiam est in potestate magnitudinis, æternitatis, voluntatis, si mundus non est æternus, ita quòd per ejus non æternitatem non sit magis vel minus alterata divina voluntas, quàm si mundus esset æternus, ut propter ejus æternitatem non sit prædicta alteratio, quare etiam non valet ratio. Et ideo, cùm dicitur: *si mundus non est æternus, manifestum est, quòd in divina voluntate fuit mutatio nolendi in velle, & volendi in nolle*, negatur; & cùm videtur probari: *eò quòd noluit, eum esse, cùm mundus non esset, & eò quòd vult eum esse, dum est*, falsum est realiter, quia nolle nunquam fuit in divina voluntate sed semper velle, semper enim divina voluntas habuit velle mundum non esse, dum non erat, & habuit semper velle mundum esse, dum erat, ita quòd velle semper fuit unum, & idem est indiversificatum penitùs, sed ratio nostræ potentiæ facit nolle in hoc, quòd ipsum idem velle non poterat recipi in mundo, cùm mundus non esset, quod modò recipitur in eum, cùm habeat esse, quare non valet objectio.

De Quæstionibus Juris.

QUæstio: *Utrùm Jus plùs debeat inquirì ratione suæ formæ quàm ratione suæ materiæ?* Solutio: Forma materia, magnitudo justitia, generale naturale, principium finis.

Quæstio: *Quomodo Jus particulare invenitur in universali?* Solutio: Generale speciale, forma materia, magnitudo æternitas, nutritivum comparativum.

De primo Modo solvendi.

1. SOlutionem primæ quæstionis in prima
a. Camera perquirunt F. G. per T., & primò per triangulum lividum isto modo: in essentia Dei nulla est materia sed forma pura & simplex, quæ est ipsamet essentia, in dignitatibus autem est justitia, quæ est ipsemet

met Deus & essentia pura, cujus scilicet justitiæ similitudo est jus ratione formæ ipsius Juris, non autem ratione materiæ; unde, cùm forma Juris, quæ est ipsa æquitas seu justitia, sit similitudo Dei ratione justitiæ, significatum est, quòd jus simpliciter debet plùs inquiri ratione suæ formæ quàm ratione suæ materiæ: & hoc etiam patet in aliis angulis, nam omnis creatura & sensualis & intellectualis est nobilior & melior simpliciter ex parte formæ quàm ex parte materiæ, quia per propriam formam distinguitur unumquodque à quocunque alio, & ab ea recipit propriam denominationem non autem à materia, & multas etiam alias conditiones habet forma in sua substantia, quæ sunt nobiliores quàm conditiones materiæ, ac etiam omnis operatio naturalis & intellectualis & artificialis est nobilior ex parte formæ agentis quàm ex parte materiæ patientis, quare manifestè concludendum est, quòd Jus potiùs debet inquiri ratione suæ formæ quàm ratione suæ materiæ.

b. Sed objicitur: secundùm operationem naturalem agens naturale & etiam artificiale priùs incipit in materia generabili quàm in forma generabili, sicut planta generans plantam priùs movet materiam plantæ generabilîs quàm ejus formam, & faber priùs movet materiam clavi quàm ejus formam, & hoc per se patet; „ & cùm Juristа sit in„ tellectualis artifex, debet sequi in sua in„ tellectuali operatione operationem natu„ ralem & sensualem, ergò priùs debet incipere in materia quàm in forma; & si priùs, ergò magìs ratione materiæ quàm ratione formæ: cujus ratio est, quia, quod est magìs necessarium in re, illud debet magìs inquiri, sed materia ratione suæ prioritatis est magìs necessaria, quod patet, quia remotâ materiâ removetur forma, & quidquid sequitur, & non è converso, sicut remoto principio removetur medium & finis, & non è converso, ergò materia est magìs principalis quàm forma, & per consequens est magìs necessaria, ergò &c.

c. Ad hoc dicendum est per triangulum rubeum in eisdem terminis, quòd multiplex est *priùs*, est enim priùs intentione & nobilitate, & secundùm tale priùs forma est prior materiâ; & est priùs executione & tempore, & secundùm tale priùs materia in potentia est prior ipsâ formâ: & quoniam etiam forma est prior habitu & intentione agentis, quàm materia in execu-

tione & tempore, falsum est quantum ad hoc, quod objicitur de prioritate materiæ; & quando dicitur: *quòd materia ratione suæ prioritatis est magìs necessaria:* dicendum est hîc, quòd forma & materia transeuntes per medium conjunctionis sunt principium essentiale hujus termini seu finîs, qui est substantia, ita quòd quælibet est necessarium principium substantiæ, ita quòd hæc scilicet forma est principium agens necessarium, quâ positâ necessariò ponitur totum videlicet ipsa substantia, & quâ remotâ non removetur totum, quia remanet materia, & hæc scilicet materia est principium necessarium passivum, quâ remotâ removetur totum scilicet ipsa substantia, & quâ positâ non ponitur totum, quia non ponitur forma, nec per consequens ipsa substantia; & in hoc solvitur objectio, quòd est verum, materiam esse magìs necessariam ex parte privationis, quàm sit forma; sed forma est magìs necessaria ex parte positionis quàm materia; & quoniam necessitas est major ex parte positionis quàm ex parte privationis, non valet objectio.

2. Differentia est inter formam & mate-a. riam Juris, cùm forma sit quoddam ens aggregatum in verbo phantastico constitutum de pluribus similitudinibus activis, ut sequatur judicium ex parte actionis, & materia sit quoddam ens aggregatum in eodem verbo phantastico constitutum de pluribus similitudinibus passivis, subjectis prædictis similitudinibus activis, ut sequatur judicium ex parte passionis; hæc autem differentia, quæ est inter formam & materiam Juris, est major ratione formæ quàm ratione materiæ, cùm forma sit agens, materia verò patiens, atque est major concordantia ex parte formæ quàm ex parte materiæ, & major contrarietas earum ad invicem ex parte materiæ quàm ex parte formæ, quia priùs incipit jus corrumpi per materiam quàm per formam, quia illa materia est in potentia ad transmutandum se sub forma injuriæ, ergò est major contrarietas inter jus & injuriam ratione formæ juris quàm ratione materiæ; quare Judex potiùs debet inquirere jus & injuriam ratione formæ quàm ratione materiæ.

b. Contrà: Injuria est oppositum Juris, & quoniam forma juris potest magìs resistere injuriæ quàm materia, priùs incipit injuria

injuria corrumpere jus ex parte materiæ quàm ex parte formæ; sed unde eminet priùs corruptio Juris, ibi magìs est inquirendum, ut citiùs fiat resistentia injuriæ, ergò jus est magìs inquirendum ratione materiæ quàm ratione formæ.

c. Ad hoc respondendum est per triangulum rubeum, & cùm dicitur: *quòd injuria est oppositum juris, & quòd forma juris magìs resistit injuriæ* &c. concedatur: & ulteriùs, cùm assùmitur, *sed unde eminet priùs corruptio juris, ibi magìs inquirendum est*, dicendum est, quòd injuria tendit ad destructionem vel corruptionem formæ Juris, ut destruat vel corrumpat ipsum Jus per hoc medium, quod est materia Juris, & ita oportet eam priùs transire per medium scilicet per materiam, quàm veniat ad finem, quamvis priùs intendat venire ad finem, quàm transire per medium; & in hoc solvitur objectio ratione distinctionis inter priùs & priùs; & quoniam priùs venire ad finem est majus, quàm priùs transire per medium, valet potiùs objectio ad propositum quàm oppositum.

3. Forma est principium materiæ dans ei a. esse, hoc est, aliquid distinctum ab omni alia materia, ut ipsa forma ratione suæ propriæ materiæ attingat suum finem in se ipsa, & ita materia est principium secundarium, & est medium, per quod forma attrahit ad se suas similitudines, atque materia se habet ad suam formam, ut habeat in ea perfectionem & finem, quem appetit.

Circumspicientia F. G. triangulum rubeum in forma & materia, ût dictum est, attingunt, quòd in judicio debet jus inquiri secundùm principium, medium & finem Juris, & quoniam forma habet in unoquoque compositо principium, medium & finem primarium, & materia secundarium, ergò magìs debet inquiri Jus ratione formæ quàm ratione materiæ.

b. Contrà: „ Juristа, cùm sit artifex in„ tellectualis, debet sequi viam principio„ rum naturæ; sed secundùm viam naturæ materia est majus principium ratione potentiæ, quàm forma ratione habitûs, eò quòd plus possibilitatis est in materia ratione potentiæ quàm in forma ratione habitûs: ratio hujus est, quia materia plus potest pati, quàm forma agere, & inde sequitur, quòd materia est magìs appetitiva quàm forma, cùm forma non possit ei sufficere, restat igitur, quòd est majus principium quàm forma; ergò Juristа ratione majoritatis principii potiùs debet inquirere Jus ra„ tione materiæ quàm ratione formæ, cùm „ etiam operatio Juris sit similitudo opera„ tionis naturalis.

c. Ad hoc dicendum est, quòd universalis materia est quoddam universale principium, unde procedunt particulares materiæ ad supposita specifica generationi & corruptioni subjecta; & sicut est necessariò una universalis materia, ita necessariò oportet esse unam universalem formam, quâ reguntur formæ particulares suppositorum, quæ generationi & corruptioni sunt subjectæ, & in qua etiam sunt omnes habituatæ, priusquam procedant in actum, aliter esset dare, quòd formæ specificæ suppositorum generabilium de nihilo producerentur in actum.

Præterea etiam, cùm ignëitas, aëreitas, aquëitas, terrëitas, quæ sunt essentiæ materiæ universalis, constitutæ sunt distinctimodè de bonitate, magnitudine &c., ita se habet bonitas &c. ad constituendum ignëitatem &c. ratione formæ sicut ratione materiæ, ut ignis &c. ratione formæ sit activus, & ratione materiæ sit passivus, quare necessariò oportet esse formam universalem sicut materiam universalem; & per hoc solvitur objectio: cùm dicitur: *secundùm viam naturæ materia est majus principium ratione potentiæ quàm forma ratione habitûs*, negatur: & cùm dicitur: *eò quòd plus sit possibilitatis in materia ratione potentiæ quàm in forma ratione habitûs*, falsum est, & per consequens negatur tota objectio, imò potiùs cùm ipsa universalis forma sit adeò universale principium in actione & habitu, sicut materia in passione & potentia, ipsa forma universalis est majus principium ratione actionis & habitûs quàm ipsa materia universalis ratione passionis & potentiæ, unde bene valeret objectio, si non esset forma universalis sed materia tantùm.

4. Substantia major est per id, per quod a. habet suum esse specificum, quàm per id, quod se habet ad illud esse, nam esse est substantiale ipsi substantiæ, id verò, quod se habet ad illud esse, est accidentale, & major est etiam per illud, per quod ipsa est agens quàm per id, per quod ipsa est patiens; sed per formam habet esse & habet agere, per materiam verò habet id, quod se habet ad illud esse, & per quod est patiens, ergò substantia est major ratione

formæ quàm ratione materiæ, ergò jus debet magis inquiri ratione formæ quàm ratione materiæ, ut magis inquiratur ratione majoritatis quàm ratione minoritatis, & magis ratione substantiæ quàm ratione accidentis, cùm forma juris habeat majorem proportionem cum substantia ratione majoritatis quàm materia, & materia majorem proportionem cum accidente ratione minoritatis quàm forma.

b. Contrà: id habet magis de ratione majoritatis & substantiæ, quod plus habet persistentiæ & durationis quàm id, quod minus, sed materia plus habet persistentiæ & durationis quàm forma, quia, cùm forma corrumpitur, semper remanet materia, & semper subjicibilis est pluribus formis corruptibilibus ipsâ existente incorruptibili, ergò materia magis habet de ratione majoritatis & substantiæ quàm forma, sed cùm jus debeat inquiri plus ratione majoritatis & substantiæ quàm minoritatis & accidentis, magis debet inquiri ratione materiæ quàm ratione formæ.

c. Ad hoc respondemus, quòd principium corruptionis est materia, quia tantæ minoritatis est, quòd de se non habet esse sed ab alio videlicet à forma, & ratione suæ potentiæ est transmutabilis de forma in formam, quia natura illius tantæ minoritatis est, quòd non potest semper esse in actu, sed si habeat esse actu, hoc est, gratiâ formæ sustinentis eam in actu: naturæ quidem formæ est, eam semper dare esse, si sit quid sufferens illud, & sic forma de se semper habet esse, sed corruptionem à materia: & in hoc solvitur objectio, cùm dicitur: *materia plus habet esse & durationis quàm forma*, verum est per accidens, sed falsum est substantialiter, quia, quidquid habet persistentiæ & durationis, hoc est gratiâ alicujus formæ agentis super eam; & cùm dicitur: *cùm forma corrumpitur, semper remanet materia*, verum est ratione alicujus formæ, nam aliter non posset, nisi aliqua forma daret ei esse; & cùm dicitur: *& semper subjicibilis est pluribus formis corruptibilibus, ipsâ existente incorruptibili*, verum est, quòd ipsa est subjicibilis ratione suæ potentiæ, & forma, cui subjicitur, est corruptibilis non ratione suî sed ratione ipsius materiæ non potentis sustinere ipsam formam, & quòd ipsa est incorruptibilis non ratione suî sed ratione alicujus formæ regentis eam, & sic, quidquid habet perfectionis & majoritatis ipsa materia, hoc non est ratione suî sed ratione formæ, & quidquid habet imperfectionis & minoritatis ipsa forma, hoc non est ratione suî sed ratione ipsius materiæ; unde bene valeret objectio, si perfectio, quam habet materia, esset ratione suî ipsius, & si defectus, quem habet forma, esset ratione ipsius formæ, quod falsum est, quare non valet.

5. In principio, dum causa vertitur coram Judice, affirmatio est Actoris, negatio Rei, dubitatio Judicis; existente igitur Judice in R. ratione dubitationis, tunc debet se transferre in N. supponens, affirmationem esse in Y. vel in Z., & postmodum negationem; & tunc discurrentia F. G. secundùm conditiones causæ perpendunt, quomodo Jus se habet in illa causa ratione formæ & ratione materiæ, & tunc inquirat, si altera ipsarum vel ambæ simul scilicet affirmatio & negatio peccant: & tunc ita erit, vel quòd altera ipsarum peccabit in forma vel in materia, & tunc inquirat Jus, secundùm quòd peccat vel peccabit in utraque, & tunc magis inquirat rationem illius, quæ plus peccabit; & si ambæ simul peccant scilicet affirmatio & negatio, aut hæc peccabit in forma & illa in materia vel è converso; & tunc inquirendum est Jus ratione illius, in qua est majus peccatum; aut ambæ peccabunt in forma & in materia, & tunc inquirendum est secundùm eam, quæ plus peccat in utraque.

b. Contrà: Inquirendum est Jus, ubi habet esse, est enim impossibile illud inveniri, ubi privatum est suum esse; sed in illo principio, ubi non peccat jus, est ipsum Jus, & in illo principio, ubi peccat, non est, sed potiùs injuria, ergò non in illo principio, ubi Jus peccat, est inquirendum, sed potiùs in illo, in quo non peccat, & si non in illo, in quo peccat, multò minùs in illo, in quo plus peccat; cujus oppositum videtur concludere prædictus triangulus niger, absurdum enim est in albo inquirere nigrum, & in magis albo potiùs inquirere nigrum.

c. Ad hoc dicendum est, quòd differentia est inter inquisitionem & inquisitionem Juris, est enim quædam inquisitio Juris videlicet per propositum, & tunc est secundùm E. affirmativè, & de ipsa inquisitione arguit objectio: & quædam per oppositum, & tunc est secundùm I. negativè ad injuriam, ut tanta affirmatio Juris procedat ipsi E. Judicis de potentia & habitu in actum, quanta

quanta fuerat actu affirmatio injuriæ ipsi E. injuriantis scilicet Rei vel Actoris, & idcirco, si Judex in causa litigiosa Actoris & Rei non investigaret Jus per suum oppositum, ût dictum est, in prædicto triangulo nigro, non posset mensurare inter duas partes contrariantes affirmationem Juris affirmationi injuriæ, nec dare concordantiam sinè contrarietate, ut tantâ affirmatione Juris deleatur affirmatio injuriæ, quantâ affirmatione injuriæ deleta fuit affirmatio juris. Constat ergò, quòd Jus per oppositum inter litigantes inquirendum est, & sic quantò majus oppositum inquisitum fuerit, tantò magis oppositum eidem oppositio convenit adhiberi, *& sicut frustra investigatur sanitas in sano, ut de potentia reducatur ad actum sanitas, quæ jam est actu, ita frustra inquiritur Jus in justo, ut ipsum Jus, quod in eo est actu, reducatur ad actum:* & per hoc solvitur objectio, cùm dicitur: *inquirendum est Jus, ubi habet esse*, dicendum est, quòd Jus habet esse dupliciter videlicet actu, & sic inquirendum est in proposito, ut conservetur, & hoc modo Jus non habet esse inter litigantes, secundò Jus habet esse in potentia, & sic Jus inquirendum est in suo opposito, quod est actu, ut reducatur ad actum, & suum oppositum ad potentiam; & hoc modo jus habet èsse inter litigantes: & cùm dicitur: *impossibile est enim illud inveniri, ubi privatum est suum esse*, verum est, ubi omninò privatum est suum esse scilicet actu habitu & potentiâ, sed ubi non est privatum potentiâ, potest inveniri per suum oppositum & reduci ad actum, sicut inter litigantes: & cùm dicitur: *in illo principio, ubi Jus peccat, non est Jus sed potiùs injuria*, verum est, actu, nec propter hoc sequitur, quòd non sit in potentia, ut reducatur ad actum; unde bene valet objectio secundùm propositum, non autem secundùm oppositum, ût habet esse inter litigantes, secundùm quòd tractat triangulus niger.

De secundo Modo solvendi.

1. Discurrentia F. G. per consequentes cameras scilicet per secundam & tertiam & quartam primæ quæstionis inveniunt ratione magnitudinis justitiæ formam Juris esse majorem materiâ, cùm divina justitia, ad quam omne Jus naturaliter dirigitur, sit forma absque sibi essentiali materia, naturaliter enim dirigitur omne Jus ad eam, cùm ipsa sit principium & finis omnis Juris, ergò illud principium est naturalius & universalius, quod magis accedit ad suum naturalem & universalem finem, ergò forma est naturalius & universalius principium Juris quàm materia, cùm ipsa materia sub ratione materiæ non concordet divinæ justitiæ, nisi pro tanto, quia subjecta est ipsi formæ, ut forma agens super materiam possit dare esse ipsi Juri: cùm igitur forma Juris sit influxa à magnitudine justitiæ Dei in magis substantiali similitudine quàm materia, & materia in magis accidentali quàm forma, magis inquirendum est Jus ratione formæ quoad substantiam, & magis ratione materiæ quoad accidens, & quoniam substantia est major suo accidente, finaliter magis inquirendum est jus ratione formæ quàm ratione accidentis, cùm accidens sit propter suam substantiam, & non è converso.

2. Contrà: Cùm Jus & injuria sint opposita ad invicem, inter quæ secundùm eundem respectum nullum potest esse medium, cùm omne, quod est, secundùm eundem respectum sit simpliciter justum vel injustum, non potest quis habere perfectam cognitionem Juris, nisi perfectè cognoscat cognitionem injuriæ oppositæ illi Juri, ad perfectam ergò cognitionem Juris oportet habere perfectam cognitionem injuriæ; sed unde habetur perfecta cognitio Juris, ibi Jus est magis inquirendum, ergò in cognitione injuriæ Juri oppositæ cognitio Juris est magis inquirenda; sed injuria ratione materiæ est magis generalis, & magis in sua majoritate ratione materiæ quàm ratione formæ, eò quòd in A. non est materia sed forma, quæ est ipsa justitia injuriæ opposita, à qua privatio magis distat, ergò Jus est magis inquirendum ratione materiæ quàm ratione formæ, & magis etiam substantialiter, cùm ipsa injuria sit generalior & major ratione materiæ quàm ratione formæ.

3. Ad hoc dicendum est, quòd forma injuriæ ratione contrarietatis magis distat à divina justitia & à forma Juris quàm materia injuriæ, cùm ipsa materia injuriæ non repugnet tantùm materiæ Juris, quantùm forma injuriæ formæ Juris, nulla enim est repugnantia inter prædictas materias nisi ea, quam recipiunt à suis formis, imò etiam materia injuriæ minùs distat ab ipsa Justitia & ab ipso Jure quàm forma, eò quòd possibile est, ipsam materiam injuriæ sub

ratione materiæ converti in materiam Juris, sed impossibile est, formam injuriæ sub ratione formæ converti in formam Juris, ergò injuria magis repugnat Justitiæ & Juri ratione formæ quàm ratione materiæ, ergò est magis generalis & magis in sua majoritate ex parte formæ quàm ex parte materiæ: & ideo negatur ista propositio, quòd injuria sit magis generalis, & magis in sua majoritate ratione materiæ quàm ratione formæ: & quando dicitur: *eò quòd in A. non est materia sed forma*, dicendum est, quòd, licèt materia non sit in Deo, adhuc forma injuriæ est magis dissimilis Deo quàm materia, quia forma injuriæ non est forma sed potiùs deformatio & pura privatio, & licèt materia ratione aliquarum suarum imperfectionum non potest esse in Deo, ergò ab essentia divina multò magis remota est pura privatio, quæ est forma injuriæ, quare non valet objectio.

De Quæstionibus Y.

QUæstio: *Utrùm ista Ars quoad rationem sui sit infallibilis?* Solutio: Y. Z., T.T., A.A., S.S.

Quæstio: *Utrùm possit probari, hoc esse verum, quod Catholica Fides affirmat?* Solutio: Veritas fides, articuli majoritas, falsitas minoritas, E.I.

De primo Modo solvendi.

PRoponente R. præassumptam quæstionem, apprehendit G. formam quæstionis in hunc modum: *utrùm hæc ars per talia sibi subjecta principia procedat, quorum habitus & proportio alterius ad alterum secundùm rem investigabilem, quantum est de vi sui, non autem de vi potentiæ objectantis, ducat F. G. per infallibilia media ad cognitionem rei investigatæ.*

1. Et recolente F. & intelligente G. totum
a. processum & ordinationem hujus artis inveniunt eam necessariò infallibilem quoad rationem sui: ratio autem hujus infallibilitatis colligitur ex triangulo livido, nam quicquid prædicatur de aliquo ente secundùm suam essentiam, secundùm suam unitatem & secundùm suas formas, quæ sunt bonitas, magnitudo &c. & hoc in sensualitate aut intellectualitate aut animalitate & secundùm naturam & artificium, significatur per ipsum triangulum, posito in hoc triangulo quolibet aliorum triangulorum per se & mixto cum aliis & cæteris terminis figurarum, eò quòd quilibet terminus hujus trianguli habet aliam significationem & conditionem per se, aliam verò per comparationem seu mixtionem sui ad aliquem aliorum per se vel per alium, ipsis terminis mixtis ad invicem per respectum ad unum finem videlicet ad conclusionem secundùm hoc, quod quæritur seu investigatur, ita quòd, si investigetur de unitate, unitas deducta per terminos T. sigillatim & mixtis ad invicem respectivè ad ipsam, & similiter per terminos aliarum figurarum, denotat, quicquid de unitate potest prædicari ratione mixtionis rerum & modorum ipsorum E.I.N.R.: eodem modo est, si investigetur de essentia, & sic de aliis terminis, alioquin universalior mixtio, quæ possit esse, deficeret in suis particularibus, quod est impossibile: nam sicut omne, quod est, cadit in T. simpliciter, ita ratione participationis ipsius S. cum T. videlicet ipsius potentiæ cum objecto potest G. de ipso T. elicere particulare, quod quærit, dum tamen ipsum T. teificatum [hoc est per T. combinatum] sit gratiâ mixtionis suorum terminorum ad invicem, & gratiâ artificii hujus artis, quod artificium patet in textu hujus voluminis per figuras, regulas & quæstiones.

b. Contrà: Plùs est realitas alicujus entis scibilis in se quàm in ratione, cùm res habeat concordantiam cum majoritate, ratio verò ipsius S. cum minoritate: si igitur hæc ars sit infallibilis, ût dictum est, sequitur, quòd, quicquid est scibile, per hanc artem possit infallibiliter inveniri, quod est impossibile; sed quoniam nulla ars est ultra metas ipsorum E.I.N.R., & multa sunt scibilia ultra metas ipsorum E.I.N.R., ergò hæc ars est fallibilis, eò quòd ad omne scibile non se extendit.

c. Recipientibus F. G. potentiam & objectum in triangulo rubeo per triangulum croceum secundùm realitatem objecti & rationem potentiæ invenit G., quòd, cùm ratio potentiæ habeat esse in instanti, & realitas objecti importet multa scienda, non potest reducere ea omnia ad actum, quæ sunt scibilia videlicet in posse sciri, nam ratio, quæ est principium formale verbi, non potest eodem actu ad se abstrahere totam potentiam materiæ, sed semper remanet plus scibile quàm scitum; & sicut per artificium abstrahit ab objecto id, quod jam est actu, ita

ita per artificium sunt abstractibilia materialiter ea, quæ sunt scibilia, scilicet in potentia ad sciendum; & per hoc respondetur ad objectionem, cùm dicitur: *plùs est realitas alicujus entis scibilis in se quàm in ratione &c.* verum est ex parte materiæ: & ulteriùs, cùm dicitur: *si igitur hæc ars sit infallibilis, sequitur, quòd, quidquid est scibile, possit per eam infallibiliter inveniri, quod est impossibile*: dicendum est, quòd hæc impossibilitas bene procedit, quantum est ex parte formæ & actûs, quia est impossibile, totam potentiam materiæ reduci ad formam actu, sed non procedit, quantum est ex parte materiæ, quoniam sicut realitas alicujus entis est in se scibilis secundùm materiam, ita est infallibiliter inventibilis per materiam ipsius T., si sufficienter ducatur per T. secundùm materiam; & per hoc solvitur ulteriùs, cùm dicitur: *sed quoniam nulla ars est ultra metas ipsorum E.I.N.R.*, verum est, actu & formaliter, sed falsum est, in potentia & materialiter; & cùm dicitur: *& multa sunt scibilia ultra metas ipsorum E.I.N.R.*, verum est, ex parte potentiæ materialiter, sed falsum est, ex parte actûs formaliter, & ideo falsa est sequens conclusio videlicet: *ergò hæc ars est fallibilis, eò quòd ad omne scibile se non extendit*, quoniam sicut est ipsum scibile, ita ipsa ars se extendit ad illud, materialiter quidem ex parte T.T. ultra E.I.N.R., & formaliter ex parte ipsorum E.I.N.R.

2. Cùm F.G. attingunt subjecta diversa-
a. rum scientiarum, inveniunt triangulum viridem & quemlibet aliorum triangulorum in quolibet ipsorum subjectorum, & inveniunt necessariò mixtionem ipsorum triangulorum in quolibet ipsorum subjectorum, & sic attingunt differentiam inter subjectum & subjectum, quia diversæ sunt scientiæ, & diversa sunt subjecta, quod patet secundùm diversitatem subjectorum figurarũ hujus artis, nam aliud est subjectum in A. scilicet finis, & aliud est subjectum in S. scilicet cognitio, & aliud subjectum in T. scilicet mixtio, & in V. meritum, & in X. objectio, & Y.Z. quæstio vel inquisitio, & in Theologia A., & in Philosophia delectatio sciendi, & in Jure justitia, & in figura elementali generatio & corruptio, & in figura demonstrativa & alphabetali inventio, & in Medicina sanitas, & in Logica argumentum, & in Grammatica apta verborum constructio, & in Rhetorica suasio & dissuasio, & in Arithmetica numerus, & sic de aliis: & licèt multæ scientiæ hîc nominatæ non habeant in hac arte figuras propriè scriptas, scriptæ sunt utique in ipsa arte figura Theologiæ, & figura Philosophiæ, & figura Juris, sumptis de unaquaque istarum magis necessariis principiis secundùm sufficientiam literarum, *& de ipsis unà cum aliis fit processus in hoc volumine, ut sint exemplum, quomodo artista sciat de qualibet alia scientia secundùm principia necessaria formare figuram, & de ipsa prosequi in hac arte*, ût suprà in principio primæ distinctionis dictum est: omnis igitur scientia habet suum subjectum „ab alia diversum, & quia omnes trianguli „T. & alii universales termini hujus artis in„veniuntur simpliciter & secundùm suam „mixtionem universalem in subjecto unius„cujusque scientiæ seu artis, omnes scientiæ „seu artes sunt concordantes ad invicem ad „unum finem, & sunt unum subjectum hu„jus universalis scientiæ videlicet hujus ar„tis, & ex hoc, quòd communia principia „seu universalia hujus artis simpliciter & se„cundùm suas mixtiones inveniuntur, & ita „sunt necessariò de infimis particularibus „cujuslibet earum usque ad suum universa„le supremum infallibiliter, ergò, quantum „est de vi hujus artis, procedunt conditio„nes & conclusiones hujus artis in omni sci„entia vel arte, fallibilitas autem in ea con„tingere potest ex imperitia operantis.

b. Contrà: cùm E. per hanc artem non possit attingere distinctionem in actibus dignitatum A., nec etiam in dignitatibus ejus nisi in ratione, ût suprà *nonâ regulâ* dictum est, videtur hîc fallibilis ratione ipsius E. attribuentis secundùm Z. distinctionem, ubi non est distinctio.

c. Cùm E. sit constitutum de bonitate magnitudine &c., quarum alia non est alia, dum attingit A., apprehendit illud, quantum potest de eo recipere, & eo modo, quo recipit illud in se ipso; nam dum attingit dignitates ejus & actus earum sub ratione ipsius A. unius in essentia & dignitatibus, attingit utique in A. nullam distinctionem inter ipsas dignitates, nec inter actus earum; dum autem attingit actus earum per relationem ad suppositа divina, sic attingit eos distinctos, licèt sint indistincti respectu suarum dignitatum; & sic ipsum A. influit ipsi E. suos actus distinctos per relationem ad suppositа, ut ipsum E. per illam distinctionem cognoscat realem distinctionem

ctionem divinorum suppositorum, & influit ipsos indistinctos respectu dignitatum, ut essentiam ipsius A. & dignitates ejus cognoscat indistinctas; & quoniam ipsum E. attingit ipsos actus distinctos in se ipso, attingit in se ipso dignitates distinctas, & utique id, quod attingit in se ipso verum, est necessariò in ipso Deo: & ulteriùs absque distinctione ipsæ dignitates & actus earum sunt unum idem, aliter dignitates & actus earum non essent in Deo realiter, quod est falsum: hic autem punctus transcendit vires ipsius E.

Per hæc igitur, quæ sunt dicta ad objectionem, respondendum est, cùm dicitur: *cùm E. per hanc Artem &c.* negandum est, hanc artem esse fallibilem; & cùm dicitur: *ratione ipsius E. attribuentis secundùm Z. distinctionem, ubi non est distinctio*, negatur, & cùm videtur probari: *cùm E. per hanc artem non possit attingere distinctionem in actibus dignitatum A. nec in dignitatibus ejus*, est verum per respectum ad suas dignitates in ipsis actibus, sed non est verum secundùm relationem ad divina supposita; & in dignitatibus similiter est verum, si accipiantur, prout sunt in ipso A. una eadem essentia divina; si autem accipiantur, secundùm quòd E. attingit eas in se ipso secundùm rationem ipsius E., sic sunt distinctæ, non quòd E. causet in eis distinctionem, sed quia illud est verum necessariò, quod E. de ipsis attingit, aliter ipsæ dignitates non essent realiter in ipso A.: nec etiam præallegata regula dicit, quòd solâ ratione ipsum E. attingit ipsas dignitates, imò id, quod attingit, est aliquid in ipso, quare non valet objectio.

3. Triangulus rubeus in cæteros trianguaa.los & in se ipsum deductus positus in A.A.A., S. S. S. &c. vel etiam in quavis alia scientia est ita universalis, quòd est impossibile, eum ratione suî nec ratione aliorum triangulorum esse fallibilem, plùs enim est miscibilis & discursivus, quàm ab E. I. apprehensivus, plùs etiam est suffectivus, in quodcunque cadit, quàm sit possibile, totum id, cui sufficit, reduci ad actum; hoc autem per se patet manifestè in processu hujus artis per formationem universalis & inventionem particularis secundùm doctrinam ponendi T. in quocunque, quod investigari libet, quæ doctrina ratione sui subjecti & sui circuli est infallibilis, ût infrà quæstione de figura demonstrativa patebit.

b. Contrà: cujuscunque artis termini sunt defectivi ad finem intentum, ipsa ars est fallibilis, sed istius sunt hujusmodi in hoc, quòd triangulum rubeum in contingentibus errare contingit, quia fine movente efficientem & efficiente formam & formâ materiam ad intentum finem sæpe contingit materiam esse occasionem deviationis à fine, ergò hæc ars est fallibilis.

c. Dum F. G. considerant triangulum lividum in triangulo viridi & rubeo solvunt objectionem, & primò, cùm dicitur: *cujuscunque artis termini sunt defectivi &c.* concedatur, & ulteriùs, cùm dicitur: *sed istius sunt hujusmodi*, negatur, & quando videtur probari scilicet: *in hoc, quod triangulum rubeum in contingentibus contingit errare &c.* dicendum est, quòd errare potest hîc sumi duobus modis, videlicet errare, quod importet defectum ex parte terminorum & principiorum hujus artis, videlicet quòd F. G. tantis & talibus principiis indigeant, per quæ impossibile esset, ea venire ad finem intentum, & tali errare ista ars non est defectiva, quoniam in principiis necessariis in tantum, quantum S. se potest extendere, habet complementum, ût jam probatum est; & est aliud errare, scilicet quando F. G. casu & fortunâ incurrunt in medium impeditum, per quod deviant à fine intento; & de isto objicitur, & istud errare non importat ex parte terminorum & principiorum hujus artis defectum, quia, cujus præsentiam naturaliter impossibile est cadere in perfectionem alicujus, ejus absentia nequaquam ei cadit in defectum, est autem impossibile, S. habere medium expresè cognoscendi, ea, quæ sunt à casu & fortuna contingentia, hæc enim operatio est divina non humana, quare non valet objectio.

4. Recolente F. triangulum croceum seaa.cundùm propositam quæstionem intelligit G. triangulos ipsius T. & terminos X. & quosdam aliarum figurarum esse in tanta magnitudine universalitatis, quòd omnes cadant inter entia scibilia, sunt etenim omnes applicabiles ad unumquodque scibile, alii quidem immediatè, & alii per alios; & dum incipiunt misceri ad invicem juxta conditiones illius investigabilis entis, protenditur majoritas miscendi in tanta universalitate miscendo A.A., S.S., T.T., X.X., A.S., A.T., A.X., &c. vel etiam terminos cujuscunque alterius scientiæ reductos ad figuram, ût suprà positum est, quòd ex parte instrumenti & materiæ impossibile est F. G. errare, imò etiam ratione magnæ mixtionis sunt in isto eodem textu materialiter plures solutiones, ac etiam in regulis, cùm sint generales ratione suæ majoritatis, quam habent à T., ac etiam in processu quæstionum, quæ similiter sunt regulæ ad solvendum infinitas quæstiones, ita quòd, ratione artificii & ratione modi artis in hoc volumine comprehensi, possunt F. G. tantâ majoritate mediorum discurrere per objecta, quòd, quantùm est de vi artis, possunt infallibiliter ministrare Y. ipsi E. & Z. ipsi I. circa unumquodque quæsitum.

b. Contrà: sicut se habent aliæ communes scientiæ ad sua communia principia, ita videtur, quòd hæc se habeat ad sua communia principia, cùm aliæ sub ista contineantur tanquam partes sub suo toto, & cùm universale sapiat naturam suorum particularium, sed aliæ communes scientiæ sub ista sunt defectivæ seu fallibiles, sicut Metaphysica in ente contracto ad rem ratione finis, considerat enim primum ens secundùm relationem ad suum effectum, non autem secundùm magnitudinem & nobilitatem suæ intrinsecæ productionis, & sicut Logica in ente contracto ad rationem, & rationem quandoque contingit deficere habendo apparentiam & non existentiam, ût patet in prædestinatione contradicente libero arbitrio & è converso, ergò hæc ars seu scientia videtur esse fallibilis, sicut & aliæ, in suis communibus principiis, aliter enim communia principia aliarum in ea non continerentur, quod est impossibile, cùm ista tanquam universalis aliis, consideret ens contractum ad rem & rationem seu modum, ergò &c.

c. Recurrentia F. G. ad triangulum croceum secundùm triangulum viridem, qui est inter istam scientiam & alias communes, solvunt objectionem, nam hæc scientia differt & concordat aliis; concordat quidem in hoc, in quo aliæ non deficiunt, sed non concordat cum eis in his, in quibus deficiunt, & idcirco hæc sola per se est major aliis duabus simul, quia addit super eas ea, in quibus deficiunt, & in quibus possibile est, eas deficere, addit enim ex parte entis contracti ad rem considerationem & scientiam operationis intrinsecæ primi entis realis, quam metaphysica prætermittit, quod patet, posito T. T. in A. A., & addit per consequens majorem relationem & similitudinem primæ causæ ad effectum; & similiter ex parte entis rationis addit, quia quandoque differentia contrarietatis cadit inter rationem potentiæ & rationem objecti, & dat viam conservandi eam, quæ est in majoritate finîs, sicut patet in punctis transcendentibus, & addit etiam ex parte utriusque mixtionem T. & aliarum figurarum & in S. ordinem ipsorum E. I. N. R. & multa etiam alia; & in hoc solvitur forma objectionis, cùm dicitur: *sicut se habent aliæ communes scientiæ ad sua communia principia, ita videtur, quòd hæc scientia se habeat ad sua communia principia &c.* verum est in illis principiis, in quibus non est defectus, & aliter non, & sic solvitur ad consequentia concedendo minorem: & quando videtur confirmari ad oppositum: *aliter enim communia principia aliarum scientiarum in ea non continerentur*, verum est, quòd non contineantur in ea quantùm ad defectum seu fallibilitatem, quam habent, sed potiùs quantùm ad perfectionem & suam infallibilitatem, quare non valet.

5. Ab affirmante & ab affirmato proceaa.dit affirmatio, & à negante & negato negatio, atque ex dubitante, & ex eo, circa quod dubitatur, habetur dubitatio; nunc igitur ex parte affirmativi, negativi &c. & ex parte affirmabilîs negabilîs &c. hæc ars ita fundata est circa ens & non ens, possibile & impossibile, quòd ex utraque parte impossibile est inveniri fallibilitatem: ex parte quidem affirmativi nunquam, nam ipsum affirmativum aut erit entis scilicet necessarii, & sic est E., aut erit entis possibilîs simpliciter & supponibilîs, & sic est N. dilectivum: ex parte negativi similiter nunquam, nam negativum aut erit non entis scilicet impossibilîs, & sic est I., aut erit non entis possibilîs & supponibilîs, & sic est N. oditivum: ex parte etiam dubitativi nunquam, quia, cùm occurrunt simul ad invicem ipsi S. ens possibile, & non ens possibile, habetur R., quod est dubitativum: necessarium autem & impossibile simul ad invicem non possunt occurrere ipsi S., quia E. I. contradictoriè starent in R., quod est impossibile; R. autem dubitativum sequitur N. suppositivum, & ad N. suppositivum F. G. investigantia, & ad F. G. investigantia E. I. demonstrativa seu probativa; & quoniam affirmativum & negativum &c. non possunt esse pluribus modis, manifestum est ergò, quòd ex parte agentis scilicet S. affirmativi &c.

est fallibilitas impossibilis; nec etiam ex parte affirmabilis nec ex parte negabilis tam entis necessarii seu possibilis, quàm non entis scilicet impossibilis seu possibilis, quoniam tanta est mixtio triangulorum T. & aliarum figurarum, & tantus textus hujus voluminis & regulæ & quæstiones, ût suprà dictum est, quòd in quavis materia impossibile est, ipsa F. G. falli per materiam investigandi: cùm igitur hæc tota ars consistat in probatione & demonstratione, nec habeat aliquem defectum ex parte sui affirmativi, negativi, dubitativi, nec ex parte sui affirmabilis, negabilis & dubitabilis, ût jam dictum est, igitur impossibile est, eam esse fallibilem.

b. Contrà: manifestum est, quòd E. I. simpliciter sunt in majoritate, & N. in minoritate, ad hoc enim creavit Deus E. scilicet actus animæ intelligere amare memorari E., ut ipse Deus sit intelligibilis & amabilis in majori majoritate, quâ possit intelligi & amari ab E., sed major majoritas, in qua Deus possit intelligi & amari ab E., est, quòd E. fidei veritatem & I. fidei falsitatem attingant, ipso N. conservante fidem ipsi veritati semper in altiori gradu, ergò si hæc ars secundùm sua principia non ducit E. ad attingendum veritatem fidei, & I. ad attingendum falsitatem fidei, est utique fallibilis majori majoritati finis ipsorum E. I., sed ita est, quòd non adducit ipsa E. I. ad Y. Z. fidei, sicut tenetur ab omnibus, ergò ista ars est fallibilis.

c. Assumunt F. G. triangulum nigrum in triangulo livido, viridi & croceo secundùm potentiam & objectum in realitate & ratione, & in esse & privatione, & in perfectione & defectu attingentia, quòd Deus & operatio ejus secundùm omnes suas dignitates sunt affirmabiles in majoritate concordantiæ entis, & contrarietatis non entis, quia concordant cum infinito & perfecto esse, creatura verò & operatio ejus secundùm omnes suas similitudines sunt affirmabiles in minoritate concordantiæ entis, & contrarietatis non entis, quia concordant cum finito & defectivo esse; & ideo, si volumus secundùm rationem defectivæ realitatis creaturæ & suæ operationis ducere E. per T. ad attingendum veritatem fidei, deficit utique medium conjunctivum ad tantum finem; sed si volumus secundùm rationem perfectæ realitatis Dei & suæ operationis derelinquendo privationem & defectum nostræ realitatis & cæterarum creaturarum sumpto Deo & operatione ejus secundùm suas dignitates in T. T. & X. X., deducentur necessariò E. ad Y. fidei, & I. ad Z. oppositum, sed hoc tamen per transcendentia puncta, aliter Y. non vinceret Z. in majoritate finis sed potiùs è converso, nec sequeretur majoritas ratione finis, quare Deus creavit omnia, nec essent E. I. & Y. in majoritate, sed potiùs N. R. & Z., quod est impossibile.

Et respondendum est ad objectum, & conceduntur omnes præmissæ hujus conditionatæ conclusionis: *ergò si hæc ars &c.*; & ulteriùs, quando infertur consequenter minor: *sed ita est, quòd non adducit ipsa E. I. ad Y. Z. fidei, sicut tenetur ab omnibus:* verum est secundùm rationem defectivæ realitatis creaturæ, quia sic deficit medium conjunctivum ad tantum finem, sed falsum est secundùm rationem perfectæ realitatis Dei & suæ operationis deductam in T. T. & X. X.; & sic Y. fidei ab E., & Z. ejus oppositum ab I. sunt attingibilia ab omnibus, qui in A. A. per T. T. & per X. X. punctis transcendentibus uti sciunt, quare non valet objectio.

De secundo Modo solvendi.

1. ATtingentibus F. G. primam cameram miscendo E. I. N. R. secundùm sua contenta nullam inveniunt fallibilitatem ex parte subjecti, in quo scientia investigabilis vel inventibilis seu etiam infusibilis habuit esse: & attingentibus secundam cameram, miscendo triangulos ejus adinvicem secundùm sua contenta, nullam inveniunt fallibilitatem ex parte instrumenti nec ex parte subjecti hujus artis; ac attingentibus tertiam cameram, miscendo dignitates ad invicem, nullam similiter fallibilitatem inveniunt ex parte finis hujus artis. Et iterum F. G. facientia universalem mixtionem de prædictis tribus cameris ad invicem super prædictas tres mixtiones nullam fallibilitatem inveniunt ex improportione illarum ad invicem, sed potiùs ex maxima proportione terminorum prædictarum camerarum ad invicem colligitur tantum universale ab F. G. applicabile secundùm multitudinem suorum particularium ad omne *quare*, quòd vix possunt illud sustinere. Exemplum autem hujus est longissimum & nimis amplum, in eo namque pendet totum pondus hujus artis, quare

quare ipsum ad præsens subjungere non possumus, ea tamen, quæ hîc dicta sunt, satis patent instructis & utentibus istâ arte.

2. Contrà: manifestum est ex prædictis, quòd maximum universale secundùm prædictas cameras potest aggregari in F. G., & quantò universalius est, tantò pluribus mediis distat ab unoquoque particulari seu suo individuo, sed unumquodque tale summè universale sub se continet plura opposita particularia, ût suprà in regulis & in multis locis hujus artis continetur, quod ita concludendum est de particulari, quòd universale non destruatur, ergò oppositum pro opposito etiam falsum pro vero concludi potest in hac arte salvo semper universali, ergò hæc ars videtur esse in hoc defectiva.

3. Adducentia F. G. triangulum viridem, rubeum & croceum in realitate & ratione universalis & universale sumptum ex parte realitatis simpliciter, & secundùm istud non concluditur verum nec falsum, est enim dispositio ex parte materiæ ipsi E. conclusivo veri realiter, & ipsi I. conclusivo falsi: est etiam aliud universale ex parte rationis, quod est abstractum in verbum phantasticum ipsius S. & separatum à realitate objecti propter aliquod impedimentum imaginationis vel alicujus potentiæ, per quod impedimentum descendunt K. L. sub figura de F. G. per lineam obliquam vel per deviata media ab universali ad particulare, & pro isto universali potest stare objectio, quando dicitur: *oppositum pro opposito & falsum pro vero concludi potest &c.*, & de istis non est finalis intentio hujus artis: est autem aliud universale à prædictis sumptum ex parte rei & ex parte rationis medificatum secundùm proportiones, quas habent termini T. & aliarum figurarum mixti sibi ipsis & aliis ad invicem, ita quòd omnes conditiones, quæ ex proportione mutua terminorum resultant tendentes ad unum finem de se ipsis constituunt universale tanquam partes suum totum; & de isto non potest aliqua pars destrui quin destruatur totum, & de isto universali intendit Artifex hujus artis, cùm dicit: *quòd ita concludendum est de particulari, quòd universale non destruatur*, & sic non valet objectio. Hîc tamen advertendum est, quòd si duæ conditiones unà cum aliis, unum universale constituentes contrariari videantur ad invicem, ita quòd in eodem universali alia non videatur aliam posse pati, sicut est de conditione operationis intrinsecæ Dei, & de conditione simplicis unitatis ejus, quoniam ambæ unà cum aliis constituentes istud universale videlicet Deum bonum immensum æternum potentem &c., videntur contrariari ad invicem, ita quòd una videtur significare compositionem, & alia simplicitatem, & utraque earum necessaria est ad constitutionem prædicti universalis videlicet operatio intrinseca & unitas simplex, tunc oportet necessariò illam contrarietatem esse secundùm apparentiam & rationem, & non secundùm existentiam & realitatem: & tunc recurrendum est ad alias conditiones universales, & illa istarum duarum conditionum resultantium, cui plùs concordabunt aliæ conditiones universalis, erit realis & existens, scilicet simplicitas; & illa, cui plùs contrariantur aliæ conditiones universalis, non erit realis nec existens, licèt sit apparens, scilicet compositio, plùs enim habet operatio Dei intrinseca se ipsam in majoritate sui ipsius & aliarum dignitatum Dei ratione simplicitatis, cui conditiones dignitatum concordant ratione ipsius concordantiæ quàm ratione compositionis, cui prædictæ conditiones contrariantur. Et sicut hoc exemplum datum est in A., ita intelligendum est in cæteris figuris hujus artis.

De Quæstionibus Z.

QUæstio: *Utrùm major falsitas sit magis attingibilis quàm minor?* Solutio: Y. Z., majoritas minoritas, E. A. V. Y., I. V. Z.

Quæstio: *Utrùm possit probari falsitas, quam secta infidelium tenet contra veritatem Catholicæ Fidei?* Solutio: Y. Z., Deus creatura, esse privatio, finis majoritas.

De primo Modo solvendi.

1. a. TRiangulus lividus in prima camera primæ quæstionis cum cæteris sequentibus cameris applicatus significat, Z. non esse creaturam, cùm non sit operatio dignitatum Dei, quibus consistit Y. in magnitudine bonitatis &c., est autem opus perversum ipsius S. existens pejus in I. A. V. Y. quàm in E. V. Z., eò quòd opus, quare creatum est S., est melius in E. A. V. Y. quàm in I. V. Z., & quantò istud melius est in E. A. V Y., tantò necessariò oportet illud esse pejus

pejus in I. A. V. Y.; ergò necessariò sequitur, si E. A. V. Y. est in majoritate bonitatis & veritatis, quòd I. A. V. Y. sit in majoritate malitiæ & falsitatis; sed ita est, quòd E. A. V. Y. est in majoritate bonitatis & veritatis, quia E. attingens A. V. Y. attingit majorem bonitatem & veritatem, quàm attingens aliud objectum bonum & verum, ergò necessariò sequitur, quòd I. A. V. Y. est in majoritate malitiæ & falsitatis, quia I. attingens A. V. Y. ad oppositum ipsius E. attingit majorem malitiam & falsitatem, quàm attingens aliquod aliud objectum malum & falsum; ergò necessariò sequitur, quòd major falsitas magis est attingibilis quàm minor, aliter major veritas non esset magis attingibilis quàm minor, & sequeretur, quòd E. non magis attingeret A. V. Y. quàm I. ipsa V. Z., & quòd I. ad oppositum non magis attingeret A. V. Y. quàm E. ipsa V. Z., quod est impossibile, ergò &c.

b. Contrà: Si Z. est magis attingibile quantò majus est, Y. erit magis attingibile, quantò majus est, sed majus Y., quod est, est A., ergò A. est attingibilius quàm Y. creatum, quod est minus, quod falsum est, quia, quod faciliùs potest attingi, illud est magis attingibile, sed Y. creatum, cùm sit finitum respectu Y. increati infiniti, est hujusmodi, ergò falsum est, quòd Y., quantò majus est, tantò sit magis attingibile, & per consequens, quòd Z., quantò majus est, sit magis attingibile, cujus oppositum videtur concludere antedictus triangulus lividus.

c. Sumentia F. G. differentiam inter majoritatem & majoritatem attingibilitatis videlicet secundùm substantiam, & de ista quæritur, & per istam stat prædictus triangulus lividus, secundùm accidens videlicet secundùm facilitatem, & de ista majoritate attingendi non est intentio, de qua objicitur, cùm dicitur: *quod faciliùs potest attingi, illud est magis attingibile*, verum est secundùm accidens, id est secundùm majoritatem faciliter attingendi, de qua non est hîc ad præsens intentio; sed falsum est secundùm majoritatem attingendi substantialiter, de qua hîc intenditur, & ideo interimitur, cùm dicitur: *quòd falsum est, Y., quod est A., esse attingibilius quàm Y. creatum, quod est minus*, quare bene stat adhuc, quòd quantò Z. est majus, tantò magis est attingibile, quare non valet objectio.

2.a. Differentia contrarietatis est inter Z. & Y., sed quantò major est differentia ipsorum Z. & Y. in contrarietate, tantò magis est attingibilis, igitur majus Z. est magis attingibile quàm minus; quòd si non, contrarietas remota seu separata ab omni concordantia esset magis attingibilis in minoritate quàm in majoritate, quod est impossibile & contra majoritatem concordantiæ consistentis in differentia veritatis & veritatis, bonitatis & bonitatis &c., quæ scilicet majoritas concordantiæ est magis attingibilis ab E. in majori distinctione quàm in minori, quod per se patet, ergò ad oppositum major contrarietas, quâ Z. contrariatur Y., est magis attingibilis ab I. quàm minor, sed cùm propter ipsam majorem contrarietatem sit ipsum Z. majus, ergò majus Z. ratione suæ majoris contrarietatis est magis attingibile quàm minus.

b. Contrà: manifestum est, quòd majus Y. est magis attingibile quàm minus, ergò cùm Y. Z. sint summè opposita, majus Z. est minùs attingibile quàm minus Z., quoniam si majus Z. esset magis attingibile quàm minus Z., sequeretur, quòd majus Y. esset minùs attingibile quàm minus Y., quod est impossibile, ergò oppositum est necessarium, videlicet quòd majus Z. sit minùs attingibile quàm minus; quod patet etiam ratione majoris contrarietatis, quam Z. habet ad ipsum Y., quia, quantò majus est, tantò plùs contrariatur ipsi Y., & quantò plùs contrariatur ipsi Y., tantò plùs facit seipsum apparere Y., & ipsum Y. apparere Z.; sed quantò plùs Z. apparet Y., tantò minùs est attingibile, ergò quantò majus est, tantò minùs attingibile, ergò &c.

c. Differentia contrarietatis est inter contrarietatem, quam Y. habet ad ipsum Z., & contrarietatem, quam Z. habet ad ipsum Y., nam Y. contrarians ipsi Z. manifestat se ipsum, & per consequens ipsum Z., sed Z. contrarians ipsi Y. celat se ipsum, & per consequens ipsum Y., faciens se apparere Y., & Y. apparere Z.; ista autem contrarietas ipsius Z. ad Y. ex parte Z. nihil est, cùm Z. nihil sit, sed potiùs est ex parte Y. in hoc, quòd Y., quod cum bonitate magnitudine &c. est aliquid bonum verum magnum &c., non resistit cum bonitate magnitudine ipsi Z. existenti cum malitia parvitate &c; & per hoc respondetur ad objectionem, cùm dicitur: *ergò cùm Y. Z. sint summè opposita, majus Z. est minùs attingibile*

gibile quàm minus Z., verum est, in quantum Y. minùs quàm magis contrariatur & devincit ipsum Z.; sed falsum est, in quantum Y. magis quàm minùs contrariatur & devincit Z., cùm majoritas ipsius Z. sit ex minoritate contrarietatis ipsius Y. ad ipsum Z., non autem ex majoritate contrarietatis ipsius Z. ad ipsum Y.: & ulteriùs, cùm dicitur: *quantò majus est Z., tantò plùs contrariatur ipsi Y. &c.* concedatur, & ulteriùs in minori: *sed quantò Z. plùs apparet Y., tantò minùs est attingibile*, dicendum est, quòd minùs potest intelligi idem quod difficiliùs, & ita habet veritatem, si autem accipiatur quantitativè, sic habet falsitatem, cùm de majoritate Y. Z. quantitativè hîc loquamur, quare non valet objectio.

3. a. Cùm C., sit constitutum de bonitate magnitudine duratione &c., appetit naturaliter unà cum B. D. constituere E. de sua bonitate, magnitudine &c., per quod possit attingere suum finem in majoritate bonitatis, magnitudinis &c. videlicet Y., & quoniam Y. naturaliter est affirmabile & dilibile in majoritate bonitatis &c. ipsius E., oppositum ipsius Y. scilicet Z. naturaliter est negabile & odibile in majoritate bonitatis &c., de quibus I. principiatum est ad istum finem, qui est negari & odiri Z., ita quòd finis ipsius S. est, quòd ipsum S. per prædictum E. attingat Y. in majori bonitate, magnitudine &c., quâ poterit; sed hoc nequaquam potest esse, nisi per I. attingat tantum Z. in tanta malitia & parvitate &c., quantum est oppositum illius Z. videlicet Y. in bonitate magnitudine &c., quod E. attingit; igitur necessariò E. attingens Y. in majori bonitate, magnitudine &c., quâ potest, movet de se I. ad attingendum Z. oppositum illius Y., & hoc in majori malitia parvitate &c., quâ potest attingi, quate manifestum est, quòd majus Z. est magis attingibile quàm minus; quòd si non, sequeretur, quòd E. habens Y. in majoritate bonitatis &c. magis posset habere ipsum Y. principiando I. ad attingendum Z. oppositum illius Y. in minori malitia parvitate &c., quàm sit ipsum in bonitate &c., quod est falsum, & quòd E. principians ipsum I. principiaret ipsum ad attingendum Z. oppositum sui Y. in majori malitia parvitate &c., quâ attingi potest, ut ipsum E. attingeret suum Y. minus in bonitate magnitudine &c., quàm esset prædictum Z., quod similiter falsum est; & sic per consequens E. non esset principiatum de bonitate, magnitudine &c. ad attingendum per I. Z. majus Y., quod potest attingere, nec I. per consequens principiatum esset de bonitate &c. ad attingendum per E. Y. majus Z., quod attingere potest, quod est falsum; quare de necessitate sequitur, quòd majus Z. est magis attingibile quàm minus.

b. Contrà: Quantò Z. de majoribus dissimilitudinibus ipsius Y. principiatum est, tantò tendit in majorem privationem ipsius Y., ita quòd sicut Y. est summum esse, ita Z. est privatio vel non esse ipsius Y.; igitur quantò major est privatio vel non esse, tantò majus est Z., sed quantò majus est non esse, tantò minùs est attingibile, quia, quidquid attingitur, per suam quidditatem attingitur, & quantò minor est quidditas, tantò minùs attingibile; manifestum est ergò, quòd majus Z. ratione majoritatis privationis vel non essendi & minoritatis quidditatis, quam importat, est minùs attingibile quàm minus Z.

c. Considerantia F. G. triangulum rubeum secundùm realitatem & rationem attingunt, quòd sicut est differentia contrarietatis inter similitudines & dissimilitudines, ita est differentia contrarietatis inter principiare dissimilitudinum & principiare similitudinum, quia ex hoc, quòd similitudines principiant realiter, impossibile est, dissimilitudines, cùm sint privationes similitudinum, principiare realiter, sed fortè secundùm rationem phantasticam & non realem ipsius S.; & per hoc solvitur, cùm dicitur: *quantò Z. de majoribus dissimilitudinibus ipsius Y. principiatum est, tantò tendit in majorem privationem ipsius Y.*, hoc videtur secundùm rationem phantasticam ipsius S., sed falsum est secundùm rem, quia naturaliter, quod secundùm se nihil est, non potest secundùm se tendere de principio ad aliquem finem realiter, sed ex hoc, quòd Y. declinat ab esse, S. fingit in sua ratione Z. per modum alicujus oppositi per se stantis, quia de natura potentiæ est, suum actum non ferri in nihilum: & per hoc solvitur ulteriùs, cùm dicitur: *quantò majus non esse est, tantò minùs est attingibile*, verum est secundùm rem, sed falsum secundùm rationem, quia E. habente in sua ratione realitatem ipsius Y. per rationem ipsius realitatis ita I. motum ab illo E. potest fingere aliquid per se stans oppositum rationi

realitatis ipsius Y., per quod ita fictum potest I. attingere in tantum non esse ipsius Y., quantum E. per rationem ipsius Y. attingit esse ipsius Y.; sed hic punctus est transcendens, & sic non valet, quidquid sequitur de objectione.

4. Substantia est major accidente, ergò
a. Y. est majus per substantiam quàm per accidens, & hoc etiam, cùm ipsum Y. sit magis simile ipsi A. ratione majoritatis bonitatis &c. quàm minoritatis earum, ergò per oppositum Z. est majus per contrarium substantiæ quàm accidentis, ut magis sit contra Y., & ut contrarietas ipsorum Y. Z. sit major substantialiter quàm accidentaliter, ergò majus Z. est magis attingibile quàm minus, aliter non attingeretur Z. esse majus per contrarium substantiæ quàm accidentis, nec major contrarietas, quæ est inter Y. Z.; attingeretur, nisi majus Z. esset per contrarium substantiæ, sicut est ipsum Y. majus per substantiam, quod est impossibile, ergò &c.

b. Contrà: A. non esse unum & trinum est majus Z., quàm esse successionem in motu angelico: sed magis est attingibile, successionem esse in motu angelico, quàm A. non esse trinum & unum, quod per se patet, ergò minus Z. est magis attingibile quàm majus Z., videlicet id Z., quod est contra accidens quàm id, quod est contra substantiam.

c. Differentia est inter majoritatem attingendi objectum sensuale & objectum simpliciter intellectuale, quod est A., nam per plura media extrinseca attingitur objectum sensuale videlicet per sensibilitatem & imaginabilitatem, & sic quantum ad hoc, verum est, quod objicitur, sed objectum intellectuale simpliciter, quod est A., pluribus mediis intrinsecis & magis necessariis attingitur quàm objectum aliquod sensuale, & hoc modo falsum est, quod objicitur; ideo I. attingens, A. non esse trinum & unum, simpliciter attingit majores impossibilitates, quàm I. attingens in motu angelico successionem, quare simpliciter interimitur minor prædictæ objectionis.

5. Per affirmationem entis & necessita-
a. tis attingit E. verum, influens impossibile illius veri ipsi I., ut proportionaliter in I. sit tanta negatio impossibilitatis ipsius veri, quanta est affirmatio necessitatis illius veri in ipso E.; quòd si non, ipsum I. derivatum ab E., sicut dictum est, non posset tantùm negare affirmationem affirmantem falsum oppositum prædicti veri, quantùm E. affirmans illud falsum posset affirmare negationem negantem verum oppositum prædicti falsi, nec è converso, quod est impossibile; unde necessariò concluditur, quòd, in quantò E. attingit Y., in tantò I. necessariò attingit Z.; sed ita est, quòd majus Y. magis est attingibile ratione majoris necessitatis & possibilitatis entis quàm minus, ergò ita est necessariò, quòd majus Z. est magis attingibile quàm minus, & hoc ratione majoris non entis & possibilitatis non entis; & sicut minoritas attingendi Y. est in N. sub K. L., & in R. confuse sub O. P. Q., ita è converso minoritas attingendi Z. est in N. sub K. L. & in R. confuse sub O. P. Q.

b. Contrà: manifestum est, quòd, quantò Z. majus est, tantò magis concordat majori negationi, & per consequens, quantò major negatio, tantò magis convenit cum majori Z., & sicut majus Z. plùs concordat minoritati quàm minus Z., sic similiter major negatio plùs quàm minor; sed ita est, quòd major negatio est minùs attinctiva, quia habet minus subjectum videlicet majus Z. quàm minor negatio, ergò majus Z., cùm sit minus subjectum negationis, est minùs attingibile quàm minus Z.

c. Ad hoc dicendum est per differentiam attingendi secundùm realitatem & rationem potentiæ & objecti, quòd aliud est attingere secundùm rationem & rem, quod se habet ad Y. ab attingere secundùm rationem phantasticam tantùm, quam facit potentia, ut in illa possit tantùm attingere Z. in non ente & impossibilitate, quantùm in ratione reali ipsum E. attingit ipsum Y. in ente & necessitate, nam aliter esset impossibile E. habere Y. in majoritate: impossibile quidem est E. attingere, quantum bonum sequitur ad Deum esse, si non habet I. cognoscens secundùm se, quantum malum sequitur ad Deum non esse; & per hoc solvitur objectio concedendo primam propositionem, & distinguitur in prædicta similitudine, cùm dicebatur: *sicut majus Z. plùs concordat minoritati quàm minus Z., ita &c.* verum est realiter, non autem secundùm rationem, & eodem modo respondetur ad istam minorem, cùm dicitur: *sed ita est, quod major negatio minùs est attinctiva &c.*, secundùm realitatem verum est, sed falsum est secundùm prædictam rationem, cùm de Z. nihil sit verum in re extra rationem, cùm nihil sit, quare non valet objectio.

De secundo Modo solvendi.

1. REcipientia F. G. secundam cameram cum suis conditionibus per tertiam & per quartam cameram secundùm conditiones earum inveniunt quandoque, quòd E. habet A. V. Y., quod de se derivat I. ad V. Z., ut per tantam majoritatem attingat I. secundùm se in oppositio, per quantam attingit E. in proposito, quoniam si E. possit aliquid attingere in A. V. Y., cujus oppositum I. secundùm se non attingeret in V. Z. in tanta excellentia malitiæ, parvitatis, defectûs, injuriæ &c., in quanta excellentia bonitatis, magnitudinis, perfectionis, justitiæ &c. E. attingit in A. V. Y., utique ipsum E. non posset habere A. V. Y. in majoritate, nec I. per consequens V. Z., sed potiùs in minoritate, nec F. G. possent attingere majoritatem contrarietatis istarum camerarum E. A. V. Y., E. V. Z., I. V. Z., I. A. V. Y., nec majoritatem contrarietatis inter bonitatem & malitiam, magnitudinem & parvitatem &c., & inter V. lividum & rubeum, & sic privarentur E. I. majoritate finîs & majoritate liberi arbitrii & meriti, & divina justitia majoritate sui actûs in E. I. N. R., quæ omnia sunt inconvenientia & impossibilia etiam ratione magnitudinis operationis justitiæ Dei in creatura, & justitiæ creaturæ in Deo, quare ex prædictis manifestè patet, quòd majus Z. est magis attingibile quàm minus, eò quia majus Y. est magis attingibile quàm minus.

2. Contrà: Minus Z. est, quòd majus Z. sit in I. quàm quòd minus Z. sit in ipso I., sed cùm de natura I. sit attingere majus Z. in majori minoritate, quâ ipsum I. potest attingere ipsum Z., quia attingit ipsum esse nihil nisi puram privationem, manifestum est, majus Z. minùs attingibile esse quàm minus.

3. Ad hoc dicendum est per triangulum viridem, qui est in attingere ipsius I., quòd G. ipsius I. de duobus actibus differentibus & concordantibus attingit, qui sunt intelligere & negare, ita quòd ipsum negare procedens ab intelligere immediatè se habet ad Z., & quantò majus est ipsum Z., tantò majus est ipsum negare, & magis negatur Z., & quantò magis negatur, tantò minus est, & ipsum intelligere mediatè se habet ad Z. videlicet per ipsum negare, ita quòd immediatè attingit negationem super Z., & quantò majorem negationem invenit super Z., tantò minus Z. attingit: & per hoc solvitur objectio, cùm dicitur: *minus Z. est, quòd majus Z. sit in I. &c.* verum est, quòd minus Z. quoad intelligere est, quòd majus Z. quoad negare ipsius I. sit in ipso I., alio autem modo esset falsum: & ulteriùs, cùm dicebatur: *sed cùm de natura I. sit attingere majus Z. in majori minoritate, quâ ipsum I. potest attingere &c.* verum est secundùm istud attingere ipsius I., quod est intelligere, inveniens immediatè suum negare super ipsum Z., & de isto modo non loquimur hîc; sed falsum est secundùm istud attingere ipsius I., quod est negare immediatè procedens ab intelligere, & immediatè se transferens super Z., & de isto attingere ipsius I. est intentio præsens, quare non valet objectio.

Et sciendum est, quòd sicut patet via ad solvendum hanc primam quæstionem hujus capituli, consimili modo declaratur solutio sequentis secundæ quæstionis.

De Quæstionibus Primæ Figuræ Elementalis.

QUæstio: *Utrùm elementa sint substantialiter in elementato?* Solutio: Ignis ignis, creatura operatio, concordantia contrarietas, finis majoritas.

Quæstio: *Quomodo efficitur generatio & corruptio?* Solutio: Ignis aër, differentia concordantia, principium finis, majoritas motus.

De primo Modo solvendi.

1. SUbstantialis unitas in triangulo livido
a. repræsentat, quòd omnis substantia per se stans una constituta est de subjectiali bonitate, magnitudine &c. operantibus substantialiter in eadem; sed cùm omne elementatum sit substantia per se stans una, constituta de bonitate magnitudine elementorum, aliter enim non esset elementatum generationi & corruptioni subjectum, ergò bonitas magnitudo &c., de quibus elementatum constitutum est substantiale, sunt substantiales, ut unumquodque elementum in elementato substantialiter operetur de sua substantiali bonitate magnitudine &c. secundùm triangulum viridem rubeum & cro-

croceum, quos habent elementa ad invicem respectu complexionis elementati, ergò elementa sunt in elementato substantialiter, aliter enim sequeretur, quòd elementatum non esset de ipsamet substantiali bonitate magnitudine &c., de quibus elementa constituta sunt substantialiter, & sic sequeretur, cùm elementatum sit substantia, vel quòd produceretur ab elementis de nihilo, quod est impossibile, vel simpliciter de accidentibus elementorum, quod similiter est impossibile: & sequeretur, quòd operatio cujuslibet elementi operantis in elementato quoad rationem suæ substantialis bonitatis &c., de quibus constitutum est, esset sinè subjecto, quod similiter est impossibile, ergò necessariò elementa sunt substantialiter in elementato.

b. Contrà: Quidquid constitutum est substantialiter de prima materia, non est substantialiter constitutum de elementis, eò quòd prima materia non est idem quod elementa, quia sic haberet formam actu, quæ esset idem, quod quatuor substantiales formæ actu quatuor elementorum, quod est impossibile, sed omne mixtum naturale generabile & corruptibile, quod dicitur elementatum, est substantialiter constitutum de prima materia sub ratione quidditatis materialis, cùm ipsa prima materia ad hoc sit constituta de bonitate magnitudine &c., ut unumquodque sensibile generationi & corruptioni subjectum producatur substantialiter ex parte materiæ, ergò nullum supposítum generabile & corruptibile producitur substantialiter de elementis, quia sic non esset prima materia, quod est impossibile & contra principia naturæ, & si non producitur de illis substantialiter, non sunt ipsa elementa in eo substantialiter, sed potiùs materia prima.

c. Ad hoc dicendum est per triangulum viridem existentem in triangulo livido secundùm triangulum rubeum, quòd essentia activa & passiva cujuslibet elementi aggregata est de bonitate &c. substantiali & accidentali activa & passiva, ita quòd forma substantialis & accidentalis ignîs aggregata est de bonitate &c. ignitiva & calefactiva &c. atque materia propria substans illi formæ aggregata est de bonitate &c. ignibili calefactibili &c., & sic de unoquoque aliorum elementorum secundùm suas proprias qualitates; & quoniam ignis non potest esse calidus, nisi sit siccus, nec aër humidus, nisi sit calidus, & sic de aliis elementis, eò quòd forma ignîs non potest calefacere, nisi desiccet, nec ejus materia calefieri, nisi desiccetur, nec similiter forma aëris humefacere, nisi calefaciat, nec ejus materia humefieri, nisi calefiat, & sic de aliis elementis, & inter omnia elementa non sit nisi una substantialis caliditas, & hæc est ignîs, & una substantialis humiditas, & illa est aëris, & sic de aliis hujusmodi, manifestum est, quòd omnia elementa sint ad invicem mixta secundùm triangulum viridem & rubeum agentia & patientia inter se ad invicem & replentia, quidquid est sub concavo lunæ, ita quòd omnes quatuor materiæ constituunt essentialiter unam universalem materiam, quam dicimus primam; & omnes quatuor formæ eorum unam universalem formam, alio quidem modo impossibile est, materiam primam esse subjectum generationis & corruptionis, imò potiùs nihil esset trianguli viridis, rubei & crocei in ipsa prima materia, quod est impossibile, ergò &c.

Et per hoc solvitur interimendo majorem, cùm dicebatur: *quidquid constitutum est &c.*, & ulteriùs, dum dicebatur: *quòd prima materia non est idem quod elementa*, verum est quoad formam & divisim, sed falsum est quoad materiam & mixtim; & cùm videtur probari: *quia sic haberet formam actu*, concedatur, formam universalem, & ulteriùs, cùm dicitur: *quòd esset idem quod quatuor formæ substantiales actu quatuor elementorum, quod est impossibile*, verum est, quòd istud impossibile sequitur ex parte finîs, non autem ex parte principii, nullum enim inconveniens sequitur, plura principia materialiter & formaliter diversa & concordantia constituere de se ipsis unum finem, videlicet unam communem formam ex suis formis, & unam communem materiam ex suis materiis scilicet unam communem substantiam ex suis substantiis; aliter sequeretur, quòd substantialis finis esset sinè suis principiis substantiantibus eum, in quibus fundatur, & à quibus sustinetur ipse finis, quod est impossibile, quare non valet objectio.

2. Cùm omne elementatum utpote plan-
a. ta seu aliquod aliud sit subjectum generationi & corruptioni, habet in se totum triangulum viridem sensualem substantialiter, & operationem substantialem ipsius trianguli, concordantiâ existente generante sub-

substantialiter, & contrarietate existente corrumpente substantialiter; generari autem substantialiter in ipsa planta, cùm sit tota substantialiter subjecta triangulo viridi, non potest aliquid substantiale in triangulum viridem ipsius plantæ, nisi aliquid substantiale trianguli viridis extrinseci elementorum compositorum veniens per viam nutrimenti convertat in substantiam plantæ subjectam triangulo viridi; quare manifestè sequitur, quòd elementa in elementato sunt substantialiter, quòd si non, triangulus viridis non esset in ipso elementato nec in elementis, nec per consequens generatio & corruptio, quod falsum est, ergò &c.

b. Contrà: Cùm unumquodque elementorum ratione suæ simplicis formæ & suæ simplicis materiæ in differentia concordantiæ sinè contrarietate consequatur suam simplicem substantiam, impossibile videtur, aliquod elementorum alicujus elementati intrare compositionem, quoniam si intrat compositionem, appetit utique esse compositum, & per consequens ratione contrarietatis ex compositione provenientis appetit minoritatem concordantiæ inter suam simplicem formam & materiam, & per consequens etiam suî ipsius destructionem, quod est contra naturam.

c. Ad hoc dicendum est per triangulum croceum & rubeum in viridi secundùm primam intentionem & secundam, quòd plus est, differentiam, concordantiam & contrarietatem se habere ad unum finem, ita quòd contrarietas privet contrarietatem contrariam illi concordantiæ, quàm si differentia & concordantia sinè contrarietate concordante ipsi concordantiæ se haberent ad unum finem, secundùm quòd etiam patet in E. I.: & ita licèt elementum simplex quoad suam simplicitatem immediatè non habeat contrarietatem sibi contrariantem, habet tamen in habitu contrarietatem privativam contrarietatis, de qua contrarietate privativa appetit agere, eò quòd ratione suæ simplicitatis appetit agere de concordantia sinè contrarietate sibi contrariante intra se & extra; aliter non conservaretur opus naturæ: & ideo quodlibet elementum naturaliter appetit concordare cætera elementa sibi, & contrariari opposito illius concordantiæ, non autem, quòd cætera elementa concordent illud ad se, nec contrarientur ei, & quoniam omnia quatuor sunt in triangulo viridi ad quatuor fines intentos, contrariatur per accidens aliud alii.

Et per hoc solvitur, cùm dicebatur: *cùm unumquodque elementorum &c. sinè contrarietate suam substantiam simplicem consequatur*, verum est sinè contrarietate sibi contrariante, sed non sinè contrarietate privativa oppositi suæ concordantiæ: & cùm dicebatur: *quòd propter hoc videtur impossibile, aliquod elementorum alicujus elementati intrare compositionem*, dicendum est, quòd istud impossibile staret, si quodlibet elementorum non appeteret agere de sua concordantia simplici, nisi in se ipso simpliciter, sed quoniam tanta fœcunditate agit quodlibet elementorum de sua simplici concordantia in se ipso, quòd de eadem appetit agere extra se ipsum, & sic appetit naturaliter intrare compositionem, & sic per accidens producit contrarietatem de suo habitu ad privandum omnem contrarietatem contrariam illi concordantiæ; quare non valet quantum ad hoc, id quod objicitur: & per hoc etiam solvitur per interemptionem, quòd non appetit minoritatem concordantiæ inter suam simplicem formam & materiam ratione contrarietatis ex compositione provenientis; quoniam illa contrarietas extra suum appetitum venit ei per accidens, quare non valet.

3. Triangulus rubeus elementati est in
a. ipso elementato substantialis subjectus triangulo viridi substantiali, qui est in ipso elementato, & hoc manifestè patet, quia, si per proportionatam concordantiam & contrarietatem caliditatis, humiditatis, frigiditatis, siccitatis ipse triangulus rubeus substantialis ipsius elementati conservetur, durat ipsum elementatum, si autem fiat improportio prædictarum qualitatum & discordantia, est utique hæc discordantia causa privationis ipsius elementati, quia ex majoritate contrarietatis prædictarum qualitatum privatur medium, per quod principia formalia & materialia tendebant ad finem, videlicet ad constitutionem elementati; quare oportet necessariò, ista principia formalia & materialia, quorum prædictæ qualitates sunt substantialiter, esse necessariò substantialiter in ipso elementato, cùm ipsum formaliter & materialiter constituant videlicet ipsa elementa; quoniam, si in constitutione ipsius elementati privaretur totaliter actualitas substantiæ eorum con-

conversa in potentiam, sequeretur, quòd unumquodque elementum appeteret universaliter secundùm naturam suî corruptionem elementati, ut esset actu substantialiter, non autem in elementato potentialiter, & sic unumquodque elementum potiùs appeteret corrumpere quàm generare elementatum, quod est impossibile, quia sic esset major contrarietas elementorum quàm concordantia, quod falsum est, cùm unumquodque elementum respectu suî ad cætera elementa habeat immediatè duplicem concordantiam & tantùm unam contrarietatem, & destrueretur etiam naturalis appetitus generationis.

b. Contrà: Cùm finis, qui est elementatum, per hæc media substantialia, quæ sunt forma & materia, sit constitutus de substantiali bonitate, magnitudine &c. tanquam de suis superioribus principiis substantialibus, magìs est stabilis, magísque alterationi repugnans ratione magnæ substantialitatis prædicti trianguli, quare videtur, quòd elementa non sunt substantialiter in elementato, sed potiùs potentialiter, ita quòd converterint totam majoritatem sui trianguli rubei in triangulum rubeum elementati, cùm sit eorum finis, quoniam, si substantialiter essent in ipso elementato, resisteret substantia cujuslibet eorum substantiæ elementati & è converso, & sic oporteret, vel quòd alia aliam destrueret, vel quòd triangulus rubeus esset minor in utraque, & quoniam concedendum est id, per quod operatio naturalis in meliori esse videtur, ergò &c.

c. Ad hoc dicendum est per majoritatem concordantiæ & operationis trianguli rubei, quòd majus principium operatur majorem finem quàm minus principium; quare, si elementa sunt substantialiter in elementato, tanquam principium per rectam proportionem & concordantiam se habent ad unum finem, qui est substantia elementata, & sic procedit substantia de substantia existens idem ex parte principii cum ipsa natura, de qua procedit, & sic major est triangulus rubeus in ipso principio, eò quòd ipsum principium tantæ substantialitatis est in se ipso, quòd communicat eam in substantiam exteriorem, & per consequens major in prædicto fine, quia principium ipsius finîs est substantiale, & per hoc respondendum est ad objectionem, cùm dicebatur: *cùm finis, qui est elementatum &c., sit constitutus radicaliter de bonitate &c.* verum est finis interior immediatè, non autem exterior; & per consequens, cùm dicebatur: *magìs igitur stabilis magísque alterationi repugnans &c.* verum est intrà, sed & adhuc magìs est stabilis magísque alterationi remotus, si sit tantus intra se in substantialitate, quòd de se alium finem substantialem producat extrà, nec extrà alterari potest, quia, cùm impossibile sit, elementum esse extra se ipsum, impossibile est id alterari extra se ipsum; quare non valet conclusio: & cùm videtur confirmari dicendo: *quòd converterint totam majoritatem sui trianguli rubei in triangulum rubeum elementati*, verum est, secundùm quòd elementatum potest recipere, sed substantiam suam propriam, quam habent interiorem ex parte principii, non possunt convertere in substantiam exteriorem, nec exteriorem recipere, sed eidem communicare, quia sequeretur contradictio, quare non valet.

4. Deducentia F. G. conditionaliter ma-
a. joritatem per omnes angulos T. inveniunt eam majorem substantialiter quàm accidentaliter, & idcirco oportet elementa esse substantialiter in elementato, ut majoritas major sit in eo substantialiter quàm accidentaliter, ratione cujus majoritatis anguli T. in elementato sint in majoritate non autem in minoritate, ut ipsum elementatum sit majus substantialiter quàm accidentaliter, ergò elementa sunt in elementato substantialiter, quòd si non, sequeretur oppositum, quod est impossibile, videlicet quòd elementatum, cùm sit substantia, non sit magìs constitutum de majoribus formis existentibus substantialibus, quàm de minoribus formis existentibus accidentalibus, ergò &c.

b. Contrà: Si elementa sunt in elementato, impossibile videtur, quòd sint ad invicem in eo mixta & digesta redacta in aliam naturam, quæ non est elementa, ratione cujus nullum eorum est ibi actu substantialiter sed potentialiter, cùm illa natura sive species, in quam redacta sunt, sit ibi substantialiter, si ergò oportet ipsa elementa esse in elementato substantialiter, oportet utique, quòd sint in eo secundùm suas substantias contiguas, non autem continuè mixtas, quod falsum est, ergò &c.

c. Considerantibus F.G. in figura elementali, quòd elementorum existentium in elementato

tato mixtorum & digestorum ad invicem aliud agit in alio *circulariter, quadrangulariter & triangulariter* secundùm triangulum croceum proportionatum triangulo rubeo illius elementati, quod tamen esset impossibile, b. nisi quidditas cujuslibet elementi esset in ipso elementato: & licèt ipsa elementa sint mixta & digesta ad invicem existente minimâ parte cujuslibet in minima parte cujuslibet implicando quantitatem continuam per totum elementatum, propter hoc tamen non corrumpitur, nec annullatur esse substantiale cujuslibet eorum existentium sub ratione principiorum substantialium, de quibus elementatum constat substantialiter sub ratione finîs. Et per hoc solvitur objectio, ubi dicebatur: *si elementa sunt in elementato, impossibile videtur &c.*, quia licèt elementa sub ratione finîs redacta sint in aliam naturam seu speciem existentem ex parte ipsius finîs substantialiter actu, nullum inconveniens sequitur, quin ex parte principiorum substantialium, de quibus ille finis substantialiter constat, sint ipsa elementa substantialiter tanquam principia substantialia in illo fine, nec tamen sunt ille finis, imò etiam ita est necessarium, aliter enim impossibile esset sequi ipsum finem substantialem, quare non valet objectio.

5. Considerantia F.G. conditiones trian-
a. guli nigri in conditionibus elementorum inveniunt secundùm utrasque conditiones, si affirmatio hujus quæstionis est in Y., & ejus opposita negatio in Z., quòd in elementato est plus entitatis & possibilitatis elementorum; si autem negatio est in Y., sequitur oppositum: & ratio hujus est, quia ens & possibilitas est plus ratione substantiæ quàm ratione privationis substantiæ, & agere est plus ratione substantiæ, quàm non agere ratione substantiæ; & idcirco ratione actionis substantiæ sequeretur, si prædicta negatio esset in Y., quòd proprium agere substantiæ elementi esset in mixto non emanans à sua propria substantia, sed à virtute & potentia ipsius substantiæ, ita videlicet quòd ignis calefaciens ipsum elementatum esset in elementato non quoad suam substantiam sed quoad potentiam & virtutem, ipso elementato calefaciente semetipsum, ita quòd propria actio cujuslibet elementi esset magìs propria plantæ quàm elemento, cujus est ipsa actio, ratione existentiæ substantiæ elementati & privationis substantiæ elementi, sed cùm hæc omnia sint summè inconvenientia, ergò constat oppositum, & per consequens elementa sunt substantialiter in elementato.

b. Contrà: id, ad cujus affirmationem sequitur negatio generationis & corruptionis, est falsum seu impossibile, sed ad affirmationem elementi essendi substantialiter in elementato sequitur non esse generationem & corruptionem, quia existente quolibet elemento actu substantialiter, videlicet formaliter & materialiter, elementativum in elementabili propinquo nunquam posset convertere elementabile remotum in substantiam elementati, quod falsum est, ergò falsum est, elementa esse in elementato substantialiter.

c. Hic dicendum est per triangulum viridem trianguli rubei, quòd licèt humidum radicale & humidum nutrimentale ambo substantialiter constituant esse elementati, nihilominus falsum est, humidum radicale non esse substantialiter in elementato, similiter & humidum nutrimentale, unde cùm quatuor substantiæ quatuor elementorum sint quatuor partes principales & indestructibiles constituentes universam substantiam mundi & omnem substantiam compositam sub globo lunari, impossibile est, quin ipsa elementa sint substantialiter in tota substantia mundi, & in omni alia substantia ab eis composita, aliter enim sequeretur destructio hujus conditionis trianguli rubei, videlicet, quòd posito fine destruerentur in illo fine principia substantialia ipsius finîs, quod est impossibile, quia de natura trianguli rubei est, quòd posito fine substantiali actu ponuntur utique principia ejus substantialia actu, sed positis principiis substantialibus actu, non propter hoc sequitur necessariò finis substantialis eorum actu.

Et per hoc solvitur objectio concedendo majorem & interimendo minorem: & ad probationem, cùm dicebatur: *quia existente quolibet elemento actu &c.*, dicendum est, quòd duplex est illud existere actu ex parte principii & finîs simpliciter, & sic vera esset objectio, si elementa essent isto modo substantialiter in elementato, quia, ex quo se haberent ad suum finem simplicem, quodlibet ût sic, generatio & corruptio esset impossibilis: est autem aliud existere ex parte principii tantùm simpliciter, & ex parte finîs compositè; & isto modo sunt

elementa in elementato substantialiter, & hoc simpliciter ex parte principii, & quia ille finis, in quo sunt, est per generationem & corruptionem compositus, potest utique per generationem & corruptionem deponi, & componi alius finis eisdem principiis substantialiter existentibus, quare non valet objectio.

De secundo Modo solvendi.

1. COntrahentia F. G. significationes secundæ & tertiæ & quartæ cameræ ad quæstionem inveniunt secundùm conditiones camerarum, operationem creaturæ esse majorem in concordantia & contrarietate & in majori fine, elementis simplicibus existentibus substantialiter in elementato sub ratione constituentium & agentium finem de semetipsis compositum scilicet elementatum, & quolibet eorum composito existente parte substantiali plantæ, de quibus constituta est substantia plantæ; quòd si non, operatio elementorum in elementato, & elementati in elementis est in minoritate concordantiæ & contrarietatis & in minori fine, quod per se manifestè patet; & quoniam concedendum est id, per quod conditiones prædictarum camerarum manifestantur esse majores, ergò &c.

2. Contrà: Quorum operationes sunt contrariæ, ea non videntur posse stare substantialiter simul, & multò minùs etiam, quantò plùs moventur ad invicem ad operationes contrarietatis; si igitur elementa sunt substantialiter in elementato, stant simul substantialiter in eodem ea, quorum operationes sunt contrariæ, videlicet ignis & aqua, aër & terra, & tantum moventur ad invicem ad operationes contrarietatis in ipso elementato, quolibet elemento intrante in aliud circulariter, quòd substantia cujuslibet confunditur & destruitur in eodem, ergò non sunt in ipso elementato substantialiter.

3. Ad hoc dicendum est mediatè & immediatè per triangulum viridem in triangulo rubeo, quòd elementa existentia principia formalia & materialia elementati constituunt elementatum per triangulum viridem, ita quòd in elementato operantur de differentia in concordantia & contrarietate & è converso, de concordantia in contrarietate & è converso, aliter enim elementatum non esset subjectum generationi & corruptioni, quod falsum est; & ideo si deperit de substantia intrinsecè ratione contrarietatis, restauratur ab extrinseco ratione concordantiæ, quare cùm in elementato non sit immediatè operatio contrarietatis sicut nec concordantiæ, non valet objectio; & ideo quia ignis & aër, aër & aqua, aqua & terra, terra & ignis moventur circulariter ad operationes concordantiæ, moventur ignis & aqua, aër & terra ad operationes contrarietatis & non è converso; & quoniam contrarietas est medium ad concordantiam, nec est per se nec immediatè in elementato, non valet objectio.

De Quæstionibus Secundæ Figuræ Elementalis.

QUæstio: *Utrùm omnes partes elementi sint in elementato alia earum in alia?* Solutio: Ignis ignis, ignis aër, aër aër, terra terra.

Quæstio: *Quomodo accidentia sint à substantia?* Solutio: Ignis terra, ignis aër, ignis aqua, finis majoritas.

De primo Modo solvendi.

1. a. CUm considerant F. G. unitatem, essentiam & dignitates, quæ sunt unum summum ens, quod est Deus, attingunt similitudines hujus anguli in omni substantiali creatura, cùm Deus creaverit omnem creaturam ad similitudinem suam, in quantum creatura potest recipere ejus similitudines; & ideo attingunt, quòd bonitas creata elementi existens bonitas est in magnitudine, & magnitudo creata existens magnitudo est in bonitate, & sic de aliis, nam in quantum bonitas est bonitas, in tantum est magna, & in quantum magnitudo est magnitudo, in tantum est bona, quoniam, si bonitas non esset tantùm in magnitudine, quantùm ipsa est, in tantum esset nihil, quia in tantum esset sinè quantitate, quod est impossibile, vel si magnitudo non esset in tantum bona, quantùm ipsa est, in tantum mensuraret nihil, quod est impossibile, quod satìs patet; quare necessariò sequitur, quòd tota bonitas elementi sit in magnitudine, & tota magnitudo elementi in bonitate, & sic de aliis partibus radicalibus elementi, & ideo, quia quælibet earum est in alia essentialiter, agit quælibet earum in alia essentialiter, & sic agendo constituunt essentiam activam & passivam elementi, videlicet formam & materiam

teriam elementi, ex quarum conjunctione sequitur esse substantiale elementi, agente formâ in suam materiam sub ratione activæ bonitatis, magnitudinis &c., & patiente ipsâ materiâ sub ratione passivæ bonitatis magnitudinis &c.

b. Contrà: Cùm elementalis bonitas non sit per se corpus, & sit creatura distincta à magnitudine & è converso, videtur impossibile, quòd essentialis unitas bonitatis sit in magnitudine, nec per consequens è converso; unde, cùm neutra illarum sit corpus, impossibile est, quòd alia sit in alia, ita quòd quælibet sit continens & contenta, si autem alio modo alia sit in alia, est utique tanquam accidens in accidente sinè subjecto, & sic essent partes accidentales, de quibus substantia constitueretur, quod est impossibile, ergò videtur impossibile, bonitatem esse in magnitudine vel è converso; & eodem modo tenet objectio in cæteris partibus radicalibus elementi, quæ sunt duratio, potestas &c.

c. Discurrentia F. G. per triangulum viridem trianguli rubei in triangulo livido attingunt differentiam & concordantiam bonitatis & magnitudinis in principio & in medio & in fine elementi simplicis & compositi, & idcirco attingunt, quòd existentibus differentiâ & concordantiâ inter diversas bonitates & diversas magnitudines &c. ad unum finem constituitur sic de ipsis corpus; & sic, licèt bonitas non sit per se corpus nec magnitudo per se corpus &c., est utique quælibet earum de natura corporea & essentialis pars corporis, quia ipsis existentibus unitis ad invicem aliâ in aliâ fit substantia corporea: & per hoc solvitur, cùm dicitur: *cùm elementalis bonitas non sit per se corpus &c., videtur impossibile, quòd essentialis unitas bonitatis sit in magnitudine* &c., dicendum est, quòd non valet, quia ad hoc, quòd bonitas sit in magnitudine & è converso, sufficit, quòd quælibet sit de natura corporea & corporis, ut, cùm unitæ fuerint ad invicem una cum alia, & sic de aliis, resultet unum corpus substantiale; & ideo interimitur ista, cùm dicitur: *unde, cùm neutra illarum sit corpus, impossibile est, quòd alia sit in alia &c.*, & sic non valet objectio.

2. a. Differentia concordantia & contrarietas sunt partes elementati, est autem differentia in concordantia & è converso, sicut inter ignem & ejus quantitatem, aut inter ignem simplicem & compositum, aut inter formam & ejus materiam, & inter bonitatem & magnitudinem &c.; hoc idem est de aëre & de cæteris elementis; propterea in eodem elementato est differentia in concordantia ignis & aëris & è converso, & ignis in aëre & è converso, quia bonitas ignis est in bonitate aëris & è converso, & quantitas ignis in quantitate aëris & è converso, & caliditas ignis in humiditate aëris & è converso, influente ipso igne caliditatem & cætera sua accidentia cum subjecto ipsorum accidentium in ipsum aërem recipientem ab igne, & influente terrâ aërem cum suis accidentibus in ignem recipientem terræ beneficium, ût *suprà in figura elementali* dictum est: similiter differentia in contrarietate & è converso, existente igne in aqua & è converso; cùm ergò ita sit, quòd in elementato est differentia in concordantia & contrarietate & è converso, existentibus subjectis earum aliis in aliis, & omnes partes substantiæ sint subjectæ triangulo viridi, manifestum est, quòd in elementato omnes partes ejus aliæ sunt in aliis necessariò.

b. Contrà: Impossibile est, differentiam, quæ est in concordantia, esse in contrarietate, vel differentiam, quæ est in contrarietate, esse in concordantia, cùm impossibile sit, aliud oppositum esse in alio, sed differentia concordantiæ est in elementato videlicet ignis & aëris & sic de aliis, & differentia contrarietatis videlicet ignis & aquæ, aëris & terræ, ergò omnes partes elementi non sunt in elementato.

c. Ad hoc dicendum est, posito toto triangulo viridi sensuali in omnibus suis angulis per triangulum rubeum, quòd differentia, concordantia & contrarietas est inter differentiam & differentiam, concordantiam & concordantiam, contrarietatem & contrarietatem, quia in elementato quædam sunt differentiæ concordes contrariè, sicut inter ignem & aquam, habente caliditate tantam concordantiam cum igne ad multiplicandum eum, & ipso igne tantam similiter cum ipsâ caliditate ad multiplicandum eam, quòd hæc concordantia generat contrarietatem inter istam differentiam concordantem & differentiam concordantem, quam habet aqua cum sua frigiditate & è converso; & è contrario similiter sequitur de differentia concordantiæ aquæ & frigiditatis: hoc idem sequitur de aëre & terra: & quædam sunt differentiæ concordes habentes con-

cordantiam, sicut inter differentiam concordem ignîs & caliditatis, & differentiam concordem aëris & suæ humiditatis, & sicut inter differentiam concordem aëris & suæ humiditatis & differentiam concordem aquæ & suæ frigiditatis; & istæ bene se compatiuntur esse aliam in alia immediatè, & ista differentia concordantiæ aëris & humiditatis est medium, per quod prædictæ duæ differentiæ concordes contrariè scil. ignîs & aquæ sunt alia in alia: immediatè verò alia in alia nequaquam potest esse; & per hoc solvitur objectio, quòd verum est, *differentiam, quæ est in concordantia, non esse in differentia, quæ est in contrarietate nec è converso*, & hoc sinè medio, sed per medium bene potest alia earum esse in alia, nam ex quo oppositum invenit suum medium, in quo necessariò est in suo opposito, impossibile est, quòd oppositum sit in opposito immediatè, mediatè verò nequaquam, quare non valet objectio.

3. Attingentia F. G. triangulum rubeum,
a. qui est in elementato, inveniunt principium, medium & finem esse in elementato partes constituentes ipsum. In elementato etiam sunt forma & materia constituentes tertium videlicet ipsum elementatum existens in tempore, quantitate, qualitate &c., existente etiam è converso tempore, quantitate, qualitate &c. in ipso elementato moto & movente ratione finîs bonitatis &c., ipso fine existente in bonificante & bonificabili & è converso, & bonificare in magnitudine & è converso, & sic de aliis, & quantificare in qualificare, & sic de aliis. Sunt etiam principium & finis in medio & è converso, ipso fine attrahente ad se per medium suum principium, vel id, quod est in principio, atque principio movente se ad suum finem per ipsum medium, ipso medio conjungente partem in parte & terminum in termino & quantitatem in quantitate, ut ipsum elementatum fiat quoddam plenum habens continuam quantitatem.

b. Contrà: Si essentia principii est in fine, impossibile est, eam esse in medio, cùm medium & finis non sit idem, nec etiam aliud eorum in reliquo, quia tam citò esset principium in fine, quàm citò in medio, quod falsum est, cùm medium habeat præcedere finem; nec etiam finis est in principio vel è converso, cùm sit impossibile, perfectum esse in imperfecto; nec similiter medium est in utroque, quia sic non esset motus nec operatio intrinseca in ipso elementato, quod est impossibile, ergò quilibet angulus trianguli rubei non est in alio, nec per consequens quælibet pars elementi in alia.

c. Recolit F. *illud capitulum figuræ elementalis*, ubi dictum est, quòd circulus est in quadrangulo & è converso, & per consequens omnes partes eorum aliæ in aliis sive alia in alia, ut quilibet eorum sit in alio, est autem ratione circuli principium in medio & in fine & è converso, & medium in fine & è converso, quod patet, quia idem ignis est *circulariter quadrangulariter triangulariter* per omnes rectitudines in principio, medio & fine cujuslibet aliorum elementorum, eodem modo est unumquodque aliorum elementorum ad hoc, ut sit motus in pleno & è converso ad servandum vel privandum elementatum. Unde nihil repugnat, idem diversis respectibus esse in diversis & diversa in eodem, imò etiam necessarium est, aliter enim destrueretur cursus naturæ in elementatis; & per hoc patet solutio ad id, quod objiciebatur, & dicendum est, quòd eodem respectu verum est, quia, si essentia principii est in fine, impossibile est, eam esse in medio, prout est in fine, nec etiam eam esse in fine, ût est in medio, & ad hoc bene valet hoc, quod dicebatur, cùm medium & finis non sint idem, nec aliud eorum est in reliquo ût sic, quia sic esset naturaliter tam citò principium in fine quàm in medio, omne quippe medium naturale ût sic habet naturaliter præcedere suum finem, non autem temporaliter, & in hoc bene procedit objectio; sed prout idem principium alio modo est in medio ût forma in materia & è converso, & alio modo in fine ût forma in formato & è converso, & materia in materiato & è converso, non tenet objectio, nec quidquid sequitur ad objectionem, cùm dicebatur, *nec etiam finis est in principio* &c.; veruntamen intelligere, quomodo idem est in diversis & è converso, est punctus transcendens.

4. Majoritas, æqualitas & minoritas sunt
a. partes ejusdem elementati, cùm sinè ipsis elementatum esse non possit, sicut nec totum sinè suis partibus, quod patet: nam in elementato cholerico est ignis in majoritate existens cæteris elementis respectu ignîs existentibus in minoritate, & ita, si ignis est in majoritate & cætera elementa in

in minoritate, & ignis sit in cæteris elementis & è converso, manifestum est, quòd majoritas est in minoritate & è converso, & quoniam ignis & terra in cholerico sunt in æqualitate proportionis, & terra & aër, & sic de aliis, & ignis & terra sunt in aëre & è converso, est utique æqualitas in æqualitate isto modo, vel etiam in hoc, quòd ignis existens in quarto gradu se dividit in septem puncta, quorum sex infunduntur cæteris elementis subjectis igni, ita quòd tria dentur tribus punctis terræ & duo duobus aëris & unum uni aquæ, & sic de cæteris elementis, prout possunt dividi, *ût in libello de elementali figura dictum est*, manifestum est, quòd æqualitas est in æqualitate & major etiam æqualitas in minori æqualitate & è converso.

Præterea ex parte finîs, ad quem radicalia principia se habent, est æqualitas in æqualitate substantialiter, quia finis bonitatis est bonificare & bonificatum esse, bonificare quidem ratione agendi, sed bonificatum esse ratione existendi, ita quòd bonificare sit in bonificato esse: idem etiam est suo modo de magnitudine &c.: & iterum est æqualitas in æqualitate, quando bonificare magnum & magnificare bonum existentia æqualia sunt in magno bonificato & in bono magnificato existentibus æqualibus, & sic de aliis, hoc autem est, quando bonitas & magnitudo æqualiter se habent ad majoritatem finîs; sed tunc est major æqualitas in minori æqualitate, quando bonitas in majoritate & magnitudo in minoritate vel è converso se habent ad majoritatem finîs: est etiam majoritas in minoritate & è converso in elementato, sicut substantia in accidentibus, ût in quantitate & qualitate &c. & è converso, & minoritas in minoritate, ût accidens in accidente videlicet quantitas in quantitate vel quantitas in qualitate & è converso & sic de aliis.

b. Contrà: Impossibile videtur, quòd majus in minore possit esse vel è converso, nisi majus minori superfluat, quare videtur impossibile, quòd in elementato cholerico ignis in quarto gradu possit esse in aqua, cùm sit in primo gradu, nisi in tantum, quantum ipsa est; & idem est de cæteris elementis ratione majoritatis & minoritatis, quas habent respectivè, ergò majoritas non videtur esse in minoritate, nec è converso, nec per consequens in æqualitate.

c. Dicendum est per triangulum viridem in croceo, quòd ad hoc, quòd aliquid sit in alio, oportet illa esse talis naturæ, vel uniri per tale medium, quòd aliud alii non repugnet, ita quòd in intensitate & extensitate concordent, ita quòd, si sint æqualia quantitate, intensitas hujus suscipiat totam intensitatem illius, & extensitas extensitatem; si verò sint inæqualia, intensitas minoris suscipiat tantum de intensitate majoris, quantum ipsa minoritas est; cùm igitur extensitas extensitati non superfluat, dum sunt unum, & intensitas hujus & intensitas illius sint quælibet in sua extensitate & è converso, & extensitas hujus in extensitate illius & è converso, manifestum est, quòd tota intensitas majoris superfluens intensitati minoris tota est in extensitate minoris & è converso, & quoniam tota extensitas minoris est in tota intensitate ipsius minoris & è converso, est utique per istud medium tota intensitas majoris in tota intensitate minoris, & sic majus existens in minori non remanet magìs nec minùs extensum nec è converso, sed remanet magìs intensum, & licèt sit magìs intensum, ejus quidem major intensitas adhuc remanet in minori intensitate scilicet minoris & è converso: & in hoc solvitur objectio, quia si majus & minus non sunt talis naturæ, vel non habent tale medium, quòd intensitas hujus possit esse in intensitate illius & extensitas in extensitate, bene valeret objectio, & isto modo essendi *in* non sunt partes essentiales in partibus in elementato, sed si sint talis naturæ, vel habeant tale medium, quòd intensitas sit in intensitate & è converso, & extensitas in extensitate, non valet objectio, licèt etiam aliud sit majus alio, ût jam dictum est. Et isto modo ignis in quarto gradu est in aqua in primo gradu & è converso, & idem est in cæteris elementis.

5. Generatio in elementato importat esse,
a. corruptio verò non esse, habet enim generatio appetitum ad esse, & corruptio ad non esse, & quoniam utraque est in singulis partibus elementati, quia quælibet tota subjecta est generationi & corruptioni ratione motûs & operationis trianguli viridis, rubei & crocei elementorum, est quælibet pars in possibilitate essendi vel non essendi, est igitur generatio in corruptione & è converso entis elementati, in quo ente elementato est non ens ratione impossibili-

tatis

tatis entis, quod corruptum est in eodem, & est ens in ipso eodem ratione necessitatis entis, quod generatum est in eodem; quare ex hoc sequitur, quòd pars elementati est in parte, aliter pars non generaretur in parte, nec corrumperetur à parte, quod falsum est, nec partes etiam elementati essent subjectæ primæ materiæ nec è converso, in qua elementa & partes eorum sunt in confusione & in possibilitate essendi vel non essendi specificè, quæ depuratur, dum elementa se inclinant ad aliquod esse specificum ratione generationis, & ad non esse specificum alterius ratione corruptionis, ergò &c.

b. Contrà: Impossibile est, non ens esse in ente vel ens in non ente, quia sic sequeretur, quòd nihil esset aliquid, & aliquid nihil, quod est contradictio, impossibile enim est, nihil habere esse vel in se vel in alio, & aliquid non esse vel in se vel in alio, impossibile est ergò, non ens esse in ente vel è converso, nec per consequens generatio est in corruptione nec è converso, nec per consequens pars generabilis in parte corruptibili nec è converso, secundùm hoc igitur partes elementati non sunt in partibus ejusdem.

c. Differentia est inter non ens & non ens, quia multis & diversis modis non ens potest considerari, videlicet quòd nunquam fuit, & nunquam erit, & istud non ens, si habet aliquod esse, ipsum est in ratione phantastica ipsius S., & quantum est ex parte rei, bene procedit de isto objectio; & est aliud non ens, quod fuit ens, sed modò est non ens non respectu hujus, quod nunc est, sed respectu hujus, quod fuit, est modò non ens, ût Cæsar & Socrates, qui non sunt, sed fuerunt, veruntamen id, quod fuit Cæsar seu Socrates ratione materiæ, est ens in ente, & est non ens in ente sub ratione Cæsaris; & ita non valet objectio, quia, quando dicitur: *non ens est in ente*, sensus est, id, quod fuit aliquod ens, est modò corruptum à specificatione illius entis existens alterum ens in alio ente per motum & mixtionem, & de isto non ente, quod habet fieri per corruptionem, intendit triangulus niger, non autem de alio non ente primo modo dicto, quod nec generatio nec corruptio, cùm sit simpliciter nihil, possunt convertere in ens, de quo scilicet non ente bene procedit objectio.

De secundo Modo solvendi.

1. Discurrentia F. G. per secundam cameram inveniunt in elementato, ignem esse in aëre & è converso, & sic de aliis elementis, cùm elementa sint partes substantiales elementati, ut ex eis permanentibus id, quod sunt substantialiter, secundùm formam & materiam cujuslibet eorum sequatur materialiter quintum scilicet elementatum, hoc autem minimè potest fieri, nisi unumquodque elementorum constituentium elementatum esset secundùm omnes suas partes in alio ipsorum. Hoc idem etiam per tertiam cameram exemplificatur, quia sicut elementa & elementatum ad similitudinem A. facta sunt, ita, quantum possunt, id, quod est in A., similitudinariè repræsentant, omnis enim creatura in similitudinibus, quas à suo Creatore recipit, repræsentat ipsum Creatorem, ût *in prima regula* dictum est; & ideo, sicut in A. bonitas est in magnitudine & è converso, & sic de aliis dignitatibus ejus ad invicem, ut sint una Paternitas, una Filiatio & una Processio existentes una Deitas, scilicet una bonitas, magnitudo, id est, unus Deus, sic ratione similitudinis sunt omnes partes elementati alia in alia, ut omnes sint una forma, una materia, una conjunctio, de quibus constat totum elementatum, hoc autem ita esse oportet, ut elementatum sit magìs simile suo primo, & ut magnitudo primi non deficiat majori assimilationi sui effectûs.

Quarta verò & ultima camera per T.T. significat, quòd totum T., prout requirit natura elementati, mixtum est de toto se ipso in totum se ipsum per omnes suos angulos & triangulos in elementato, existente quolibet angulo in se ipso, & in quolibet alio ipsius T., ut sit elementatum completum; quòd si non, sequeretur utique, quòd, in quantò alius triangulus vel angulus non esset in alio, in tantò in elementato ex eis constituto esset reperiri vacuum, quod est impossibile, ergò &c.

2. Contrà: Quorum sunt diversa loca & diversi situs, impossibile est, partes eorum conversim esse aliam in alia, ita quòd partes hujus sint in partibus illius, sed ita est, quòd in elementato ût in animali os & caro habent diversa loca & diversos situs, quod manifestè patet ad sensum, manifestum est igitur, quòd partes ossis non sunt in

in partibus carnis nec è converso, & tam partes hujus quàm partes illius sunt partes elementati constitutæ de toto T. in toto T., ergò constat, quòd totum T. in elementato non est in toto T., nec per consequens omnes partes elementati in partibus ejusdem.

3. Mixto T. livido in T. viridi & rubeo, dicendum est, T. viride esse inter partes & partes elementati, videlicet inter partes simplices, quæ sunt elementa, & partes elementatas ab eis compositas, quæ sunt caro, nervus, os, medulla; etiam T. viride est in elementato inter partes simplices, quæ sunt principia radicalia, videlicet bonitas, magnitudo &c., & partes simplices ab eis constitutas, quæ sunt quatuor essentiæ simplices elementorum, ita quòd bonitas sub essentia ignea & sub essentia aërea & aquea & terrea in toto elementato in carne & nervis & ossibus & in medulla & in omnibus membris est in magnitudine existente sub eisdem essentiis & è converso magnitudo in bonitate, & sic de aliis partibus radicalibus, ad istum finem, qui est ipsum elementatum, ut ipsæ sint bonitas magnitudo &c. substantiales elementati, per istas enim principiatur totum T. esse in se ipso toto existente in toto elementato per omnes partes compositas elementati, secundùm quòd totum T. potest recipere se ipsum totum ad istum finem, qui est hoc elementatum: & quoniam hoc ita est, ignëitas aëreitas &c. immediatè sunt constitutæ ab ipsis primis partibus antè dictis ingenerabiliter & incorruptibiliter ex partibus superiorum principiorum, & sequuntur immediatè vestigia suorum constituentium, ut, ubicunque sit bonitas &c., ibi sit ignëitas aëreitas &c.; & quoniam bonitas in magnitudine & è converso est in ignëitate constituens eam, & sic est forma ratione actionis de se ipsa & de magnitudine &c., sic ipsa ignëitas est materia ratione passionis, in se ipsa constituens ignem, & sic est forma de semetipsa, & sic est materia; eodem modo constituitur aëreitas de semet constituens aërem, & sic de aliis; & quoniam bonitas &c. existens eadem in radice constituendo de semet se habet per T. viride ad plures fines differentes concordantes & contrarios reducibiles ad unum finem, sicut ipsa bonitas est una, magnitudo una &c., ita quòd totum T. in T. importat secum ad illum finem, sequitur ignëitas ipsam bonitatem &c. in omnibus illis finibus diversis & concordantibus & contrariantibus constituens in eis de semet suum ignem, & in hoc est ignis simplex in cæteris elementis & è converso in ipso elementato, & constituendo ignem de semet in aliis constituit etiam ipsum de aliis, quia sua bonitas & aliorum, de qua constituit ignem, est eadem in radice, & hoc modo ignis compositus est in aliis elementis, & ita aggregat & reducit in elementato plures fines diversos concordantes & contrarios ad unum finem videlicet ad unum elementatum igneum, calidum, siccum, leve &c., ita quòd, quantùm potest, totum T. reducit in totum T. ad ipsum finem; idem est de aëreitate &c. suo modo, & ita sicut bonitas, magnitudo &c. alia in alia simpliciter & compositè sunt in toto elementato secundùm T. in T., ita similiter elementa simplicia & composita ab eis constituta sunt in toto elementato aliud in alio secundùm T. in T.; & secundùm istum modum essendi partium in partibus non procedit objectio, & de isto est præsens intentio, & illæ partes, de quibus objicitur, non sunt partes non elementatæ elementati, de quibus intenditur, sed sunt partes elementatæ ipsius elementati, de quibus non quæritur, non enim quæritur, utrùm partes integrales elementatæ sint omnes alia in alia in suo toto, sed utrùm omnes partes elementati, quæ immediatè & per se constituunt elementatum, alia sit in alia, totum autem aggregatum ex partibus elementatis non est per se & immediatè elementatum, sed per ipsas suas partes elementatas, sicut nec domus lapidea, nisi, quia ejus partes integrales scilicet parietes & tectum & fundamentum sunt lapideæ, id est, lapidibus constitutæ.

De Quæstionibus Primæ Figuræ Demonstrativæ.

Quæstio: *Utrùm hæc scientia sit cæteris scientiis generalis?* Solutio: T.T., A. A. &c., B. B. &c., ignis & ignis &c.

Quæstio: *Quomodo hæc scientia differt ab aliis scientiis?* Solutio: A.A., S.T., T.T., A.X.

De primo Modo solvendi.

1. a. Manifestum est secundùm textum hujus voluminis, quòd præsens ars, quidquid cadit in T. lividum, docet commiscere

miscere respectu hujus, per quod cadit in ipsum T. lividum secundùm conditiones ipsius trianguli, & respectu hujus, quod cadit in eum, & hoc sub tanta universalitate, quòd, in quacunque facultate sit scientifica, secundùm quidditatem vel essentiam substantiæ vel accidentis, causæ vel causati, ratione mixtionis aliorum triangulorum F. G. sunt necessariò ministrativa objecti veritatis ipsis E. I. & etiam ipsi N. secundùm exigentiam materiæ, cùm, quidquid est, aliquo modo in aliquo angulo vel angulis T. lividi inveniatur; & hoc manifestè patet per discursum ipsorum F. G., quoniam, postquam receperint rem investigabilem, cujuscunque sit materiæ, in T. lividum, & ejus unitatem deduxerint in essentiam, in bonitatem, magnitudinem &c. & in operationem causæ & effectûs secundùm T. viride, rubeum, croceum & nigrum & secundùm oppositionem X., & sic de ejus essentia, de ejus operatione, differentiâ, concordantiâ, contrarietate, majoritate, æqualitate, minoritate, quas habet ad cætera principia sibi annexa, & sic de ejus T. rubeo & nigro deductis per omnes alios triangulos & per semetipsos & per opposita ipsius X., quòd necessariò concludent E. I. de ipso, & multò etiam altiùs, quàm concluderet illa facultas, cui prædictum investigabile appropriatum est, & hoc ratione majoris mixtionis terminorum, per quam altius universale aggregatur, quare manifestè patet, hanc scientiam esse cæteris scientiis generalem.

b. Contrà: Si hæc scientia est cæteris scientiis generalis, ergò qui scit eam, scit omnes, quibus ipsa est generalis: præterea quia T. T. ratione suæ mixtionis est universale ad omnia scienda, quæ possunt sciri, quicunque scit ipsum T. miscere, scit omnia, quæ possunt sciri, quod falsum est, quare videtur, quòd hæc scientia non sit cæteris generalis.

c. Accipiunt F. G. potentiam, habitum, & actum ponendo in eis triangulum croceum sciendi, & attingunt, quòd plus est scibile habitu ratione potentiæ, in qua est, quàm scitum actu, sicut patet in natura, nam plus est generabile habitu naturæ ratione potentiæ, in qua est ipsum generabile, quàm generatum actu; & ideo solvitur objectio, quia scientia est in C. duobus modis, scilicet actu, & isto modo impossibile est, quòd C. sciat omnia; & potentiâ, & isto modo hæc scientia est quidam universalis habitus applicabilis cæteris scientiis, ratione cujus omnia scibilia cæterarum scientiarum sunt ad sciendum in potentia ipsius C., cujus prædictus universalis habitus est & hoc ratione illius habitûs, licèt impossibile sit, ex parte ipsius C. omnia simul vel omnia successivè reduci ad actum; & idcirco distinguitur ratione potentiæ, quòd, quantum ad defectum & parvitatem ipsius C. hæc ars non est omnibus generalis, sed quantum ad aptitudinem universalîs habitûs hujus scientiæ omnibus scientiis applicabilîs est ipsa scientia cæteris scientiis generalis, & eodem modo solvitur ad aliud, cùm dicebatur: *præterea quia T. T. &c.*

2. Per T. T. manifestatur in hac scientia
a. via distinguendi, concordandi & contrariandi in omnibus, quæ S. potest attingere de A. S. V. X. Y. Z. Theologiâ, Philosophiâ, Jure, & sic de aliis figuris in hac arte scriptis vel scribendis, secundùm quòd manifestè patet per textum hujus voluminis; quare manifestum est, T. viride hujus artis seu scientiæ esse cæteris T. viridibus cæterarum scientiarum generale. Idem Judicium per consequens est de T. rubeo, croceo, nigro & livido, quia cùm quilibet prædictorum triangulorum sit subjectum cuilibet eorum & etiam sibi ipsi & è converso, si unus eorum est generalis, & per consequens omnes sunt generales, quare manifestum est, hanc scientiam cæteris scientiis esse generalem, cùm subjectum illius sit generale cæteris subjectis cæterarum scientiarum, quod patet per T. T. in A. S. V. X. &c.

b. Contrà: Quantò ens in natura magis est simplex, tantò magis est universale, quia ad componendum se habet; per oppositum igitur, quantò aliquid magis est compositum, tantò minùs est universale & magis particulare, sed cùm triangulus viridis & cæteri trianguli simpliciter hujus scientiæ sint magis compositi ratione suæ majoris mixtionis quàm alicujus alîus scientiæ, ergò sunt minùs universales, & si minùs universales, igitur hæc scientia non est generalis cæteris scientiis.

c. Dicendum est per T. viride generalitatis seu universalitatis inter potentiam & actum, quòd, sicut est magna distantia inter actum & potentiam, ita est magna distantia inter generalitatem seu universalitatem actûs & potentiæ, quia, cùm F. G. considerant universale, quod est actu, respectu universalîs, quod est in potentia, tunc id, quod est

est universale actu, est particulare respectu eorum, quæ sunt in potentia; & secundùm istud universale videtur procedere objectio ex parte simplicium, ignis enim simplex indifferenter se habet ad infinita componenda, ût ita dicamus: & nihilominus isto eodem modo attingunt F. G., principia simplicia in hac scientia esse universalia in potentia, sicut T. lividum simplex, T. viride simplex, & sic de aliis, quæ se habent ad infinita de se ipsis componenda; „& licèt hæc scientia intendat de istis universalibus tanquam de primis causalibus & essentialibus „principiis, veruntamen principaliter intendit de universali actu causato seu constituto de ipsis primis & simplicibus principiis, quod est utique medium hujus finîs „scilicet concludendi quodvis particulare „sub illo contentum; istud autem universale est compositum, & quantò magis compositum seu mixtum est, tantò plura particularia sub se continet, quia, quantò magis est compositum seu mixtum, ex tantò „pluribus simplicibus principiis constat; & secundùm istud universale non valet objectio.

3. Circulus ex T. rubeo est constitutus isto
a. modo: bonitas magnitudo &c. in creaturis sunt prima principia, de quibus est constituta essentia cujuslibet creaturæ, & ab essentia constitutum est esse cujuslibet creaturæ, & ab esse fluunt operationes secundùm rationem bonitatis magnitudinis &c., de quibus tanquam de similitudinibus D E I creatura per priùs constituta est, & ita fine movente intentionaliter agens, & agente movente actualiter formam & materiam, & formâ & materiâ finem, est T. rubeum circulatum existens in circulo, & è converso, cum omnibus aliis triangulis ad inquirendum particulare, quod ex universali quæritur dando de ipso veram responsionem secundùm rem & modum: & res igitur & etiam modus sic circulati & triangulati ex omnibus miscibilibus triangulis in T. rubeo, faciunt ipsum T. rubeum hujus scientiæ sic deductum esse omnibus T. rubeis cæterarum scientiarum universale seu generale, & per consequens ipsam scientiam, cujus ipsum T. rubeum est, esse cæteris scientiis generalem.

b. Contrà: Ei, quod habet perfectum principium & perfectum medium ad perfectûm finem, non potest addi aliud T. rubeum, sed ita est, quòd subjectum Theologiæ est Deus, & Metaphysicæ Ens, & Logicæ Syllogismus, ita quòd hæc subjecta non possunt esse altiora ratione finîs, nec per consequens ratione principii & medii ad illum finem, ergò nullus alius triangulus rubeus his potest addi, & si non potest eis addi, non est generalior illis, quare manifestè videtur, hanc scientiam ratione sui trianguli rubei non esse cæteris scientiis generalem.

c. Dicendum est mediatè & immediatè, specialiter & communiter per differentiam perfectionis ipsius T. rubei, quòd objectio specialiter & immediatè continet veritatem, cùm quælibet scientia habeat specialia principia & media sibi propria ad suum specialem finem, sed in hoc, quòd quælibet scientia particularis habet suum T. rubeum speciale & proprium per alia superiora principia confirmatum, quæ in considerationem illius scientiæ non cadunt, non habet itaque perfectum T. rubeum, quia sic sequeretur, quòd omnes scientiæ essent una scientia, quod falsum est, & sic illi T. rubeo immediatè & specialiter perfecto potest addi aliud T. rubeum mediatum & commune ita universatum, quòd ille specialis finis videlicet illa specialis conclusio, quæ immediatè habetur per specialia principia illius scientiæ, potest adduci vel in E. vel in I.; quòd si non, impossibile esset, ab universali fieri descensum ad particulare illius universalîs, quod falsum est, prout in textu hujus voluminis manifestè patet.

4. Attingentia F. G. triangulum seu T. cro-
a. ceum hujus artis inveniunt, ipsum per cætera T. majorificatum adeò artificialiter, quòd de vi & de natura suî omnia T. crocea, cujuscunque sint scientiæ, comprehendit; „& si „non esset possibile, dare tale T. croceum, „sequeretur, naturam adeò esse minorifica„tam, quòd nullum esset universale specifi„cum naturale particularium specificorum „regens ipsa particularia, quod est impossi„bile: quòd autem istud T. croceum adeò universale seu generale sit de speculatione hujus scientiæ seu artis, patet, quia per tot & tanta principia universalia & prima cæteris particularibus principiis est universatum, & è converso ipsa principia, quòd sortitur tot & tantas conditiones respectu suæ universalitatis & naturæ, quòd infallibiliter ambit substantialiter & accidentaliter omne T. croceum ratione æqualitatis & proportionis, quàm habet cum cæteris principiis summè universalibus, de quibus sumit suas conditiones summè universales, & de quo

ipsa principia tam universalia quàm particularia & è converso similiter acquirunt suas conditiones, secundùm quòd patet in textu hujus voluminis, ergò hæc scientia est cæteris scientiis universalis seu generalis.

b. Contrà: Quantò objectum est magis particulatum, tantò faciliùs à potentia sumitur, eò quòd quantò magis est particulatum, tantò magis est scibile, quod satis per se patet, quoniam, quantò particulare magis est involutum in suo universali, tantò magis est confusum in eodem, & quantò magis confusum, tantò minùs elucescit ipsis F. G.; si ergò hæc scientia est aliis scientiis generalis, non potest esse eis generalis, nisi omne scibile cujuscunque scientiæ sit per ipsam comprehensibile, sed hoc est impossibile, vel confuso modo comprehendit, quod non est per intellectum comprehendere, quoniam aut non est cæteris generalis, aut habet principia generaliora seu universaliora principiis earum, & si generaliora, magis confusa sunt in ea particularia, & si magis confusa, magis distant ab F.G. quàm in particularibus scientiis, ergò hæc scientia non videtur cæteris scientiis generalis, cùm ratione suorum universalium principiorum videatur magis propinqua ignorantiæ.

c. Dicendum est per differentiam scibilis immediatè & mediatè secundùm T. croceum, quòd omne particulare, de quo loquimur in præsenti arte, aut immediatè attingitur videlicet per se, aut mediatè scilicet per aliud; & si immediatè, isto modo procedet objectio, quod patet in principiis simplicibus per se notis, nam dum potentia attingit differentiam vel concordantiam vel aliquod aliorum principiorum simplicium per se ipsum, citiùs apprehendit eam, quàm si attingeret differentiam vel aliquod aliorum relatam ad triangulum lividum, viridem, rubeum &c., quia F. G. se ferentia super plura objecta per se nota minora sunt in quolibet, quàm si ferantur in unum tantùm; hunc autem finem videlicet objecta seu particularia per se nota non inquirit hæc ars, sed objecta seu particularia per aliud notificabilia videlicet per sua universalia secundùm triplicem modum investigandi, scilicet *propter quid* & *quia* & *per æquiparantiam*, nam aliquo istorum modorum aggregant F. G. universale, per cujus destructionem concluditur negando necessariò illud particulare, ad cujus positionem sequitur prædicta destructio illius universalis seu conditionum ejus, vel per cujus etiam destructionem concluditur affirmando illud particulare, ad cujus non esse sequitur prædicta destructio universalis, ût *trigesimá secundá regulá* suprà dictum est; & isto modo quodlibet particulare per hanc scientiam est apprehensibile in qualibet scientia, & etiam vehementiùs in se concludit quàm quælibet scientia; nam ex eo, quòd per mixtionem universalium principiorum tendunt F. G. discursivè de universali ad universale, & quantò vehementiùs miscentur, tantò gradatim ascendunt de minùs universali ad majus, inveniunt F. G. plura media concludendi quæsitum; & secundùm istum modum non valet objectio.

5. Manifestum est, quòd T. nigrum ratio-
a. ne entis non entis, possibilis impossibilis admixtum cæteris triangulis & terminis figurarum hujus artis secundùm textum hujus voluminis & conditiones hujus artis continet in se quemlibet triangulum, cujuscunque alterius scientiæ sit, & ad ipsum est reducibile tanquam particulare ad suum universale essentiale, & ideo T. nigrum particulare, cujuscunque scientiæ sit; sed si destruat prædictum T. nigrum universale, est falsum & impossibile; si autem T. nigrum universale destruatur in destructione T. nigri particularis, hoc non est per conditiones T. nigri particularis sed potiùs per conditiones T. nigri universalis, quare oportet T. nigrum particulare affirmari necessariò propter conditiones T. nigri universalis conservandas, sed nullum T. magis universale reperitur in aliqua alia scientia, quàm sit T. nigrum hujus scientiæ deductum per cætera T. & per alios terminos universales figurarum hujus artis, prout exemplificatur in textu hujus voluminis, quicunque ergò in particularibus scientiis concludit habens in K. L. universale T. nigrum hujus artis, potest adhuc dubitare, utrùm verè concludat, quia, ex quo ignorat conditiones superioris, per quas stant conditiones inferioris, & non è converso, necesse est, eum dubitare, utrùm per viam rationis concludat secundùm majus Y. vel Z., nisi fortè procedat per principia per se nota, quibus attinctis non habent F. G. locum ulteriùs discurrendi, cùm non inveniant N.R., hoc autem non est è converso, quia, quæcunque concluduntur per conditiones particularis, non stant per conditiones universalis sed vice versâ; quare manifestè patet, hanc

hanc scientiam esse necessariò cæteris scientiis generalem.

b. Contrà: Illa scientia, per quam majus R. importatur, non videtur esse generalis cuilibet alteri scientiæ, sed per istam scientiam importatur majus R. ratione majoris trianguli nigri, quia secundùm hanc scientiam F. G. tendentia de universali ad universale, & multiplicantia F. G. confusionem ortam ex affirmatione & negatione diversorum concordantium & contrariorum principiorum incidunt in R.; hæc igitur scientia non videtur cæteris scientiis generalis.

c. Dicendum est per T. viride, rubeum & croceum in T. nigro, quòd majoritas differentiæ contrarietatis inter affirmationem & negationem constituit affirmationem dubitationis in majoritate, videlicet esse ipsius R. in majoritate, & isto modo F. G. confluunt in majus R., ut iterum majus R. sub ratione majoris materiæ moveat N., ut ipsum majus N. iterum moveat ipsa F. G. majora ad magis necessariam affirmationem secundùm E. vel negationem secundùm I., ac etiam ad majorem multiplicationem conclusionum ejusdem Y. affirmativè & negativè; unde, si hæc scientia finaliter & per primam intentionem importaret majoritatem dubitationis, valeret utique objectio, sed quoniam importat eam, ut per discursum F. G. majoritas contrarietatis inter affirmationem & negationem, quæ scilicet majoritas est ipsa majoritas dubitationis, convertatur in majoritatem concordantiæ affirmationis & negationis, quæ est manifesta probatio vel demonstratio in E.I., non valet objectio.

De secundo Modo solvendi.

1. EX consequentibus cameris denotatur ipsis F. G. summa omnium rerum investigabilium, ita quòd per secundam cameram, quæ est A.A. &c., significatur, F. G. esse investigativa ex parte summi principii & ultimi finis vel ex parte agentis scientifici, quod est S., secundùm omnes suos modos operandi secundùm se vel secundùm suum instrumentum, quod est subjectum omnium scibilium, vel ex parte morum & felicitatis seu infelicitatis hujus sæculi, aut secundùm quòd oppositum per oppositum attingit usque ad puncta transcendentia, aut secundùm quòd per omnes suos modos attingendi attingit verum & falsum: & iterum, dum recipiunt A. in S. secundùm conditiones hujus & illius, & sic de A.V. A.X. &c., inveniunt se in tanta universalitate esse investigativa, quòd omnia ab his seu sub fine istorum diriguntur, hoc autem manifestè notum est scientibus istam artem. Per tertiam verò cameram scilicet B. B. &c. attingunt F. G. se esse investigativa per totum superiorem circulum duplicatum figuræ demonstrativæ in A., vel in S., vel in T., vel in V., vel in X., vel etiam in Theologia vel in Philosophia vel in Jure, & sic de unaquaque alia scientia, cujus propria principia simili modo in B. B. &c. sunt redacta; vel etiam secundùm quòd duo superiores circuli sequuntur significationem duarum figurarum, ût secundùm A. S., B. C., B. bonitatem in uno circulo & memoriam in alio, & C. magnitudinem secundùm A. & intellectum intelligentem secundùm S. &c., & sic de aliis figuris tam scriptis quàm etiam scribendis. Similiter per quartam cameram denotatur, F. G. discursiva esse ad quæcunque de elementis quærantur, quare manifestum est per hanc tertiam cameram, quòd hæc ars complectitur omne scibile scilicet in generali per secundam cameram sed in speciali per tertiam & quartam, ac etiam in generali & in speciali miscendo universales seu generales terminos hujus artis particularibus & propriis terminis cujuslibet alterius scientiæ, unde hanc scientiam esse universalem seu generalem omnibus aliis scientiis, manifestum est necessariò his, qui agnoscunt facultatem discurrendi per terminos hujus scientiæ.

2. Contrà: De generalibus principiis educuntur generales conclusiones, non autem de generalibus speciales non subalternatæ, atque de specialibus principiis speciales, non autem generales, nec de specialibus isti scientiæ speciales illi scientiæ; cùm igitur hæc scientia partim de generalibus principiis, ût in T. X., partim de specialibus aliquarum scientiarum sit constituta, ût in A. de bonitate &c., quæ specialia sunt Theologiæ, & in S. de memoria, intellectu &c., quæ specialia sunt scientiæ de anima, & in V. de fide, gula &c., quæ specialia sunt scientiæ morali, & sic de aliis, videtur, quòd de suis generalibus principiis in T. X. non sit eductiva generalium

conclusionum in A., cùm nihil sit in A. generale sed potiùs proprium, nec de specialibus principiis A. S. &c. generales conclusiones in T. X., quia ad omnes conditiones inferioris non stant conditiones superioris, sed è converso, nec de specialibus in A. speciales in S. V., Philosophia, Jure, Elementis, nec in Grammatica, Logica &c., nec è converso, & sic de aliis; quare videtur manifestè, hanc scientiam non esse cæteris specialibus scientiis generalem, cùm nec de suis principiis generalibus ex toto generaliter, nec de suis specialibus ex toto specialiter nec etiam generaliter concludat in eisdem.

3. Ad hoc dicendum est per T. X., & primò ad hoc, quod objicitur de A., quòd generale, quantum ad hoc, potest duobus modis considerari, scilicet quantum ad rationem ipsius E. concludentis in A., & sic A. est ipsi E. generale, id est, ultimum & generalissimum principium, medium & finis; & in hoc non valet, quod objicitur de A.: si autem consideretur secundùm rem, id est secundùm ipsum A, protenditur generale in tantum, quòd non est generale, sicut quantitas ejus in tantum, quòd non est quantitas, sed potiùs immensitas; & isto modo concedendum est, nihil esse generale in A., sicut nihil quantum. Et ad aliud, quod objiciebatur de generali & speciali, dicendum est, quòd generalia & specialia possunt duobus modis considerari, primò per se simpliciter, & prout sunt in potentia, & isto modo videtur valere objectio, secundo verò modo, secundùm quòd aliud generale habet necessariam attributionem ad aliud generale, & è converso, sicut bonitas ad magnitudinem, quia positâ bonitate necessariò ponitur magnitudo & è converso, & sicut posito toto livido T. elementorum in elementato necessariò ponuntur cæteri trianguli T. & alii termini generales hujus artis; eodem modo sequitur de speciali, sicut posito aliquo V. livido vel rubeo ponitur necessariò S., & similiter de generali & speciali, prout generale habet necessariam attributionem, sicut T. deductum per universalia vel generalia principia hujus artis, ipso T. deducto per principia specialia alicujus scientiæ & è converso secundùm possibilitatem vel necessitatem T. specialis ad T. universalis, & secundùm istum secundum modum non procedit objectio.

De Quæstionibus Secundæ Figuræ Demonstrativæ.

Quæstio: *Quomodo est hæc ars inventiva?* Solutio: A.S., A.T., S.T., V.X.

Quæstio: *Utrùm Christiani plùs possint recolere intelligere & diligere Deum, quàm Judæi & Saraceni & cæteri infideles?* Solutio: A.A., S.T., V.X., Y.Z.

De primo Modo solvendi.

Licèt omnes figuræ hujus artis sint & de esse & de bene esse ipsius artis, *veruntamen A. S. T. sunt ipsæ figuræ hujus artis, in quibus consistit principaliter totum pondus & necessitas hujus artis*, nam deficiente aliquâ istarum ars nihil est: habet enim necessarium A. tanquam principalem regulam primam causam & finem omnium investiga-„bilium; „impossibile quidem esset S. per T. „sinè A. pervenire ad metam veritatis rei „investigabilis, quia, cùm omnis creatura „sit similitudo ipsius A., sicut per bonitatem „ipsius A. monstratur omnis bonitas, ita „per veritatem ipsius A. monstratur omnis „veritas, & sic de aliis hujusmodi. Habet etiam necessarium S. ita ordinatum, ût patet in ipsa arte, tanquam agens, sinè quo humana scientia nihil est: ac etiam habet necessarium T. tanquam instrumentum sic ad investigativum modum agendi artificiatum, quòd impossibile est sinè ipso T. investigare vel perpendere veritatem alicujus rei. In his igitur tribus figuris pendet tota necessitas investigandi hujus artis: per X. tamen maximè investigatio hujus artis recipit fulcimentum, & per V. circa moralia dependentia ex parte finîs ac etiam per cæteras figuras & per omnes similiter patet modus inveniendi, quemadmodum in processu hujus voluminis per conditiones & regulas & per exempli gratiam quæstionum hujus voluminis declaratum est: & licèt universaliter per totam seriem hujus voluminis satìs sufficienter inveniendi modus emineat, attamen hîc specialiter intendimus per T. T. prosequi de eodem & ad exempli gratiam inferere aliquas quæstiones.

1. Igitur circa T. lividum sit hæc quæstio: *Utrùm divina voluntas tantùm velit magnitudinem in divina potestate, quantùm in ejus sapientia?* Recolit F. modum inquirendi conditiones & modum regularum & quæstionum hujus voluminis facientium ad propositum, & ista communicat ipsi G., ut discernat modum eliciendi solutionem; & sic patet ipsi E. multis rationibus necessariis affirmativa conclusio hujus quæstionis. Et iterum F. G. T. T. attingunt super propositam quæstionem, addendo super T. lividum cætera T., miscendo adinvicem negationem majoritatis & minoritatis, quia negatio differentiæ est inter ipsam potestatem & sapientiam ratione affirmationis unitatis, essentiæ & unius finîs; quare necessariò solutio hujus quæstionis ratione existendi procedit affirmativè: ratione verò agendi recurrunt F. G. ad operationem naturalem intrinsecam existentem in A., & eam per affirmationem æqualitatis finîs & concordantiæ & per negationem majoris privationis & contrarietatis adducunt ratione immensæ & perfectæ & justæ bonitatis, magnitudinis &c. unitatis & essentiæ & actuum dignitatum ad ipsam unitatem, essentiam & dignitates, & concludunt ad quæstionem necessariò affirmativè: cùm etiam impossibile sit, creaturam intellectualem videlicet S. per suam operationem naturalem & intellectualem attingere majorem finem & unitatem, essentiam & dignitates & actus earum in Deo, quàm sint in ipso; & cùm etiam sit impossibile, creaturam sensualem esse majorem secundùm se in sua unitate essentiâ &c., quàm ipsum A. secundùm se in sua unitate essentiâ &c. in hoc, quòd instinctus naturalis ipsius creaturæ est tantus, quantùm potest potestas naturalis ipsius creaturæ, atque posse potestatis tantum, quantùm instinguit industria naturalis, & sic sequeretur, quòd esset aliquid bonum & magnum &c. in creatura, quod non esset simile ipsi A., quod est impossibile; & sic isto modo cum prædictis modis patet manifesta solutio quæstionis, affirmativam esse veram.

2. Ad exemplificandum modum inveniendi per T. viride recipiens cætera T. in se ipso, proponatur hæc quæstio: *Utrùm intellectus sit unus numero?* Dum F. G. recurrunt ad conditiones & regulas & exempla hujus artis, attingit I. manifestis rationibus negativè solutionem hujus quæstionis: sed deducendo adhuc specialiter in T. viride cætera T. attingunt, si hujus quæstionis conclusio affirmativa procedat, esse majorem affirmationem differentiæ contrarietatis inter Deum & creaturam intellectualem quàm differentiæ concordantiæ, eò quòd, si est unus intellectus numero, negatur operatio justitiæ, misericordiæ, dominii per totam majoritatem T. rubei existentis in toto T. viridi existente inter Deum & creaturam intellectualem, quæ est ipse intellectus, de quo quæritur, in hoc, quòd justus & injustus consequerentur æquale præmium, & quòd justus plus mereretur, quàm eidem retribueretur, & sic principia & media contraria haberent eundem finem, principia verò & media concordantia consequerentur finem differentiæ contrarietatis, & quantò majus principium & majus medium, tantò minorem finem haberent, & quantò minus principium & medium, tantò majorem finem, & quantò major concordantia, tantò in majorem contrarietatem devenirent & è converso, quod est contra naturam, ac etiam majus T. viride uniuscujusque intellectûs creati videlicet Sortis, Petri & Martini esset accidentale, & minus T. viride ipsius substantiale, quod est impossibile; & per consequens sequeretur secundùm T. croceum positum in T. rubeo & deductum in T. viridi Dei & creaturæ, quòd, cùm ipse intellectus sit similitudo Dei, id, in quo Deus & intellectus, de quo quæritur, plùs differunt & plùs concordant, esset minus & circa non ens & per secundam intentionem, & hoc, in quo minùs differunt, & magìs contrariantur, esset majus & circa ens & per primam intentionem, & sic deducendo sequeretur, quòd id, quod est summum conveniens, esset summè inconveniens & è converso, & sic procedendo de inferioribus ad superiora negaretur, Deum esse, quod est summè falsum & cum cæteris falsis: quare isto modo discurrendi ipsorum F. G. inveniunt ipsa F. G. ipsi I. necessariò negativè solutionem prædictæ quæstionis.

3. Ut exemplificemus modum inveniendi hujus artis in T. rubeo per cætera T., proponatur hæc quæstio: *Utrùm formæ specificæ, quæ sunt in prima materia, sint de essentia ipsius primæ materiæ aut de alio?* In principio igitur recurrit F. ad modum operandi ipsius S. ratione ipsorum E. I. N. R., & G. ita ordinat ea, & disponit, ut nullum impedimentum in discursu ex eis sentiat sed potiùs adjuvamen; deinde assumit F. T. T., & F. recolente G. miscet terminos ipsius T. ad invicem super T. rubeum, deinde F. G. ordinant sibi A. sub ratione summæ causæ & summi finîs, quibus sic ordinatis habent per A. S. T. ad propositam quæstionem me-

dium

dium artificiatum ad attingendum finem artificialiter, videlicet ad inveniendum artificialiter sua necessaria objecta ipsis E. I. deducibilia de potentia ipsius R. per N. suppositivè & per F. G. discursivè in T. T. ad actum conclusivè per E. I., ita quòd ultima causa & ultimus finis suas conditiones habeat illæsas; & ideo movente R. ipsam quæstionem supponit N. formas, de quibus quæritur, esse de essentia materiæ; & statim F. G. discurrunt ponentia T. lividum & viride & croceum & nigrum in T. rubeum, & attingunt, essentiam materiæ primæ esse constitutam de bonitate magnitudine &c. penitùs passivis, ita quòd est purè patiens & potentia subjecta omnibus formis specificis actu existentibus, & eadem subjicibilis omnibus formis specificis futuris in actu; & per consequens attingunt formam, quæcunque sit illa, esse constitutam de bonitate, magnitudine &c. activis; & ideo per affirmationem majoris T. viridis inter principium formale, quod est ipsa forma, & principium materiale, quod est ipsa materia, attingunt sub ratione unius primi radicalis principii formæ & materiæ, unam esse bonitatem, magnitudinem &c. activam sub ratione formæ de se ipsa sub ratione materiæ, per quod est impossibile, materiam esse actu sinè forma & è converso; & hoc modo concedit C. necessariò formas specificas, de quibus quæritur, esse de essentia materiæ, videlicet de essentia, de qua est materia, non de essentia, quæ est materia, cùm materia sit res extra passionem nihil existens, & forma similiter res extra actionem nihil existens: unde necessariò sequitur, formam specificam particularem esse de essentia, quæ est forma universalis, sicut hæc materia hujus plantæ est de essentia, quæ est materia universalis, quæ est prima; quòd si non, sequeretur necessariò, quòd forma specifica hujus plantæ aut esset de nihilo, quod est impossibile, aut esset de essentia, quæ nihil est extra passionem, quod est impossibile, aut esset de essentia existente penitus extra passionem & actionem, quam non est dare; quare necessariò relinquitur, eam esse de essentia, quæ extra actionem nihil est, & hæc est forma universalis se activè communicans omnibus formis specificis individuis activè recipientibus illam, sicut & materia universalis se passivè communicat omnibus materiis specificis individuis passivè recipientibus illam: quare in hoc recolit B. ipsis C. D., quòd N. supponens formas, de quibus quæritur, esse de essentia materiæ, verum supposuit, in quantum sunt de essentia, de qua est ipsa materia, ad cujus cognitionem venit C. per necessariam affirmationem majoris differentiæ concordantiæ & æqualitatis medii conjunctionis duorum principiorum essentialium, quæ sunt forma & materia, ad finem, quem intendunt, & per impossibilem negationem illius medii: sed in quantum est impossibile, eas esse de essentia, quæ est materia, quæ quidem essentia nihil est extra passionem, recolit F. ipsis G. H., N. falsum supposuisse, ad cujus cognitionem venit G. per impossibilem negationem entitatis formæ & materiæ & per impossibilem negationem T. viridis, rubei & crocei inter formam & materiam, & in hoc satis convenienter patet modus inveniendi hujus artis per T. rubeum in cæteris T. solvendo hanc quæstionem.

4. Ad habendum modum inveniendi per T. croceum in cæteris T. sibi annexis proponatur hæc quæstio: *Utrùm A. plùs diligat creaturas in magnitudine quàm in parvitate?* Ad quam respondent F. G. per conditiones T. crocei deductas in conditionibus cæterorum T. isto modo. Conditiones T. crocei inter Deum & creaturam sunt, Deum esse tantæ majoritatis erga creaturam, quòd diligat se ipsum Creatorem in tanta magnitudine, quantâ potest, & per consequens suam creaturam, & hoc in tantum, quòd creatura intellectiva non possit in hoc eo frui in majori magnitudine, quàm ipse sit fruibilis; nec universa creatura magis eum repræsentare, quàm sit repræsentabilis, quia sic esset differentia concordantiæ, quæ est inter Deum & creaturam, major ex parte creaturæ, quàm ex parte Dei, quod est impossibile, & differentia contrarietatis major ex parte Dei, quàm ex parte creaturæ, quod est impossibile, & majus esset principium materiale quàm principium formale, & majori mensuratione & conjunctione materia esset habilis ad finem, quàm forma & efficiens, & major esset finis in materia, quàm in forma & efficiente, & secunda intentio major quàm prima, & minor substantia, entitas & possibilitas esset major quàm major, quæ omnia sunt manifestè impossibilia; quare necessariò oportet Deum esse plùs fruibilem & repræsentabilem quàm creaturam fruitivam & repræsentativam in opere

opere Dei extrinseco, & in hoc necessariò concluditur, Deum plùs diligere se ipsum creatorem in magnitudine quàm in parvitate, & per consequens plùs creaturam in magnitudine quàm in parvitate, & hoc in tanta magnitudine, quòd creatura non potest eo frui nec eum repræsentare in majori, ût suprà *primâ regulâ* dictum est. Dum igitur F. G. sic elevant I. ad suprà dicta impossibilia, elevatur E. ad eorum opposita, & per consequens ad Deum esse incarnatum, ut I. non discedat à majoritate prædictorum impossibilium, nec E. ab eorum oppositis; & in hoc patet modus inveniendi hujus artis per T. croceum mixtum cum cæteris T.

5. Ad dandum similiter modum inveniendi per T. nigrum in cætera T. deductum proponatur hæc quæstio: *Utrùm Catholicus teneatur ire ad prædicandum infidelibus, posito, quòd sciat, quòd neminem eorum unquam convertet?* Ad quod dicendum est, quòd cùm ipse Deus sit ens entium ratione suæ immensæ & æternæ bonitatis &c. & ratione suæ immensæ & æternæ operationis intrinsecæ, ad cujus similitudinem cætera entia facta sunt & cæteræ operationes, & per quem & ad quem sunt ipsa omnia, & sinè quo nihil, idcirco propter majoritatem concordantiæ & finis & minoritatem contrarietatis & privationis omne creatum habet plùs suum esse in summo ente quàm in se ipso, ipsum enim est ipsum esse, cujus similitudinem in quantum cætera entia retinent, in tantum habent esse, & cujus dissimilitudinem in quantum cætera entia accipiunt, in tantum habent privationem, minoritatem & contrarietatem; cùm igitur homo inter cætera entia sensualia sit Deo simillimus, plùs habet esse, & plùs appetit esse naturaliter & majus esse, quàm aliquod aliud ens sensuale, unde si per rectum & verum medium tendat ejus appetitus ad actum, multiplicat & auget utique suum esse; si verò per deviatum & falsum medium incedat sic appetendo esse, appetit sui ipsius privationem: idcirco est istud medium ad augmentum essendi hominis, quòd homo plùs recolat, plùs intelligat & plùs diligat suum summum ens & ejus operationem intrinsecam & extrinsecam semper & ubique, cùm sit immensum & æternum, quàm semet ipsum, nam aliter non diligit suum esse sed potiùs suum non esse, quoniam, si plùs diligit suum esse quàm esse divinum, deviat à medio, & appetit infinitum propter suum esse, quod infinitum non potest attingere, nec per consequens saturari. Unde cùm ita sit, quòd ipsum summum ens, quod est Deus, sit semper & ubique affirmabile in tota illa magnitudine bonitatis, immensitatis & æternitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, perfectionis, justitiæ &c. & secundùm omnes conditiones, quas homo de ipso in E. potest attingere, & hoc sit naturale esse & vivere hominis, cùm non habeat ex se ipso nec in se ipso suum esse nec vivere, sed à summo esse, & in summo esse, & per summum esse divinum, manifestum est, quòd de jure naturali tenetur Catholicus magnificare & glorificare Deum plùs, quantò plùs potest, & ubi plùs potest; aliter sequeretur, quòd non haberet E. plùs ad A. quàm ad se ipsum, quantò plùs posset, & ubi plùs posset, quod est contra Jus naturale, quare manifestè concluditur, quòd Catholicus tenetur, si tamen potest, & sit aptus ad hoc, ire ad infideles ad prædicandum eis veritatem summi entis: & quantò plùs vituperant ipsum summum ens, tantò plùs manifestare ipsum, & non timere tradere suum esse pro summo esse, cùm plùs habeat E. ad esse divinum quàm ad suum esse, cùm esse divinum sit magis suum ratione finis quàm suum proprium esse, & sic per hoc inventivè solvitur hæc prædicta quæstio.

De secundo Modo solvendi.

RECurrunt F. G. ad figuram demonstrativam, ut per eam exemplificent modum inveniendi hujus artis, & ad hoc per R. formant istam quæstionem: *Quomodo consistit contradictio inter rationem & realitatem?* Et ad hoc N. movet F. G., quæ ad hoc accipiunt A. T., ad quæ dirigunt C. sub B., & D. sub C. & sic de aliis; quo facto arguit R. prò & contrà formans contradictionem isto modo: A. B. ratione C. influit in T. C. tantum bonum, quantum potest, ut in D. extrinseco ipsius A. non sint X. L. M., & non influit tantum bonum, quantum potest, quia sic influeret A. extra se tantum, quantum ipsum est, quod est impossibile, hanc autem contradictionem affirmant K. L.; sed N. per V. B. C. D. E. &c., quæ S. habet erga A., supponit oppositum, & inde moventur F. G. se ferentia per A. S. T. V. X., & accipiunt B. C., C. D. &c., & inveniunt, secundùm quòd A. T. E. F. repræsentant F. G., quòd cùm oporteat in A. esse T. E. F., non autem T. F. cum G., quòd A. B. tantùm potest, quantùm scit F. & quantùm vult G. & è

converso, ita quòd A. F. scit, & G. vult, A. B. non extendi ultra A. F. nec è converso, nec per consequens A. F. G. se restringunt contra suum scire & velle magnam influentiam à se ipsis, & hoc etiam confirmatur, cùm in A. sit omnimodè X. C. D. sinè X. L. M., non autem in S., quare manifestum est, hanc contradictionem ex parte X. H. nihil esse extra X. I. rationativum, sed solùm ex parte X. Q. in ipso I. rationativo, ex hoc, quòd S. K. L. indirectè vel diminutè attingunt id, quod est in A., idcirco de A. indirectè vel diminutè concludunt, unde sequitur prædicta contradictio, quæ in veritate X. H., sicut & chimera, nihil est, & isto modo pervenit I. ad veram falsitatem prædictæ contradictionis, unde in S. exaltantur V. B. C. D. E. &c. ipsius V. lividi, & minuuntur istorum oppositа, & secundùm ista satìs patet modus inveniendi contradictionem inter rationem & realitatem, licèt de isto modo amplior materia in quæstione de X. superiùs data sit.

De Quæstionibus Figuræ Alphabetalis.

QUæstio: *Utrùm hæc scientia addat aliquid super alias scientias?* Solutio: B. C., A. S., A. T., S. T.

Quæstio: *Utrùm habitus hujus scientiæ plùs consistat in intellectu quàm in memoria?* Solutio: B. B., C. C., B. C., S. T.

De primo Modo solvendi.

GEneraliter F. G. attingentia figuras hujus artis secundùm modum agendi videlicet discurrendi ipsius artis & maximè illas, in quibus principaliter consistit discursus ipsorum F. G., inveniunt istam artem seu scientiam esse addentem plura, quæ in unaquaque scientia per se considerata non sint, videlicet mutuam habitudinem & combinationem terminorum principalium in qualibet, quod patet per B. C., B. D., &c. C. D., C. E. &c., addendo in illa combinatione alios universales terminos, qui non sunt simpliciter de speculatione illius scientiæ: ac etiam inveniunt ipsam addentem plura, quæ in aliis scientiis collectis insimul possunt minimè reperiri, *videlicet modum artificiatum operandi sub E. I. N. R., & modum artificiatum universandi & particulandi* sub mixtione terminorum T., & attingendi puncta transcendentia, hoc autem, ût compendiosiùs possumus, per T. exemplificare volumus isto modo.

1. F. recolit, & G. intelligit, quòd B. C. &
a. cæteræ literæ alphabeti supponuntur esse tanquam termini æquivoci, ut sub uno suo nomine quælibet litera sub diversis figuris diversa repræsentet; hac igitur ratione applicando triangulum lividum ad propositum, B. ratione A. significat bonitatem, & ratione T. unitatem, essentiam & dignitates, & C. primi B. magnitudinem, & C. secundi B. creaturam; deinde intrant F. G. in B. D., C. D., C. E. secundùm prædicta B. C. considerando ipsa B. D., C. D. &c. respectu unitatis essentiæ & dignitatum Dei & creaturæ, & respectu operationis Dei & creaturæ, & sic miscendo ad invicem cameras alias in aliis inveniunt ipsa F. G., hanc artem esse addentem super alias scientias hanc mixtionem & investigationem, & per consequens habitum scientiæ, cùm nulla alia scientia tantùm possit multiplicare habitum sciendi sub ratione trianguli lividi, quantùm ista, quod est, quia non habet modum sic artificiosè per universalia traditum miscendo terminos ad constitutionem universalis probantis particulare, quod quæritur, sicut ista, quæ ratione sui alphabeti communis ad alias scientias secundùm sua universalia & de particularibus earum concludit in eisdem.

b. Contrà: Sicut se habet hæc scientia ad alias communes scientias, ita videtur se habere ad Theologiam, cùm sit scientia communis, sed si ita se habet hæc scientia ad alias communes scientias, quòd addit super eas, igitur se habet ita ad Theologiam, quòd addit super eam, quod videtur esse falsum, nam ei scientiæ, cujus subjectum est infinitum, impossibilis est additio, Theologia verò est hujusmodi, cùm Deum habeat pro objecto, igitur hæc scientia non addit super Theologiam, nec per consequens super alias, quod probatur sic: nulla scientia videtur generalior nec magìs additiva super alias scientias communes quàm illa, cujus subjectum est infinitum, Theologia est hujusmodi, nec est additiva super alias scientias communes, non enim inferuntur conclusiones principiorum Theologiæ in Medicina, nec in Logica, & sic de aliis, igitur nec ista scientia est additiva super eas, quia sequeretur, quòd haberet suum subjectum in plus infinitum quàm Theologia, quod est impossibile, quia super infinitum non est plus.

c. Dicendum est per differentiam concordantiæ in T. croceo hujus scientiæ & Theologiæ, quòd, quidquid habet Theologia pro subjecto, idem habet hæc scientia pro subjecto, & etiam plus, quia ad plura alia entia investiganda se extendit quàm ad Deum, qui est subjectum Theologiæ, & hoc per ipsa eadem communia principia, per quæ investigat de Deo sub Theologia, sicut per discursum hujus voluminis patet manifestè, manifestum est igitur, quòd hæc communia principia addit super Theologiam, ex quo de eis concludit sub Theologia, sicut sub aliis communibus scientiis.

Præterea addit artificiatum modum operandi ipsius S., videlicet ipsorum E. I. N. R. &c., quæ prædicta sunt: nec valet objectio, quia falsum est, Theologiam habere subjectum infinitum, quamvis habeat Deum pro subjecto, quia non habet Deum pro subjecto sub ratione, quâ Deus est in se infinitus, sed sub ratione, quâ Deus est ab anima finitè apprehensibilis, quare non valet iterum, quidquid iterum objicitur per confirmationem primæ objectionis.

2. Deducto T. viridi per omnes combi-
a. nationes literarum alphabeti suppositi pro principiis A. S. T. V. X. &c. videlicet per B. B., B. C. &c. C. C., C. D. &c., & sic de aliis, attingunt F. G. discursiva ratione habitudinis principii ad principium istum habitum universalem & summum, videlicet diversa principia esse concordantia & contraria quædam eorum immediatè, alia verò per alia illorum & hoc per totum T. diversum concordans & contrarians, nam isto modo secundùm rationem hujus scientiæ est mixtum per totum ipsum T. diversum cum diverso, diversum cum concordante, diversum cum contrario, concordans cum concordante, concordans cum contrario & contrarians cum contrario, in tanto, quòd habitus ex istis resultans in tanta altitudine consistit, quòd per nullam aliam scientiam minùs istâ generalem potest habitus in tanta altitudine perscrutari, nisi in tantum sit multorum principiorum diversarum rerum universativa, quantùm ista, quod non potest esse ab aliqua alia scientia, nisi sit idem cum ista.

b. Contrà: Si hæc scientia est additiva super alias scientias, aut erit additiva entis vel nihili, sed impossibile est, ens addi super ens, cùm super ens nihil sit, quia sic sequeretur, quòd ens esset non ens, quod est contradictio, ergò hæc scientia nihil addit super alias scientias.

c. Dicendum est per T. viride in T. croceo, quòd T. viride & croceum cadunt inter ens & ens, non sub ratione entis, in quantum ens, & ita valet objectio, sed in quantum tale & tantum; & ideo ens adveniens enti non sub ratione, quâ est ens, sed quâ est tantum & tale, ut faciat illud, cui additur, non magis ens nec minùs sed alterum & majus, & hoc modo est possibilis additio enti, & isto modo addit hæc scientia sub ratione majoris non autem sub ratione entis, quare non valet objectio.

3. Manifestum est, quòd addendo princi-
a. pium principio & principium principiis seu principia principiis, & media mediis, & fines finibus in nulla alia scientia possunt inveniri tot media ad unum finem intentum videlicet ad unam conclusionem, sicut patet in cameris B. B., B. C. &c., nam assumpto B. & C. &c. universaliter per omnes figuras & posito T. rubeo mixto cum aliis T. in ipsis B. C. &c. tunc per discursum repræsentantur sive resultant plura principia adeò universalia, sicut B. C. &c., quia sic principium dat principium & medium medium & finis finem, unde formabilia sunt in maxima copia argumenta & rationes ad unam conclusionem vel ad plures, quare manifestum est, cùm hæc scientia sit aliis scientiis generalis, ût suprà probatum est, quòd addit super alias scientias majorem copiam argumentorum & rationum provenientem ex habitu maximæ mixtionis T. cum B. C. &c. universaliter sumptis, quare oportet ipsum habitum, unde provenit hæc mixtio tam universalis, esse aliquid, ad quod nulla alia scientia attingit, ergò &c.

b. Contrà: Syllogismus est medium ad probabilitates & demonstrationes, cui attincto ex parte hujus, quod infertur ab eo, acquiescunt E. I., & omni probabilitati & demonstrationi sufficit syllogismus, nec super syllogismum potest fieri additio, syllogismus enim ex tribus propositionibus constat, duabus præmissis concludentibus tertiam, si quid ergò addatur ulteriùs, non additur syllogismo: cùm igitur syllogismus sit subjectum Logicæ, & super syllogismum impossibilis sit additio, igitur & super subjectum Logicæ impossibile est addi, & per consequens super ipsam Logicam, quoniam, si subjecto illius esset possibilis additio, esset utique ipsa Logica defectiva ratione defectivi subjecti, eodem modo sequitur de aliis scientiis, quare

videtur impossibile, hanc scientiam esse aliis additivam.

c. Dicendum est per T. viride, positum inter principium quantitatis & temporis, & principium formale & materiale & finale secundùm potentiam & objectum, quòd ex parte principii formalis, quantum est de ratione potentiæ & objecti, & ex parte principii materialis ex parte objecti, non autem ex parte potentiæ, syllogismus sufficiat omni probabilitati & demonstrationi, & quantum ad hoc, acquiescunt illi E.I. tanquam medio ad probabilitates & demonstrationes; & in hoc valet objectio, & quantum ad hoc est impossibilis additio ipsi Logicæ: sed sumendo ipsum syllogismum ex parte principii quantitatis discretæ multorum syllogismorum & brevitate temporis multitudinis eorum, & ex parte principii quantitatis continuæ materiæ eorum, in quantum syllogismus habet respectum ad ista, addit hæc scientia super Logicam, quia sub magno compendio miscendo B. C. &c. sumpta universaliter per T. T., ût prædictum est, patet maxima materia sub compendio ad formandum multos syllogismos, cujus etiam materiæ continuitas ex principio principium & ex medio medium & ex fine finem, & ex principio medium & è converso, & ex principio & medio finem & è converso, & sic totum T. rubeum per se ipsum adducit, & sic adducit ex ratione multas rationes ad eandem vel diversas conclusiones ad formandum inde syllogismum, & ex syllogismo multos syllogismos ad eandem vel diversas conclusiones, & sicut isto modo addit super Logicam quantum ad subjectum Logicæ, eodem modo addit super alias communes scientias quantum ad subjectum earum suo modo, quare non valet objectio.

4. Considerantia F. G. T. croceum secun-
a. dùm propositam quæstionem, attingunt, super communes species demonstrationis hanc scientiam addere in demonstratione alium habitum demonstrationis scilicet *per æquiparantiam*, de qua cæteræ communes scientiæ non faciunt mentionem, quod patet in camera de B. B. in T., quoniam essentia Dei est una & indistincta, ejúsque unitas existit cum distinctione in suppositis distinctis, & quolibet eorum existente ipsâ eâdem unitate Deitate &c., remanet ipsa unitas & Deitas una videlicet unus Deus, quolibet eorum existente uno Deo toto, & ipsis non existentibus pluribus Diis uno: hoc ita oportet esse ratione æquiparantiæ Deitatis, unitatis, bonitatis, magnitudinis &c., & actuum earum existentium in suppositis distinctis in quolibet totaliter, aliter enim non essent ipsa suppositа per æquiparantiam distincta nec per distinctionem æquiparata videlicet æqualia in Deitate, unitate, essentiâ & dignitatibus & actibus earum, nec per consequens per bonitatem magna, nec per magnitudinem bona, & sic de aliis, quod falsum est & impossibile, prout etiam superiùs probatum est: & inde sequitur, quòd distinctio & æquiparantia cum bonitate, magnitudine &c. sunt unum idem & ejusdem conditionis, quod quælibet aliarum: sed majoritatem & minoritatem cum bonitate, magnitudine &c. impossibile est in Deo esse unum idem sicut æquiparantiam; quare quæcunque demonstratio, quæ potest fieri *per æquiparantiam*, fortior est quàm *propter quid* & *quia*, & hoc, quia æqualitas concordat majoritati, & majoritas & minoritas videlicet inæqualitas minoritati, & ideo, cùm discursus hujus scientiæ sit in majori majoritate, quàm F. G. possint sustinere, quia usque ad puncta transcendentia feruntur, tunc F. G. Artificis hujus artis, cùm ferrent T. croceum unà cum cæteris T. & terminis X. in multiplicem revolutionem universalis alphabeti, & inde annuerent demonstrationem *propter quid*, præponderantia majoritatem principiorum minoritati, & demonstrationem *quia* è converso, habuerunt necessariò annuere demonstrationem *per æquiparantiam*, cùm ponderarent æqualitatem principiorum cum æqualitate, & hoc maximè in A., ubi majus & minus sunt impossibilia, de qua demonstratione non adhuc alibi audivimus fieri mentionem affirmativè quàm hîc, quare &c.

b. Contrà: Impossibile videtur, de eodem per idem fieri demonstrationem, quia idem sic probaret semetipsum, quod est impossibile, sed id, quod dicitur in Deo demonstratio per æquiparantiam, est de eodem per idem, quare talis demonstratio sic dicta non videtur demonstratio: præterea demonstratio est cognitio seu intellectui manifestatio alicujus ignoti per aliquod notum vel alicujus minùs noti per aliquod magìs notum, ergò cognitio seu manifestatio, quæ habetur de rebus per æquiparantiam, non est demonstratio, nam ex quo aliqua sunt æqualiter nota, aliud eorum per aliud, quantum ad hoc nihil dat cognitionis.

c. Dicendum est ad primam rationem, quòd idem per idem multimodè potest esse, videlicet in C. rationaliter & in objecto realiter, & sic procedit objectio: alio autem modo potest esse in objecto realiter & rationaliter, & non in C. rationaliter, sicut quando C. magìs attingit aliquam dignitatem quàm aliam, attingens eas distinctas in se ipso, & in se ipsis unum idem, & sic valet objectio tantùm ex parte objecti, sed non valet ex parte C. attingentis distinctè in se ipso, & identitaliter in objecto, quia identitas, quam attingit in objecto, format æquiparantiam in illa distinctione, quam attingit in se ipso, & hoc non obstante potest aliquam istarum, quæ idem sunt ex parte objecti, intelligere in se ipso magìs, & alteram minùs. Alio etiam modo potest esse idem per idem & ratione realitatis objecti & ratione C. & hoc in Deo tantùm, ita quòd non in alio ente, in hoc videlicet, quòd non obstante hoc, quòd omnes dignitates Dei & quoad totum existere & quoad totum agere cujuslibet earum sunt totaliter unum idem, quælibet earum propriè ponit suum esse reale & suum agere reale in Deo, nam aliter quælibet dignitas non haberet suum esse & suum agere inconfusum, quod habet, ratione distinctionis personarum, & isto modo intelligente G. esse & agere alicujus dignitatis plùs quàm alterius dignitatis potest fieri demonstratio per æquiparantiam de eodem per idem realiter & rationaliter tam ex parte objecti quàm ex parte C., & hoc ratione identitatis Dei, quam quælibet dignitas implicat in se totaliter sinè distinctione, & ratione inconfusionis, quam habent ad invicem loco distinctionis, quam non habent; quare isto modo non valet objectio, virtutem tamen hujus solutionis difficile est intelligere ratione puncti transcendentis. Ac etiam alio modo potest in Deo sumi idem per idem in essentia, non idem per idem in proprietatibus personalibus, & sic valet objectio quantùm ad essentiam simpliciter ût sic, non autem quantùm ad proprietates personales, nec etiam quantùm ad essentiam, in quantum ipsa essentia inter ipsas proprietates confirmat æquiparantiam in hoc, quòd quælibet divina proprietas personalis in suo supposito est tota ipsamet essentia.

Præterea ad aliud dicendum est, quòd æquiparantia cognitionis seu manifestationis aut potest sumi ex parte medii concludentis tantùm, & non ex parte finîs concluſi, ût si per æquiparantiam immensitatis & æternitatis Dei concluderetur, mundum non esse æternum, & sic non valet objectio: aut potest sumi ex parte medii concludentis & finîs concluſi, & hoc duobus modis, scil. aut secundùm eandem rationem, ût si G. vellet concludere, hominem esse animal, quia leo est animal, & sic valet objectio; aut secundùm diversas vel distinctas rationes, ût si concluderetur, bonitatem Dei esse immensam, quia ipsa bonitas est perfecta & magnitudo Dei immensa, dato, quòd G. priùs attingeret ipsam bonitatem perfectam & magnitudinem immensam, & P. dubitaret de bonitate immensa, & isto modo non valet objectio.

5. Dum F. G. considerant T. nigrum affir-
a. mando, dubitando, negando, secundùm ens non ens, possibile & impossibile per T. positum in B. B., B. C. cujuslibet scientiæ & universaliter sumptis juxta quamlibet figuram, attingunt multa T. nigra, quædam eorum necessaria, quædam possibilia & quædam impossibilia oriri ex uno T. nigro deducto per cætera T. in cameris de B. B., B. C. &c., quod est id, quod principaliter & ultimò spectat ad veram seu probabilem conclusionem, videlicet cognitionem veritatis seu probabilitatis in qualibet facultate, ut ex tanta multitudine affirmativarum & negativarum demonstrationum seu probationum satisfaciant F. G. ipsis E. I. de hoc, quod N. supponit ex R., in quacunque sit facultate, quòd E. I. N. præ nimia copia materiæ facientis ad propositum sint repleta, attingentia sua objecta in maxima quantitate; sed nulla alia scientia ab ista habet suum T. nigrum adeò universale, nec ita ordinatum in B. B., B. C. &c., cujuscunque facultatis satisfaciens de suis principiis ipsis E. I. N. in tanta multitudine affirmativarum & negativarum demonstrationum seu probationum, quod manifestè patet per T. viride rubeum & croceum positum inter subjectum & principia hujus scientiæ, & subjectum & principia cujuslibet alterius scientiæ: quòd autem nulla scientia sit alia ab ista, quæ possit hoc, patet utique; quoniam aut non est, aut est idem cum ista, cùm hæc scientia ambiat omne ens, quocunque modo ens ab F. G. sumi possit: manifestum est igitur ex prædictis, quòd hæc scientia super quamlibet aliam scientiam est additiva

illius multitudinis affirmativarum & negativarum demonstrationum seu probationum, quæ resultat ex universalitate T. nigri sic ordinati per T. T. in B. B. &c., ût dictum est, ad quam quælibet alia scientia per se attingere non potest.

b. Contrà: Ei est impossibilis additio, cui est impossibilis receptio, sed cuicunque alteri scientiæ particulari & communi est impossibilis receptio ab aliqua alia scientia, quia sic plus entitatis esset addibile super entitatem scientiæ, & plus possibilitatis super possibilitatem, & plus impossibilitatis super impossibilitatem, quod falsum est, cùm omne, quod est, non sit magis nec minùs id quod est, & id, quod non est, nec magis nec minùs id quod non est.

c. Posito T. viridi per rubeum in T. nigrum secundùm esse & privationem, perfectionem & defectum rationis realitatis intra & extra potentiam rationativam, dicendum est, quòd, cùm sit impossibile, ex parte rei actum esse ultra hoc, quod est, & potentiam ultra hoc, quod est, quia aliter esset possibile actum sub ratione actûs esse potentiam & è converso, & esse sub ratione essendi esse privationem & è converso, quod est impossibile, impossibile est, entitatem plùs vel minùs esse entitatem, & possibilitatem plùs vel minùs &c., & isto modo concedenda est objectio ex parte rationis rei existentis extra potentiam rationativam; sed cùm omnis scientia sit habitus potentiæ rationantis constitutus in similitudinibus ipsius potentiæ de similitudinibus exterioribus aggregatis per actum sciendi existentem in motu crescibili & decrescibili, sumendo igitur scientiam secundùm suam entitatem non per se absolutè & simpliciter, sed prout est habitus in potentia rationativa, potest utique recipere additamentum seu crementum, vel diminutionem seu decrementum, secundùm quòd subjecta est motui crescibili & decrescibili sciendi: idem sequitur de ejus possibilitate & impossibilitate, & hoc modo non tenet objectio, & de isto modo addendi intenditur hîc in hoc, quòd in quantum F. G. se ferunt per majorem mixtionem T. T. in suprà dictis cameris, in tantum crescit eorum motus sciendi vel attingendi, & per consequens habitus rationis.

De secundo Modo solvendi.

1. Attingentia F. G. hanc scientiam secundùm sua principia ex una parte, & alias scientias communes secundùm sua principia ex altera parte, ut secunda camera posita in tertia & quarta significet veritatem propositæ quæstionis, inveniunt, totum esse aliud à suis partibus, quia partes unitæ ad invicem redundant in aliud à se ipsis, materialiter autem totum & partes convertuntur; hoc autem totum, de quo loquimur, attingunt F. G. esse B. C. D. &c. universaliter sumpta per omnes generales figuras hujus artis non contracta ad aliquam materiam specialem, sicut bonitatem, magnitudinem, durationem &c. non determinatas ad aliquid specialiter, & sicut E. I. N. R. cum suis contentis non determinata ad aliqua objecta specialia, & sicut fidem spem &c., esse, perfectionem & cætera universalia principia cum istis sapientia naturam suorum specialium, in qualibet namque scientia vel figura speciali sunt hæc prædicta principia ad specialitatem reducta, licèt in se sint generalia ad quamlibet aliam specialem scientiam vel figuram; quare ex eis manifestum est, quòd hæc scientia secundùm sua principia addit super cæteras scientias communes id, per quod totum scientiale est aliud seu alterum à suis partibus, ac etiam omne totum consistit per habitudines cujuslibet partis ad quamlibet partem, per ipsas enim habitudines resultat ipsum totum aliud à suis partibus; hujusmodi autem habitudines, de quibus intendimus, sunt B. C. D. &c. universaliter sumpta secundùm generalitatem in specialibus scientiis vel figuris, videlicet in specialibus A. S., A. T. &c., S. T., S. V. &c., & sic de aliis: & idcirco, quia est impossibile, unamquamque scientiam specialem transire extra se ipsam, non considerat aliqua scientia specialis, quantum est de se, id, quod advenit eidem ab extrinseco, nec habitudines, quas habet cum aliis, & è converso, ad invicem, quantum est ex parte finîs; quare oportet necessariò, esse aliquam communem scientiam resultantem ex his habitudinibus ministrantem unicuique scientiæ speciali id, quod advenit illi ab extrinseco: hanc autem scientiam oportet necessariò esse istam, ambit enim omne ens apprehensibile per intellectum, quod satìs patet in suis principiis. Unde per prædicta satìs manifestè patent *duo* videlicet, *& quid est hæc scientia, & quid super alias scientias addit.*

2. Contrà: Aut hæc scientia est specialis sicut aliæ scientiæ, aut est generalis, & totum, secundùm quòd videtur per prædicta, sed

sed impossibile videtur, eam esse specialem & addere, & hoc duobus modis, videlicet ex parte ipsius addentis, & ex parte aliarum recipientium: ex parte quidem ipsius addentis, quia ex quo addit super cæteras vel super plures speciales, nec est aliud nisi ipsum id, quod ipsa addit super alias, ût per prædicta videtur, non igitur specialis alicui sed omnibus generalis; & si sic, nihil excludit extra alias scientias, quia sic esset specialis, quare videtur, quòd hæc scientia nihil sit extra alias scientias; & si nihil sit extra alias scientias, nihil addit eisdem: ex parte similiter recipientium, aut hoc est, quia habent sua principia specifica imperfecta, & perficiuntur ex additione illius, quod falsum est, quia nulla earum ex parte suî, in quantum talis, habet sua principia specifica imperfecta, aut quia addit super eas superfluitatem, quam non recipiunt, & quod nihil facit ad earum propositum, quare videtur ex ista parte, eam non esse super alias additivam: & si etiam sit generalis & tanquam totum, ût videtur probari superiùs, adhuc videtur impossibile, quòd addat super alias, quæ sunt partes illius, quia totum nihil habet, quod non venit ex suis partibus, in partibus igitur est, quidquid est in toto, igitur totum nihil addit super suas partes, quia adderet supra se ipsum, quod est impossibile: dato igitur, quòd hæc scientia sit totum, & cæteræ partes, impossibile videtur, eam addere super alias.

3. Ad ista dicendum est per T. viride in T. rubeo, quòd in pluribus, licèt principium in medio sit unum, ut sequatur unus finis, ex parte tamen diversorum terminorum respectu suî est diversum, & inde etiam est, quòd idem medium respectu diversarum extremitatum sibi inhærentium sortitur diversas conditiones: & quamvis idem sit alicujus finis, non propter hoc sequitur, quin sit alicujus principium & alterius medium; & propter hoc solvitur ad prædicta, & primò, quòd nullum est inconveniens, aliquid esse generale & speciale respectu diversorum, & isto modo nullum inconveniens sequitur, si hæc scientia sit generalis, in quantum habet respectum ad cæteras speciales, quibus influit, sicut punctus in centro ad diversa puncta circumferentiæ, & sicut unus finis ad diversa principia: & si est specialis respectu suî ipsius, vel in quantum quidditatem essentiæ sciendi indeterminatè, quæ extra sua specialia nihil est, contrahit ad id, per quod differt ab unaquaque alia scientia speciali, sicut scientiam ad demonstrationem seu inventionem particularium in qualibet alia scientia speciali, quare ad hoc non valet objectio, cùm objiciebatur de generali & speciali: & ad aliud, quod objiciebatur ex parte recipientium, dicendum est, quòd additio duobus modis potest hîc accipi, aut ex parte principii materialis, quod ratione materiæ est subjectum quantitati, & sic non valet objectio; aut ex parte principii formalis & hoc dupliciter, aut quantum ad ipsam formam puram & simplicem existentem in subjecto, & sic valet objectio, habito respectu simpliciter ad ipsam formam, ût etiam suprà dictum est; aut quantum ad ipsam formam informantem rem subjectam quantitati & extensam per totam suam materiam; & quantum ad hoc, non valet objectio, quia forma sic accepta potest intendi & remitti non ratione suî sed ratione suæ materiæ. Et sic dicendum, quòd nulla scientia habet sua principia imperfecta ratione formæ & materiæ, & sub ratione formæ impossibile est ei addi, quia sic non esset perfecta, sed sub ratione materiæ competit ei additio & diminutio, aliter non esset perfecta ratione principii materialis & per consequens sub ratione formæ contractæ ad materiam & extensæ per materiam. Et ad aliud, quod objiciebatur de toto, quòd totum habet nihil, quod non venit ex suis partibus: dicendum est hîc, quòd ipsum venire alicujus de partibus in totum potest accipi multimodè videlicet potentiâ & habitu, potentiâ quidem ratione materiæ, & habitu ratione formæ venientis in actum, & quantùm ad hoc totum habet nihil, quod non venit ex suis partibus: & potest similiter accipi actu ratione formæ & materiæ conjunctarum in unum; & sic non valet objectio, quia impossibile est, actualitatem alicujus esse in alio extra se ipsum, & sic actualitas totius est in ipso toto, non autem in suis partibus, & isto modo addit totum super suas partes videlicet id, quod ipsis conjunctis ex habitudinibus earum ad invicem resultat, quod ipsis disjunctis ad invicem non est.

Ex his igitur, quæ in hoc capitulo dicta sunt, satis manifestè potest videri bonis intellectibus quidditas & subjectum hujus artis vel scientiæ videndo id, in quo hæc scientia est additiva super alias scientias.

De Fine hujus Libri.

AD laudem & utilitatem Fidei Christianæ explicit *Compendium seu Commentum Artis demonstrativæ;* benedictus sit ipse Sanctus Spiritus, cujus gratiâ confisi de principio ducti per medium continuè de bono in melius venimus ad peroptatum finem, supplicantes puro corde studentibus in hoc opere, ut, si fortè eis minùs bene dicere videamur, non attendant circa ineptitudinem verborum non potentium fortassis ad plenum ipsa, quæ intendimus, denotare; nec eis displiceat varietas loquendi, *sed addiscant hunc ipsum modum loquendi arabicum*, ut infidelium oppositionibus obsistere noscant, declinare namque terminos figurarum dicendo sub conditionibus bonitatis bonificativum bonificabile bonificare bonificatum & sic de magnitudine &c., & sub conditionibus ignîs ignitivum ignibile &c., & sic de quibuscunque aliis propriis terminis hujus artis, ût suprà *trigesimâ primâ regulâ* est dictum, non est multùm apud latinos sermo consuetus, hunc autem de vi & virtute terminorum hujus artis sic declinari oportet. Vel si fortè quædam ad propositum non bene dixerimus congruè, eò quòd sit nimis ardua materia, vel quòd à rectiloquio deviemus, suppliciter postulamus, quatenus nolint interpretari in deteriorem partem, sed attendant diligenter, quid de fine intento velimus significare, neminem enim mortalium arbitramur in suis dictis non posse calumniari; vel si nostræ supplicationes eis non sufficiant, saltem considerent, quæ & quanta & qualis sit materia hujus operis, & quibus intellectibus indiget, & unde venerit, & quò tendat, nam si bene advertant, quanti ponderis sint ista, profectò concedendum est, non autem læsis conscientiis obviandum, quæ autem & quanta & qualis est hæc scientia, & quibus intellectibus se offert, hæc ipsa series hujus operis manifestat, & unde veniat; utique, si omnem veritatem confiteri nos liceret, cùm ob nostras culpas simus injuriis & peccatis subjecti, indubitanter credimus, quòd à divinis potiùs quàm ab humanis fontibus trahit ortum; & ad quem finem tendat, nunquid ad cognitionem & dilectionem illius summi entis, & viâ rationis ad ipsam propagationem Fidei Catholicæ? nunquid est hæc via apertissima ad illuminationem Infidelium? nunquid est hæc ad destructionem falsarum opinionum infidelium & totius hæreticæ pravitatis promptissima ac evidentissima applicatio Philosophiæ ad Theologiam & excellens cognitio realitatis Juris? omnia quidem ista demonstrat applicatio præsentis Commenti ad textum hujus artis. Multa enim hanc scientiam consequuntur, *nam docet intellectualem & corporalem Medicinam*, intellectum illuminat ad quamlibet realem scientiam acquirendam, & invitat desideria animæ ad fruitionem æterni boni, desolatos recreat, contritionem incitat, mentem elevat, devotionem auget: quotus & quantus est finis, quo tendit hæc scientia, nequaquam possumus sermonibus explicare, quia hoc idem ipsum, quod ipsa est suâ superexcellenti bonitate, est de se animis intelligentium nimis desiderabile, quod, postquam attinxerit intellectus, voluntas mirâ dulcedine delectatur, unde consideramus, si forsan huic tam glorioso & sublimi negotio calumniatores affuerint, eos quidem velamen suæ ignorantiæ reddet excusatos, aut nostra insufficientia & translatoris in improprietate recti dicendi pariet, unde valeant remordere. Quare, si quis error fortè contra Sanctam Fidem Catholicam in hoc opere ac etiam in aliis quibuscunque nostris libris videatur oriri, suppliciter & devotè requirimus correctionem Sacrosanctæ Ecclesiæ, nec Auctoris indignitas obnubilet, nec detrahentium acedia deprimat id ipsum, quod ex propria sua authoritate est lucidum & amœnum, quamobrem huic operi piis affectibus invocamus amicorum virorum intellectus, fidem & devotionem adversùs reprobantium stimulos, & maximè tutelam & defensionem nostri Domini JESU Christi,

Amen.



T3L6. SECUNDA FIGURA F1.

T



[1]

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI ARS INVENIENDI PARTICULARIA IN UNIVERSALIBUS.

Deus omnipotens, qui ineffabilis & æternus in bonitate existis, per immensitatem magnitudinis, amoris, & sapientiæ ad cognoscendum & diligendum te Domine & tua opera gloriosissima *incipit Ars inquirendi particularia in universalibus*, existens finis & compendium inveniendi omnia quæsita, quæ in universalibus nobis permanent occulta.

DE

PROLOGO.

CUm apud nos sint infinita particularia, & eorum universalia finita sint, quorum finitate omnis adest scientia, *ideo hoc præsens opusculum compilamus, quod est quasi ramunculus extractus ab Arte Demonstrativa omnibus scientiis generalis, qui ramunculus est doctrina introitus hujus artis.*

Hic autem Libellus in *tres distinctiones* dividitur, quarum *prima* est de dispositione figurarum, *secunda* verò est de discursu artis, sed *tertia* & ultima est de quæstionibus, quæ in hoc volumine continentur.

Prima igitur in *duas generales figuras* dividitur, quarum *prima* est T., quam eligimus *ab Arte Demonstrativa*, quæ, prout apparet, quinque triangulos continet in se ipsa; *secunda verò figura*, quæ à prima derivatur, componitur ex tribus circulis, quorum quilibet in se continet XV. angulos triangulorum ipsius T., prout in ipsamet figura patefit manifestè; hanc autem figuram convenit facere ex aliquo metallo seu ligno, seu ex papiro vel etiam ex quavis materia, ut tres circuli in ipsa figura contenti fiant volubiles quilibet per se, ut volvendo eos possint formari cameræ, quæ necessariæ sunt ad perquirendum quodlibet particulare.

Secunda distinctio in *duas partes* dividitur, quarum *prima* est de conditionibus, *secunda* verò est de discursu, in quo traditur via & doctrina investigandi quodlibet particulare.

Tertia autem distinctio dividitur in *XIII. quæstiones*, quæ sunt via & exemplum, quo per artem scitur dari solutio infinitis quæstionibus, & in quibus traditur modus plenariæ investigationis, per quam investigantibus quodvis particulare in universalibus revelatur.

INCIPIT
PRIMA DISTINCTIO
DE
Disposition Figurarum.
ET PRIMO
De Prima Figura.

PRima igitur figura *quinque triangulorum* est ex diversis coloribus composita, quorum primus *lividus* est, secundus *viridis*, tertius *rubeus*, quartus *croceus*, quintus *niger*, sicut ejus descriptio repræsentat.

Horum autem triangulorum quilibet continet in quolibet suorum angulorum *tria principia* hujus artis, nam in primo angulo *trianguli lividi*, ubi scribitur *Deus*, supercontinetur *Unitas*, *Essentia*, *Dignitates*, in angulo, ubi scribitur *creatura*, supercontinetur *intellectualis*, *sensualis*, *animalis*, & in angulo, ubi scribitur *operatio*, supercontinetur *intellectualis*, *naturalis*, *artificialis*.

In *triangulo autem viridi*, in cujus primo angulo scribitur *differentia*, in secundo *concordantia*, & in tertio *contrarietas*, super quolibet eorum continetur *inter sensuale & sensuale*, *inter sensuale & intellectuale*, *& inter intellectuale & intellectuale*.

In primo verò angulo *trianguli rubei*, ubi scribitur *principium*, superponitur *temporis*, *quantitatis*, *causæ*; & in secundo, ubi scribitur *medium*, superponitur *extremitatum*, *mensurationis*, *conjunctionis*; atque in tertio, ubi scribitur *finis*, superponitur *causa finalis*, *terminatio*, *privatio*.

In *triangulo* autem *croceo*, in cujus primo angulo continetur *majoritas*, in secundo *æqualitas*, in tertio *minoritas*, super quolibet eorum continetur *inter substantiam & substantiam*, *inter substantiam & accidens*, *inter accidens & accidens*.

In *triangulo* quidem *nigro*, in cujus primo angulo scribitur *affirmatio*, in secundo *dubitatio*, & in tertio *negatio*, super quolibet istorum continetur *entis*, *non entis*, *possibilis*, *impossibilis*.

In primo igitur angulo, in quo scribitur *Deus*, significatur, Deum considerari in unitate, in essentia & in dignitatibus ejus.

In secundo verò angulo, in quo scribitur *creatura*, significatur, creaturam esse aut sensualem, aut intellectualem, aut animalem; atque in tertio angulo, ubi scribitur *operatio*, significatur, omnem operationem esse aut intellectualem, aut naturalem, aut artificialem.

In triangulo autem viridi significatur, omnem differentiam, omnem concordantiam & omnem contrarietatem esse de sensuali & de sensuali, de sensuali & intellectuali, de intellectuali & intellectuali.

In primo etiam angulo rubeo denotatur, quòd omne principium oportet esse temporis, quantitatis aut causæ; in secundo angulo rubeo ponitur medium extremitatum, mensurationis aut conjunctionis, medium namque extremitatum est omne id, quod consistit inter duos terminos, medium verò mensurationis est id, quod consistit in centro terminorum, sed medium conjunctionis est id, quod duo vel plura simul esse compellit, sinè quo nunquam simul essent. Ultimus tamen angulus rubeus repræsentat omnem finem necessariò esse aut causam finalem, aut terminationem, aut privationem.

In triangulo quidem croceo significatur, omnem majoritatem, omnem æqualitatem, & omnem minoritatem esse de substantia & substantia, vel de substantia & accidente, vel de accidente & accidente.

Atque in triangulo nigro denotatur, omnem affirmationem, omnem dubitationem, & omnem negationem de ente vel non ente, de possibili vel impossibili prædicari.

Hæc itaque supradicta sunt principia hujus artis scilicet XV. anguli triangulorum, & illa tria, quæ quilibet angulus continet in seipso; unde ad inquirendum quodvis particulare oportet hos XV. angulos & ea, quæ quisque eorum continet, commiscere; nam eorum commixtio particulare quæsitum demonstrat artificialiter in universali.

De secunda Figura.

SEcunda Figura *tres circulos* in se continet, prout patet, quorum circulorum quisque, ût prædictum est, continet per se *XV. cameras*, in quibus scripti sunt quindecim anguli triangulorum talibus coloribus, qualibus ipsi trianguli sunt divisi; per revolutionem aliorum in rectitudinem aliorum formantur cameræ quæsitum particulare denotantes. Nos autem in hac arte dictiones triangulorum *Cameras* appellamus, quarum camerarum *modus est triplex*, quia harum camerarum aliæ sunt *simplices*, sicut camera, ubi simpliciter scribitur Deus, & sic de aliis: & aliæ sunt *compositæ* seu combinatæ, & harum compositarum aliæ componuntur ex *duabus simplicibus*, hoc enim est, quando una simplex in rectitudinem alterius simplicis volvitur in circulis, aliæ verò earundem *ex tribus simplicibus* componuntur.

Verumtamen quando tres dictiones consistunt in eadem rectitudine sicut: *Deus Deus Deus*, & sicut: *creatura creatura creatura*, & sic de aliis, tunc nulla sequitur figura, in qua significetur particulare, quod quæritur, sed dum miscentur aliæ cum aliis, sicut: *Deus Deus creatura*, vel *Deus operatio differentia* sive quocunque alio modo, tunc anguli figuram retinent, quæ manifestè quæsitum particulare repræsentat.

Hæc autem *Figura*, quæ sic in cameris figuratur, dividitur in *duas partes*, quarum *prima* est subjectum, & existit *antecedens*, *secunda* verò existit *consequens* in hac arte: quocirca illa, quæ existit per antecedens in hac arte, appellatur *substantialis*, alia verò *accidentalis*.

Illa quidem figura, quæ substantialis est, existit in illa camera, ubi quæstionis solutio ædificatur & stabilitur primitus, sicut quando tres cameræ simplices eliguntur, quarum una ex reliquis duabus composita est, in qua fundamentum responsionis est & significatio quæsiti particularis; & hæc camera existit universale illi particulari, & pluribus aliis similiter, quæ priùs sunt in ipsa camera figurata.

Alia verò figura, quæ appellatur accidentalis, existit in *XIIII. partibus* seu in *XIIII. cameris*, quæ sunt antecedentis primæ consequens; nam omnes quatuordecim cameræ ad primam, quæ substantialis est, diriguntur, & conditionantur in ea, atque fortificant eam, qualibet earum juvante aliam; figura etiam substantialis, quia est antecedens figuram accidentalem, per consequentiam ad se dirigit alias cameras, & per illas fiunt argumenta ad fortificandum primam cameram, atque ab ambabus figuris procedit conclusio primi articuli.

INCIPIT
SECUNDA DISTINCTIO
DE
Conditionibus & discursu.
PARS I.
De Conditionibus.

COnditio hujus distinctionis est, quemlibet triangulum taliter esse conditionatum in investigatione cujuslibet particularis & solutione quæstionis, ne alius eorum perdat suam naturam & proprietatem: quoniam sicut elementa conveniunt in elementato sub conditione, quòd unumquodque suam naturam & proprietatem in eo contineat & conservet, ita eodem modo oportet in commixtione triangulorum quemlibet triangulum remanere in propria virtute & natura, ut particulare per eum denotetur, quoniam sicut in elementato nequiret esse naturalis cursus, si elementa in eo suam virtutem & naturam perderent, ita nec in angulis triangulorum posset inveniri significatio particularis, si suas proprietates & prædictas conditiones non conservarent, per quas

quodlibet eorum existit generale principium.

Omnis scientia habet propria principia, quæ sunt sibi universalia, & ideo secundùm principia scientiæ respondendum est quæstioni & inquirendum particulare in universali, commiscendo eadem principia scientiæ, quæ solutioni conveniunt, cum angulis triangulorum sub tali conditione, ne inde sequatur corruptio nec mutatio neque virtutis neque triangulorum in proprietatibus, neque scientiæ aliquod detrimentum, ut non confundatur nec destruatur demonstratio & significatio, quibus particulare revelari convenit & inveniri. Sicut enim in hac arte oportet alios triangulos commiscerì aliis, ita oportet, quòd principia illius scientiæ, cujus quæstioni respondendum est, commisceantur alia in aliis, aliis principiis auxiliantibus aliis ad particulare quæsitum perquirendum.

Si autem illa principia non sint ad hoc sufficientia, necesse est sumi alia principia alterius scientiæ super illam scientiam existentis, quibus probentur, alia commiscendo cum triangulis toties, quousque inventum sit particulare, quod quæritur, per quod convenit determinari quæstionem.

In principio investigationis supponendum est & credendum, ut intellectus instrumenta habeat, cum quibus ad certam cognitionem hujus, quod quærit, possit procedere & venire, *quia fides & suppositio sunt lux & via exaltationis intellectûs*, ut ipse ex hoc, quod per supponere & fidem existit in principio, ad probationem & manifestam demonstrationem valeat pervenire.

PARS II.
De Discursu.

Hæc pars, in qua modus discurrendi declaratur, dividitur in *quatuor partes*, quarum *prima* est *de ordinatione*, *secunda* de *probatione*, *tertia* de *narratione* vel de *suppositione*, *quarta* & ultima est de *scientiæ infusione*.

1. *De Ordinatione.*

In principio recurrendum est ad primam figuram, ubi T. est, & eligendi sunt ex ea tres triangulorum anguli cum illis tribus speciebus, quas quisque angulus continet in se ipso; post hanc quidem ordinationem oportet ipsos tres angulos formari in *secunda figura*, ubi sunt circuli volubiles, qui formant *substantialem figuram*, quæ appellatur *antecedens*, ad quam necesse est dirigi *XIIII. cameras*, quæ dicuntur *figura consequens accidentalis*, quæ siquidem cameræ sunt alii anguli triangulorum substantes tribus primis angulis, è quibus formatur substantialis camera seu figura.

Figura substantialis appellatur *prima camera*, illa autem, quæ est ei prima, dicitur *secunda camera*, & sic per ordinem appellatur *tertia*, *quarta* &c. & iste quidem numerus semper incipit in camera existente *substantiali figura*, quæ dicitur principalis.

2. *De Probatione.*

Discursus hujus artis est, aliquas probationes fieri prò & contrà per *figuram substantialem vel accidentalem*, deinde ex illis probationibus fieri demonstrationes in *secunda figura*, ubi figurantur cameræ & formantur, nam ex hoc, quod secundùm veritatem probatur, poterit demonstratio fieri in figura, nec rationes, quæ demonstrationi eveniunt contrariæ, poterunt in ipsa figura demonstrabiles fieri, quia falsitatem continebunt.

In *secunda figura existit speculum, per quod humano intellectui manifestatur veritas per modum boni se communicans voluntati*, quocirca cavendum est, ne intellectus rebellis permaneat, neque voluntas per aliquod vitium contra liberum arbitrium impedimentum patiatur. Oportet etiam, secundùm quòd intellectus & voluntas in speculatione camerarum ipsius figuræ meliùs convenient, quòd determinetur quæstio & judicetur, verumtamen si intellectus & voluntas turbati existerent, sic, quòd quæstio in hoc libello solutionem suam non posset obtinere, recurrendum est *ad artem Demonstrativam*, in qua omnia particularia perquiruntur magis generaliter magisque artificiosè, quàm in hac arte.

3. *De Narratione.*

Modus discurrendi est in hac arte narrare seu proferre aliquas propositiones ad perquirendum particularia vel ad solvendum quæstiones: deinde quòd ipsæ propositiones, prout intrare possunt cameras secundæ figuræ, mutentur & ordinentur in eas, tentando, si hoc, quod adest secundùm narrationem, converti possit in demonstrationem. Si autem contingit illud in demonstrationem non posse converti, accipiatur ejus oppositum, quia in prædictis cameris converti poterit in demonstrationem sequendo conditiones & ordinationem, quæ in hac distinctione continentur. Secundùm hunc modum & ordinationem discurrendi poterit evitari prolixitas scripturæ & implicatio rationum, quæ fuerint prò & contrà, quia sequendo modum hujus artis sufficit quæstioni respondere, prout per significationem camerarum eminet solutio quæstionis. Si verò ipsi narrationi ab aliquo rebelli intellectu contradicatur, potest inde demonstratio fieri, si narratio fiat secundùm artem & contineat veritatem.

4. *De Infusione.*

Hic modus discurrendi duobus modis efficitur, scilicet per sanctam vitam & contemplationem; nam quicunque ad habendum scientiam per infusionem laborare nititur, oportet eum in conversatione sanctæ vitæ vivere & honestè, scilicet multùm charitativum & devotum esse, & habere totas VII. virtutes in anima ad repugnandum vitiis, & sicut hæc ars ex universalibus principiis est, in quibus perquiruntur particularia, ita oportet eum magis diligere generale bonum quàm speciale, alioquin repugnaret regulæ hujus artis, & per hanc repugnantiam non posset à Deo infusionem recipere, nec in hac scientia per consequens informari.

Contemplationis sunt *duæ species* ad obtinendum scientiam infusam ab altissimi Largitoris gratia, *quarum una est* contemplari Deum vigilando, velut dum celebratur divinum officium, aut dum in aliqua hora diei quis fruitur divino opere intrinseco & extrinseco, unum istorum operum cum altero discurrente humano intellectu & voluntate secundùm modum rationis & argumentationis per divinas dignitates & per actus earum odiendo vitia, spernendóque hujus momentanei sæculi vanitates, & desiderando diligere Deum Dominum nostrum, & facere eum diligi & cognosci, & hoc per cameras secundæ figuræ miscendo alios triangulos in aliis & divinas dignitates alias cum aliis contemplando.

Alia species contemplationis est, contemplari Deum in extasi, quia, quicunque isto modo contemplari Deum desiderat, oportet, ut adorando eum applicet in eo & ejus dignitatibus vires totius intellectûs, cùm in loco decenti & sinè aliquo strepitu diu in orationibus cordis persistit cœlos & sidera conspiciendo, si tunc temporis nimis anxius affectus dormiendi eum dormire coëgerit, intret cubile suum, & dormiat in quiete, & tunc per impressionem imaginationis priùs habitæ, & quia intellectus ejus & voluntas in vehementi contemplatione multùm placita constiterunt, contemplabitur Deum in supernis, *& tunc hujus scientiæ & aliarum scientiarum copiosam infusionem recipiet*, hoc autem oportet fieri bis in nocte vel pluries, tali modo, quòd quiescendum est in extasi absque cessatione dormiendi: veruntamen de repletione dormiendi cavendum est, & ne cerebrum nimiam debilitatem patiatur.

INCIPIT
TERTIA DISTINCTIO
DE
Quæstionibus.

Tertia Distinctio & ultima dividitur in *XIII. quæstiones*, in quibus consistit tota practica hujus artis ad ostendendum viam & exemplum, ut, sicut datur regula solvendi in his XIII. determinatis quæstionibus, eodem modo in infinitis quæstionibus teneatur. Unde secundùm ordinem prima determinatur primitus, deinde cæteræ consequuntur.

PRIMA QUÆSTIO.

Quæritur: Utrùm Deus sit? & tenemus, quòd sic.

Camera 1.

Operatio, Finis, Majoritas.

AD solvendum hanc quæstionem oportet nos uti *figurâ subſtantiali & accidentali.* Et Deum esse probamus *XIIII. rationibus*, assignantes cuilibet earum suam cameram propriam, quæ est *consequens* primæ cameræ, quæ in hac solutione existit *figura subſtantialis*, ad cujus significationem fortificandam omnes aliæ XIIII. cameræ diriguntur. Unde secundùm ordinem *de secunda* primò dicendum est, deinde per ordinem de cæteris, quæ sequuntur. Ad hanc autem probationem faciendam accipimus pro principiis *dignitates* : scilicet *bonitatem, magnitudinem, æternitatem, sapientiam, voluntatem, virtutem, Gloriam, perfectionem &c.*, & probato, Deum esse, attribuimus in eo existere omnes præhabitas dignitates.

Camera 2.

Differentia, Majoritas, Æqualitas.

SI Deus est, sequitur, quòd major & nobilior finis sequatur ex majori opere, quàm ex minori, si verò Deus nihil est, sequitur, quòd bonitas magnitudo potestas voluntas & sapientia in superlativo gradu sint in privatione, existentes in esse per gradum positivum & comparativum, sed quoniam differentia & contrarietas sunt inter esse & privationem, & esse concordantiam habet cum majoritate bonitatis magnitudinis potestatis amoris & sapientiæ, privatio verò cum earum minoritate, ergo de necessitate sequitur, quòd bonitas potestas & sapientia habeant esse suum in superlativo gradu, ut sit æqualitas majoris operis ipsarum bonitatis magnitudinis potestatis voluntatis & sapientiæ cum majori fine & superlativo gradu, & hæc quidem concordantia æqualitatis in superlativo gradu existeret in privatione, si Deus nihil esset, atque æqualitas majoris operis & finis esset in non esse, hoc autem est impossibile, ad hoc, ut æqualitas boni & esse habeant concordantiam, æqualitas verò mali & privatio.

Camera 3.

Concordantia, Æqualitas, Minoritas.

FInis habet majorem concordantiam in opere per majoritatem, quàm per minoritatem, cùm æqualitas magis distet à suo contrario per majoritatem, quàm per minoritatem; unde, si Deus nihil sit, prædicta quoque principia nihil sunt, quorum tamen destructio est impossibilis ; nam propter privationem Dei sequeretur totum oppositum prædictorum principiorum, scilicet illud inconveniens, per quod immensitas & æternitas virtutis veritatis gloriæ & perfectionis existerent in privatione, esse aliquem actum immensum & æternum, qui immensitati & æternitati virtutis sapientiæ perfectionis & gloriæ per minorem virtutem sapientiam perfectionem & gloriam repugnaret, ut esset minor finis operis, non autem major nec æqualis, neque concordans cum omni immensitate perfecti finîs virtutis, veritatis gloriæ & perfectionis, quia, si ita esset, sequeretur illud inconveniens esse Deum per minorem virtutem &c. sed quia hoc est impossibile, ergo Deus est.

Camera 4.

Contrarietas, Minoritas, Affirmatio.

AFfirmatio & majoritas habent concordantiam, negatio verò & minoritas : ergo negare Deum esse est negare omnem perfectionem operis finîs & majoritatis, in quibus esset inæqualitas atque minoritas imperfectionis, si igitur Deus nihil esset, sequeretur, quòd affirmatio non posset habere concordantiam cum fine & opere tantis, sicut negatio, & quòd majoritas repugnaret affirmationi & minoritas negationi : sed quoniam hoc est impossibile & contradictio, ergo Deus est.

Camera 5.

Principium, Affirmatio, Dubitatio.

TUnc temporis, dum esse Deum affirmatur, incipiunt advenire Fides, Spes, Charitas, confiditur etiam resurrectionem esse & gloriam sinè fine, cùm autem dubitatur Deum esse, tunc Fides, Spes & Charitas incipiunt descendere in privationem, quarum privatione incipit homo privari justitiâ prudentiâ & fortitudine & temperantiâ, incipiunt quoque in eo Gula Luxuria &c. dominari ; & quia opus virtutum finem habet & principium, quod cum majoritate convenit, vitia verò principium, quod convenit cum minoritate operis & finîs, ergo sequitur, quòd affirmatio, unde majus

majus principium sequitur, continet veritatem, & quòd dubitatio, unde sequitur minus principium majori oppositum, continet falsitatem : ergo Deus est.

Camera 6.

Medium, Dubitatio, Negatio.

MAjus medium est inter affirmationem & negationem, quæ sint concordantes, quàm inter dubitationem & negationem, quia, dum affirmatio & negatio sunt concordantes, tunc earum concordantia existit contra dubitationem, quæ convenit cum privatione, dum autem dubitatio & negatio sunt concordantes, tunc earum concordantia existit contra affirmationem, quæ convenit cum esse, unde, si Deus nihil sit, sequitur, quòd opus per dubitationem & negationem se habeat ad majorem finem, quàm per affirmationem & negationem : hoc autem est impossibile, quod si esset possibile, sequeretur, quòd in majori opere foret minor finis & in minori major, quod est impossibile ; ergo &c.

Camera 7.

Finis, Negatio, Deus.

AFfirmatio majorem habet magnitudinem in justitia, quàm negatio, & quia justitia est bonum, idcirco affirmatio ad nobiliorem finem se habet quàm negatio : hoc idem sequitur de perfectione & imperfectione; nam in omni esse, quod subjectum est perfectioni & imperfectioni, existit perfectio, ut sit, imperfectio verò in eo existit, ut perfectio sit vel absit, idcirco perfectio habet cum esse concordantiam, & imperfectio cum privatione, unde, si Deus nihil sit, sequitur, quòd in opere injuriæ malitiæ imperfectionis privationis minoritatis principii & medii sit nobilior finis, quàm econtrario, quod est impossibile, ergo Deus est.

Camera 8.

Majoritas, Deus, Creatura.

MAjus opus est creaturam esse, quàm non esse, creatura autem nihil est, si Deus nihil sit, nam per operationem omne, quod est, existit aliud successivum ab alio, in quo nec operans nec opus habet magnitudinem absque parvitate, nec in nobilitate finem absque vilitate, sed quia hoc est inconveniens, ergo Deus est, qui nisi esset, foret majoritas operationis finis in privatione, ut illius majoritatis oppositum esset in esse, quod est impossibile, quia, si esset possibile, sequeretur, quòd omnis minoritas operationis finîs esset magis desiderabilis, quàm eorum majoritas, atque omne esse foret odibile, privatio autem amabilis, quod est impossibile manifestè.

Camera 9.

Æqualitas, Creatura, Operatio.

SI Deus nihil est, creatura nihil est, & in nulla operatione est æqualitas absque majoritate & minoritate, atque majoritas æqualitatis operationis existeret in privatione, quæ haberet esse, si ipsa existeret in æqualitate absque majoritate vel minoritate, sed quoniam major finis operationis majorem habet concordantiam cum æqualitate absque majoritate vel minoritate, quàm cum majoritate vel minoritate, ergo de necessitate oportet id esse, per quod major finis operationis majorem habet concordantiam cum æqualitate; quia, nisi hoc esset, sequeretur, quòd inæqualitas existeret in nobiliori fine & operatione, quàm æqualitas, & id, quod est minoritas, esset id, quod est majoritas, & econverso; atque invidia, superbia, injuria essent virtutes, & eis contraria essent vitia, quod est impossibile, ergo Deus est.

Camera 10.

Minoritas, Operatio, Differentia.

DIfferentia est in omni opere, in quo existit majoritas vel minoritas, idcirco finis se habet ad majoritatem, principium verò & medium ad minoritatem, ut finis & majoritas sint concordantes; si igitur Deus nihil sit, impossibile est finem & majoritatem posse concordantes esse absque minoritate & absque principio & medio, nec inter finem & opus sequitur æqualitas neque perfectio, & finis etiam æternaliter movetur ad perfectionem, nec eam ullo tempore consequetur, quod est impossibile, ergo Deus est.

Camera 11.

Affirmatio, Differentia, Concordantia.

AFfirmatio facta de majori fine concordantiam habet cum majoritate, si autem Deus nihil sit, per differentiam quidem inter omne opus & finem (siquidem diffe-

differentia exiſtit in omni opere & in omni ſine) poneretur major contrarietas, quàm concordantia, quia ſi in eis eſſet major concordantia, quàm contrarietas, ſequeretur, quòd finis & opus in tanta æqualitate convenirent, quòd in eis nulla differentia eſſet, & quoniam in privatione Dei affirmatio affirmans Deum poſſet eſſe major quàm finis, ſequeretur, ſi Deus nihil eſſet, quòd negatio Deum negans poſſet habere majorem finem, quàm affirmatio, atque major concordantia poſſet eſſe major in minori differentia quàm in majori, quod eſt impoſſibile, ad hoc, ut minoritas non ſe habeat ad tantum finem ſicut majoritas, neque majoritas ſicut æqualitas, ergo Deus eſt.

Camera 12.

Dubitatio, Concordantia, Contrarietas.

DUbitatio & contrarietas concordantiam habent cum minoritate operis & finis, alioquin dubitatio non haberet cum minoritate concordantiam, nec affirmatio & negatio cum majoritate, quod eſt impoſſibile, quod quidem impoſſibile foret in privatione, ſi Deus nihil eſſet, nam in privatione Dei eſſet major pœna, quàm gloria, & majus malum, quàm bonum, unde ſequeretur, quòd dubitatio & contrarietas majorem haberent concordantiam cum eſſe, quàm affirmatio & negatio, quod eſt impoſſibile, ad hoc, ut privatio & falſitas inde habeant majorem concordantiam cum minoritate operis & finis, eſſe verò & veritas cum majoritate eorundem; ergo Deus eſt.

Camera 13.

Negatio, Contrarietas, Principium.

MAjus principium & majus medium majori fini conveniunt, ut in majori opere non ſit contrarietas majoritatis, in qua ſint principium medium & finis: quoniam, ſi in majori opere eſſet contrarietas, concordantia quidem exiſteret in minori principio & in minori medio minoris finis, & ita negatio major eſſet affirmatione, cujus negationis majoritas ſumpta abſolutè impoſſibilis eſt, quæ foret poſſibilis, ſi Deus nihil foret; nam affirmatio repugnaret immenſitati & æternitati bonitatis poteſtatis ſapientiæ perfectionis &c. negatio autem concordantiam haberet cum privatione ipſius affirmationis & cum immenſitate & æternitate bonitatis &c. haberet concordantiam, perfectione exiſtente ſubjecto privationi totius perfectionis, quod ſubjectum eſt impoſſibile; ergo Deus eſt.

Camera 14.

Deus, Principium, Medium.

SI Deus ſit, majus principium & majus medium poterit eſſe, quàm ſi Deus non ſit, atque per principium & medium majora poterit eſſe major finis, quàm per minora, neque per minorem finem poterit eſſe tantum opus, quantum per majorem, & quoniam majoritas & eſſe habent concordantiam, minoritas verò & privatio, ergo, ſi Deus non eſt, repugnat ſeu contrariatur eſſe majoritati, & econverso; minoritas verò & eſſe habent concordantiam, atque per majorem privationem bonitatis, magnitudinis &c. poterit eſſe in omni opere majus principium majus medium major finis, ſed quoniam hæc omnia ſunt impoſſibilia, ergo Deus eſt.

Camera 15.

Creatura, Medium, Finis.

SI Deus nihil eſt, creatura nihil eſt, ſi autem creatura nihil eſt, ſequitur omnem finem eſſe, ut ſit omne opus, atque cauſa finalis principium eſt & medium, ut ſit opus: quia tamen eſt impoſſibile, ut minoritas cum fine habeat concordantiam, & majoritas cum opere, quia in omni opere eſſet priùs perfectio, quàm in ipſius operis fine, quod eſt impoſſibile, ergo Deus eſt.

Nos autem ſequendo hujus artis modum probavimus Deum eſſe, quem quidem modum habuimus in *duabus ſpeciebus* ſcilicet in *narratione* & *probatione*. Hæc autem probatio eſt in narrationis conditione. Iſte idem etiam modus continetur in ſolutionibus cæterarum quæſtionum.

SECUNDA QUÆSTIO.

Quæritur: Utrùm in Deo ſit Perſonarum pluralitas? & tenemus, quòd ſic.

Camera 1.

Deus, Operatio, Æqualitas.

AD probandum in Deo eſſe pluralitatem divinarum perſonarum, ſupponimus earum numerum eſſe in numero Trinitatis, hanc autem ſuppoſitionem per modum narrationis ſequitur poſſe reduci ad neceſſaria principia, quibus demonſtratio fieri poſſit, prout fit probatio pluralitatis. Et quoniam, ût compendioſiùs poſſumus, in hac arte tractare intendimus, ideo probabimus pluralitatem eſſe in Divinis, ſupponentes in Trinitate exiſtere numerum Perſonarum Divinarum, de quo numero exhibuimus demonſtrationem *in Libro articulorum Fidei*, *in quo ſecundùm practicam Demonſtrativæ Artis* pertractatur.

Camera 2.

Creatura, Differentia, Minoritas.

DEus exiſtit unus per eſſentiam & per dignitates, alioquin eſſet in eo differentia majoritas & minoritas, privaretúrque in eo æqualitas bonitatis magnitudinis æternitatis &c. quod eſt impoſſibile, quo manifeſtatur in Deo exiſtere pluralitatem divinarum Perſonarum & diſtinctarum, quia, niſi ita eſſet, ſequeretur, quòd in opere ſuo intrinſeco foret minoritas & majoritas; bonitate magnitudine exiſtentibus uno Deo per eſſentiam eſſet majoritas, & actibus earum non exiſtentibus uno Deo nec eſſentiâ cum ipſo Deo eſſet minoritas, quæ exiſteret in ipſo, ſi bonificare bonitatis & magnificare magnitudinis & æternificare æternitatis &c. non producerent Deum æqualem ſuæ unitati & eſſentiæ in bonitate magnitudine æternitate &c. cùm in unitate & eſſentia Dei ſe habeat bonitas ad bonificandum bonificatum & magnitudo ad magnificandum magnificatum & æternitas ad æternificandum æternificatum, ad hoc, ne in immenſitate nec in æternitate bonitatis poteſtatis ſapientiæ ſit otioſitas, quæ convenit cum malitia & parvitate, quæ quidem in eis fuiſſet per bonificare bonitatis & magnificare magnitudinis & æternificare æternitatis usque ad illud tempus, in quo mundus creatus extitit; hoc tamen eſt impoſſibile, quia ſi poſſibile foret, aut oporteret divinas dignitates ab effectu magnificari, aut malum eſſet bonificare magnificare æternificare per immenſitatem & æternitatem bonitatis poteſtatis ſapientiæ &c. hoc autem eſt impoſſibile, ergo pluralitas eſt in Divinis, ſine qua ſequerentur omnia ſupradicta inconvenientia.

Camera 3.

Operatio, Concordantia, Affirmatio.

CUm ſupponimus & affirmamus in Dei eſſentia & in opere intrinſeco, quod habet in ſe ipſo, Deum eſſe, qui de ſe toto Deum producit, qualibet dignitate ſuum purum actum habente, tunc ſupponimus & affirmamus in Deo eſſe magnitudinem poteſtatis ſapientiæ & voluntatis per bonitatem immenſitatem & æternitatem, ſed cùm prædictam ſuppoſitionem negamus, tunc ſupponimus in divina eſſentia non licere Deum eſſe, qui Deum producat, ne ſit in ea compoſitio, quæ convenit cum minoritate.

Per hanc autem negationem, quâ negamus in divino opere magnitudinem poteſtatis, ſapientiæ, voluntatis per immenſitatem bonitatis &c. repugnamus æqualitati, quam Deus habet in ſuo intrinſeco opere poſſificando in intelligendo & volendo, & quoniam poſſificare eſt Deus, & poteſtas eſt Deus, oportet poſſificatum eſſe Deum, alioquin ipſa poteſtas concordantiam haberet cum ſubſtantia, poſſificare verò cum accidente, & hoc idem ſequeretur de intelligere ſapientiæ & velle voluntatis, ſed quoniam in divino opere nequit eſſe inæqualitas poteſtatis poſſificandi poſſificati &c. ergo &c.

Camera 4.

Differentia, Contrarietas, Dubitatio.

EX majori Differentia poteſt eſſe major concordantia quàm contrarietas, cùm concordantia & eſſe habeant concordantiam, contrarietas verò & privatio, ad ſignificandum, quòd virtus veritas & gloria Dei habent intrinſecè concordantiam in magnitudine poteſtatis ſapientiæ & voluntatis absque parvitate, à qua non diſconvenirent absque diſtinctis divinis Perſonis, quia poteſtas non poſſet, nec ſapientia ſciret, neque voluntas vellet opus virtutis veritatis gloriæ in immenſitate bonitatis æternitatis &c. absque æqualitate operis in divinis Perſonis diſtinctis in proprietates perſonales & exiſtentibus eâdem eſſentiâ per ſuas proprietates. Quicunque autem ſuper hoc dubitationem patitur, contradicit æqualitati divini operis intrinſeci adverſùs ſupradicta neceſſaria principia.

Camera 5.

Concordantia, Principium, Negatio.

PErfectio juſtitia largitas ſimplicitas ſunt unus idem Deus, quæ non eſſent ipſe Deus absque concordantia æqualis operis intrinſeci & æterni, quod cum æqualitate concordantiæ in omnibus divinis dignitatibus exiſtat, quia ſinè concordantia æqualis operis per bonitatem magnitudinem æternitatem &c. nequirent divinæ dignitates exiſtere unus Deus, ſed eſſent diſtincta principia non concordantia nec æqualia, cùm bonitas non bonificaret immenſitatem magnitudinis æternitatis &c. nec è converſo, unde quia negare pluralitatem in Deo eſſe, ſignificat in Deo non eſſe concordantiam æqualis operis divinarum dignitatum, per quod opus ipſæ dignitates ſint unus Deus, & per quod per ſe ipſas non ſint multa principia, ex quibus ſequatur multos eſſe Deos indigentes perfectione juſtitiâ largitate ſimplicitate & nobilitate, eſt negatio contra unitatem & ſingularitatem Dei, & affirmare in Deo concordantiam & æqualitatem, quod in eo pluralitatem ſignificat, ſinè qua nec concordantia nec æqualitas in eo poſſent eſſe, eſt affirmatio concordans unitati & ſingularitati Dei, ergo de neceſſitate oportet in Deo eſſe oppoſitum hujus, quod negat ſupradicta negatio, ergo &c.

Camera 6.

Contrarietas, Medium, Deus.

MAjor contrarietas eſt in Dei eſſentia eſſe limitationem bonitatis magnitudinis æternitatis & ſimplicitatis &c. ſi in ea ſit ſuppoſitum genitum æternaliter infinitè exiſtens immenſum & æternum in bonitate magnitudine æternitate ſimplicitate &c, quàm ſi in Deo non generaretur antedictum ſuppoſitum; & quoniam id oportet in Deo eſſe & eſſe Deum, per quod major contrarietas & majus impoſſibile ſint in Deo eſſe malitiam parvitatem principium & compoſitum, ergo oportet in divino opere eſſe diſtinctionem ſuppoſitorum, ne in eo ſit aliquod medium, unde ſequatur inæqualitatem eſſe inter majorem contrarietatem & majus impoſſibile cum majori concordantia in poſſibili, cùm in Deo ſit omne id, per quod à divina bonitate &c. plùs diſtat limitatio, ergo &c.

Camera 7.

Principium, Finis, Creatura.

QUia Deus ſe intelligit & diligit, diligítque ſe Deum eſſe, & eſt Deus diligendo in ſe ipſo bonitatem magnitudinem æternitatem &c. atque intelligendo ſuam bonitatem magnitudinem &c. eſſe Deum, oportet in ipſo eſſe opus intrinſecum, in quo ſit æqualitas bonitatis & bonificandi, magnitudinis & magnificandi, æternitatis & æternificandi & ſic de aliis cum ſapientia & intelligere & cum voluntate & diligere; & quoniam hanc æqualitatem oportet eſſe in intrinſeco divino opere, oportet Deum tantum diligere, tantum intelligere in quolibet actu ſuarum dignitatum, ſicut in actu ſapientiæ & voluntatis, alioquin ſequeretur, quòd in intrinſeco opere Dei eſſent intelligere & velle finis bonificandi magnificandi æternificandi &c., qui quidem finis eſſet cauſa & principium actibus bonitatis &c. & ſequeretur, quòd in ipſo opere eſſet actuum inæqualitas, & ſic quælibet creatura majorem influentiam reciperet à ſapientia & voluntate Dei, quàm à bonitate &c. quod eſt impoſſibile, ergo oportet pluralitatem in Deo eſſe, ſinè qua bonitas &c. nequiret bonificare &c. per immenſitatem æternitatem &c.; ſi autem in divina eſſentia non conveniat bonificare, eò quòd bonitas in ea eſt cum perfectione &c. ergo non oportet divinam ſapientiam intelligere, neque divinam voluntatem diligere, eò quòd ipſa Dei eſſentia eſt perfectio, neque oportet Deum ſe diligere eſſe Deum, eò quòd ipſe eſt Deus, ſed quoniam non eſſet Deus, niſi ſe intelligeret & diligeret, oporteret ipſum non eſſe Deum, niſi in ſe ipſo æqualem ſibi ipſi bonificaret, ergo &c.

Camera 8.

Medium, Majoritas, Operatio.

SI in Deo non eſſet pluralitas, ſequeretur, quòd in intrinſeco & extrinſeco opere Dei foret contrarium divinarum dignitatum medium, per quod eſſent actus divinarum dignitatum, quod quidem medium eſt impoſſibile, quia niſi in Deo eſſet pluralitas, ſequeretur omnem bonitatem habere bonificare propter indigentiam boni & omnem perfectionem habere perficere propter indigentiam perfectionis, atque de

de omnibus dignitatibus ſequeretur hoc idem, nam ſi bonitas bonificaret, non bonificaret ſe ipſam, cùm ipſa ſit perfecta bonitas, & niſi foret perfecta, bonificaret quidem propter indigentiam, & hoc idem ſequeretur de aliis dignitatibus, itaque imperfectio & indigentia boni in æternitate forent majores, quàm perfectio largitas nobilitas &c. atque imperfectio & indigentia forent medium, per quod eſſent perfectio & non indigentia boni &c., quod eſt impoſſibile, ad hoc ut majoritas non ſit in Deo nec in ejus opere magis diſſimilis æqualitati bonitatis, magnitudinis &c. quàm minoritas, ergo &c.

Camera 9.

Finis, Æqualitas, Differentia.

DEus in ſe ipſo habet ſuum intrinſecum opus, ut in ſe ipſo ſummum finem habeat, quem ſinè intrinſeco opere nequiret habere, quia ſinè ipſo opere eſſent in Deo bonitas magnitudo &c. propter aliquem finem, qui Deus non eſſet, atque privaretur æqualitas inter bonitatem & intelligere ſuum, & ſic de aliis, per quam privationem ſequeretur differentiam majoritatis & minoritatis eſſe in Deo, quam impoſſibile eſt eſſe in eo ideo, ut bonitas & bonificare ſapientiæ ſuum finem habeant intrinſecè & æqualiter in ſe ipſis, quem finem nequirent habere intrinſecè nec æqualiter absque diſtinctis Perſonis, quæ ſunt Deus & finis bonitatis in bonificare ſui per ſapientiam & intelligere, ergo &c.

Camera 10.

Majoritas, Minoritas, Concordantia.

COncordantia majoritatis vel minoritatis eſſe nequit intrinſecè in eſſentia divina, cùm omnis minoritas ſit defectiva, idcirco poteſt in ea eſſe concordantia rerum æqualium, quibus eſt majus impoſſibile in ea eſſe concordantiam rerum, in quibus ſit majoritas vel minoritas, hoc autem majus impoſſibile fit cum magnitudine concordantiæ æqualitatis per bonitatem æternitatem &c. cum qua inæqualitas haberet contrarietatem per bonitatem æternitatem &c. ſi majoritas vel minoritas eſſet in opere bonificandi &c. & quoniam in Deo poteſtas habere non poſſet concordantiam cum æqualitate per bonitatem &c. absque diſtinctione proprietatum perſonalium in intrinſeco opere ſpecificativo per eſſentiam divinam, ergo &c.

Camera 11.

Æqualitas, Affirmatio, Contrarietas.

IN intrinſeco divino opere eſt æqualitas vel inæqualitas, ſi in ea eſt æqualitas, oportet in ea eſſe pluralitatem & concordantiam, ſinè quibus nequit in ea eſſe æqualitas, cùm ſint relativæ, ſi verò in ea ſit inæqualitas, oportet ipſam inæqualitatem cum contrarietate, cum qua concordantiam habet, eſſe in bonitate & bonificare, in magnitudine & magnificare & ſic de aliis, unde ſi affirmemus in intrinſeco divino opere eſſe inæqualitatem, affirmamus bonitatem & cæteras eſſe aptas ad producendum infinitum bonum per magnitudinem &c. nec producunt illud, & ſic cum aptitudine ſua exiſtunt ſuis actibus inæquales, qui actus & aptitudo non ſunt Deus, cùm ſit impoſſibile omne id eſſe in entitate & natura Dei, quod eſt inæquale divinæ bonitati &c. ergo &c.

Camera 12.

Minoritas, Dubitatio, Principium.

SI in intrinſeco opere Dei ſit principium absque minoritate, illud quidem principium oportet eſſe æquale immenſitati & æternitati; ſi verò in ipſo ſit principium, ne ſit in eo inæqualitas immenſitatis & æternitatis cum ente principiato, poteſt eſſe in ipſo opere ens principiatum immenſum & æquale immenſitati & æternitati, & quoniam dubitare non oportet, quòd divina poteſtas non ſit defectiva nec inæqualis immenſitati & æternitati, ſed potiùs affirmare convenit ipſam poſſe in immenſitate & æternitate, in quibus non poſſet absque opere & pluralitate; ergo. &c.

Camera 13.

Affirmatio, Negatio, Medium.

NUllum accidens poteſt eſſe in operatione, in qua ſit æqualitas operis operantis & operati cum immenſitate & æternitate, nec in aliqua operatione poſſunt eſſe operans & operatus absque pluralitate, ſi ergo negemus operationem operantem & operatum eſſe in Deo, ut non affirmemus in Deo eſſe accidens, ſequitur, quòd noſtra affirmatio & negatio ſint medium, per quod negemus poteſtatem poſſe tantum

tum, & sapientiam scire tantum, & voluntatem velle tantum, in substantia, in qua sit immensum & æternum, scilicet in substantia increata sicut in creata, in qua existit operatio operans & operatum, hoc autem est impossibile ad hoc, ne sit medium, in quo potestas sapientia & voluntas Dei habeant inæqualitatem cum immensitate & æternitate, in quo potestas non posset possitum [ut ita loquar] neque sapientia sciret scitum, neque voluntas vellet volitum, ad evitandum accidens esse in divina substantia, in qua nullum accidens esse potest, cùm in ea sit immensitas & æternitas potestatis sapientiæ & voluntatis, ergo &c.

Camera 14.

Dubitatio, Deus, Finis.

DEus est æternitas, in qua vel est opus æternificandi vel non? si autem in æternitate est opus æternificandi, oportet in ea esse opus magnificandi, possificandi, sciendi, volendi &c. nam omnes hæ dignitates idem in Deo sunt ad eundem finem, ut in Deo sit æqualitas & non inæqualitas, quæ cum majoritate & minoritate convenit, si verò in æternitate non esset opus æternificandi, impossibile esset in ea esse opus magnificandi, possificandi, intelligendi, volendi &c. quod si ita esset, foret in Deo inæqualitas majoritas & minoritas: & si in Deo non essent intelligere & velle, esset itaque Deus, & non esset, quod est impossibile, ergo æternificare in Deo est, in quo bonificare magnificare &c. sunt tam magna sicut æternitas bonitas &c. ergo oportet finem esse æqualem æternirati & æternificare magnitudini & magnificare; quocirca oportet à fine & ab æternificare produci per totum Deum suppositum, quod sit Deus, ex suppositio, quod sit Deus, ergo in Deo est pluralitas affirmanda, si autem negatio negans pluralitatem in Deo esse haberet æqualiter concordantiam cum æqualitate, sicut affirmatio affirmans pluralitatem in Deo esse, sequeretur, quòd insimul haberent æqualem finem & operationem cum dubitatione, quod est impossibile, nam si illud foret possibile, sequeretur pluralitatem esse in Deo & non esse, quod est contradictio: ergo in Deo est pluralitas, cùm finis & pluralitas concordantiam habeant in æternitate & æternificare cum affirmatione contra negationem & dubitationem, affirmante affirmatione, quòd, sicut considerare possumus, quòd homo potestatem habet producendi infantem ex muliere generando filium, & cadit inter patrem & filium relatio, ita similiter per alium modum cadit relatio in divinis in potente & possito, in sciente & scito, & sicut pater & filius sunt in una eadem hominis specie, nec pater producendo filium producit ipsam speciem, eò quia communicat cum ea, ita Pater, qui Deus est, producit Filium, qui Deus est, sed non producit essentiam, quæ totaliter cuique eorum conveniens est, imò producit potiùs Filium, qui est potestas bonitatis magnitudinis sapientiæ &c.

Camera 15.

Negatio, Creatura, Majoritas.

IN creatura agit natura majus opus in majoritate quàm in minoritate, idcirco agit homo *nobilius* opus quàm brutum, & brutum quàm vegetabile simpliciter, quemadmodum nobilius opus operatur ex auro quàm ex plumbo, & nobilius opus fit affirmando quàm negando, cùm homo nobilior sit quàm brutum, & brutum quàm planta, & aurum quàm plumbum, & affirmatio quàm negatio, unde cùm hæc ita sint, & quia omnis creatura, prout poterit, assimilat & coæquat suum opus sibi ipsi in magnitudine, ergo oportet in Deo esse nobilitatem per immensitatem bonitatis &c. ut in intrinseco divino opere sit æqualitas, Deo ex se ipso producente Deum, & ex bonitate bonum, & ex magnitudine magnum, & sic de aliis, ut in divinis sit æqualitas operis per essentiam & naturam, nam sinè pluralitate esset in eis majoritas & minoritas, & sic inæqualitas, sed quia hoc est impossibile, ergo est pluralitas in Divinis.

Pluralitatem in Deo esse probavimus quatuordecim rationibus & hoc quatuordecim modis volvendo quatuordecim cameras *secundæ figuræ*, prout exemplificamus in antedictis quatuordecim rationibus.

TERTIA QUÆSTIO.

Quæritur: Utrùm Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio? & teneo, quòd sic.

Camera

Camera 1.

Differentia, Concordantia, Æqualitas.

AD probandum in divinis Sanctum Spiritum procedere à Patre & Filio oportet sequi præcedentem modum, per quem probatur æqualitas in divinis. Cameræ autem, quibus hæc probatio debet fieri, diversificantur ad dandum doctrinam & modum in hac arte, quomodo, prout quæstiones diversæ sunt, sciat artista in secunda figura cameras variare, ut reperire possit, quod quæritur. Particulare verò in hac quæstione perquiritur cum divinis dignitatibus isto modo.

Camera 2.

Concordantia, Contrarietas, Minoritas.

IN divina *bonitate* est distinctio concordantium Personarum æqualium in bonitate magnitudinis æternitatis &c. maximè cùm ipsa bonitas & Personæ divinæ sint eadem essentia & natura, in qua nec contrarietas nec majoritas bonitatis magnitudinis recipi possunt: quoniam si in ea reciperentur, essent in ea æqualitas & contrarietas majoritatis & minoritatis, quæ contrarietas cum malitia bonitatis magnitudinis æternitatis esset in essentia & natura Dei, hoc autem est impossibile, per quod demonstratur Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, qui si solùm à divina essentia procederet, & non à Patre & Filio, ejus quoque processus contradiceret essentiæ Patris & Filii & sibi ipsi, in quantum produceret differentiam essentiæ naturæ & personarum, quæ differentia concordantiam haberet cum bonitatis majoritate contradicente in divinis æqualitati & producente in Deo majoritatem, quæ cum malitia concordantiam haberet, sequeretur itaque, quòd unum contrariorum causaret alterum, quod est impossibile. Si verò Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio, existit in majori bonitate, quàm si non procederet nisi à Patre, aut ejus processus magis esset à Patre & non à Filio, ne in majori malitia existat processus ejus, quod est impossibile, ad hoc ut Sanctus Spiritus sit bonus & non malus, si verò Sanctus Spiritus à Filio & non à Patre procedat, sequitur semper prædictum impossibile, atque existit impossibile in Deo contradicens impossibili, quod cum bonitate magnitudinis habet concordantiam, hoc autem existere est impossibile; per quod manifestum est in divinis Sanctum Spiritum procedere à Patre & Filio.

Camera 3.

Contrarietas, Principium, Affirmatio.

IN Divina *magnitudine* affirmamus Sanctum Spiritum procedere ex Patre, si autem per hanc affirmationem repugnaremus magnitudini, quæ est æqualium Personarum distinctarum & concordantium absque aliqua contrarietate, sequeretur, quòd negatio esset major magisque generale principium quàm affirmatio, hoc autem est impossibile; cùm affirmatio habeat absolutè concordantiam cum esse, quæ cum magnitudine convenit, negatio verò cum privatione, sed quoniam Sanctus Spiritus est illa proprietas, per quam Pater & Filius habent æqualem concordantiam in magnitudine bonitatis æternitatis &c., & est illud, per quod Pater & Filius nullam habent contrarietatem neque aliquam inæqualitatem in magnitudine bonitatis æternitatis &c. ergo oportet Sanctum Spiritum æqualem existere per Patrem & Filium, in quorum æqualitate non existeret, si ex Patre procederet & non ex Filio existendo in majori concordantia per Patrem quàm per Filium in distinctione Patris & Filii & suî ipsius, per quam majoritatem existeret ipse Sanctus Spiritus in minoritate, quod est impossibile.

Camera 4.

Principium, Medium, Dubitatio.

DEus Pater in *æternitate* potestatem habens bonitatis magnitudinis sapientiæ voluntatis &c. generavit Filium æternum & potentem in bonitate magnitudine; sed si Sanctus Spiritus procedat ex Patre & non ex Filio, impossibile est ipsum Filium esse potentem in æternitate bonitate magnitudine &c. in quibus Filius potestatem haberet, si de se ipso processum dare posset, in quo producatur Sanctus Spiritus, qui est æternus &c, & quoniam, nisi Sanctus Spiritus ab ambobus procedat, non est Filius perfectus principiatus, neque Pater perfectus principiator per æternitatem &c. neque etiam est medium æternum &c. inter Patrem & Filium, nec inter Patrem & Sanctum Spiritum; neque inter Filium & Sanctum Spiritum, ergo dubitatio majorem

habet concordantiam in solutione hujus quæstionis cum negatione, quàm cum affirmatione, sed quia dubitatio & minoritas habent concordantiam cum privatione, ergo &c.

Camera 5.

Medium, Finis, Negatio.

DE *Potestate*, quæ est Pater, oritur potestas, quæ est Filius, & de ipsa eadem potestate, quæ est Pater, procedit Sanctus Spiritus, atque de ipsa potestate, quæ est Filius, procedit ipse Sanctus Spiritus, & est finis, per quem perficitur operatio potestatis, ut origo Filii & processio ipsius Sancti Spiritûs non tendant in fines numero infinitos, in quibus nullum esset medium, per quod operatio divinæ potestatis ad finem perveniret, quæ convenit cum perfectione, & sic privato medio privaretur æqualitas & concordantia in distinctione divinarum Personarum, quarum privatio negabilis est & impossibilis, quia affirmatio esset impossibilis, nisi Sanctus Spiritus procederet ex Patre & Filio, quia si Sanctus Spiritus non procederet ex Filio, potestas quidem Patris posset in Filio & Spiritu Sancto, Filius autem non posset in potestate, quæ est Deus, scilicet in diligere se & Patrem & Sanctum Spiritum, esset itaque minor Patre, sed quia diligendo se & Patrem & Sanctum Spiritum producit Deum Sanctum Spiritum, qui ab ipso procedit, idcirco potestas ejus æqualis est Patri & Sancto Spiritui, atque ipse Sanctus Spiritus æqualis pari potestati amborum, habens tantam potestatem fruendo se ipso & Patre & Filio, quanta est potestas generandi & spirandi, ergo &c.

Camera 6.

Finis, Majoritas, Deus.

IN divinis Personis est distinctio, in qua est æqualitas & concordantia per totam divinam *sapientiam*, quæ immensè & æternaliter per bonitatem magnitudinem scit ex Patre oriri Filium & procedere Sanctum Spiritum cum immensa & æterna velocitate per bonitatem & in bonitate &c., quoniam sicut in distinctione ipsarum Personarum oportet esse immensitatem æternitatem bonitatis &c. ita oportet in eis esse immensam & æternam velocitatem oriendi & procedendi per bonitatem, quod nisi ita esset, sapientia quoque sciret minoritatem esse repugnantem majoritati æqualitatis & concordantiæ in distinctione divinarum Personarum, quod scire est impossibile, quod etiam esset possibile, si in Divinis Sanctus Spiritus non procederet nisi ex Patre solùm, quia priùs esset concordantia & finis inter Patrem & Filium & inter ipsum Patrem & Sanctum Spiritum, quàm inter Filium & Sanctum Spiritum, atque distinctio ipsarum Personarum & minoritas haberent concordantiam, & majoritas esset in potentia, nisi Sanctus Spiritus procederet ex Filio, nam major concordantia poterit esse in divinis Personis per majorem distinctionem quàm per minorem, quæ major distinctio est, si Sanctus Spiritus ex Patre & Filio procedit, minor verò, si solùm ab uno eorum procedit; & quoniam nobilior finis & majoritas in Deo conveniunt per æqualitatem, concordantiam, distinctionem, sapientiam &c. ergo.

Camera 7.

Majoritas, Æqualitas, Creatura.

MAjor æqualitas est in creatura per differentiam & concordantiam, quàm inæqualitas per differentiam & contrarietatem, quapropter *amor*, qui cum minoritate convenit, discurrit per differentiam contrarietatem & inæqualitatem, idcirco manifestum est in divinis, quòd Sanctus Spiritus procedit ex Filio, quia si ex Patre procederet & non ex Filio, sequeretur contrarium in principiis antedictis, cùm effectus suam causam fortiùs significet in majoritate differentiæ concordantiæ & æqualitatis quàm in minoritate differentiæ contrarietatis & inæqualitatis, ergo &c.

Camera 8.

Æqualitas, Minoritas, Operatio.

SI Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio, magis æqualis poterit esse ambobus, quàm si procederet ex Patre solo, quemadmodum *virtus* conclusionis in majori æqualitate consistit, quia procedit à duabus propositionibus, quàm si procederet ab una tantùm: hoc etiam simili modo sequitur in conjunctione, nam in quantum conjunctio procedit ex materia & forma in elementatum, tantò major est virtus operationis per ipsas tres, quàm si conjunctio procederet ex uno duorum principiorum tantùm, & hoc idem sequitur per omnia simplicia principia, è quibus producitur suppositum seu persona, procedente virtute de substantia in opus per differentiam concordantiam & æqualitatem, contra differentiam contrarietatem & inæqualitatem; unde quia hoc ita est, & quia inconveniens est minorem operationem virtutis Deo attribuere, ergo major ei convenit, ergo &c.

Camera 9.

Minoritas, Affirmatio, Differentia.

AD inquirendum *veritatem* inter affirmationem & negationem est differentia, quæ quandoque per contrarietatem & minoritatem existit inter eas, & quandoque per concordantiam & majoritatem, quocirca manifestum est, quòd aliquod medium esse oportet inter affirmationem & negationem, quod procedat in concordantiam vel contrarietarem in majoritatem vel minoritatem, nam affirmatio vel negatio diversificari nequirent per concordantiam & contrarietatem, nisi aliud medium procederet ab ambabus; unde cùm hæc ita sint, ergo per hæc principia jam prædicta manifestum est, Sanctum Spiritum à Patre & Filio procedere, ne minoritas distinctionis, concordantiæ & æqualitatis sint medium in hoc divino processu, per quod medium distinctio & contrarietas sequerentur contra æqualitatem, & destruerentur prædicta principia, quorum destructio impossibilis est, ergo &c.

Camera 10.

Affirmatio, Dubitatio, Concordantia.

INter affirmationem & negationem potest esse major concordantia quàm inter affirmationem & dubitationem & quàm inter negationem & dubitationem, ideóque æqualitas & differentia majores esse possunt inter affirmationem & negationem quàm inter affirmationem & dubitationem & quàm inter negationem & dubitationem: unde cùm hoc ita sit, ergo quia Deus Pater & Deus Filius sunt *gloria*, nec sunt contrarium gloriæ, oportet ex Patre & Filio Spiritum Sanctum procedere, qui est gloria, nec est contrarium gloriæ, qui si ex Patre & non ex Filio procederet, ipse quidem esset gloria, cùm Pater sit gloria, nec sit contrarium gloriæ, sed non esset gloria, eò quòd Filius est gloria, & non est contrarium gloriæ: itaque sequeretur per hoc principium, quòd negatio non posset tantum diversificari, nec tantum concordari neque tantum coæquari, sicut dubitatio, hoc autem est impossibile, ergo &c.

Camera 11.

Dubitatio, Negatio, Contrarietas.

INter dubitationem & negationem semper existit contrarietas, quando existit differentia & æqualitas concordantiæ inter affirmationem & negationem, & quoniam Pater, qui est *perfectio* per essentiam, & est Persona per proprietatem activam operativam generativam & specificativam, generat Filium, qui est ipsa eadem perfectio per ipsam eandem essentiam, & est Persona per proprietatem filialem genitam & specificatam, ideo ambæ Personæ dant processionem Sancto Spiritui, ut ipse Pater sit Pater, & ut Filius sit Filius, in quibus sit perfectio & essentia per Personam specificativam & specificatam, cujus Filii Persona non esset perfectio nec essentia, nisi procederet ab ea Sanctus Spiritus, quoniam sicut concordantia, quæ per differentiam ab affirmatione & negatione procedit, participationem haberet cum dubitatione & contrarietate, si ab affirmatione vel negatione tantùm procederet, ita Filius Dei participationem haberet cum contrarietate perfectionis, si Sanctus Spiritus tantùm procederet à Patre, ergo &c.

Camera 12.

Negatio, Deus, Principium.

IN Principio, quando negatur Deum esse, sequitur in divinis non esse Patrem neque Filium, in quibus immensa & æterna *justitia* sit concordans & æqualis per distinctas divinas Personas, ideóque negatio & principium sunt contra affirmationem & majoritatem justitiæ immensitatis & æternitatis divinarum Personarum distinctarum æqualium æternalium & immensarum; unde si hoc ita sit, in principio, quando negatur Sanctum Spiritum procedere ex Filio, & affirmatur illum procedere ex Patre, negatur itaque immensitas & æternitas justitiæ, quam Pater habet generando Filium, attribuens ei tantam immensitatem æternitatis per justitiam bonitatis potestatis &c. quantam habet in semet in spiran-

ſpirando Spiritum Sanctum, qui immenſus eſt & æternus in juſtitia per bonitatem &c. ergo &c.

Camera 13.

Deus, Creatura, Medium.

INter Deum & creaturam nullum poteſt eſſe medium, quod non ſit Deus nec creatura, excepto peccato, quod nec eſt Deus, nec eſt creatura, quod exiſtit in contrarietate differentiæ concordantiæ & æqualitatis, quæ in divinis ſunt inter Patrem & Filium & Sanctum Spiritum, quod etiam eſt inter differentiam & concordantiam Dei & creaturæ, & quoniam peccatum non à Deo ſed à creatura procedit, ad ſignificandum, quòd Sanctus Spiritus exiſteret in contrarietate Patris & Filii per avaritiam exiſtentem in Patre, niſi ipſe Pater habeat tantam *largitatem*, quòd procedere faciat Sanctum Spiritum ex Filio; qui Filius exiſtens ipſa largitas non haberet actum largitatis, ſi Sanctus Spiritus non procederet ex ipſo Filio, neque etiam ipſe Sanctus Spiritus foret tantum largificatus à largitate, ſicut ſi procedat ex Patre & Filio per æqualem diſtinctionem & concordantiam Patris & Filii, ergo &c.

Camera 14.

Creatura, Operatio, Finis.

IN omni creatura eſt aliqua operatio, quæ ſe habet ad aliquem finem, & in quantò aliqua creatura habet concordantiam & æqualitatem cum majoritate & affirmatione, tantò habet excellentiorem operationem magisque perfectum finem, quàm creatura, quæ habet concordantiam & æqualitatem cum minoritate & negatione; & quoniam hoc ita eſt, manifeſtè oſtenditur, ſi Sanctus Spiritus ex Patre & Filio procedat, quòd ipſe Filius ſe habet ad tam nobilem finem in Sancto Spiritu ſicut Pater, ſi verò non ex Filio ſed ſolùm ex Patre procedat, ipſe quidem Pater ad nobiliorem finem ſe habet, quàm Filius, eò quòd ipſe Filius non ſe habet ad operationem neque ad finem, itaque Pater eſt excellentior & nobilior Filio, quod eſt impoſſibile & contra æqualem concordantiam, quam habent Pater & Filius & Sanctus Spiritus in diſtinctione proprietatum perſonalium per *ſimplicitatem* eſſentiæ & naturæ per bonitatem immenſitatem æternitatem &c. ergo &c.

Camera 15.

Operatio, Differentia, Majoritas.

IN majoritate operationis *nobilitas* poteſt habere majorem concordantiam & æqualitatem cum diſtinctis entibus, quàm in minoritate operationis, hoc enim eſt, quia majoritas & nobilitas habent concordantiam, minoritas verò & vilitas; & quoniam majoritas abſque minoritate nequit eſſe, ergo in divinis Perſonis nequit eſſe majoritas, cùm non ſit in eis minoritas, quæ quidem in eis eſſet, ſi Sanctus Spiritus ex Filio non procederet, ſed ex Patre tantùm, quia per Patrem eſſet Sanctus Spiritus nobilis, atque Filius eſſet nobilis, ſed non eſſet nobilis dando Sancto Spiritui, neque etiam Sanctus Spiritus ab eo recipiendo: itaque Pater non generaret de tota æternitate ſua Filium, neque daret de tota æternitate ſua Sancto Spiritui proceſſionem: & quia iſto modo eſſet minoritas nobilitatis per totas divinas Perſonas, quæ eſt impoſſibilis, ergo &c.

QUARTA QUÆSTIO.

Quæritur: Utrùm Deus ſit incarnatus? Et teneo, quòd ſic.

Camera 1.

Medium, Finis, Majoritas.

AD probandum Filii Dei Incarnationem eſſe, elegimus hanc cameram hìc præſcriptam, quæ eſt *antecedens* XIV. camerarum, per quas probamus Incarnationem Dei, & per illum modum, quem in præcedentibus ſolutionibus tenuimus, nitimur proſequi. Quare primò *per ſecundam cameram* procedemus probando ipſam Incarnationem, deinde ſecundùm ordinem per cæteras ordine ſubſequentes.

Camera 2.

Finis, Majoritas, Æqualitas.

DIvina *bonitas* creavit hominem, ut ab eo cognoſcatur & ametur, ideóque æqualius majúsque medium, per quod poterit ſequi finis, ad quem homo creatus eſt, conſiſtit in hoc, quòd Deus & homo ſint una eadem perſona, per quam & in qua operatione Deus tribuat tantam bonitatem, quòd homo poſſit eſſe æqualis fini, ad quem creatus eſt, qui niſi æqualis eſſet ei, ipſe quidem finis cum majoritate concordantiam haberet in bonitate, medium verò cum minoritate, itaque in Deo eſſet inæqualitas bonitatis magnitudinis poteſtatis ſapientiæ & voluntatis; illud autem medium non eſſet æquale fini in bonitate, niſi Deus fuerit incarnatus, nam ſinè ejus incarnatione nemo poſſet tantum cognoſcere Deum, quantum per eſſentiam ſuam dignus eſt ab hominibus cognoſci & amari.

Camera 3.

Majoritas, Æqualitas, Minoritas.

INter principium & finem medium poterit eſſe in majori *magnitudine* per majoritatem, quàm per minoritatem, idcirco major æqualitas poteſt eſſe inter principium medium & finem per majoritatem, quàm per minoritatem; & quoniam major magnitudo, quam in principio medio & fine poſſit creatura recipere, eſt ipſam conjunctam eſſe & unitam cum divina natura, in qua eſt principium medium & finis ipſius creaturæ; ſi igitur Deus non eſſet incarnatus, creatura quidem poſſet habere majus principium majúsque medium & majorem finem in potentia, quàm Deus largitus eſſet; itaque Deus repugnaret majoritati finis & principii cum minoritate medii inæqualis & contrarii majoritati finis & principii; quocirca ſequeretur, quòd per minoritatem creatura poſſet eſſe magis æqualis magnitudini quàm per majoritatem, hoc autem eſt impoſſibile, ergo &c.

Camera 4.

Æqualitas, Minoritas, Affirmatio.

AFfirmatio & majoritas habent majorem æqualitatem, quàm negatio & minoritas, ideóque ſequitur, quòd per affirmationem & majoritatem ſequatur majus medium majórque finis, quàm per negationem & minoritatem; ſi hoc autem eſſet econtrario, ſequeretur, quòd in *æternitate* foret magis poſſibile eſſe minoritatem quàm majoritatem, hoc autem eſt impoſſibile, per quod oſtenditur manifeſtè Deum incarnatum eſſe, ut affirmatio & æqualitas majorem concordantiam habeant per æternitatem cum prima camera, quàm negatio & minoritas, ergo &c.

Camera 5.

Minoritas, Affirmatio, Dubitatio.

MAjoritas & affirmatio habent concordantiam, minoritas verò & dubitatio; & quoniam affirmatio magis diſtat à minoritate quàm negatio, idcirco divinam *poteſtatem* plùs convenit influere in creaturam in majoritate medii & finis quàm in minoritate, quâ majoritate ſequitur eſſe incarnationem, alioquin ſequitur minoritas, quæ concordantiam habet cum dubitatione & negatione, atque divina poteſtas operans eſt nobilius principium nobilius medium & nobilior finis cum minoritate, quàm cum majoritate, quod eſt impoſſibile, ergo &c.

Camera 6.

Affirmatio, Dubitatio, Negatio.

EX affirmatione & negatione defectivis oritur dubitatio, cùm ortus ſit propinquior principio, & proceſſus medio, & finis affirmationi, quæ convenit cum majoritate, quàm negationi, quæ convenit cum minoritate; & quoniam divina *ſapientia* eſt intelligibilis in intelligibilitate exiſtente per ſuum finem & in intelligibilitate exiſtente per medium, ergo divina incarnatio eſt, cùm per hoc prædicta principia demonſtrentur; quia ſi Deus non foret incarnatus, eſſet majoritas per medium dubitationis & negationis in intelligibilitate, intelligibilitas verò per minoritatem affirmationis & finis, quod eſt impoſſibile.

Camera 7.

Dubitatio, Negatio, Deus.

CReata *voluntas* nequit adhærere Deo tantum per dubitationem & negationem, ſicut per affirmationem, quia majoritas & finis ad affirmationem ſe habent, minoritas verò & medium ad negationem & dubitationem, & quoniam increata voluntas fortiùs influit ſuam ſimilitudinem in creatam voluntatem per majoritatem & affirmationem, quàm per minoritatem & dubitationem, ergo divina incarnatio eſt, quæ cum majoritate medii & finis & affirmationis convenit, & hoc ſinè aliquo inconveniente, quod inconveniens in ea nequit eſſe, cùm in ea ſit majoritas amabilitatis medii finis & affirmationis, atque minoritas dubitationis & negationis; ergo.

Camera 8.

Negatio, Deus, Creatura.

MEdium, quare creatura per negationem concordantiam habet cum *virtute* increata, est, ut ipsa neget esse omne inconveniens in divino opere intrinseco & extrinseco, affirmando in eo omne conveniens esse, & quoniam finis majoritas & affirmatio melius convenire possunt, cùm in ipso opere nullum inconveniens est, quàm finis majoritas & negatio, eò quòd medium habeat majorem virtutem per affirmationem, quàm per negationem, ergo.

Camera 9.

Deus, Creatura, Operatio.

MEdium vel finis *veritatis* majus esse poterit in majoritate quàm in minoritate, quoniam si esset per oppositum, sequeretur, quòd majoritas & minoritas haberent concordantiam, minoritas verò & minoritas contrarietatem, hoc autem est impossibile, per quod manifestatur incarnatio Filii Dei; quia major finis, quem increata veritas largiri potest, & majus bonum, quod creare potest, est, quòd ipsa faciat se ipsam & veritatem creatam esse in una eadem persona, ut ipsa increata veritas possit melius se fruibilem reddere in omni sua operatione, ad cujus fruitionem creatur homo per majoritatem medii finis creaturæ operationis, si Deus sit incarnatus, sed per minoritatem, si Deo & homini disconveniat incarnatio, & quoniam veritas magis distat à falsitate per majoritatem creaturæ operationis differentiæ quàm per minoritatem, ergo &c.

Camera 10.

Creatura, Operatio, Differentia.

IN omni creatura est operatio perfectior, quando medium & finis sunt per majoritatem, quàm dum sunt per minoritatem, quemadmodum in *gloria* memoria animæ beatæ recolit species absolutè, sed ejus intellectus & voluntas præcellunt ipsam memoriam fruendo Deo absque ullo medio & specie, & operantur in eo per modum objecti, & hoc differenter à speciebus, quas memoria retinet de divinis dignitatibus, quibus intellectus & voluntas fruuntur sinè medio, & ideo operatio memoriæ existit per minoritatem finis, sed operatio intellectûs & voluntatis per majoritatem finis. Unde cùm hæc ita sint, si igitur Deus est incarnatus, memoria quidem Christi æqualis est operationi intellectûs & voluntatis per medium & finem, quia non est necesse ei retinere aliquam speciem universaliter, si verò Deus non sit incarnatus, impossibile est in gloria aliquam memoriam posse existere per majoritatem, & quoniam majoritas & esse habent concordantiam, ergo &c.

Camera 11.

Operatio, Differentia, Concordantia.

OMnem operationem oportet existere in majoritate, in qua est differentia per concordantiam, & omnem operationem oportet existere in minoritate, in qua est differentia per contrarietatem; Ideoque medium & finis habent majorem operationem in differentia, quæ convenit cum concordantia, quàm in differentia, quæ convenit cum contrarietate, & ideo *perfectio* existit in operatione per differentiam concordantiam & majoritatem, imperfectio verò per differentiam contrarietatem & minoritatem. Unde si Deus sit incarnatus, ejus quidem incarnatio est finis & medium majori perfectioni, quam Deus influere possit in extrinsecum opus, & quam ipsum opus recipere possit, & si Deo & creaturæ disconveniret incarnatio, sequeretur totum oppositum prædictorum principiorum, quod oppositum cum minoritate & privatione concordantiam haberet, & oppositum hujus oppositi cum esse & majoritate, ergò, &c.

Camera 12.

Differentia, Concordantia, Contrarietas.

DIfferentia subjectum est concordantiæ & contrarietati, idcirco medium & finis diversificantur, medio habente propinquitatem ad differentiam, fine verò ad concordantiam; & quoniam medium & finis conveniunt, existit differentia in majoritate, quæ cum medio & fine convenit, & contrarietas existit in minoritate, quæ disconvenit medio & fini; unde quia major differentia & concordantia, quæ possit esse inter Deum & creaturam, est incarnatio, sequitur secundùm divinam *Justitiam*, quæ cum majoritate convenit, incarnationem Dei esse, quod nisi esset, sequeretur, quòd divina justitia contrarietatem haberet majoritati differentiæ concordantiæ medii & finis, hoc autem est impossibile, ergo &c.

Camera 13.

Concordantia, Contrarietas, Principium.

PRincipium medium & finis habent majorem concordantiam in majoritate quàm in minoritate, ideo concordantia repugnat contrarietati cum majoritate & contrarietas ipsi concordantiæ cum minoritate, concordantia autem contrarietatem superat, quando principium medium & finis discurrunt per majoritatem, atque contrarietas concordantiam superat, quando principium medium & finis discurrunt per minoritatem. Unde sequitur, si Deus sit incarnatus, quòd divina *Largitas* in majoritate tenet majus principium majus medium & majorem finem, quæ possunt esse in concordantia Dei & creaturæ per unionem participationem & propinquitatem, si verò Deus non sit incarnatus propter hoc, ne ejus incarnatio repugnet majoritati largitatis principii medii & finis & concordantiæ, sequitur, quòd id, quod est in Deo largitas, sit in eo avaritia, & quòd minoritas sit majoritas, & contrarietas sit concordantia, quæ omnia sunt impossibilia, ergo &c.

Camera 14.

Contrarietas, Principium, Medium.

QUantò concordantia magis distat à contrarietate, & finis à principio & medio, & majoritas à minoritate, tantò existit finis in majori *simplicitate* distans à minoritate, quæ cum compositione convenit; & quoniam, si Deus est incarnatus, fides spes charitas justitia prudentia fortitudo & temperantia possunt esse in majori majoritate simplicitatis per principium medium & finem, quàm si Deus non sit incarnatus, ergo oportet eum esse incarnatum, ut divina simplicitas sit vehementiùs contraria vitiis per majorem simplicitatem virtutum, quàm per minorem, ergo &c.

Camera 15.

Principium, Medium, Finis.

SI Deus est incarnatus, sequitur in humanitate, quam assumpsit, esse principium medium & finem in tanta majoritate *nobilitatis*, quòd nulla alia nobilitas principii medii & finis; quæ nobilitas sit singularis vel conjuncta ex omnibus entibus creatis seu creandis ad infinitum numerum, potest eam excedere, nec illi coæquari; si verò Deus non sit incarnatus nec incarnandus, majoritas quidem nobilitatis habentis principium medium & finem est in potentia; nec potest esse in actu, nec erit, nisi ipse Deus incarnaretur, & quoniam divina nobilitas majorem concordantiam habet cum majoritate, quàm cum minoritate, & actus & majoritas habent concordantiam cum esse, potentia verò & minoritas cum privatione, ergo Deus est incarnatus, ne hæc prædicta principia destruantur.

QUINTA QUÆSTIO.

QUæritur: Utrùm mundus de novo sit creatus? & teneo, quòd sic.

Camera 1.

Deus, Creatura, Principium.

AD probandum mundum de novo esse creatum, recurrendum est ad principia, quæ sunt divinæ dignitates, & ad principia, de quibus T. compositum est, oportet in *primam cameram*, quæ *figura substantialis* appellatur, dirigi cæteras cameras illam sequentes, *quæ cameræ dicuntur figuræ accidentales*, prout in prædictarum quæstionum solutionibus diriguntur; unde ex commixtione, quæ ex his principiis fit artificialiter, resultat demonstratio, per quam manifestatur solutio hujus quæstionis; idcirco de bonitate & secundâ camerâ dicendum est, deinde de cæteris consequenter.

Camera 2.

Creatura, Operatio, Medium.

DIvinam *bonitatem* convenit operari & facere bonum, & per hoc medium oportet eam de novo principiare bonum & sustentare illud, ipsa producente in illo bono bonum ex alio bono, quocirca oportet creaturam esse, quæ sit bonum de novo productum, quod sit sustentatum, & in quo fiat unum ex altero bono, hæc autem omnia bona sequi possunt, si mundus de novo creatus sit, quia nisi de novo cre-

tus sit, sed potiùs sit æternus, non possent sequi ex eo tanta bona, quia deficit mundo magnitudo voluntatis & principii & contrarietatis contra privationem boni, & est esse mali, & quoniam divina bonitas habet concordantiam cum magnitudine & cum esse, & contrarietatem privationi & malitiæ, ergo mundus de novo creatus est, alioquin destruerentur principia supradicta.

Camera 3.

Operatio, Differentia, Finis.

SI mundus est æternus, sequitur eum esse in majori *magnitudine* bonitatis & nobilitatis per durationem, quàm per perfectionem, quæ est finis, quia si sit sinè principio, sequitur nec primum hominem nec novissimum esse, itaque nemo habet suum finem nisi in hoc mundo, in quo omnis homo majorem imperfectionem sustinet per passionem, quàm perfectionem per actionem, & sequitur, quòd generatio & corruptio sit finis omni operationi, quæ est in creatura, & quòd ultimus finis sit duratio generationis & corruptionis, quod est impossibile, quia si esset possibile, sequeretur, quòd finis & magnitudo haberent contrarietatem, & ipsa magnitudo & æternitas concordantiam, per quam quidem contrarietatem & concordantiam sequeretur differentia inter perfectionem magnitudinis & æternitatis, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 4.

Differentia, Concordantia, Majoritas.

OMne principium, quod absque corruptione principiatum est, habet majorem concordantiam, quàm omne principium cum corruptione principiatum, hoc est, quia omnis corruptio & generatio disconveniunt à *duratione*, quæ cum æternitate convenit, unde si mundus est æternus, sequitur, quòd corruptio & generatio æquales existant in duratione, per quam cum æternitate conveniant absque differentia majoritatis & minoritatis, & sequitur, quòd omnis creatura subjecta generationi & corruptioni sit æternaliter in generatione & corruptione, quod est impossibile & contra bonitatem magnitudinem æternitatem &c. Dei Patris &c. quæ æternaliter absque corruptione convenit cum generatione in Deo Filio, ergo &c.

Camera 5.

Concordantia, Contrarietas, Æqualitas.

POtestas Sapientia & voluntas Dei habent in principio creaturæ æqualem concordantiam absque aliqua contrarietate, quæ in eis nequit esse, cùm ipsæ sint eadem divina essentia & eadem divina natura, prædictam autem concordantiam oportet in eis esse, cùm ipsæ sint in paternitate filiatione & spiratione in divinis per immensitatem æternitatem &c. Unde, si mundus esset æternus, ut suum principium non esset in potentia in divina potestate, quæ foret otiosa absque mundi æternitate, si igitur sapientia, quæ scit potestatem posse creare mille vel plura sæcula, movet eam, ut agat id, quod ipsa sapientia scit, voluntas divina inæqualis est & contraria divinæ sapientiæ & potestati, quod est impossibile, per quod quidem impossibile principium creaturæ non oportet esse æternaliter in potentia divinæ potestatis contra æqualitatem sciendi volendi & possendi, neque potestas, quæ est Pater, est nec fuit otiosa, priusquam mundus creatus esset, quia æternaliter & infinitè generat Filium, unde procedat Spiritus Sanctus, prout suprà probatum est.

Camera 6.

Contrarietas, Principium, Minoritas.

NUlla creatura potest habere ullam virtutem & nobilitatem, unde sequantur in Deo vitium & vilitas, sed si mundus est æternus, divina *sapientia* scit divinam potestatem non posse mundum annihilare, quoniam sicut mundo disconvenit novum principium, si sit æternus, ita disconvenit ei privatio & annihilatio, sed quoniam tale scire imperfectionem in divino posse produceret per minoritatem & contrarietatem, ergo oportet mundum de novo principiatum esse, ut sapientia sciat, quòd potestas eum potest annihilare, sed quia voluntas creavit eum ad aliquem perpetuum finem, ut bonitas justitia &c. eo utantur, idcirco permanet mundus in duratione.

Camera 7.

Principium, Medium, Affirmatio.

SI affirmetur mundum esse æternum ex parte principii, ne in divina potestate existat æternaliter in potentia, oportet negare mundum esse æternum ex parte finis, ne destructio ipsius mundi sit æternaliter in potentia, qui destrui priùs possit à divina potestate; & si hæc affirmatio & negatio sunt principia veritatem continentia, sequitur, quòd divina *voluntas* sit medium contrarium vel principio vel fini æternitatis mundi, quod quidem principium vel qui finis vel quæ æternitas est creatura alterius naturæ & entitatis, quæ non est Deus, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 8.

Medium, Finis, Dubitatio.

DIvina *virtus* immutabilis est, sed si disconveniat mundum de novo creari, ut immutabilitas divinæ virtutis sit permanens, quæ non esset permanens, si mundus de novo esset creatus, sequitur, quòd mundi æternitas foret medium, unde sequatur finis immutabilitatis divinæ virtutis, quod est impossibile: quia si foret possibile, effectus quidem posset esse principium suæ causæ, quod est impossibile, ergò mundus de novo principiatus est ad removendam omnem dubitationem illatam ex hoc, quòd mundi principium possit corrumpere immobilitatem divinæ virtutis.

Camera 9.

Finis, Majoritas, Negatio.

DEus creavit affirmationem nobiliori fini, quàm negationem, quocirca affirmatio est nobilius principium quàm negatio, sed dum affirmatio existit contra *veritatem* & contra negationem, quæ veritati convenit, tunc negatio concordantiam habet cum majoritate, affirmatio verò cum minoritate, hoc autem est, quia affirmatio tunc existit contra finem, ad quem creata est; unde si mundus esset æternus, eò quòd à Deo scitur æternaliter, sequitur, quòd omne id, quod Deus scit, æternaliter sit in veritate, cùm veritas & æternitas habeant majorem concordantiam, quàm duratio & falsitas, & si omne, quod Deus scit, æternaliter sit in veritate, impossibile est ullum principium esse, & anterioritas & posterioritas atque majoritas & minoritas habent æqualem finem & durationem in æternitate, quod est impossibile & contra majoritatem & finem negationis negantis mundum æternum esse, ergo &c.

Camera 10.

Majoritas, Æqualitas, Deus.

DEus scit se ipsum esse Deum, & vult esse Deus, & potest esse Deus & bonitas &c. & quoniam actus suæ sapientiæ, suæ voluntatis, suæ potestatis &c. oportet esse æquales sapientiæ, voluntati, potestati &c. oportet de necessitate, quòd Deus sciendo se ipsum producat æqualem sibi, & hoc idem sequitur diligendo se ipsum & possendo; hoc idem etiam sequitur de omnibus principiis, quæ de Deo prædicari possunt: idcirco manifestum est, quomodo Deus Pater sciens se ipsum &c. producit Filium, qui Deus est æqualis Patri, atque Filius sciens Patrem, & Pater sciens Filium, producit Sanctum Spiritum, qui est Deus, ne sit in Deo majoritas, sed sit æqualitas *gloriæ* in eo; unde, si mundus fuerit in æternum vel ab æterno, sequitur eum esse in immensitate magnitudinis sinè principio, ut in ipso sint æquales actus & usus immensitatis & æternitatis, atque potestatis, sapientiæ, & voluntatis &c. potestate possificante in mundo posse æternum & immensum in bonitate &c. & hoc idem sequitur de voluntate &c. sed hoc est impossibile, ideo ne mundus Deo æqualem gloriam habeat habendo cum ipso Deo concordantiam per majoritatem & æqualitatem per omnes modos bonitatis magnitudinis &c. ergo &c.

Camera 11.

Æqualitas, Minoritas, Creatura.

DIvinæ æternitati oportet esse ita inconveniens suum effectum sibi æqualem esse, sicut bonitati immensitati potestati sapientiæ &c. hoc enim est, quia in Deo est æqualitas in omni *perfectione* bonitatis &c. sed si mundus est æternus, sequitur, quòd æqualitas Dei & creaturæ habeat concordantiam per æternitatem cum minoritate, quæ cum imperfectione habet concordantiam, bonitas verò immensitas &c. haberent concordantiam cum majoritate, quæ habet concordantiam cum perfectione, & quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 12.

Minoritas, Affirmatio, Operatio.

DIvina *Justitia* tantum distat à minoritate, quæ cum principio convenit, sicut æternitas, si igitur mundus sit æternus,

nus, oportet eum esse æternum per operationem divinæ justitiæ, in qua esset minoritas, si æternitati coæquaret aliquod ens, in quo minoritas existat, quæ minoritas existit in creatura, & quæ minoritas nequit esse ex essentia neque ex natura æternitatis, & quoniam affirmatio affirmans mundum esse æternum repugnat his antedictis principiis, ergo oportet ejus contrarium cum eis convenire.

Camera 13.

Affirmatio, Dubitatio, Differentia.

TAntum est impossibile *Largitatem* largiri potestati operationem extra naturam suam in æternitate, quantum est possibile ipsam largitatem largiri potestati immensam operationem absque principio & quantitate, si autem hæc affirmatio sit contra veritatem, sequitur differentiam esse inter divinam largitatem & immensam magnitudinem potestatem æternitatem &c. quod est impossibile, in quo non est dubitandum, ergo &c.

Camera 14.

Dubitatio, Negatio, Concordantia.

NOn cadit tanta concordantia inter dubitationem & negationem sicut inter negationem & affirmationem, neque cadit tanta contrarietas inter affirmationem & dubitationem, sicut inter affirmationem & negationem, ideóque dubitatio & minoritas habent concordantiam, affirmatio verò negatio & majoritas; unde cùm hoc ita sumptum absolutè sit verum, sequitur, si mundus non habet principium, quòd dubitandum sit esse Deum & creaturam & resurrectionem, atque major concordantia cadit inter affirmationem & dubitationem, quàm contrarietas inter affirmationem affirmantem mundo principium & negationem negantem illud idem, hoc autem est impossibile, quod si foret possibile, sequeretur, quòd *simplicitas* & minoritas haberent concordantiam, compositio verò & majoritas, quod est impossibile.

Camera 15.

Negatio, Deus, Contrarietas.

INter unam creaturam & alteram est absolutè major similitudo, quàm dissimilitudo, & hoc, quia omnis creatura finita est in *nobilitate* & quantitate, & quia Deus est infinitus per totam voluntatem & immensitatem bonitatis magnitudinis &c. idcirco est major dissimilitudo inter Deum & creaturam, quàm inter unam creaturam & alteram, unde cùm hoc ita sit, ergo sequitur, quòd principium, quod absolutè cum finitate & minoritate convenit, habeat dissimilitudinem à Deo, alioquin sequeretur, quòd negatio negans principium in Deo & negatio negans principium in creatura haberent majorem concordantiam, quàm contrarietatem & dissimilitudinem, & quoniam hoc est impossibile & contra magnitudinem divinæ nobilitatis &c. ergo manifestum est, mundum de novo creatum esse.

SEXTA QUÆSTIO.

Quæritur: Utrùm Potentia intellectiva, per quam illuminatur rationativa, tantam virtutem habeat, quòd necessariis rationibus intelligere possit articulos catholicæ fidei? & teneo, quòd sic.

Camera 1.

Majoritas, Finis, Minoritas.

AD hanc quæstionem solvendam accipimus *divinam sapientiam*, quam *in figura substantiali cum figura accidentali* ponimus per duas differentes mediantes dignitates, & quemadmodum in præcedentibus quæstionibus de ipsis per ordinem tractavimus, idcirco hîc de bonitate primò tractare intendimus, deinde de cæteris suo loco.

Camera 2.

Æqualitas, Majoritas, Affirmatio.

DIvina *bonitas* & *sapientia* habent majorem concordantiam in æqualitate, quàm in majoritate & minoritate; quod ideo est, quia finis suæ concordantiæ existit in intrinsecitate divinarum personarum, & quoniam hoc ita est, & quia æqualitas & majoritas habent concordantiam, inæqualitas verò & minoritas, ergo manifestum est, quòd humanus intellectus habet possibilitatem intelligendi articulos Fidei catholicæ, alioquin sequeretur, quòd bonitas & sapientia haberent in Deo majorem concordantiam in minoritate intellectûs creati

creati quàm in majoritate ejusdem, quod est impossibile & contra majorem finem, qui est inter causam & effectum, ergo &c.

Camera 3.

Minoritas, Æqualitas, Dubitatio.

DUbitatio & minoritas habent concordantiam, æqualitas autem affirmationis & negationis, quæ divinæ *magnitudini* & *sapientiæ* conveniunt, habet concordantiam cum majoritate; quocirca finis dubitationis existit absolutè in æqualitate & concordantia affirmationis & negationis; unde, si humanus intellectus tam modicam virtutem haberet, quòd articulos catholicæ Fidei nequiret intelligere, in quibus existit major finis suæ beatitudinis, sequeretur, quòd in Deo magnitudo & sapientia forent contrariæ, in quantum ipsa magnitudo finem intellectûs, qui cum divina sapientia convenit, elongaret à majoritate adducens eum in minoritatem, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 4.

Affirmatio, Minoritas, Negatio.

AFfirmatio & majoritas habent concordantiam, negatio verò & minoritas, ideóque Finis affirmationis existit magis propinquus divinæ *sapientiæ* & *æternitati* quàm finis negationis, & quoniam affirmatio & negatio habent majorem durabilitatem per sapientiam, quàm per ignorantiam, ergo patefit manifestè, quòd intellectiva potentia habet majorem possibilitatem intelligendi per majorem sapientiam & durabilitatem, quàm per minorem, cujus possibilitatis oppositum sequeretur, si ipsa potentia nequiret intelligere articulos, qui sunt finis suæ beatitudinis, ergo &c.

Camera 5.

Dubitatio, Affirmatio, Deus.

DIvina *potestas* & *sapientia* plùs possunt influere in creatum intellectum, dum ipse intelligit, quàm dum non intelligit, hoc enim est, quia finis, ad quem intellectus creatus est, est intelligere divinam potestatem & sapientiam, & ideo sequitur, quòd intellectus habet majorem propinquitatem ad suam causam & ad suum finem per majoritatem & affirmationem quàm per minoritatem & negationem; si autem intellectus existens in via intelligendi non possit intelligere id, in quo major est potestas, quæ creavit eum, increata potestas existit per effectum contra increatam sapientiam, itaque creatus intellectus habet majorem propinquitatem suæ causæ per minoritatem finis & dubitationis, quàm per majoritatem finis & affirmationis, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 6.

Negatio, Dubitatio, Creatura.

HUmanus intellectus creatus est, idcirco habet concordantiam cum minoritate, sinè qua nequiret esse creatura, atque finis intellectûs scilicet Deus existit in majoritate, in quâ ipse Deus major est quàm creatura, & ideo intellectus est creatus ad intelligendum ens nobilius se ipso; unde, si ipse intellectus neque multùm neque parum per rationes necessarias posset vel deberet intelligere divinam Trinitatem sanctámque Incarnationem Dei, repugnaret divina *voluntas* divinæ *sapientiæ*, in quantum resisteret fini & majoritati, & intellectus & voluntas suum finem haberent in sua majoritate & in se ipsis contra divinam majoritatem, sed hoc est negabile, non autem dubitabile, ergo &c.

Camera 7.

Deus, Negatio, Operatio.

MAnifestum est Deum posse melius intelligi per majorem virtutem, quàm per minorem, quocirca sequitur, quòd humana voluntas majorem operationem virtutis habere potest per majoritatem, quàm per minoritatem, & hoc idem sequitur de intellectu, qui plùs potest intelligere per majorem virtutem, quàm per minorem, & quoniam divina virtus causa est & finis prædictæ ordinationi, ergo sequitur, quòd potentia intellectiva tantam virtutem receptivam habeat, quòd à Deo tanta virtus infundatur in ea, quòd intelligere possit operationem, in qua Deus melius convenit per *sapientiam* & *virtutem* in opere intrinseco & extrinseco, & in qua etiam melius convenit per affirmationem quàm per negationem, ergo &c.

Camera 8.

Creatura, Deus, Differentia.

VEritas absolutè est objectum humano intellectui, quia *sapientia* & *veritas* Dei

sunt

sunt unum & idem, & quia intellectiva potentia ad similitudinem divinæ sapientiæ est creata, unde ex hoc sequitur, quòd intellectiva potentia possit intelligere articulos Fidei, qui cum majoritate & fine habent concordantiam, ut intellectus in illa majoritate intelligat majorem veritatem, quàm in minoritate creaturam, & ut moveat voluntatem ad magìs diligendum finem, qui est per majoritatem, quàm finem, qui est per minoritatem, habente intellectu potestatem intelligendi falsitatem, quæ magìs contraria est majori veritati, quàm minori, ut voluntas moveatur ad magìs odiendum majorem falsitatem, quàm minorem, & quoniam hæc ordinatio ab otiosa sapientia & veritate Dei destrueretur, si intellectus distinguere nequiret majorem finem à minori per suum intelligere & per velle voluntatis, & quia etiam major falsitas esset credibilis, non autem intelligibilis, ergo &c.

Camera 9.

Operatio, Creatura, Concordantia.

CReator habet majorem concordantiam cum creatura in majoritate operationis, quàm in minoritate, ideóque sequitur nobilior finis operationis seu operis in magìs nobili creatura, quàm in minùs nobili, per quam sequentiam demonstratur intellectum habere possibilitatem intelligendi articulos catholicæ Fidei, alioquin esset contrarietas per effectum inter *sapientiam* & *gloriam* Dei, quia ipsa sapientia Dei contrariaretur majoritati finìs in gloria ejus, & hoc idem sequitur de ipsa gloria in sapientia, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 10.

Differentia, Operatio, Contrarietas.

IGnorare habet majorem differentiam à fine, quàm intelligere, idcirco intelligere, quod est secundus actus intelligendi, contrariatur vehementiùs ipsi ignorare per majoritatem operis, quàm per minoritatem, & quoniam intelligendo articulos Fidei catholicæ potest ipse intellectus vehementiùs resistere suo contrario, quàm essendo impotens ad intelligendum eos, ergo manifestum est, intellectum posse intelligere prædictos articulos; alioquin sequeretur contrarietatem esse inter divinam *sapientiam* & *perfectionem*, sciente sapientiâ majorem finem per intelligere, quàm per ignorare, atque perfectione tribuente majorem finem per ignorare, quàm per intelligere, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 11.

Concordantia, Differentia, Principium.

IN majoritate potest esse major finìs concordantiæ & differentiæ & principii, quàm in minoritate, idcirco *sapientia* & *justitia* Dei concordantiam habent ad puniendum vehementiùs peccatorem, dum ejus intellectus habet de Deo majorem cognitionem, quàm dum habet minorem; si autem intellectus existeret impotens ad intelligendum articulos catholicæ Fidei, sequeretur, quòd divina justitia repugnaret divinæ sapientiæ inferendo intellectui majorem pœnam per majorem ignorantiam, quàm per minorem, sed quoniam hoc est impossibile, & contra concordantiam sapientiæ & justitiæ, ergo &c.

Camera 12.

Contrarietas, Concordantia, Medium.

COntrarium est creato intellectui posse intelligere, velut increatus intelligit, quod est, eò quòd medium est inter increatum intellectum & creatum intellectum, unde sequitur majoritas & minoritas secundùm comparationem amborum intellectuum; si autem increatus intellectus in via, in qua sumus, non influeret aliquod medium, per quod intellectus creatus finem suum aliquâ necessitate posset intelligere, avaritia quidem in illo medio repugnaret fini creati intellectûs contra *largitatem sapientiæ*, hæc autem contrarietas esset per majoritatem, concordantia verò increati intellectûs & creati intellectûs esset per minoritatem largitatis & finìs, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 13.

Principium, Contrarietas, Finis.

PRincipium & finis concordantiam habent per aliquod medium, contra quod sunt contrarietas & minoritas, cui etiam medio scilicet contrarietatis contrariatur ejus contrarium scilicet medium concordantiæ cum majoritate principii & finìs; sed dum contingit majoritatem privari in principio, tunc devincitur medium, majoritate se pervertente in minoritatem, ne principium sequatur finem, & quoniam ex principio medio & fine sequitur majoritas simplicitatis, & ex principio contrarietate & fine sequitur minoritas simplicitatis, ergo manifestum est intellectum humanum posse intelligere articulos Fidei, ut compositio & minoritas concordantiam habeant, simplicitas verò & majoritas ad denotandum maximam æqualitatem, quæ est in *sapientia* & *simplicitate* Dei, ergo &c.

Camera 14.

Medium, Principium, Majoritas.

QUantò majoritas se elongat à principio appropinquans fini, tantò existit medium in majori majoritate, quocirca sequitur ipsum medium esse in minoritate per principium, sed in majoritate per finem, atque per hanc consequentiam sequitur nobilitatem existere in majoritate per finem & in minoritate per principium & medium: unde per hoc manifestum est, quòd potentia intellectiva habeat tantam *nobilitatem* à causa scilicet à divina *sapientia*, quòd parata est ad recipiendum finem, ad quem creata est, scilicet articulos Catholicæ Fidei; quia, nisi ad hoc parata esset, sequeretur finem esse nobiliorem in minoritate quàm in majoritate, & in principio & medio quàm in fine, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 15.

Finis, Medium, Æqualitas.

ÆQualitas est magìs propinqua medio & fini quàm principio, & magìs propinqua fini quàm principio & medio, & ideo æqualitas & finis habent majorem concordantiam quàm medium & finis & quàm principium & medium, per quam majorem concordantiam manifestum est prædictos articulos esse intelligibiles, prout æqualitas & finis intellectivæ potentiæ existit in via per minoritatem & in gloria per majoritatem, ut divina *sapientia* habeat in effectu suo majorem concordantiam cum *humilitate patientia misericordia* &c. in majoritate effectûs quàm in minoritate, ergo &c.

SEPTIMA QUÆSTIO.

QUæritur: Utrùm Fides amittat meritum in articulis Catholicæ Fidei, dum humanus intellectus eos intelligit necessariis rationibus? & teneo, quòd non.

Camera 1.

Æqualitas, Principium, Finis.

AD hanc quæstionem solvendam accipimus tres potentias animæ scilicet *memoriam intellectum* & *voluntatem*, prout ipsæ potentiæ concordant per *primam figuram in secunda*; ipsis potentiis sequentibus principium & finem in majori æqualitate sui ipsius & divinarum dignitatum demonstratur solutio hujus quæstionis.

Camera 2.

Minoritas, Medium, Majoritas.

MAjor æqualitas principii & finìs potest esse per majus medium quàm per minus, & quoniam Deus creavit intellectum, quia ipse Deus est intelligibilis, & creavit voluntatem, quia ipse est amabilis; idcirco recolit memoria, quòd intellectus & voluntas habeant majorem æqualitatem in fine, ad quem creati sunt, si intellectus intelligere potest articulos Fidei, dum est in hoc sæculo, quàm si nequaquam eos intelligere posset; quia nisi eos intelligere possit, habet cum voluntate majorem concordantiam in objectis minoribus quàm in majoribus, nec non intellectus & voluntas per intelligere & credere sibi mutuò resisterent contra magnam bonitatem Dei, quantò plùs intellectus per supponere intelligeret & quantò plùs voluntas per intelligere diligeret, hoc autem est impossibile, ergo &c.

Camera 3.

Affirmatio, Finis, Æqualitas.

AFfirmatio potest habere majorem magnitudinem per æqualitatem quàm per inæqualitatem, & ideo quantò intelligere & amare affirmando sunt in majori æqualitate, tantò se habent ad majus principium & ad majorem finem; & quoniam hoc est memorabile, si igitur destrueretur fides per intelligere, foret quidem contrarium hujus, quod prædictum est, memorabile, atque memoria memoraret contra magnitudinem justitiæ fidei, quòd voluntas haberet meritum per credere, intel-

lectus autem non per intelligere, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 4.

Dubitatio, Majoritas, Minoritas.

MEmorabile est intellectum & voluntatem distare per dubitationem à fine, ad quem creati sunt, cui appropinquant & adhærent per affirmationem vel negationem prædicantes veritatem, quæ cum æqualitate convenit, contra inæqualitatem, quæ convenit cum falsitate: unde, si fides, quæ cum veritate convenit, destrueretur per illam veritatem, quam intellectus intelligit, sequeretur, quòd æternitas & veritas Dei forent contra influentiam, quam immittunt potentiis animæ, quia veritate influente fidem in voluntate destrueretur ejus influentia influente æternitate intellectui veritatem suæ Trinitatis & Incarnationis, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 5.

Negatio, Æqualitas, Affirmatio.

AFfirmatio & negatio habent majorem æqualitatem secundùm finem, quàm secundùm principium, hoc enim est, quia æqualitas major est per finem quàm per principium: unde, si esset negabile intellectum posse intelligere articulos Catholicæ Fidei absque destructione ipsius Fidei, sequeretur, quòd memoria memoraret, quòd intellectus in suo majori actu affirmando vel negando foret contra majorem actum voluntatis, & tunc memoraret, quòd quantò potestas intellectûs majorem influentiam reciperet à divina potestate, tantò damnificaret Fidem, quæ ab ipsa potestate Dei influitur in humanam voluntatem; sed quoniam talis memoratio non potest influi à divina potestate, ergo &c.

Camera 6.

Deus, Minoritas, Dubitatio.

DEus omnino distat à minoritate & dubitatione, & ideo memoria memorat, quòd sicut oportet affirmare prædestinationem & liberum arbitrium esse, ita affirmandum est, quòd intellectus possit intelligere articulos Fidei, Fide non existente violatâ neque destructâ; quoniam sicut negando prædestinationem & liberum arbitrium intellectus & voluntas sunt contra Sapientiam Justitiam & Perfectionem Dei, eodem modo negando, quòd intellectus possit intelligere articulos absque destructione Fidei, cadunt in dubitationem & minoritatem contra principium & finem, in quibus intellectus & voluntas possunt habere majorem æqualitatem fruendo Sapientiâ Justitiâ & Perfectione Dei, ergo &c.

Camera 7.

Creatura, Affirmatio, Negatio.

MAjor affirmatio & negatio potest de Deo fieri quàm de creatura, idcirco potentiæ se habent ad majorem æqualitatem in magis nobili principio & fine affirmationis & negationis quàm minùs nobili: unde, si divina voluntas majoritati creaturæ repugnat, tunc intellectus existit in via per majoritatem intelligendo necessariè objecta, ad quæ non est creatus, hoc autem est impossibile, ne voluntas & magnitudo Dei ullatenus repugnent, ergo de necessitate oportet, quòd intellectus absque destructione fidei possit intelligere objecta, ad quæ creatus est.

Camera 8.

Operatio, Dubitatio, Deus.

MEmorabile est, quòd intellectus & voluntas habeant majorem concordantiam in majori æqualitate quàm in minori; & quoniam hoc est memorabile, est dubitabile virtutem Dei esse minus principium & minorem finem intellectui, si influat in eum majorem operationem quàm minorem, quæ etiam major operatio influentiæ perverteretur in minoritatem æqualitatis principii & finis, si intelligente intellectu articulos Fidei destrueretur ipsa Fides per influentiam divinæ virtutis, quæ perversio & destructio sunt impossibiles, quarum impossibilitate divina virtus sustinet fidem in habitu, quando intellectus est in actu intelligendo articulos ipsius fidei, qui etiam intellectus suum secundum actum habet in habitu, quando ipsa voluntas ipsos articulos fidei credit actualiter per suum secundum actum scilicet velle.

Camera

Camera 9.

Differentia, Negatio, Creatura.

VOluntas negat supponendo & intellectus demonstrando, idcirco differentia est in negatione, & hæc negatio amborum est creatura influxa à divina veritate, quando tamen ipsa negatio se habet ad principium & finem, quare suppositio & demonstratio superiùs vel inferiùs æqualiter ascendunt vel descendunt per actum habitum & potentiam; unde si intellectus, qui cum demonstratione articulos Fidei intelligit, destrueret suppositionem, quæ vel in actu vel in habitu vel etiam in potentia potest esse, destrueret differentiam suî ipsius & voluntatis, quod est inconveniens ad memorandum per affirmationem, atque repugnat influentiæ, quam influit divina voluntas in potentiis animæ, ergo &c.

Camera 10.

Concordantia, Deus, Operatio.

DEus est tantum intelligibilis, quantum amabilis: idcirco oportet divinam sapientiam influere tantam operationem per intelligibilitatem in intellectu, quantam influit per amabilitatem in voluntate; & ideo intellectus & voluntas bonitatis hominis æqualiter se habent in concordantia, per quam habere possunt æquale principium, quod ducat eos ad finem, ad quem creati sunt, scilicet ad gloriam Dei: si igitur intellectus fruens suo fine destrueret principium voluntatis, quæ per credulitatem tendit ad suum finem, sequeretur, quòd Deus haberet contrarios fines & glorias, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 11.

Contrarietas, Creatura, Differentia.

PEr differentiam & contrarietatem cadit creatura in corruptionem, atque per differentiam & concordantiam in generationem; ideo æqualitas & esse conveniunt, inæqualitas verò & privatio: unde si humanus intellectus à divina perfectione suscipiens lumen & perfectionem intelligendi articulos, ad quos principiatus est, quoniam etiam ejus finis sunt, destrueret lumen & perfectionem Fidei, foret divina perfectio in differentia & contrarietate per influentiam, quam de se daret creatoris, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 12.

Principium, Operatio, Concordantia.

MEmoria recolendo æqualem operationem concordantem, per quam intellectus & voluntas habent principium & finem, est causa intellectui ad intelligendum id, quod per Fidem voluntas supponit in principio, & diligit in fine per æqualitatem intellectûs, cui se coæquat diligendo hoc, quod intellectus intelligit per demonstrationem; itaque voluntas meritum acquisivit per suppositionem, sinè qua intellectus nequivisset intelligere per demonstrationem; unde, si intellectus intelligendo per demonstrationem destrueret meritum Fidei, destrueret quidem principium suæ demonstrationis, quod est impossibile & contra justitiam Dei, ergo &c.

Camera 13.

Medium, Differentia, Contrarietas.

INtellectus & voluntas plùs possunt esse contraria in majori differentia quàm in minori; unde, cùm articuli Fidei sint majus medium, quod memoria possit recolere, per quod etiam intellectus & voluntas plùs possunt esse concordantes, ergo de necessitate oportet, quòd voluntas per intellectum non amittat meritum, quod per Fidem habere potest, neque intellectus etiam amittat suum meritum, quod potest habere intelligendo; si hoc autem se haberet per oppositum, sequeretur, quòd divina largitas suæ justitiæ repugnaret, concordans cum avaritia, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 14.

Finis, Concordantia, Principium.

MAnifestum est memoriæ, quòd actus intellectûs & voluntatis magis distant à compositione in æqualitate quàm in inæqualitate, idcirco Fides, quæ cum voluntate convenit, magis concordans est principio & fini majoribus, quantò plùs credit in Deo esse humilitatem per simplicitatem in magnitudine voluntatis Trinitatis & Incarnationis: unde, si intellectus non posset articulos Fidei intelligere, ut Fides majus prædictum principium non amitteret, sequeretur divinam simplicita-

tem esse oppositam simplicitati intellectûs intelligentis magnam simplicitatem Trinitatis & Incarnationis Dei; sed quoniam hoc est impossibile, ergo de necessitate sequitur, quòd intellectus possit intelligere & Fides credere suos articulos in diversis temporibus secundùm dispositionem potentiæ habitûs & actûs.

Camera 15.

Majoritas, Contrarietas, Medium.

MEmoria recolens, quòd intellectus intelligit articulos Fidei, recolit ipsum intellectum non posse ita bene intelligere, dum existit in hac via, sicut si intelligeret in patria, & hoc est, quia medium, per quod intellectus intelligit ipsos articulos, non est tantum in hac via, quantum est in perpetua patria; unde, quia hoc ita est, memoria recolit nobilitatem voluntatis, quæ in hac via per Fidem plùs diligit, quàm intellectus possit intelligere per demonstrationem: si igitur intellectus intelligendo destrueret Fidem, destrueret æqualitatem hujus, per quod intelligit, atque destrueret voluntati finem, ad quem ipsa movetur diligendo super demonstrationem, & sic isto modo sequeretur, quòd divina voluntas repugnaret majoritati medii, per quod intellectus & voluntas esse possunt in majori æqualitate majoris principii & majoris finis, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

OCTAVA QUÆSTIO.

QUæritur: Utrùm Deus donaverit tantam potestatem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quòd infideles possit revocare ab erroris semita & eos adducere in viam veritatis? & teneo, quòd sic.

Camera 1.

Concordantia, Differentia, Contrarietas.

AD hanc quæstionem solvendam conveniunt divinæ dignitates, è quibus *divinam potestatem* sumimus, *quæ in hac solutione existit subjectum* cæteris divinis dignitatibus, de quibus in hoc præsenti opere pertractamus, quemadmodum prima camera existit subjectum cæteris sequentibus cameris, & sicut in cæteris quæstionibus jam præmissis primò de *divina bonitate* dicendum est.

Camera 2.

Contrarietas, Concordantia, Principium.

MAjoritas & bonum habent concordantiam, minoritas verò & malum; idcirco bonum est majus principium per concordantiam quàm per contrarietatem, per quas concordantiam & contrarietatem diversificatur principium per majoritatem & minoritatem, & quoniam bonum majoritas & esse habent concordantiam, malum verò minoritas & privatio, ergo manifestum est, Romanam Ecclesiam à Deo habere tantam *potestatem* per bonitatem supra malitiam & minoritatem, quòd destruere potest errorem & falsitatem cum potestate virtutis, quæ cum esse convenit, contra potestatem vitiorum, quæ habent concordantiam cum privatione; quod nisi ita esset, sequeretur hujus oppositum, quod quidem est impossibile, quia, si foret possibile, sequeretur, quòd divina potestas & sua bonitas essent contrariæ, quod est impossibile; ergo de necessitate oportet, quòd divina potestas Summo Pontifici & suis consequentibus influxerit & habituaverit tantam potestatem virtutis, quòd errores infidelium possint destruere & eos adducere ad rectam semitam veritatis.

Camera 3.

Principium, Contrarietas, Medium.

DIfferentia est inter *potestatem* fidei spei & charitatis justitiæ prudentiæ fortitudinis & temperantiæ, & potestatem gulæ luxuriæ avaritiæ acediæ superbiæ invidiæ iræ, & quoniam divina potestas habet concordantiam cum potestate virtutum contrarians potestati vitiorum, majoritas potestatis existit habituata in virtutibus, minoritas verò in vitiis; & quoniam veritas & virtus habent concordantiam, error verò & falsitas, ergo manifestatur per magnitudinem Dei in magnitudine potestatis virtutum & in parvitate potestatis vitiorum, quòd Ecclesia est medium, per quod potest potestas veritatis incipere ad gloriosum finem pervenire & potestas erroris destrui.

Camera

Camera 4.

Medium, Principium, Finis.

INter principium medium & finem est differentia, & propter hoc oritur virtus & incipit de substantia & procedit in medium, per quod movetur ad finem operationis per concordantiam, cui medio contradicitur à contrarietate, ut virtus substantiæ ad finem operationis non perveniat; & quoniam Incarnatio Filii Dei est principium medium & finis ad destruendum errorem & ostendendum veritatem, & quia Incarnatio & Passio ejusdem Nostri Domini Jesu Christi fundamentum est Catholicæ Ecclesiæ, quæ locum ejus possidet in hoc mundo, & quia etiam pro unoquoque Christiano vivente vivunt in hoc sæculo centum infideles vel plures, ergo de necessitate oportet, quòd Sancta Catholica Ecclesia possit destruere errores, & veram catholicam fidem ampliare, quæ nisi hoc posset, sequeretur, quòd divina *potestas* concordantiam haberet cum durationе erroris, quæ est contra æternitatem, & quòd haberet contrarietatem cum durationе veritatis, quæ cum æternitate convenit, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 5.

Finis, Medium, Majoritas.

MAjoritas & finis habent concordantiam, minoritas verò & medium; idcirco est differentia inter concordantiam majoritatis & finis, & concordantiam minoritatis & medii, per quam differentiam existit repugnantia inter concordantiam & contrarietatem; unde cùm hæc ita sint, per hæc principia revelatur, quòd *potestas*, quam habet Summus Pontifex & Cardinales & Prælati atque filii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad destruendum errorem, habet cum divina sapientia concordantiam & cum suamet potestate tribuente ipsi Summo Pontifici Sancto Patri potestatem solvendi culpas & peccata & convertendi errantes in viam veritatis; quia si ipsa potestas Dei tribueret potestatem parcendi, non autem destruendi errores, sequeretur, quòd ipsa potestas Dei per majoritatem haberet concordantiam cum sua misericordia & largitate, quibus parcere convenit, & quòd repugnaret majoritati in sapientia & largitate, quæ cum veritate habent concordantiam, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 6.

Majoritas, Finis, Æqualitas.

QUia in Deo est æqualitas non autem contrarietas, major existit concordantia inter finem & æqualitatem, & minor contrarietas inter finem & inæqualitatem: ergo in his prædictis principiis & in *potestate* & voluntate Dei manifestatur Sanctam Ecclesiam habere potestatem destruendi errores infidelium, quia nisi hanc potestatem haberet, sequeretur, quòd potestas & voluntas Dei essent diversæ & contrariæ contra prædicta principia, quod falsum est.

Camera 7.

Æqualitas, Majoritas, Minoritas.

MAjoritas & minoritas absolutè diversæ sunt & contrariæ; ideo majoritas & æqualitas concordantiam habent, & quoniam veritas & falsitas sunt contrariæ, & veritas repugnat falsitati cum æqualitate divinæ *potestatis* & virtutis, quæ habent concordantiam cum majoritate, falsitas verò similiter veritati cum inæqualitate potestatis & virtutis existentium in majoritate & minoritate, quæ inæqualitas habet concordantiam cum minoritate, ergo verum est, quòd potestas inæqualitatis non habeat posse super potestatem æqualitatis, quia si hoc haberet, majoritas esset in contrario virtutis, minoritas autem in contrario vitiorum, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 8.

Minoritas, Æqualitas, Affirmatio.

TAnta concordantia esse nequit in minoritate, quanta est in majoritate, nec tanta in majoritate, quanta est in æqualitate; quocirca contrarietas magis privatur ab æqualitate quàm à majoritate, & magis à majoritate quàm à minoritate; & quia hoc ita est, ergo diversificatur *potestas* per hæc prædicta principia existente potestate in majori veritate per æqualitatem veritatis & potestatis quam per inæqualitatem earum, atque existente potestate in majori veritate per majoritatem quàm per minoritatem & per concordantiam quàm per contrarietatem, & per affirmationem, quæ cum æqualitate & majoritate convenit,

quàm per negationem, quæ cum inæqualitate & minoritate convenit, & quoniam error & falsitas habent concordantiam cum inæqualitate contrarietate minoritate & privatione potestatis & veritatis, ergo &c.

Camera 9.

Affirmatio, Minoritas, Dubitatio.

AFfirmatio & majoritas habent concordantiam, dubitatio verò & minoritas; idcirco diversificatur *potestas* inter concordantiam affirmationis & negationis per majoritatem, & inter contrarietatem dubitationis & negationis per minoritatem: & quoniam potestas & gloria Dei sunt absque minoritate, ergo sequitur, si absolutè potestas veritatis non posset destruere falsitatem, quòd ipsa potestas & gloria Dei haberent concordantiam cum dubitatione & minoritate contra affirmationem negationem & majoritatem, quod falsum est, ergo &c.

Camera 10.

Dubitatio, Affirmatio, Negatio.

QUantò affirmatio & negatio habent concordantiam, tantò distant à dubitatione, & quantò adhærent dubitationi, tantò sunt contrariæ, & quantò plùs sunt contrariæ, tantò plùs distant à *potestate* perfectionis adhærentes potestati imperfectionis, & ideo diversificatur potestas inter perfectionem & imperfectionem, habens cum majoritate concordantiam per perfectionem, cum minoritate verò per imperfectionem, & quoniam veritas & perfectio habent concordantiam falsitas verò & imperfectio, ergo &c.

Camera 11.

Negatio, Dubitatio, Deus.

ROmana Ecclesia concordantiam habet cum negatione negando in Deo esse id, quod Deus non est, quæ negatio habet concordantiam cum affirmatione affirmante in Deo esse id, quod in eo est: de secta autem infidelium est totum oppositum, per quod oppositum existit in eorum secta concordantia dubitationis & privationis contra esse & non esse & contra affirmationem & negationem; idcirco absolutè existit differentia *potestatis* inter justitiam & injuriam, potestate justitiæ existente in majoritate, sed potestate injuriæ existente in minoritate; unde si potestas Sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ non posset destruere falsitatem, potestas injuriæ posset resistere potestati justitiæ absque influentia divinæ potestatis & justitiæ in creatam potestatem justitiæ, quæ habet concordantiam cum majoritate contra potestatem injuriæ, quæ habet concordantiam cum minoritate, ergo &c.

Camera 12.

Deus, Negatio, Creatura.

POtestas negationis non habet tantam concordantiam cum divina potestate sicut potestas affirmationis; hoc enim est, quia affirmatio potest esse major creatura quàm negatio, affirmatione existente contrariâ privationi, negatione verò existente contrariâ ipsi esse; & quia *potestas* affirmationis & potestas negationis diversificantur, oportet eas esse majores in majori creatura quàm in minori: unde, quia veritas est creatura, error autem & falsitas non est creatura, ergo oportet, quòd potestas, quæ concordantiam habet cum creatura, vincere possit potestatem, quæ habet cum suo subjecto contrarietatem, quia, nisi eam vincere posset, sequeretur, quòd divina potestas haberet largitatem per minoritatem per avaritiam per errorem contra majoritatem largitatis & veritatis, hoc autem est falsum, ergo &c.

Camera 13.

Creatura, Deus, Operatio.

DEus in effectu suo habet operationem sibi similem per concordantiam, sed dissimilem per contrarietatem; idcirco diversa est operatio, quam Deus habet in effectu suo, quia in se ipso Deus habet concordantem operationem absque ulla contrarietate, sed in creatura habet concordantem operationem cum contrarietate: unde quia hoc ita est, ergo patefit manifestè, quòd operatio veritatis habet majorem *potestatem* quàm operatio falsitatis, quia nisi hoc ita esset, foret inconveniens, quòd potestas & veritas in majoritate existerent per simplicitatem, potestas verò & falsitas in minoritate per compositionem, hoc autem est impossibile, ergo &c.

Camera 14.

Operatio, Creatura, Differentia.

QUando creatura est subjecta operationi per differentiam & concordantiam, tunc contrarietas est remota à creatura, sed quando creatura subjecta est operationi per differentiam & contrarietatem, tunc concordantia est remota à creatura, & ideo est differentia inter remotionem & propinquitatem per concordantiam & contrarietatem: unde, si *potestas* nostræ matris Ecclesiæ non posset destruere in infidelibus potestatem erroris & falsitatis, falsitas & error existerent in majori subjecto per operationem & contrarietatem quàm veritas per operationem & concordantiam, & sequeretur, quòd potestas generationis & potestas concordantiæ forent in minori nobilitate quàm potestas corruptionis & potestas contrarietatis, quod falsum est, & contra generationem potestatis & nobilitatis intrinsecæ operationis, quæ est in nostro Domino Deo, ergo &c.

Camera 15.

Differentia, Operatio, Concordantia.

PEr diversam & concordantem operationem differunt inter se & concordant diversæ *potestates*, atque per diversam & contrariam operationem differunt inter se & contrariantur diversæ potestates, quocirca denotatur, quòd potestas, quam habet Catholica Ecclesia ad recolendum intelligendum & amandum in Jesu Christo & Domino nostro atque in ejus pretiosissima Passione & in regula, quam dedit nobis in se ipso & in Apostolis Martyribus Virginibus & in cæteris sanctis atque in orationibus & conversationibus fidelium filiorum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ & in bonis temporalibus, potest destruere falsitatem & errorem, quia si non posset, divina potestas foret contraria regulæ & ordinationi & sanctæ vitæ Jesu Christi Filii Dei & suorum consequentium, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

NONA QUÆSTIO.

QUæritur: Utrùm Prædestinatio & Liberum Arbitrium sint realiter? & teneo, quòd sic.

Camera 1.

Affirmatio, Dubitatio, Negatio.

AD hanc quæstionem determinandam eligimus hanc cameram hîc præscriptam subjectam aliis cameris consequentibus eam: hanc autem quæstionem reducimus per has dignitates divinas, scilicet per *sapientiam*, *justitiam*, *perfectionem*, *veritatem*, quibus dirigimus cæteras dignitates Dei, de quibus in hoc opere superiùs pertractamus, & sicut in cæteris præmissis quæstionibus de bonitate primitus pertractatum est, hîc illum eundem ordinem observamus.

Camera 2.

Dubitatio, Negatio, Deus.

IN Deo existit perfectio bonitatis per sapientiam & justitiam, ideo, quando affirmatio affirmat esse prædestinationem & liberum arbitrium, tunc affirmat perfectionem bonitatis existentis in perfectione sapientiæ & justitiæ, & quoniam veritas & perfectio in Deo sunt unum & idem, ergo necessariò oportet, quòd hæc affirmatio sit in veritate, oppositum autem ejus scilicet negatio & dubitatio sint in falsitate, quia, si essent in veritate, divina veritas à perfectione differret, cujus differentia esset imperfectio bonitatis per malitiam sapientiæ & justitiæ, quod est impossibile, ergo de necessitate oportet prædestinationem & liberum arbitrium realiter esse.

Camera 3.

Negatio, Deus, Creatura.

IN magnitudine Dei creatura habet majorem concordantiam per affirmationem quàm per negationem, vel quàm per dubitationem, cùm affirmatio absolutè sit in altiori gradu magnitudinis quàm negatio & dubitatio, cujus gradus altior est, quia affirmatio tendit ad esse, quod cum magnitudine convenit, negatio verò & dubitatio tendunt ad non esse, quod convenit cum parvitate: ergo oportet, quòd creatura affirmans prædestinationem & liberum arbitrium esse sit propinquior magnitudini Dei, quàm creatura negans seu dubitans prædestinationem seu liberum arbitrium esse, quia nisi hoc ita esset, sequeretur, quòd sapientia veritas perfectio justitia Dei haberent concordantiam per parvitatem contra magnitudinem, & plùs per negationem & dubitationem, quæ conveniunt cum minoritate, quàm per affirmationem, quæ convenit cum majoritate, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera

Camera 4.

Deus, Creatura, Operatio.

CReatura negans Deum esse negat prædestinationem esse, quia, si Deus nihil est, impossibile est esse perfectionem sapientiæ, sinè qua impossibile est esse prædestinationem, similiter creatura negans prædestinationem esse, negat Deum esse, nam absque perfecta sapientia impossibile est Deum esse, neque perfecta sapientia est aliquid, si prædestinatio nihil esset; sed quoniam Deus est, oportet esse prædestinationem necessariò, quæ nihil est, si perfecta justitia non est, quia absque perfecta justitia sciret sapientia Dei minoritatem perfectionis & veritatis in ipsa justitia Dei, quod falsum est, quod falsum esset in veritate, si liberum arbitrium non esset realiter in rationali creatura, sinè quo sciret sapientia Dei suam justitiam in imperfectione in opere creaturæ per parvitatem veritatis, quando quidem operatio sapientiæ perfectionis veritatis & justitiæ foret otiosa realiter per æternitatem, quod est impossibile, quia si foret possibile, æternitas haberet concordantiam cum corruptione per imperfectionem & parvitatem sapientiæ &c. sed quoniam hoc est falsum & impossibile, ergo &c.

Camera 5.

Creatura, Operatio, Differentia.

DIfferentia est inter operationem creaturæ & creatoris ejus & inter operationem affirmationis dubitationis negationis, in qua differentia est potestas creatoris creaturæ operationis affirmationis dubitationis negationis, in qua etiam potestate est differentia sapientiæ veritatis perfectionis & justitiæ per æqualitatem majoritatem minoritatem, existente in potestate, quam Deus habet, æqualitate sapientiæ veritatis perfectionis & justitiæ, atque existente in potestate, quam creatura habet, majoritate per affirmationem, sed minoritate per dubitationem vel negationem, quocirca manifestatur reale esse prædestinationis & liberi arbitrii, sinè quo prædicta principia esse nequirent, ergo &c.

Camera 6.

Operatio, Differentia, Concordantia.

DIvina voluntas habet concordantiam cum sapientia veritate perfectione & justitia, & secundùm hanc concordantiam diversificatur in effectu suo operatio affirmationis dubitationis negationis; si verò prædestinatio esset sed non liberum arbitrium, vel si liberum arbitrium esset sed non prædestinatio, sequeretur contrarietas inter divinam voluntatem sapientiam veritatem perfectionem & justitiam, quia si prædestinatio vel liberum arbitrium esset in falsitate, oporteret, quòd divina voluntas hoc vellet, cujus velle esset contra perfectionem & veritatem sapientiæ & justitiæ, sed quoniam hoc est falsum & impossibile, ergo &c.

Camera 7.

Differentia, Concordantia, Contrarietas.

AFfirmatione affirmante prædestinationem propter perfectionem sapientiæ, tunc sequitur in humana ratione contra realitatem negatio negans liberum arbitrium esse propter perfectionem prædestinationis, sed affirmatione affirmante liberum arbitrium esse propter perfectionem justitiæ, tunc negatio negat prædestinationem esse propter perfectionem liberi arbitrii, ideóque cadit in humana ratione dubitatio, per quam dubitatur in prædestinatione & libero arbitrio, quæ dubitatio in privationem cadit, quando majoritas cum duabus affirmationibus concordat, minoritas verò cum duabus negationibus; quoniam si affirmatio, quæ est A., affirmans prædestinationem propter perfectam sapientiam, est in veritate, impossibile est negationem, quæ est B., negantem liberum arbitrium propter perfectam sapientiam esse in veritate, quia, si in ea esset, foret impossibile in divinis sapientiam & justitiam esse eandem virtutem; & hoc idem etiam sequeretur de affirmatione & negatione liberi arbitrii, scilicet si affirmatio, quæ est C., affirmans liberum arbitrium esse propter justitiam est in veritate, impossibile est negationem, quæ est D, negantem prædestinationem propter perfectam justitiam esse in veritate, quia si in ea esset, foret similiter impossibile in divinis sapientiam & justitiam esse eandem virtutem, per hoc autem impossibile apparet manifestè duas prædictas affirmationes esse in A. C. sed duæ prædictæ negationes, quæ sunt B. D., ipsis A. C. contrariantur, quarum contrarietate manifestum est prædestinationem & liberum arbitrium esse.

Came-

Camera 8.

Concordantia, Contrarietas, Principium.

QUando affirmatio affirmat, prædestinationem esse, tunc ipsa est principium negationi neganti liberum arbitrium, sed quando affirmatio affirmat liberum arbitrium esse, tunc ipsa est principium negationi neganti prædestinationem esse; quare tunc temporis existunt in dubitatione, quæ componitur ex affirmatione & negatione per diversa principia, & per differentiam realitatis & rationis, majoritatis & minoritatis, per contrarietatem veritatis & falsitatis, & quoniam principium duarum affirmationum oportet in realitate existere per concordantiam cælestis gloriæ sapientiæ veritatis perfectionis & justitiæ, ergo oportet duas prædictas negationes in falsitate esse, quia nisi hoc ita esset, sequeretur, quòd gloria foret in contrarietate per concordantiam sapientiæ perfectionis veritatis & justitiæ, sed hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 9.

Contrarietas, Principium, Medium.

AFfirmatio affirmans prædestinationem esse generat negationem negantem liberum arbitrium esse, & affirmatio affirmans liberum arbitrium esse generat negationem negantem prædestinationem esse, ideóque oportet aliquod medium esse inter affirmationem & negationem, ut non sequatur, quòd principium procedens ab affirmatione in negationem contineat veritatem vel falsitatem simpliciter absque compositione, quod est impossibile; quia, si foret possibile, sequeretur, quòd imperfectio largitatis foret per sapientiam veritatem justitiam contra perfectionem, quod est impossibile; per quod manifestatur & invenitur medium, quod est inter affirmationem & negationem, scilicet dubitatio, quæ componitur ex affirmatione & negatione, affirmatione habente concordantiam cum esse realitate & majoritate, sed negatione cum privatione dubitatione & minoritate: ergo &c.

Camera 10.

Principium, Medium, Finis.

QUando affirmatio, quæ est A., affirmat prædestinationem esse propter perfectionem sapientiæ veritatis & justitiæ, tunc est ipsa affirmatio principium hujus negationis, quæ est B., quod B. negat imperfectionem in libero arbitrio esse, licèt sit prædestinatio; sed quando affirmatio affirmat prædestinationem esse propter perfectionem sapientiæ tantùm, tunc est in numero altera affirmatio, quæ est C., diversificata ab affirmatione, quæ est A., idcirco C. principium est alterius negationis, quæ est D., diversificatæ à negatione, quæ est B., quod D. negat liberum arbitrium esse, quia C. sicut A. prædestinationem affirmat: hoc idem etiam sequitur, quando affirmatio, quæ est E., affirmat liberum arbitrium esse propter perfectionem justitiæ & sapientiæ, quod E. principium est cujusdam negationis, quæ est F., quod F. negat imperfectionem esse in divina sapientia, licèt liberum arbitrium sit propter perfectionem justitiæ: hoc autem E. diversificatur ab affirmatione, quæ est G., quod G. affirmat liberum arbitrium esse propter perfectionem justitiæ tantùm, quod G. principium est negationis, quæ est H., quod H. negat prædestinationem esse, cùm liberum arbitrium sit in esse reali propter perfectionem justitiæ: & quoniam hæc prædicta ita sunt, ergo per hoc medium, quod est per transumptionem unius litteræ in alteram, revelatur simplicitas, quæ est in sapientia veritate perfectione justitia, quæ simplicitas est finis ipsorum A. B. C. D. E. F. G. H.

Camera 11.

Medium, Finis, Majoritas.

QUando affirmatio affirmat prædestinationem esse propter perfectionem sapientiæ & justitiæ, tunc concordat cum majoritate, sed quando affirmat prædestinationem esse generans negationem negantem esse liberum arbitrium, tunc habet concordantiam cum minoritate; eodem modo quando affirmatio affirmat liberum arbitrium esse propter perfectionem justitiæ & sapientiæ, tunc concordat cum majoritate, sed quando affirmat liberum arbitrium esse generans negationem negantem esse prædestinationem, tunc habet concordantiam cum minoritate; & si hoc esset contra veritatem, sequeretur, quòd nobilitas, quæ cum majoritate convenit, foret medium, per quod veritas cum minoritate perfectionis per sapientiam & justi-

tiam esset finis affirmationis & negationis, sed quia hoc est falsum & impossibile, ergo &c.

Probatum & ostensum est necessariis rationibus realiter esse prædestinationem & liberum arbitrium, quorum demonstrationem fecimus in commixtione camerarum cum divinis dignitatibus : sed ampliùs modum volumus variare, ut ad inquirendum particulare possimus circa hanc doctrinam per plures modos pervenire intendentes demonstrare cum aliis principiis esse prædestinationem & liberum arbitrium, quæ principia sunt hæc, scilicet *spes*, *charitas*, *prudentia*, *justitia*, *forma* & *materia*; idcirco secundùm ordinem de *spe* dicendum est primitus, & de cæteris consequenter.

Camera 12.

Finis, Majoritas, Æqualitas.

AFfirmante affirmatione esse prædestinationem & liberum arbitrium formatur *spes*, per quam sperandum est in beatitudine pro merito bonorum operum, ad quorum finem adsunt æqualiter sapientia & justitia Dei, sed negante negatione esse prædestinationem & liberum arbitrium subjectum & objectum absunt spei, quo subjecto ipsa indiget, in quo se formet, nec habet objectum, per quod ad suum finem perveniat, & formatur per dubitationem & negationem minoritas spei contra majoritatem beatitudinis sive culpæ & contra æqualitatem divinæ sapientiæ & justitiæ; sed quia finis & majoritas habent concordantiam cum esse, eorum autem oppositum cum privatione, ergo &c.

Camera 13.

Majoritas, Æqualitas, Minoritas.

QUando affirmatio contemplando affirmat æqualitatem justitiæ & sapientiæ Dei per prædestinationem & liberum arbitrium, tunc sapientia & justitia Dei *charitatem* influunt, & informant etiam hominem per affirmationem subjectam charitati, quam charitatem habet homo ad Deum & ad proximum suum; sed quando ab affirmatione procedit negatio negans vel dubitatio dubitans esse prædestinationem vel liberum arbitrium, tunc destruitur forma & subjectum, in quantum tendit hic processus in negationem vel dubitationem cum minoritate charitatis contra majoritatem, quâ habet ipsa charitas libertatem affirmante affirmatione prædestinationem & liberum arbitrium, ne charitas habeat minoritatem in negatione & dubitatione repugnantibus majoritati charitatis & æqualitati sapientiæ & justitiæ Dei, & quoniam æqualitas sapientiæ & justitiæ & majoritas charitatis atque esse *formæ* & *materiæ* habent concordantiam cum esse, eorum autem oppositum cum privatione, ergo &c.

Camera 14.

Æqualitas, Minoritas, Affirmatio.

SI prædestinatio est non autem liberum arbitrium & è converso, sequitur, quòd affirmatio & ipsius subjectum habeat minorem formam in *prudentia*, quæ cum esse convenit, quàm negatio & dubitatio, quæ affirmatio haberet ipsam *formam* majorem ipsúmque subjectum magis in contrario prudentiæ, quod cum privatione concordantiam habet; quia si liberum arbitrium realiter nihil est, habente homine gratiâ Dei libertatem eligendi salvationem vel damnationem, impossibile quidem est subjectum & *materiam* esse prudentiæ, per quæ pœna valeat evitari & eligi perpetua beatitudo : & hoc idem sequitur, si prædestinatio realiter nihil est, sinè qua Deus nihil esset, sinè cujus esse nec beatitudo neque pœna perpetuum esse haberet, sed quia prudentia & esse concordant, pœna verò & privatio, ergo &c.

Camera 15.

Minoritas, Affirmatio, Dubitatio.

SI Prædestinatio nihil est, eò quòd liberum arbitrium nihil sit realiter, sed solùm in ratione, impossibile est, quòd creata justitia possit existere in realitate sed solùm in humana ratione per minoritatem negationem dubitationem, quæ cum minoritate convenit, contra affirmationem majoritatem, quæ cum majoritate habet concordantiam; quod si ita sit, sequitur, quòd privatio posit magis esse subjectum *formæ* rationis quàm realitatis, & quòd sit concordantia majoritatis & privationis & minoritatis & esse, quod falsum est, ergo manifestum est prædestinationem & liberum arbitrium esse realiter.

DECI-

DECIMA QUÆSTIO.

Quæritur : Utrùm sit aliqua Universalis Scientia subjecta omnibus aliis scientiis, in qua sint certa universalia existentia principia, per quæ possit infinitorum particularium quæstionibus responderi ? & teneo, quòd sic.

Camera 1.

Finis, Medium, Principium.

AD hanc quæstionem solvendam *accidentalis figura* subjicitur huic cameræ *figuræ substantialis*, sed quoniam quæstiones sunt *ex universalibus* & *particularibus*, ideo respondendum est eis per specialia principia, quæ sunt ex specialibus scientiis scilicet ex *Theologia*, *Philosophia*, *Logica*, *Jure & Medicina*; unde ad propositum eligenda sunt in his quinque scientiis specialia principia ad solvendum quæstiones declarando doctrinam & regulam hujus artis, & ideo de *principiis Theologiæ* sumuntur *Essentia Dignitates* & *Actus* Dei; de *Principiis* verò *Philosophiæ* sumuntur *Mixtio*, *Digestio*, *Alteratio*; de *principiis Logices propositio major minor* & *conclusio*; de *jure forma* & *materia*; de *medicina* autem *causa accidens ægritudo*.

Per hæc XIIII. principia panditur doctrina & regula, quomodo quæstiones, quæ diversis aliis scientiis conveniunt, debeant secundùm earum principia indagari.

Camera 2.

Majoritas, Finis, Medium.

Essentia Dei est universale principium omnibus essentiis & finis omnium creatorum, & quoniam ipsa essentia Dei habet concordantiam cum majoritate, omnes verò aliæ essentiæ cum minoritate, ergo majoritas est medium, per quod creantur & sustentantur cæteræ essentiæ; hoc autem medium est universale principium, in quo reperiri possunt omnia particularia, quæ per essentiam diriguntur ad recipiendum influentiam à summa essentia, quæ est principium earum : in quo principio esset minoritas finis & medii, si particulare, quod ab ipso influentiam recipit, deficeret reperiri; sed quoniam hæc minoritas est impossibilis, ergo manifestum est, si sit quædam scientia, in qua omnia principia aliarum scientiarum misceantur, quòd de necessitate sequitur in ea reperiendum esse particulare substans universalibus illius scientiæ.

Camera 3.

Æqualitas, Majoritas, Finis.

UNiversale Principium est in scientia Theologiæ, omnes divinas *dignitates* esse æquales non in aliquo inter se repugnantes nec contrariantes, sed in omnibus concordantes, atque omne id esse in veritate, per quod ipsæ manifestantur esse in majoritate æqualitatis & concordantiæ absque aliqua repugnantia vel contrarietate, quia si illud esset in falsitate, sequeretur, quòd minoritas esset finis & principium per æqualitatem divinarum dignitatum contra majoritatem, itaque esset minoritas medium, per quod nullum particulare reperiri posset in principiis Theologiæ, quod est inconveniens, ergo &c.

Camera 4.

Minoritas, Æqualitas, Majoritas.

ÆQualitas major esse potest per majoritatem quàm per minoritatem, quocirca æqualitas potest esse major in fine quàm in medio & principio, & ideo *mixtio* harum duarum camerarum est quoddam universale principium subjectum inventioni multorum particularium, ad significandum quandam scientiam esse, in qua misceantur universalia principia plurimarum scientiarum, ut sit subjecta ad indagandum & inveniendum infinita particularia; quoniam sicut bonificare & magnificare Dei &c. qui sunt *actus* bonitatis magnitudinis, atque ipsum bonificare est principium omni bono creato, & ipsum magnificare omni magno creato, & sic de aliis, ita de necessitate decet quandam scientiam esse subjectam aliis scientiis, in qua quodlibet universale principium sit principium omni alteri principio particularis scientiæ, quod sit de similitudine ejusdem principii universalis, & per mixtionem amborum principiorum, ergo &c.

Camera 5.

Affirmatio, Minoritas, Æqualitas.

FInis medium principium affirmatio minoritas æqualitas sunt universalia prin-

cipia, quia infinita particularia in eis recipi possunt, unde dum hæc principia miscentur, ex eorum mixtione producitur, quòd datur universale principium subjectum multis particularibus, *quemadmodum operatio quatuor elementorum est universale principium multis substantiis multisque accidentibus*: ergo per hanc similitudinem manifestum est, quòd ex multis scientiis quædam universalis scientia producitur, in qua universalia principia particularium scientiarum miscentur, cujus universalis scientiæ principia sunt universalia ad recipiendum principia particularium scientiarum, ergo &c.

Camera 6.

Dubitatio, Affirmatio, Minoritas.

DUbitatio est universale principium, in quo formatur [ut ita loquamur] *digestio* affirmationis & negationis; & ut affirmatio & negatio sint in fine, potentia memorativa intellectiva & volitiva sunt ita comparativè universalia principia ipsi digestivæ potentiæ per dubitationem *sicut sunt quatuor elementa per potentiam vegetativam, ut efficiatur suppositum elementatum*: hoc idem etiam sequitur de potentia sensitiva, in qua fit digestio quinque sensuum corporalium, quæ sunt universalia principia, per quæ operatur potentia sensitiva. Unde cùm hæc ita sint, ergo per hoc medium manifestatur aliquam scientiam esse communem necessariò, sub qua revolvuntur, & in quam terminantur communiter omnia universalia aliarum scientiarum subjecta regulata & ordinata secundùm eorum naturales proprietates, ex quorum participatione & digestione scilicet alterius cum altero miscendo alias cameras cum aliis reperitur particulare, quod quæritur, salvis conditionibus cujusque principii universalis, ergo &c.

Camera 7.

Negatio, Dubitatio, Affirmatio.

PRiusquam *fit compositio quatuor elementorum & digestio, oportet esse mixtionem, & ideo principium compositionis per mixtionem consistit, deinde in digestione, sed finis est compositio: unde sicut digestiva potentia existit medium inter potentiam mixtivam & compositivam*, simili modo dubitativa potentia existit medium inter negativam & affirmativam, ut in negatione sit principium, sed finis in affirmatione; *& sicut compositio fit ex simplicibus per mixtionem & digestionem, & in ipsa compositione fit transmutatio, scilicet in species existentes alia entia, quæ non sunt elementa, licèt ipsæ species vel suppositа compositæ sint ab eis*, simili modo in compositione universalium principiorum diversarum & simplicium scientiarum fit transmutatio in quandam universalem scientiam, quæ non est aliqua prædictarum scientiarum, licèt composita sit ab eis: *& etiam sicut nullum ipsorum elementorum potest attingere ad habendum in se virtutem, quam habet species ab eo composita, quæ illo utitur per vegetationem* &c. ita nulla prædictarum scientiarum habet tantam virtutem ad inquirendum particulare quæsitum, quantam habet universalis scientia, in qua multiplicatur virtus per multa & diversa principia producta ex participatione & compositione simplicium principiorum aliarum scientiarum, ergo &c.

Camera 8.

Deus, Negatio, Dubitatio.

OMnis *major propositio*, quæ in negatione possit esse, est negare in Deo omnem imperfectionem, unde sequitur, quòd major propositio, quæ in affirmatione possit esse, est affirmare in Deo omnem perfectionem; & quoniam dubitatio est medium existens inter affirmationem & negationem, sequitur, quòd omnem majorem propositionem, quæ in dubitatione potest esse, oporteat esse contra majorem affirmationem vel negationem, hoc enim est, quia Deus est absolutè principium medium & finis omnium creaturarum. Unde quia hoc ita est, ergo major propositio existit in affirmare, quòd divina bonitas bonificat, & divina magnitudo magnificat, & sic de aliis, negante negativâ ullam imperfectionem in Deo sequi per bonificare &c. Unde sicut per conjunctionem majoritatis affirmationis & negationis potest multiplicari communis majoritas producta ab affirmatione & negatione, ita ex majoritate alicujus propositionis, quæ sit unius scientiæ, & ex majoritate alterius propositionis, quæ sit alterius scientiæ, per quam majoritatem sic multiplicatam potest ipsa communis scientia habere majorem virtutem affirmando vel negando quàm aliqua scientiarum particularium sub ea contentarum, atque per majoritatem universalem potest particulare scientiæ particularis meliùs inveniri, quàm per majoritatem particularem, ergo &c.

Camera 9.

Creatura, Deus, Negatio.

MInor *propositio* existit in medio *majoris propositionis* & *conclusionis*, idcirco per minorem transit ad conclusionem, quæ est principium & finis primæ propositionis; & quoniam in conclusione est conveniens virtus primæ & secundæ propositionis, ideo potest inveniri particulare in conclusione per additionem majoris & minoris factam in conclusione, quod particulare reperiri nequit in aliqua propositionum absque conclusione: & quia hoc ita est, ergo secundùm hanc metaphoram manifestum est, quandam universalem scientiam esse communem omnibus aliis scientiis, alioquin sequeretur, quòd Deus super omnes scientias exaltâsset creaturas sensuales, quæ se habent ad unum finem, scilicet ad humanam speciem, quæ scientiæ ad nullum finem universalem se haberent, si foret inconveniens quandam universalem scientiam esse, in qua omnes scientiæ particulares contentæ teneantur & denotentur, ergo &c.

Camera 10.

Operatio, Creatura, Deus.

FInis cujusque scientiæ existit in *conclusione*, quare opus discurrens per aliquam scientiam nobilius est in conclusione, quàm in duabus præmissis propositionibus, quæ sunt principium & medium operi conclusionis: unde, si foret inconveniens quandam universalem scientiam esse sub se continentem & dissolventem universa particularia specialium scientiarum, & quòd in se speciales scientias non concluderet, sequeretur in nulla scientia esse conclusionem particularis, quia finis in præmissis propositionibus consisteret, non autem in conclusione, quod est impossibile & contra experientiam nobis manifestam de dispositione, quam Deus posuit in opere creaturarum discurrente per principium medium & finem, ergo &c.

Camera 11.

Differentia, Operatio, Creatura.

FOrma *substantialis* est principium formæ accidentalis, quocirca formæ accidentales dispositionem sequuntur formarum substantialium & *materiæ*, de quibus suppositum compositum est; & quoniam hoc ita est, ergo per formam significatur, quòd unam scientiam oportet esse per formam communem omnibus scientiis, ut ipsa scientia sub se formas omnium aliarum scientiarum contineat, quæ per operationem diversæ sunt secundùm differentiam principium medium & finem cujuslibet creaturæ, *veruntamen ob reverentiam Theologiæ dicere non intendimus, hanc universalem scientiam esse finem omnium scientiarum, sed dicimus eam esse medium, per quod regulentur principia omnium scientiarum ad inveniendum sua particularia*, in quorum investigatione & inventione existerent sinè ipso medio defectivæ, quia si sinè ipso defectivæ non essent, sequeretur, quòd omnes scientiæ essent de particularibus non autem de universalibus, quod falsum est, ergo &c.

Camera 12.

Concordantia, Differentia, Operatio.

PRima *materia* est universale principium subjacens transmutationi & renovationi universalis operationis per concordantiam & contrarietatem; dum autem contingit deviare medium per aliquod accidens contra finem in principio, est hæc deviatio medii per corruptionem materiæ specificæ, ad cujus medii restaurationem natura tunc recurrit ad universalia principia scilicet ad *primam materiam*, & *ad universalem formam*, quæ existunt generalia principia materiis & formis specificis, sinè quibus universalibus principiis formæ & materiæ particulares directionem non haberent de principio ad finem; unde figuratur, quòd sicut materia prima principium est pluribus materiis specificis, ita oportet quandam scientiam esse omnibus scientiis generalem, quæ per modum materiæ sit patiens, sed per modum formæ sit agens: quod si esset per oppositum, sequeretur, quòd principia naturæ haberent subjectum magis ordinatum quàm principia scientiarum, quæ habent nobiliorem finem

quàm principia naturæ, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 13.

Contrarietas, Concordantia, Differentia.

COntrarietas existit contra finem medium principium, atque contrarietas existit contra contrarium principii medii & finis, idcirco inter contrarietatem & contrarietatem existit differentia, per quam existit concordantia concordans vel repugnans contrarietati; cùm potissimè concordantia conveniat cum fine, medio, principio, per quam convenientiam existit differentia inter concordantiam & contrarietatem, ideóque concordantia est *causa* fini medio principio, contrarietas verò est causa contrario finis medii principii, vel hujus contrarii contrario, ût prædictum est: & quoniam hoc ita est, ergo secundùm prædicta principia ordinatum est & productum quoddam universale, quod est principium & causa multis particularibus, quod nec ordinari nec produci potuisset, si foret impossibile quandam universalem scientiam esse principium & causam inventioni infinitorum particularium in ipsa scientia & per ipsam, *& hoc tamen Sancti Spiritûs gratiâ, per cujus infusionem ipsam scientiam decuit influi ad omnes scientias dirigendas.*

Camera 14.

Principium, Contrarietas, Concordantia.

COncordantia & contrarietas sunt principia infinitis *accidentibus* motis ad finem per medium concordans vel contrarium existens, & quia unaquæque scientia suum proprium medium habet, per quod principium tendit ad suum finem infinitis accidentibus, quæ sibi & particulari medio conveniunt, sinè quo universali medio nequirent destrui accidentia contraria principio medio fini scientiæ particularis, illis accidentibus existentibus in majori quantitate quàm existant accidentia, quæ cum ipsis principiis concordantiam habent; ergo &c.

Camera 15.

Medium, Principium, Contrarietas.

QUando medium alicujus scientiæ deviat & impeditur per aliquam contrarietatem contrariam fini illius scientiæ, tunc recurrendum est ad principia illius scientiæ, quæ nisi sufficientia fuerint ad dandam *sanitatem* & directionem illi medio devianti, recurrendum est ad principia alterius scientiæ vel scientiarum, in quarum mediis non sit contrarietas, quæ est *infirmitas* intellectûs deviantis; & quoniam cum principiis alicujus particularis scientiæ possunt inveniri & probari atque fortificari principia alterius scientiæ, à quibus medium illius scientiæ recipit sanitatem & virtutem, & multa principia meliùs possunt sanare medium quàm pauca principia, ergo de necessitate manifestum est esse quandam scientiam omnibus scientiis universalem ex principiis omnium particularium scientiarum compositam, quam divinâ mediante gratiâ habituavimus in *arte compendiosa & demonstrativa atque in hoc Libello, qui est quasi ramunculus ab ipsis scientiis extractus.*

UNDECIMA QUÆSTIO.

QUæritur: Utrùm per principia illius scientiæ debeant dirigi omnia particularia principia particularium scientiarum? & teneo, quòd sic.

Camera 1.

Differentia, Majoritas, Concordantia.

AD solvendum hanc quæstionem accipimus ex principiis T., quibus in hoc opere nitimur, ista XII. principia scilicet *Deum, finem, æqualitatem, contrarietatem, minoritatem, principium, affirmationem, medium, creaturam, operationem, dubitationem, negationem:* his autem principiis positis in commixtione camerarum inveniemus *novas & necessarias rationes*, quibus manifestabitur solutio hujus quæstionis. Nos igitur ex his exempla pandere proponimus in quinque scientiis tantùm, scilicet in *Theologia, Philosophia, Logica, Jure & Medicina:* unde servato ordine de Deo primitus dicendum.

Camera 2.

Concordantia, Æqualitas, Contrarietas.

MAjor differentia potest esse in majori concordantia quàm in minori, & quoniam contrarietas & minoritas conveniunt, concordantia verò & majoritas; idcirco sequitur, quòd major differentia potest esse per concordantiam, quæ convenit cum æqualitate concordante cum majoritate quàm per contrarietatem, quæ convenit cum inæqualitate concordante cum minoritate: unde quia hoc ita est, & quia connexio & commixtio universalium principiorum hoc principium producunt, quod est unum individuum universale substans universali scientiæ, ideo Deus, quoniam est subjectum Theologiæ, vult propter sapientiam & Justitiam &c. quòd principia Theologiæ adhibeantur principiis scientiæ universalis, ut infideles, quibus principia hujus universalis scientiæ sunt communia, possint inde venire ad majorem æqualitatem & concordantiam contra majorem inæqualitatem & contrarietatem, ergo &c.

Camera 3.

Contrarietas, Minoritas, Principium.

ERror incipit à differentia contrarietate minoritate contra principia differentiæ concordantiæ majoritatis, quæ cum veritate concordantiam habent; idcirco existit differentia seu diversitas inter principia veritatis & erroris, per quam diversitatem diversificatur finis inter majoritatem & concordantiam & inter minoritatem & contrarietatem. Unde quia hoc ita est, ergo per hæc prædicta universalia significatur, qualiter omnis error incipiens Theologiæ principiis repugnare potest destrui per universalia principia, quorum finis est, quòd cum Theologia & principiis ejus habeant concordantiam contra omnia principia contraria suo fini, ergo si foret inconveniens, quòd Principia Theologiæ ad universalia principia reducerentur, sequeretur, quòd Theologia esset contra suúmmet finem, quod est falsum & impossibile, ergo &c.

Camera 4.

Principium, Affirmatio, Medium.

QUando per aliquod medium contingit ex diversis principiis formari unum principium universale continens in se totam materiam principiorum, è quibus compositum est, tunc illud universale principium in se continet de diversis principiis diversam & æqualem concordantiam, quæ convenit cum majoritate, per quam concordantiam ipsum universale principium habet magnitudinem contra parvitatem ad significanda multa particularia; & quia hoc ita est, ergo per æqualitatem diversarum virtutum in universali principio denotatur principia Theologiæ debere reduci ad universalia principia & eis adhærere, ut potentia memorativa intellectiva & dilectiva possint habere complementum in sacra scriptura, quæ per sanctorum multitudinem tradita & revelata atque exposita est in differentia concordantia majoritate &c. quolibet sanctorum affirmante veritatem, quorum affirmatio veritatis potest per majoritatem medii in differentia & concordantia reperiri in universalibus principiis, quemadmodum majoritas convenit ad concordandum dicta sanctorum per necessariam æqualitatem rationum, ergo &c.

Camera 5.

Medium, Dubitatio, Finis.

QUando dubitatio existit inter principium & finem, tunc medium existit contrarium illi medio, per quod existit differentia per majoritatem & concordantiam inter principium & finem: & quoniam in Theologia sunt multa principia media & fines, idcirco prolongatur in multis expositionibus & scripturis, cujus prolixitate humanus intellectus fastidium patitur ad recipiendum tot species, atque propter multitudinem memoria vix potest eas in se conservare: unde sicut X. C. D. M. sunt in numero universalia principia, ut memoria numerum possit faciliùs retinere per abbreviationem specierum quàm per prolixitatem, ita est non modica utilitas potentiæ memorativæ & intellectivæ, quòd principia Theologiæ ad necessaria principia reducantur, ut evitetur prolixitas, quæ contraria est affirmationi & negationi, habens concordantiam cum dubitatione; si autem esset hujus contrarium, contrarius finis Theologiæ haberet concordantiam cum Theologia, quod falsum est & impossibile, ergo &c.

Camera 6.

Finis, Negatio, Majoritas.

MAjoritas propinquior est in dignitate affirmationi quàm negationi, quocirca affirmatio propinquior est fini quàm nega-

negatio : & quoniam Theologis convenit scientia & charitas, unde producitur beatitudo vitæ, idcirco existit minoritas scientiæ & Charitatis per differentiam contrarietatem & negationem contra differentiam majoritatem concordantiam & affirmationem, & sic per prædictam minoritatem multiplicantur vitia contra majoritatem virtutum; sed si principia Theologica tempore & casu necessitatis reducerentur ad universalia principia in compendio substantia universali scientiæ à Theologis apprehensæ, sequeretur in majoritate, quòd virtutes superarent per scientiam & charitatem, vitia verò per minoritatem succumberent, ergo &c.

Camera 7.

Majoritas, Deus, Æqualitas.

MAjor concordantia rerum æqualium & distinctarum potest recipi ingredi & progredi per majoritatem quàm per minoritatem, & ideo Deus ordinavit in principiis Philosophiæ esse majoritatem ad significandum æqualem concordantiam divinarum personarum, quæ sunt universalia principia omnibus naturis creatis: si autem principia Theologiæ sint sufficientia quoad receptionem intellectivæ potentiæ, quæ cum minoritate convenit, licèt cum majoritate conveniant quoad naturam suam secundùm comparationem creaturarum, quæ cum minoritate conveniunt, & si ipsa pariter cum principiis Philosophiæ ad quandam universalem scientiam reducantur, in qua sit concordantia principiorum Theologiæ & Philosophiæ, sequitur inde major concordantia inter Theologiam & Philosophiam contra majoritatem differentiæ & contrarietatis, quæ differentia contrarietatis Theologiæ & Philosophiæ nimis periculosa est, & propter periculum evitanda, ergo &c.

Camera 8.

Æqualitas, Creatura, Minoritas.

QUantò magis quædam creaturæ per majoritatem sunt æquales, tantò magis sunt propinquæ concordantiæ, & quantò magis quædam creaturæ per minoritatem sunt æquales, tantò magis sunt propinquæ contrarietati; ideóque concordantia propinqua est æqualitati diversarum creaturarum per majoritatem, sed contrarietas propinqua est æqualitati diversarum creaturarum per minoritatem : idcirco Philosophus in principiis Philosophiæ affirmat per majoritatem concordantiam & æqualitatem, & negat per minoritatem contrarietatem & æqualitatem, per quam affirmationem & negationem particularia perscrutatur in universalibus; dum autem contingit eum non reperire, quod inquirit prolongans scientiam diversis commentis glossis textibus & expositionibus, tunc sequitur talis confusio memorativæ & intellectivæ potentiæ contra majoritatem æqualitatem & concordantiam, quæ minimè sequeretur, si ad principia universalis scientiæ recurreret in tempore necessitatis, ergo &c.

Camera 9.

Minoritas, Operatio, Affirmatio.

DE multis partibus differentibus & concordantibus potest fieri majus opus quàm de paucis differentibus & contrariis, *& ideo philosophus affirmare potest in principiis Philosophiæ secundùm prædictorum principiorum commixtionem, quæ est medium & principium universalis scientiæ, eò quòd ad artificialia & naturalia opera se extendit* : unde, si disconveniret principia Philosophiæ examinari & ad principia reduci, esset omnis Philosophus contrarius Philosophiæ per medium, *per quod Philosophia opera naturalia cum artificialibus repræsentat*, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 10.

Affirmatio, Differentia, Dubitatio.

DIfferentia est inter affirmationem & dubitationem, sed quoniam differentia existit per majoritatem & concordantiam inter affirmationem & negationem, idcirco differentia existit inter negationem & dubitationem per minoritatem & contrarietatem, quocirca per affirmationem & negationem quædam præmissæ propositiones sunt aliæ aliis contrariantes, quia quælibet earum contrariantium tendit ad majoritatem & concordantiam in conclusione contra dubitationem, & quoniam omnes creaturæ sunt diversæ concordantes & contrariæ per majoritatem & minoritatem secundùm diversos respectus substantiarum & accidentium, idcirco Logicus, quando principia sua sibi deficiunt, mul-

multiplicat scientiam Logicæ componens principia sua cum principiis aliarum scientiarum, ex quorum compositione producitur conclusio significans principia universalis scientiæ contra dubitationem, contra quam non esset ipsa productio conclusionis, si foret inconveniens principia particularium scientiarum reduci ad principia scientiæ universalis, ergo &c.

Camera 11.

Dubitatio, Concordantia, Negatio.

DUbitatio & negatio concordantiam habent cum minoritate, affirmatio verò & negatio cum majoritate : & ideo existit differentia inter negationem & negationem opere negationis, quod concordat cum affirmatione, existente majore illo opere negationis, quod convenit cum dubitatione; unde Logicus, qui non habet complementum simplicium principiorum logicalium, prolongat suam scientiam in particularitate per glossas & commenta, in quibus inquirit majoritatem affirmationis & negationis, quam non invenit sub sua particulari arte, quæ nimis descendit ad particularia, cùm per particularia scientia prolongetur ab essentia universalium principiorum; & quoniam operatio artis per universalia principia abbreviatur, & per particularia prolongatur, atque dubitatio & negatio majorem habent concordantiam quàm affirmatio & dubitatio, per brevitatem ostenditur manifestè, quòd Logicus citiùs potest veritatem reperire in universalibus principiis quàm in principiis suæ scientiæ tantùm, alioquin sequeretur, quòd quantò Logicus suam scientiam vehementiùs ampliaret in particularia, tantò elongaret operationem dubitationis ab affirmatione & negatione, quæ per artis abbreviationem existunt in universalibus principiis, sed quoniam hoc est impossibile, ergo &c.

Camera 12.

Negatio, Contrarietas, Deus.

NEgatio quoad Deum existit in majori contrarietate per majoritatem quàm per minoritatem, idcirco existit differentia inter negationem, quæ est affirmationi contraria, & negationem, quæ est cum dubitatione concordans, per quam differentiam Jurista cadit in dubitationem, quando in suis particularibus caret universalibus principiis inquirens in ipsis suis particularibus concordantiam affirmationis & negationis contra dubitationem, quam concordantiam deberet indagare in magis universalibus principiis, quàm sint principia suæ scientiæ, quæ sunt ex universali scientia, de qua tractamus, sinè qua Jurista in principiis minimè haberet sufficientiam ad percipiendum opiniones eorum, qui jura constituerunt, scilicet Imperatoris & Sanctorum Patrum, nec Jurista attendere posset rationes, quæ moverunt eos ad jus quodlibet statuendum, ergo &c.

Camera 13.

Deus, Principium, Creatura.

DEus est justitia, qui principium est omnibus creaturis, quocirca injuria habet majorem concordantiam per majoritatem quàm per minoritatem cum negatione quam cum affirmatione, & ideo existit differentia inter injuriam, per quam differentiam jurista habet in sua scientia imperfectionem, cùm sibi deficiunt universalia principia, sinè quibus invenire nequit infinita particularia, quæ causaliter accidunt ex injuria, quæ cum negatione habet majorem concordantiam quàm cum affirmatione : quâ concordantiâ sequitur necessariò, quòd jurista recurrere debet ad principia scientiæ universalis, quæ in scientia juris defectum supplet & perficit contra majoritatem injuriæ & negationis, si verò hic recursus sit inconveniens, sequitur, quòd majoritas sit in majori potestate per injuriam & negationem quàm per justitiam & affirmationem, sed quoniam hoc est impossibile, & contra Deum justitiam principium creaturam, ergo &c.

Camera 14.

Creatura, Medium, Operatio.

QUoniam medium & operatio habent majorem concordantiam per majoritatem quàm per minoritatem, est differentia inter concordantiam & concordantiam : quocirca creaturæ subjectæ sunt concordantiæ, quæ plùs distat à contrarietate per majoritatem quàm per minoritatem, per quas distantias Medicus, cujus interest sanare morbum, quandoque per majorem concordantiam quandoque per minorem indiget applicatione *universali-*

um principiorum Medicinæ, per quæ cognoscat majoritatem & minoritatem per medium & per operationem, ubi oportet esse concordantiam & contrarietatem; *quando enim defectum patitur in sua scientia, debet recurrere ad principia Philosophiæ, quæ magis universalia sunt principiis Medicinæ.* Si igitur foret inconveniens recurrere ad Philosophiam, foret inconveniens recurrere ad Theologiam & ad universalia principia Theologiæ, quæ sunt justitia charitas conscientia &c. sed hoc est impossibile, cùm Deus sit subjectum principiis Theologiæ, ergo &c.

Camera 15.

Operatio, Finis, Differentia.

PEr finem existit in medio major concordantia diversorum quàm per principium, idcirco contrarietas magis distat à fine quàm à principio : per quam distantiam Medicus perscrutatur particulare per hoc universale prædictum, quod est unum ex universalibus principiis scientiæ universalis, sinè cujus esse Medicus operari non posset in medicinis, nec opiniones cognoscere vel experimenta, quæ Hypocrates Galienus & cæteri Doctores medici habuerunt in membris medicinæ, ergo &c.

DUODECIMA QUÆSTIO.

QUæritur : Utrùm sit universalis forma omnibus naturalibus formis ? Et teneo, quòd sic.

Camera 1.

Affirmatio, Operatio, Majoritas.

AD hanc quæstionem solvendam accipimus *XIIII. principia Philosophiæ*, quæ sunt hæc: scilicet *prima causa, motus, intelligentia, materia prima, natura, elementa, appetitus, potentia, habitus, actus, mixtio, digestio, compositio, alteratio*, sed secundùm ordinem & tanquam de nobiliori de prima causa dicendum est.

Camera 2.

Dubitatio, Differentia, Æqualitas.

MAjor operatio naturalis affirmabilis est, ut in operibus universalibus differentia & æqualitas magis distent à dubitatione quàm ab affirmatione, hoc enim est propter majoritatem *causæ* & effectûs ; unde, si una forma universalis non sit super omnes formas particulares, opus naturale est inde concordans cum minoritate in differentia & æqualitate per agens & patiens naturalia, sed quoniam actio danda est formæ & passio materiæ, quia majoritas & minoritas sunt oppositæ, & quia etiam minoritas naturalis operis concordantiam habet cum dubitatione, cùm non ita vehementer magnitudinem causæ significet sicut majoritas operis, quæ convenit cum affirmatione, ergo panditur manifestè esse formam universalem, sub qua & per quam omnes formæ specificæ naturales habent majoritatem operis activi, & in earum majoritate producitur majoritas operis passivi per omnes materias specificatas, substantibus omnibus materiis naturalibus uni primæ materiæ universali, ergo &c.

Camera 3.

Negatio, Concordantia, Minoritas.

AFfirmatio & majoritas secundùm operationem sunt prope concordantiam, sed negatio & minoritas ab ea longè distant, quod est, quia negatio & minoritas habent majorem concordantiam cum contrarietate quàm affirmatio & majoritas, quæ plùs cum concordantia conveniunt quàm cum contrarietate, & quoniam concordantia formæ & materiæ potest esse in majori majoritate per universalem formam & materiam in specificis formis & materiis, ergo esse formæ universalis affirmabile est per majoritatem operis & concordantiæ : quod si esset per oppositum, sequeretur, quòd forma materiam non moveret ad substantiam, neque forma ad finem substantiæ moveretur, itaque destrueretur *motus* naturæ per majoritatem & concordantiam, quod falsum est & negabile, ergo &c.

Camera 4.

Deus, Contrarietas, Affirmatio.

AFfirmatio habet majorem operationem per majoritatem, quàm per minoritatem, nisi in majoritate illius operationis contradicat Deo, idcirco *intelligentia* scilicet benignus Angelus, qui cum Deo habet majorem propinquitatem, quàm homo, propinquior est ad affirmandum in Deo omnem perfectionem, quàm homo, qui

qui homo magis distat ab affirmando in Deo perfectionem, quàm à negando in Deo omnem imperfectionem : & quoniam in angelo nobilior est affirmatio per formam, quàm in homine, qui plùs per materiam distat à forma, quàm angelus, idcirco demonstratur, quòd Angelus meliùs convenit ad movendum firmamentum & naturalia principia, si sit forma universalis omnibus aliis formis, quàm si materia universalis esset absque forma universali : quoniam, nisi ipsa universalis forma esset, sequeretur, quòd Angelus plùs posset influere operationem naturæ in materiam, quàm in formam, itaque materia nobilior esset formâ & homo Angelo, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 5.

Creatura, Principium, Dubitatio.

IN affirmatione est major operatio, quàm in dubitatione, & ideo affirmatio est major creatura, quàm dubitatio, ergo oportet, quòd affirmatio habeat nobilius principium quàm dubitatio ; & quoniam hoc ita est, & quia forma & materia sunt principia substantiæ & operationis & operis, naturaliter sequitur in omni creatura majus esse principium operis per formam universalem, quàm per privationem ipsius formæ universalis, nisi enim ita esset, contrarietas universalis & particularis foret in simili specie, & sequeretur, quòd principium principians & principiatum essent per omnem majoritatem contraria sed per omnem minoritatem concordantia, atque dubitatio esset major creatura, quàm affirmatio, quod si ita esset, sequeretur *primam materiam* esse principium universale quatuor elementis absque forma universali, atque omnis naturalis forma substantialis esset per accidens, & omnis secunda materia esset per substantiam, & quoniam omnia ista inconvenientia nec non multa alia propinqua sunt negationi distantia à dubitatione, ergo &c.

Camera 6.

Operatio, Medium, Negatio.

FOrma est medium & membrum, per quod creatura habet majorem operationem, quàm per materiam, & ideo majoritas concordantiam habet cum actione, minoritas verò cum passione ; quod si non esset, sequeretur per oppositum, quòd negatio magis distaret à privatione, quàm affirmatio, quæ cum esse concordantiam habet, sed quoniam hoc est impossibile, ergo ostenditur manifestè, si negatio habet majorem operationem negando formam universalem, quàm affirmatio eam affirmando, quòd *natura* habet majorem operationem per materiam, quàm per formam omnibus specificis materiis existentibus sub suo universali, scilicet sub materia prima, atque omnibus specificis formis indigentibus suo universali scilicet universali formâ, hoc autem est impossibile, ne in operatione naturali substet majoritas minoritati, nec esse privationi, nec affirmatio negationi, nec operans cessanti, nec naturale innaturali, neque forma materiæ, ergo &c.

Camera 7.

Differentia, Finis, Deus.

SEcundùm respectum operationis majoritas & finis concordantiam habent, minoritas verò & differentia, idcirco existit majoritas propinquior fini operis, quàm differentiæ ipsius operis, hoc autem affirmabile est in omni elementato, tamen in Deo negabile est, quia in intrinseco opere Dei est æqualitas scilicet in generatione & processione & hoc sinè majoritate & minoritate & corruptione, & ideo in ipso opere Dei est tanta magnitudo distinctionis Personarum sicut finis scilicet perfectionis ; unde cùm Deus sit pura forma, oportet, quòd finis *elementi* sit Deo propinquior per formam quàm per materiam, per quam materiam existunt formæ in corruptione, majoritas verò & minoritas per differentiam atque formæ per finem se habent ad majoritatem ad generationem & æqualitatem : & quoniam hoc ita est, si igitur universalis forma, quam affirmamus, nihil sit in opere naturali, sequitur, quòd genus & species sint materiæ non autem formæ, itaque materia simplicis ignis est universalis omnibus specificis formis ignis compositi, & hoc per genus & speciem : hoc idem etiam sequitur de aliis elementis, sed quia hoc falsum est & inconveniens, ergo &c.

Camera 8.

Concordantia, Majoritas, Creatura.

NOn negabile est, creaturam, in quantum est substantia, tantùm subjectam esse operi artificiali, quantùm subjecta est operi naturali, cùm opus naturale existat in majori concordantia formæ & materiæ, quàm opus artificiale, & ideo formæ naturales, quæ per opus artificiale habent aliquod impedimentum essendi in actu, habent contra formas artificiales *appetitum*, per quem artificiales in corruptionem cadunt, naturales verò in generationem: unde, si forma universalis nihil sit, sequitur inde minoritas in appetitu naturali, majoritas verò in contrarietate naturalium formarum, atque privatio & appetitus est inter formam ignis & materiæ suæ, & hoc idem sequitur de aliis elementis, quod est impossibile, ergo forma naturalis est, per quam naturalis appetitus existit in majoritate contra formas artificiales, atque ipsa forma universalis est principium, per quod conjunctio formæ & materiæ est appetibilis in simplici elemento, sinè quo universali principio forma ignis, qui est in actu, non regularetur ad habendum appetitum ad conjunctionem sui & materiæ suæ, ergo &c.

Camera 9.

Contrarietas, Æqualitas, Operatio.

ÆQualitas operis propinquior est affirmationi quàm negationi, unde, si forma universalis nihil sit, sequitur oppositum eorum, quæ diximus, quod est impossibile; ergo forma universalis est, quæ existit in habitu, ex qua suscipiunt influentiam & exemplar formæ specificæ, quæ de *potentia* moventur ad actum, sinè quo habitu non posset fieri temperamentum regulatum à justitia in qualitatibus activis & passivis, neque esset, quod species conservaret. Veruntamen non dicimus nec dicere intendimus, quòd universalis forma sit idea, nec habitus intellectivus, imò potiùs dicimus eam esse habitum omnibus formis specificis naturalibus similem habitui motûs sagittæ volantis ad præfixum regulatum terminum, non habendo potentiam imaginativam nec intellectivam, licèt contrarietur obliquitati sui motûs & termini per operationem artificialem.

Camera 10.

Principium, Minoritas, Differentia.

MAjor differentia existit in principiis, in quibus est majoritas, quàm in quibus est minoritas, ideo affirmabile est, quòd in omni opere sunt differentia & concordantia per majoritatem, sed per minoritatem sequitur oppositum: & quoniam materia prima subjecta est omnibus naturalibus formis specificis per genus & speciem, sequitur, si forma universalis nihil sit, quòd subjectum earum formarum sit absque universali agente naturali passivum per formas particulares & habituatum in minoritate, itaque existit passio in universali *habitu*, sed actio in particulari; sed quoniam majoritas & universale conveniunt, minoritas verò & particulare, ob hoc ostenditur manifestè formam universalem esse in universali habitu, quæ in subjecto movet formas ex universalibus habitibus ad habitus particulares, cùm affirmamus illum motum esse per influentiam primæ causæ & intelligentiæ corporúmque cælestium atque per universalem formam, quæ est motor formarum in primam materiam, quia sinè prædictorum influentia & auxilio impossibile esset, quòd quoddam universale principium posset superalterum universale principium, ergo &c.

Camera 11.

Medium, Affirmatio, Concordantia.

INter potentiam & *actum* oportet esse medium, scilicet habitum, qui habet majorem concordantiam cum forma, quàm cum materia, eò quòd major operatio se habet per dare, quod cum forma convenit, quàm per recipere, quod cum materia concordat: unde, quia hoc est affirmabile non autem negabile, ideo ostenditur in actu existente & operatione, quòd universalem formam necessariò esse oportet, quæ nisi esset, sequeretur, quòd actus operativus ab actu existente principium non haberet, in quantum privaretur majoritas concordantiæ per privationem universalis habitûs formalis, atque actus operativus transiret per minoritatem transeundo per universale medium materiale, quod est impossibile, ergo &c.

Camera

Camera 12.

Finis, Dubitatio, Contrarietas.

EX affirmatione affirmante materiam primam esse principium universale & ex negatione negante universalem formam esse fit *mixtio* & contrarietas in dubitatione & confusione, & hoc per operationem intellectivæ potentiæ; sed quoniam talis mixtio contrariatur majoritati finîs affirmationis & negationis contra dubitationem, demonstratur in mixtione intellectivi etiam vegetativum & sensitivum, quòd est per universalitatem agentis & patientis, quod universale principium formale & materiale convenit omni mixtioni, cui vegetativum & sensitivum subjectum est, & hoc, ut in subjecto particulari sit entitas & natura universalis scilicet formalis & materialis, hoc autem ita esse oportet, ut finis vehementiùs se habeat ad substantiam per formam, quàm per materiam, & ne materia sit substantia per se in mixtione sinè forma, quâ mixtione esset materia per se substantia absque forma, si universalis forma nihil esset, ergo &c.

Camera 13.

Majoritas, Negatio, Principium.

DIgestio per formam & materiam est in elementato, & est major per majoritatem, quàm per minoritatem, idcirco cruditatem materiæ primæ oportet plùs mortificari per formam agentem, quàm per materiam patientem seu recipientem: si igitur forma universalis nihil sit, sequitur horum prædictorum totum oppositum, itaque materia prima plùs digeritur per privationem formæ, quàm per esse ejusdem, atque materia prima per passionem est principium digestioni suæ, quod est negabile & contra affirmationem naturalium principiorum, ergo &c.

Camera 14.

Æqualitas, Deus, Medium.

SI forma universalis sit, sequitur inde majus medium essendi per majorem participationem inter universale & particulare, quæ nisi sit, est majus medium in privatione, minus verò in esse, & per majorem privationem sequitur inde minor compositio formæ & materiæ, atque Deus resisteret operi naturali contra æqualitatem justitiæ formæ & materiæ, ut inde sit minor *compositio*, quod est negabile & contra affirmationem, quæ ad affirmandum majus opus naturale convenit, ne Deus sit contra majoritatem causæ suæ, quæ plùs per majoritatem quàm per minoritatem & defectum affirmabilis est in opere naturali, ergo &c.

Camera 15.

Minoritas, Creatura, Finis.

CReatura non est in tanta *alteratione* per minoritatem, in quanta est per majoritatem, idcirco opus naturale se habet ad majorem finem per majorem alterationem in majori opere per sensitivum, quàm per vegetativum, & per rationale, quàm per irrationale, & ideo sequitur, quòd elementa habent majorem transmutationem in homine, quàm in altero animali; & quoniam hoc ita est, & etiam quia major transmutatio & alteratio potest esse per formam & materiam, quàm per materiam tantùm, & etiam major potest esse, si forma universalis sit, quàm si nihil sit, ergo affirmabile est, non autem negabile formam esse quoddam principium universale, cui substant omnes specificæ formæ particulares.

DECIMA TERTIA QUÆSTIO.

Quæritur: Utrùm elementa simplicia sint corpora? & teneo, quòd non.

Camera 1.

Principium, Medium, Finis.

AD probandum elementa simplicia non esse corpora quolibet per se separato ab altero, licèt sint ex natura corporis, accipimus *XIIII. principia Philosophiæ*, quæ sunt hæc: scilicet *prima causa, motus, orbis, forma, materia, natura, appetitus, potentia, habitus, actus, mixtio, digestio, compositio, alteratio*, unde secundùm ordinem de prima causa primitus dicendum est & de cæteris consequenter.

Camera 2.

Medium, Finis, Majoritas.

PRima *causa* est principium & finis omnium effectuum absque ullo medio, quia si hoc esset cum medio, sequeretur

defectus majoritatis in principio & in fine, hoc autem est impossibile, quod esset possibile, si simplicia elementa essent corpora, quia quodlibet eorum haberet suam perfectionem in sua corporeitate, atque moveretur ad compositum contra suam perfectionem, in qua compositione ipsa elementa habent imperfectionem per corruptionem minoritatem & privationem finis; hic autem motus eorum esset per aliquod medium contrarium majoritati causæ, perfectâ substantiâ se movente ad accidentia & ad imperfectionem & privationem sui ipsius, sed quoniam impossibile est, quòd effectus sit contra majoritatem causæ per aliquod medium, ergo &c.

Camera 3.

Finis, Majoritas, Æqualitas.

MAjor naturalis *motus* est æqualis majoritati, sed minor est ei inæqualis, cùm sit æqualis minoritati; & quoniam principium medium finis naturales per motum existunt, & major naturalis motus affirmabilis est, ne major sit negabilis, ergo apparet manifestè in majori æqualitate, quam per motum & majoritatem possunt principium medium & finis habere, simplicia elementa non esse corpora; quoniam si ipsa essent corpora, motus non haberet tantum spatium, eò quòd ipse in tota sphæra ignis non esset, imò potiùs esset in ea plùs stationis quàm motus, & inde sequeretur minoritas levitatis & minoritas finis medii & principii; & hoc idem etiam sequeretur in aliis elementis & sphæris eorum; sed si ignis simplex & alia elementa simplicia sint insimul quoddam corpus mixtum & compositum ex partibus cujuslibet eorum per omnes suas sphæras, tunc sequitur major motus per omnes sphæras toto igne intrante totum aërem dando ei calorem, & toto aëre intrante totam aquam dando ei humiditatem, & totâ aquâ intrante totam terram dando ei frigiditatem, atque totâ terrâ intrante totum ignem dando ei siccitatem: per hunc autem introitum fit alius motus minor scilicet partibus ignis intrantibus aquam & hoc per medium, & ex aqua transeundo per medium scilicet per terram, resumit partes suas in se ipsum: hoc autem habet fieri per accidens, dante aëre calorem ignis aquæ dando ei suam humiditatem, & dante aquâ suam frigiditatem calefactam terræ, atque terrâ dante suam siccitatem calefactam igni; hoc idem sequitur etiam de aliis elementis, quocirca fit medium & mixtio atque connexio diversorum principiorum mediorum finium motuum ponderositatum & levitatum atque multarum aliarum formarum naturalium: unde, si simplicia elementa essent corpora, alio separato ab altero, non esset major motus naturalis æqualis majoritati, quod falsum est, ergo &c.

Camera 4.

Majoritas, Æqualitas, Minoritas.

PRopter majoritatem potest esse major æqualitas quàm propter minoritatem, hoc idem etiam sequitur de principio medio & fine; unde, si simplicia elementa non sint corpora, sed sint mixta & connexa per omnes suas sphæras existendo quoddam corpus confusum, in quo sint corpora, quæ substant speciebus, sequitur, quòd *cælestia corpora* possunt in ea plùs virtutis influere, quàm si quodlibet simplex elementum esset simplex corpus: & quoniam minor influentia & major resistentia absolutè repugnant majoritati & æqualitati principii medii & finis naturalis, ergo &c.

Camera 5.

Æqualitas, Minoritas, Affirmatio.

IN corpore nulla pars illius per se corpus est, sed solùm in ipso corpore est quælibet pars de natura corporis, neque in illo corpore forma substantialis est corpus, sed de natura corporis: hoc idem etiam sequitur in omnibus speciebus naturalibus, sicut in homine, cujus corpus non est homo, licèt sit de natura hominis: unde quia hoc est affirmabile, ejus autem oppositum est negabile, ergo sequitur nullum simplex elementum esse corpus, quia si esset corpus, *forma* ita posset per se esse corpus in corpore sicut ignis in sua sphæra, itaque esset differentia inter unum corpus & aliud, existentibus uno in altero, alio eorum non existente alio, quod est impossibile & contra majoritatem & æqualitatem formæ, majoritate formæ existente in intrinsecitate operis naturalis, si elementa simplicia non sint corpora, sed sint quoddam corpus commune mixtum & compositum ex forma

forma intrinseca, sub quo quidem corpore sunt omnia individua corpora substantia speciebus & generibus, in quorum corporum quolibet apparet forma intrinseca per figuram & prima materia per secundam materiam, ubi est majoritas finis medii principii per æqualitatem partium in justitia, ergo &c.

Camera 6.

Minoritas, Affirmatio, Dubitatio.

SI elementa simplicia sint corpora, quælibet forma substantialis habet suam propriam materiam specificatam, cum qua est quoddam suppositum, itaque sunt quatuor suppositа universalia, atque omnis materia divisa est in quatuor partes per discretam quantitatem & per partes integrales, unde sequitur majoritas raritas & cruditas materiæ contra mixtionem digestionem compositionem partium essentialium, quæ tantùm cruditati non resistunt, quantùm partes integrales: ampliùs etiam sequitur, ignem in sua sphæra non posse digerere proprium subjectum suæ formæ, quia est absque suo contrario, scilicet aquâ, quæ in sphæra ignis nequit esse, toto simplici igne existente corpore per ipsam sphæram, neque ignis tantùm potest resistere aquæ extra suam sphæram, quantùm in ipsa sphæra, in qua habet plùs caloris, quàm in aliis sphæris; sed si ignis per totam suam sphæram mixtus sit cum cæteris elementis in partes essentiales, sequitur, quòd *materia prima* sit quoddam principium per quantitatem continuam, & quòd sit plùs digesta existens in partibus essentialibus, quæ habent majorem concordantiam in principio medio fine naturalibus, quàm partes integrales, atque ignis habet majorem virtutem & temperantiam in sua sphæra & in aliis sphæris, & hoc idem sequitur de cæteris elementis, si elementa simplicia non sint corpora; & quoniam affirmatio habet majorem propinquitatem substantiali cameræ per has rationes habitas, quàm negatio & dubitatio contra rationes affirmationis & majoritatis, ergo &c.

Camera 7.

Affirmatio, Dubitatio, Negatio.

SUppositо ignem esse per se calidum, sed siccum per accidens, sequitur, si ipse per se est corpus, quòd supponenda est contradictio, quæ negationi convenit contra affirmationem affirmantem, ignem simplicem esse corpus, quia si sit simplex corpus, impossibile est secundùm cursum *naturalem*, quòd terra sphæram aëris contrarii sui penetrare possit ad dandum igni siccitatem, neque ignis per sphæram aquæ contrariæ suæ penetrare possit ad recipiendum sibi siccitatem à terra, hoc autem non cadit in dubitationem, cùm pars non possit contra totum, nam pars ignis posset contra totam sphæram aquæ, & pars terræ contra totam sphæram aëris, si partes accidentales per simplex corpus penetrarent, contra communitatem partium substantialium, quæ sunt una eadem simplex substantia & unum simplex corpus, unde, nisi foret horum prædictorum contrarium, sequeretur, quòd camera substantialis naturali cursui repugnaret, atque dubitatio fini propinquior esset affirmatione & negatione, quod est impossibile, ergo &c.

Camera 8.

Dubitatio, Negatio, Deus.

OMne ens sibi ipsi contradicit contradicendo Deo, per quem & à quo habet esse, quocirca negatio suo principio medio fini contradicit, quando negat Deum esse, hoc etiam sequitur de dubitatione contradicente affirmationi affirmanti Deum esse, unde per hanc metaphoram demonstratur, quòd ignis suo naturali appetitui & suo esse contradiceret, si foret simplex corpus, quia haberet *appetitum* destruendi suum esse intrando compositionem captivans suas partes, diminuendo semetipsum, & descendendo inferiùs, ubi non est locus ejus, itaque ipse ignis repugnaret suis partibus, sicut insensatus, qui desiderat in partes dividi suum corpus. Præterea si ignis appetitum habeat operandi in aëre existendo corpus simplex, sequitur inde opus carens fine, quia in amborum superficiebus non posset generari ullum suppositum substans alicui speciei, atque principium & medium irrita sunt in omni suo summo opere, sed quoniam tale opus negabile est, & quia affirmabile est, quòd ignis appetitum habeat operandi suppositа, in quibus per aliquem finem conserven-

ventur ſpecies naturales, cujus ignîs operatio nec non aliorum elementorum eſſet impoſſibilis, ſi quodlibet ipſorum eſſet ſimplex corpus, ergo &c.

Camera 9.

Negatio, Deus, Creatura.

QUantò formæ naturales ſunt in majori poſſibilitate, tantò ſunt nobiliores creaturæ; quia per majorem *potentiam* poteſt eſſe major & nobilior actus formalis, unde ſi elementa ſimplicia non ſint corpora, ſunt inde principium tempus & locus propinquiora formis exiſtentibus in potentia elementis egredientibus & ingredientibus alio ex alio in aliud, & hoc inceſſanter per medium, per quod formæ moventur ad finem, & hæc talis propinquitas exiſtit per omnes ſphæras elementorum, & per omnes ſuas partes: ſed ſi elementa ſint corpora ſimplicia, ſequitur horum prædictorum oppoſitum, quia ignis in ſua ſphæra non totus ingreditur aërem, neque tota terra ipſum ignem, & exinde quælibet forma potentialis eſt minor creatura, per quam minoritatem Deus minùs ſignificatur in magnitudine eſſe cauſa principio medio & fini; & quoniam minoritas Dei & creaturæ negabilis eſt, eorúmque majoritas affirmabilis, ergo &c.

Camera 10.

Deus, Creatura, Operatio.

HAbitus exiſtit inter potentiam & actum, qui actus diſpoſitionem habitûs ſequitur, prout Deus ipſum habitum in potentia diſpoſuit, in qua ipſe habitus ſumpſit principium, ut ipſe ſit medium, per quod formæ creatæ de potentia veniant ad actum: unde, ſi elementa ſimplicia non ſint actualiter corpora, ſed ſolùm corporalitatem habeant naturaliter in habitu, habet unumquodque eorum naturalem actum in altero, per quem movetur omne elementum ad habendum ſimplex corpus, idcirco intrant mixtionem digeſtionem compoſitionem aliud in alterum, ut generent & corrumpant individua ſpecierum, atque inſimul ſunt quoddam compoſitum corpus confuſum habens longum latum & profundum per omnes ſuas ſphæras, in quo Deus creavit inceſſantem operationem; ſi autem elementa ſimplicia ſint corpora, eſt quidem eorum operatio ceſſans per majoritatem partium, ſed eſt operans per minoritatem earundem, itaque principium conſequitur citiùs finem quàm medium, habitus etiam elementorum priùs eſt in actu quàm in potentia, quod eſt impoſſibile, ergo &c.

Camera 11.

Creatura, Operatio, Differentia.

DIfferentia eſt inter creaturam & operationem, aliter eſſet impoſſibile creaturam eſſe ſubjectam actioni & paſſioni in opere naturæ, in quo ſunt principium medium & finis, & quoniam hoc ita eſt, & quia *actus* exiſtendi per actum operandi propinquior eſt fini, quàm potentia operandi, oſtenditur manifeſtè ſimplicia elementa non eſſe corpora, quia ſi eſſent corpora, ſequeretur, quòd in actu exiſtendi foret major diſtantia actûs operandi à fine, quàm potentiæ operandi, exiſtendo in quolibet elemento plùs potentiæ quàm operationis, & ita ſequeretur, quòd finis & potentia concordantiam haberent cum majoritate, exiſtentia verò & finis cum minoritate, quod eſt impoſſibile, quoniam, ſi foret poſſibile, ſequeretur, quòd formæ haberent medium, in quo magnificarentur à fine in potentia ſinè principio, quod falſum eſt, ergo &c.

Camera 12.

Operatio, Differentia, Concordantia.

DIfferentia eſt inter partes eſſentiales & partes integrales, quia pars integralis habet formam & materiam, partes verò eſſentiales ſunt materia & forma, quæ habent concordantiam eſſendi ſimùl principium partium integralium, & quoniam in omni *mixtione* naturali partes eſſentiales ſunt propinquiores principiis naturalibus quàm partes integrales, ideo eſt major mixtio per partes eſſentiales quàm per integrales: unde cùm partes eſſentiales ſint in principio, integrales verò in medio & in ſimul ſint in fine, ſi igitur elementa ſimplicia eſſent corpus, partes quidem integrales priùs eſſent in principio operis quàm eſſentiales, atque mixtio eſſet idem, quod digeſtio & compoſitio, quod eſt impoſſibile, ergo &c.

Camera 13.

Differentia, Concordantia, Contrarietas.

FOrma ſubſtantialis & forma accidentalis non contrariantur in majoritate *digeſtioni* partium, quia concordantiam habent cum minoritate digeſtionis per cruditatem materiæ primæ contra compoſitionem partium naturalium, quod eſt impoſſibile; quia, ſi foret poſſibile, ſequeretur, quòd natura foret ſibi ipſi contraria in principiis ſuî ipſius, hoc autem eſt impoſſibile, per quod oſtenditur & probatur, elementa ſimplicia non eſſe corpora; quia, ſi eſſent corpora, impoſſibile quidem eſſet, quòd digeſtiva potentia poſſet eſſe in tanta contrarietate contra cruditatem materiæ primæ, in quantum eſt ſubjecta ſimplicitati per omnes ſuas ſphæras, ſicut in potentia mixtiva per quoddam corpus confuſum, in quo ſint omnes ſphæræ plenæ elementis digerentibus alio aliud in ſua ſphæra & in ſuîsmet partibus, ut per ambas formas ſit majoritas, ergo &c.

Camera 14.

Concordantia, Contrarietas, Principium.

QUantò plùs ignis concordantiam habet cum ſuis partibus & cum elementis, quæ plùs ſunt ei collateralia, tantò plùs movetur ad finem, in quo eſt ſua perfectio, quæ perfectio eſt, ut ipſe ignis continere poſſit ſimplicem *compoſitionem* formæ & materiæ atque earum igneam conjunctionem; idcircò eſt ignis magìs contrarius omni ei, quod eſt contra ſuum finem per majoritatem quàm per minoritatem: hoc idem etiam ſequitur ſecundùm ſe de aliis elementis, quolibet elemento exiſtente in altero per mixtionem partium eſſentialium, atque quolibet habente appetitum ad partes integrales ſuæ naturæ tantùm, ut ex omnibus ſuis partibus ſit compoſitum in ſimplices partes eſſentiales ſcilicet in formam & materiam & conjunctionem, quæ ſunt principia compoſitionis, & ideo elementa ſunt mobilia & occurrentia aliis inquirendo ſuam perfectionem per ambas formas, atque intrant compoſitionem per generationem & corruptionem, ubi producuntur & privantur individua ſphærarum; unde ſi elementa ſimplicia eſſent corpora, impoſſibile eſſet in natura eſſe præfatam operationem, quia quodlibet elementum haberet ſuam perfectionem, in qua operatio naturæ privaretur, ergo &c.

Camera 15.

Contrarietas, Principium, Medium.

SI elementa ſint corpora ſimplicia, & quodlibet elementum per ſe habeat duas qualitates, ſcilicet ignis per ſe caliditatem & ſiccitatem, & aër per ſe humiditatem & caliditatem, aqua verò per ſe frigiditatem & humiditatem, atque terra frigiditatem & ſiccitatem, ſequitur per ambas qualitates deſtructio *alterationis*, quæ eſt ſubjectum & medium operationi naturæ; quia, ſi ignis ſit calidus & ſiccus, & aër humidus & calidus, deſtruunt quidem duo calores humiditatem collateralem exiſtentem inter ſphæram ignîs & ſphæram aëris; hoc enim eſt, quia una humiditas ſola nequit reſiſtere duobus caloribus, qui cum ſiccitate concordantiam habent; hoc idem ſequitur etiam de aëre & de aqua, inter quorum ſphæras duæ humiditates unam frigiditatem deſtruunt, quæ cum ſiccitate concordantiam habet: ſed quoniam ſphæra terræ non eſt collateralis ſphæræ ignîs, eò quòd duæ ſphæræ intermedium occupant, ob hoc humiditates aquæ & aëris deſtruunt ſiccitatem terræ, nec ipſa terra à ſiccitate ignîs ſuccurſum poteſt recipere, cùm nimis diſtet ab ea, nec etiam à ſua frigiditate, quia concordantiam habet cum humiditate, & ita plùs deſtruitur terra, quàm aliquod aliud elementum; & quoniam hoc eſt impoſſibile, oportet elementa eſſe quoddam corpus confuſum & compoſitum ex ipſis quatuor, in quo ſit potentia alterativa & alterabilis, exiſtente in quolibet elemento quâdam qualitate confuſâ pro ſubſtantia, & alterâ pro accidente, ut non ſequantur præhabita inconvenientia contra conditiones & operationes naturæ.

De Fine Hujus Libri.

EXplicit hic libellus, qui eſt compendium & inſtrumentum aptiſſimum ad inveſtigandum & inveniendum omnia par-

particularia in univerſalibus, ad quorum inveſtigationem faciendam in his XIII. quæſtionibus modum dedimus & exempla, ſub quibus quæſtionibus ordinata ſunt univerſalia principia mixta per cameras figurarum, quæ quidem principia ſubjecta ſunt ad inveniendum in eis quævis particularia, quæ quæruntur.

Ut autem ad inveſtigationem eorum factam poſſit minùs contradici, *ſequuntur hìc ſtatim univerſales propoſitiones principiorum T.*, ut utentes hoc opere ipſarum ſoliditate ſuper ea, quæ dicta ſunt, formare poſſint indeſtructibilia argumenta.

T3L 7. # SECUNDA FIGURA F2.

A



TAB. SECUNDA FIGURA F3.

S



T3L7. **SECUNDA FIGURA** F4.

V



T3L7. SECUNDA FIGURA Fs.

X



Tab. 7. # SECUNDA FIGURA THEOLOGIÆ

Fig. 6.





T3L7. F7

SECUNDA FIGURA PHILOSOPHIÆ



Tab. 7. F 8.

SECUNDA FIGURA JURIS



TAB. 7. SECUNDA FIGURA ELEMENTALIS FIG. 9.





SECUNDA FIGURA



BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER PROPOSITIONUM SECUNDUM Artem Demonstrativam.

Deus Omnipotens, qui solus & altissimus imperas, ad cognoscendum te Domine incipit *Liber Propositionum* secundùm Artem Demonstrativam compilatus.

DE PROLOGO.

AB Arte Demonstrativa trahit hoc opus exordium, & quoniam per ipsius artis modos & regulas investigativas necessarium est quodlibet particulare in universali suo inveniri, ideo ipsâ arte variatâ in hoc præsenti opere ad investigandum unumquodque particulare, ut sequatur ejus inventio, hic artificiosè sumuntur prædictæ artis *Modi* & *Regulæ*, nec non ipsius *Alphabetum*.

Dividitur igitur iste liber in *quatuor distinctiones*, quarum *prima* est de dispositione figurarum artis, *secunda* est de Intentione, quare liber iste compilatus est, *tertia* habet modum discurrendi, *quarta* verò & ultima continet modum practicandi.

INCIPIT PRIMA DISTINCTIO, QUÆ EST DE Dispositione Figurarum.

PRima distinctio hujus libri in *decem Partes* dividitur, videlicet in *decem figuras*, quæ, prout apparet, descriptæ sunt in principio hujus libri, quarum *prima* est T., *secunda* A., *tertia* S., *quarta* V., *quinta* X., *sexta* Theologiæ, *septima* Philosophiæ, *octava* Juris, *nona* Elementalis, *decima* verò & ultima Communis appellatur. Per T. significatur figura Principiorum, per A. figura Dei, per S. figura Animæ, per V. figura Virtutum &

Vitiorum, ſed per X. ſignificatur figura Oppoſitorum.

PRIMA PARS
De Figura T.

QUoniam T. in hac arte eſt inſtrumentum omnibus aliis figuris ipſius artis, & ſuper ipſum revolvuntur omnes, cùm ſinè ipſo in figuris hujus artis nihil utile operari poſſit, ideo de ipſo T. tanquam de inſtrumento tractatur primitus in hoc præſenti opere; & quia de ipſo tractatur primitus, dicitur & deſcribitur *prima figura*, quæ dividitur in *tres partes*, videlicet in *ſenſitivam imaginativam* & *intellectivam*.

Figura ſenſitiva, ût apparet in prima pagina, dividitur in *duas figuras*, quarum *prima* compoſita eſt ex quinque triangulis diverſis coloribus coloratis; *ſecunda* verò compoſita eſt ex tribus volubilibus circulis, quorum unusquisque per ſe totius T. angulos continet in ſe ipſo, potéſtque fieri hæc figura de electro vel de quovis metallo, aut etiam de papyro vel de quavis materia, dummodo ejus circuli fiant volubiles ad formandum quamvis cameram ipſius T., miſcendo unum triangulum cum alio, ad inveſtigandum quodlibet particulare in univerſali. Figura ipſius T. aliis figuris adjuncta exiſtit in una parte, & figura A. in alia, & hoc idem etiam ſequitur de S. V. X. &c. Hæc figura ſub quolibet angulo ſuorum triangulorum continet in hoc libro *duodecim propoſitiones* & *octo quæſtiones*, quæ ſunt ſecundùm naturam & proprietatem cujuslibet angulorum.

Figura Imaginativa eſt imaginativum per ſenſitivum aſſumens diſpoſitionem triangulorum, quoddam univerſale congregans, ut illud intellectui repræſentet.

Figura Intellectiva eſt Intellectus per ſenſitivum & imaginativum diſcurrens, & in ſe formans quoddam univerſale ex toto T., & ex omnibus propoſitionibus & quæſtionibus ejus, intelligens T. eſſe figuram habentem univerſalia principia, ad quam principia cæterarum figurarum reducuntur.

SECUNDA PARS
De Figura A.

DIſpoſitio figuræ A. poſita eſt in ſenſitivo imaginativo & intellectivo:

In ſenſitivo poſita eſt per modum videndi & audiendi; eſt enim per modum videndi, ſicut videtur in *duabus figuris*, quæ deſcriptæ ſunt in prima pagina hujus libri, & in ſecunda figura, quæ de cupro ſeu alio metallo ſeu de quavis materia facta eſt ſimili modo, ſicut de T. ſupradictum eſt, habens tres circulos volubiles, in unoquoque quorum ſcriptæ ſunt ſedecim dignitates ipſius A.; eſt etiam poſita per modum audiendi, ſicut in propoſitionibus & rationibus, quæ de A. ſunt prædicabiles.

Ad inveſtigandum particulare in ſuo univerſali oportet formari tres cameras in illa parte, ubi ſcriptæ ſunt dignitates ipſius A, debéntque formari aliæ tres cameræ in altera parte, ubi ſcriptæ ſunt quindecim cameræ ipſius T. Hæc autem regula generalis eſt in A. S. V. X. &c. Præterea in hac figura ſignificat unum A. eſſentiam, & aliud A. ejus operationem, tertium verò A. habet nullum ſignificatum, quando cum aliis A. recto modo ponitur; hoc enim eſt, quia in A. T. S. V. X. &c. ſimiles dictiones faciunt nullam figuram, velut in T. de Deus Deus Deus, & ſic de aliis, nulla figura efficitur; & in A. de bonitas bonitas bonitas, & ſic de aliis, ſimiliter nulla figura efficitur; hoc enim eſt, quia inde non producitur aliquod ſignificatum.

Neceſſe eſt imaginativum in hac figura, quia imaginativa imaginatur cameras, quæ neceſſariæ ſunt eligi, prout quæſtionem ſive ſolutionem imaginatur, & illas propoſitiones, quæ melius conveniunt ad reſpondendum vel arguendum per ipſas. Imaginativa imaginando totam figuram A., ſecundùm quod ſenſitivum ei poteſt ſufficere, congregat de omnibus partibus ipſius univerſale, conſervans ipſum in ſe ipſo repræſentátque illud intellectivo, & dum fit inveſtigatio alicujus particularis, tunc imaginativum ab illo univerſali deſcendit ad particulare, & per rectam lineam illud intellectivo ſecundùm ſenſitivum repræſentat illo modo, quòd ſenſitivum & imaginativum conveniant ab utraque parte ipſius figuræ compoſitæ de A. & de T., vel de A. & de S., vel etiam de A. & de S. & de T., & ſic de aliis.

Intellectivum, quantò plùs poteſt, à ſenſitivo & imaginativo in ſe recipit; deinde ſe ſe denudans ab utroque format in ſe univerſale, itaque nullo modo repugnat ſenſitivo & imaginativo, imò potiùs in altiori gradu ſuprà eſt intelligens, A. eſſe quoddam Summum Ens entium habens omnem perfectionem, nullo defectu obſtante.

Dum igitur intellectivum hoc modo fruitur ipſo A., tunc deſcendit ad particulare, intelligens, quomodo in A. bonitas producit in ſe ipſa, & in magnitudine &c. ſuum bonificatum; hoc idem etiam intelligit de magnitudine ipſius A., quomodo ſuum magnificatum producit in ſua bonitate, & hoc idem ſimiliter ſequitur de æternitate & de omnibus dignitatibus ejus. Intellectivum fruens iſto modo aſcendit ad univerſale intelligens, A. eſſe unam formam unam eſſentiam unam ſubſtantiam puram ſimpliciſſimam &c, habens in ſe ipſo ſuas operationes intrinſecas perfectas æternaliter & immenſè.

Deinde ad particulare deſcendit intellectivum intelligens opus extrinſecum ipſius A., in quo producit ipſum A. ſuas ſimilitudines in creaturis, prout ipſæ creaturæ poſſunt eas in ſe recipere ſecundùm magis & minùs, bonificante bonitate in creaturis ſuum bonificatum, & magnificante magnitudine in creaturis ſuum magnificatum, & ſic de aliis dignitatibus ipſius A., per quas diſcurrit intellectivum, quantò melius poteſt.

Poſt hoc intellectivum aſcendit iterum, & in ſe de toto congregat quoddam univerſale, ut in ipſo invenire valeat illud particulare, quod neceſſarium eſt inveniri, ad quod ſe movet cum lumine ipſius A. per imaginativum & ſenſitivum, ipſo intellectivo in ſe conſervante omnia, quæ prædicta ſunt, tunc quidem de particulari in ſuo univerſali recto modo & ſecundùm ordinem veritatis judicat. Unde per hæc, quæ prædicta ſunt, ſignificatum eſt, quomodo figura A. in ſenſitivo imaginativo & intellectivo imprimitur ſuo modo.

TERTIA PARS
De Figura S.

FIgura S, ſicut prædictæ figuræ, ſimiliter ſumitur in hac arte per Senſitivum Imaginativum & Intellectivum.

Per ſenſitivum ſumitur, velut in prima pagina patefit, ubi deſcriptæ ſunt duæ figuræ ipſius S., nam figura ipſius S. in *duas* dividitur, in quarum

Primâ ſunt hæc ſedecim principia in ejus ſupremo circulo ſignificantia eſſentiam S., ſcilicet: *Recolentia*, *Intelligentia*, *Volentia*, *Eſſe*, *Forma*, *Materia*, *Conjunctio*, *Simplicitas*, *Compoſitio*, *ſubſtantia*, *Accidens*, *Virtus*, *Operatio*, *Interioritas*, *Exterioritas*, *motus*; & in medio hujus circuli ſunt quatuor quadranguli diverſimodè colorati, per quos ſignificantur potentiæ animæ & actus earum ſecundùm tenorem iſtius alphabeti deſcripti in his quatuor quadrangulis, prout in ipſa figura continetur. B. ponitur eſſe memoria recolens, C. intellectus intelligens, D. voluntas diligens, E. verò actus eorum; F. ponitur eſſe memoria recolens, G. intellectus intelligens, H. voluntas odiens, I. verò eſt actus eorum; K. ponitur eſſe memoria obliviſcens, L. intellectus ignorans, M. voluntas diligens vel odiens, N. verò actus eorum; O. eſt compoſitio eorum B. F. K., & P. compoſitio ipſorum C. G. L., & Q. compoſitio ipſorum D. H. M., & R. compoſitio ipſorum F. I. N.

Secunda verò figura *ſex circulos* volubiles in ſe continet, in quorum tribus ſuperioribus ſcripta ſunt in quolibet ſedecim principia ipſius S. ſupradicta, in aliis autem tribus inferioribus circulis ſcriptæ ſunt prædictæ literæ hujus alphabeti, quod in prima figura ipſius S. ſcriptum eſt: Hæc ſecunda figura, ſicut de ſupradictis figuris dictum eſt, debet fieri ex quovis metallo vel ex quavis materia; in qua figura S. ſint ejus circuli volubiles cum prædictis principiis & literis, quas unusquisque in ſe continet, ita tamen, quòd T. cum omnibus principiis in ſua ſecunda figura exiſtat in tribus circulis volubilibus illo modo, ſicut ſupradictum eſt.

Per Imaginativum autem ſumitur figura S., imaginante imaginativo illud, quod ſenſitivum per viſum & auditum ſentit de ipſa figura S.; ipſum enim imaginativum univerſaliter tribuit illud, quod imaginatur de ſenſitivo, à quo ſimilitudinem ejus intellectivo producit imaginando; itaque imaginativum particulariter recipit, tribuſtque univerſaliter.

Per Intellectivum ſumitur etiam figura S., quod intellectivum ab imaginativo particulariter recipit producendo in ipſum aliam ſimilitudinem poſt aliam, deinde ex pluribus particularibus congregatur illud univerſale, quod imaginativum offert ei, poſt hoc intellectus ab imaginativo ſe de-

nudans & ab illis ſpeciebus, quas particulariter recipit, exaltat in ſe ſuos actus producens de S. ſuam ſimilitudinem intelligendo per illam lineam, per quam recipit ab imaginativo; dum enim intellectus in hac altitudine conſiſtit, tunc particulariter intelligit eſſentiam animæ ſcilicet recolentiam intelligentiam & volentiam, & de his omnibus quoddam univerſale congregat ſcilicet unum eſſe, quod eſt actus earum; hoc autem eſt, quia quælibet earum eſt apprehenſiva proprietas; eſt enim unaquæque apprehenſiva proprietas per ſe & in ſe; ideo producunt omnes tres ſimul unum ens, quod eſt S, & hoc ſub forma communi habentes communem materiam, per quam ipſæ tres ſunt apprehenſibiles in ſe ipſis & congregabiles ad eſſendum una ſubſtantia.

Intellectus intelligens animam rationalem deſcribit eam ſub his principiis antedictis, quæ in forma alphabeti ad communem figuram reducuntur, quæ ſunt ſcilicet: recolentia, intelligentia, volentia, eſſe, Forma, materia &c. Per hanc autem deſcriptionem horum ſedecim principiorum inquiritur omne particulare ipſius S., deinde deſcendit intellectus ad potentias animæ, & ad actus earum, intelligíque B. eſſe potentiam & C. eſſe potentiam atque D. eſſe potentiam, intelligens E. eſſe actus earum, quo mediante potentiæ objecta accipiunt, & hoc idem ſequitur de I. N. R.

Intellectus iſto modo intelligens aſcendit iterum ad univerſale accipiens objectum per lumen imaginativi, deinde per lumen ſuî ipſius, ſicut quando videt homo per unum lumen ſcilicet Solis, quando dies eſt, & per aliud lumen in eodem loco ſcilicet ignîs, quando nox eſt. Dum igitur intellectus exiſtit in hac altitudine, & efficitur quæſtio, vel aliquod particulare ipſius S. indiget inveniri, tunc deſcendit producendo ſuas ſimilitudines ſecundùm illam proportionem, quam habet aſcendendo ad univerſale & deſcendendo ad particulare, retinens de ſenſitivo & imaginativo illas ſimilitudines, quas ab eis retinere poteſt, ut habeat plures ſimilitudines ipſas producendo de objectis mediante T. cum ſuis propoſitionibus & cum propoſitionibus ipſius S., ut particulare meliùs invenire, & de ipſo veriùs judicare poſſit.

QUARTA PARS
De Figura V.

FIgura V. in ſenſitivo eſt, quia ſenſitivum *duas figuras* ſentit, ſicut de præcedentibus figuris dictum eſt, quarum

Prima eſt illa, in cujus ambitu ſcriptæ ſunt *Virtutes* colore livido, & *Vitia* colore rubeo.

Secunda verò habet *tres circulos*, quorum unusquisque omnes virtutes & vitia ipſius V. continet.

Hanc autem figuram ſicut prædictas figuras convenit fieri ex quavis materia, ita quòd ejus circuli faciliter volvi poſſint ex una parte, & tres circuli ipſius T. ex alia; deinde ſenſitivum videndo & audiendo ſentit illas propoſitiones, quæ ipſi V. attribuuntur, & de toto imaginativum quoddam principium univerſale congregat, & tradit illud univerſaliter intellectivo; dum igitur imaginativum hanc figuram intellectivo repræſentat, ipſum intellectivum cum lumine imaginativi ſpecificat V. particulariter in ſuómet lumine intellectuali, deinde totum V. congregat univerſaliter mediante T., & mediantibus propoſitionibus ipſorum V. T.; dum enim V. exiſtit figura fixa in intellectivo, ût dictum eſt, & fit inveſtigatio alicujus particularîs ipſius V., tunc judicat intellectivum ſe denudans aſcendendo ad univerſale, & deſcendendo ad particulare, producendo ſpecies illas, quas produci neceſſe eſt, in ſimilitudines ſuas; itaque intellectivum intelligit, V. lividum eſſe ens ex ſimilitudinibus aggregatum, quas S. attrahit ad ſimilitudines, quas habet in ſe per modum creationis, deinde intelligit V. rubeum eſſe privationem illarum ſimilitudinum, quas S. de ſe ipſo producit & de potentiis ſuis in V. livido; unde per hæc, quæ jam dicta ſunt, patet manifeſtè, quòd de figura ipſius V. inveſtigandum eſt, & de eadem judicandum, ſecundùm quod intelligit intellectus.

QUINTA PARS
De Figura X.

IN ſenſitivo cadit figura X., ſicut præhabitæ figuræ, ſecundùm quod apparet in prima pagina, in quâ *duæ figuræ* ipſius X. deſcriptæ ſunt, quarum

Prima eſt de *ſedecim dictionibus* ipſius X. compoſita in circuitu ſuî.

Secunda figura conſtat ex tribus circulis, quolibet eorum continente omnes ſedecim dictiones ipſius X., quæ figura, ſicut de aliis figuris dictum eſt, debet ex quavis materia fieri, ita quòd ejus tres circuli ab una parte concurrant, ex alia verò parte tres circuli ipſius T., ſicut de prædictis figuris dictum eſt.

Dum itaque ſenſitivum ſentit figuram ipſius X., imaginativum eam imaginatur cum ſuis propoſitionibus, & eam ad univerſale reducit, imaginando aliud particulare poſt aliud; deinde offert ipſam intellectivo, intellectivum ex imaginativo figuram ipſius X. recipit, & in ſe ſe depurat à ſenſitivo & imaginativo, & univerſaliter retinet hanc figuram, deinde recipit particulariter in ſe quandam dictionem alteri oppoſitam, producens inde ſuas ſimilitudines & diſſimilitudines per modum propoſiti & contrarii mediatè & immediatè, itaque diſcurrit intellectivum per totum X. & per omnes propoſitiones ejus conſiderando, ſi particulare non invenitur in propoſito per ſimilitudinem, quòd requiratur in contrario per diſſimilitudinem illo modo, quòd ſuum univerſale nec in ſenſitivo nec in imaginativo nec in intellectivo aliquatenus deſtruatur.

SEXTA PARS
De Figura Theologiæ.

VEluti cæteræ figuræ in ſenſitivo & imaginativo poſitæ ſunt, ita ſimiliter poſita eſt figura Theologiæ, prout ejus deſcriptio & diſpoſitio eam in prima pagina repræſentant. Veruntamen in intellectivo particulariter recipitur per modum pluralitatis, ſed univerſaliter per modum unitatis, itaque format intellectivum ipſam in ſe ipſo miſcendo aliud particulare cum alio, donec habeat eam univerſaliter in ſe ipſo illo modo, quòd aliud particulare ipſius alteri non repugnet.

Dum Theologia iſto modo figurata eſt in intellectivo, & ipſum intellectivum agit de particulari, tunc reducit illud particulare ad ſuum univerſale, prout ſubjacet illi: ſi verò illud particulare ſit oppoſitum illi ſubjacentiæ univerſali, tunc intellectivum ipſum accipit in contrario, ut ab ipſâ ſubjacentia influentiam recipiat in propoſito, figurante intellectivo in ſemetipſo Theologiam eſſe ſummam ſcientiam, ad quam debent omnes ſcientiæ reduci, & omnia particularia deſtrui, quæ iſti ſcientiæ opponuntur.

SEPTIMA PARS
De Figura Philoſophiæ.

QUemadmodum cæteræ figuræ prædictæ in ſenſitivo & imaginativo poſitæ ſunt, illo eodem modo intelligendum eſt diſpoſitionem Philoſophiæ jacere in ſenſitivo & imaginativo, ſed intellectivum eam recipit per ſenſitivum & imaginativum ſecundùm ſimilitudines corporalium ſpecierum, deinde aſcendit ad ſimilitudines ſpiritualium ſpecierum, & tunc de toto format in ſe univerſale hujus ſcientiæ ſcilicet Philoſophiæ; dum enim intellectivum habet univerſale, tunc deſcendit de prima cauſa, quæ eſt cauſa cauſarum, per motum, intelligentiam, orbem &c., hæc autem deſcenſio eſt de uno particulari in aliud, & iterum aſcendit per illos eosdem gradus usque ad primam cauſam: ſi verò fiat interim inveſtigatio alicujus particularîs, tunc intellectivum per illos eosdem gradus & terminos diſcurrit cum propoſitionibus eorum, ſecundùm quod ſuum lumen & lumen ſenſitivi & imaginativi lucent ad inveſtigandum & judicandum de particulari obſervando formam & regulam, per quam Philoſophia figurata eſt in ipſo intellectivo mediante ſenſitivo & imaginativo, conſiderando etiam Philoſophiam eſſe impreſſionem & figurationem ſcientiæ Theologiæ.

OCTAVA PARS
De Figura Juris.

SEnſitivum & imaginativum, ſicut de præmiſſis figuris dictum eſt, diſpoſitionem figuræ Juris accipiunt, prout in prima pagina viſui manifeſtatur; veruntamen intellectivum aſcendit & deſcendit per omnes gradus & terminos hujus ſcientiæ Juris, conſiderans aliud particulare poſt aliud, & aliam propoſitionem poſt aliam, in ſe formans prædictam ſcientiam in univerſali, ut in hac univerſalitate habeant par-

ticularia conſervantiam regendo omnes ipſos terminos cum ſuis propoſitionibus. Dum itaque intellectivum agit de ſcientia Juris, intelligit hanc ſcientiam eſſe unum corpus, quod ad A. & ad V. lividum contra V. rubeum reducitur, eò quia in A. eſt juſtitia, quæ ſuam ſimilitudinem producit in V. lividum contra ſuam diſſimilitudinem, quæ eſt in V. rubeo; idcirco intellectivum recipit principium, medium & finem ſcientiæ Juris, & mediantibus his tribus terminis diſcurrit per ipſam ſcientiam, prout figurata eſt in ipſo intellectivo per ſuum lumen, & per lumen ſenſitivi & imaginativi mediante tamen lumine ipſius A.

NONA PARS
De Figura Elementali.

ELementalem figuram formant ſenſitivum & imaginativum, ſicut in prima pagina patefit, ubi *prima elementalis figura* deſcribitur habens *decem cameras*, ubi ſcripta ſunt elementa, & in ejus ſuperiori circulo ſcriptæ ſunt *ſedecim eſſentiæ* & proprietates elementorum, prout patet in *ſecunda figura*, quæ *quinque circulos* habet, in quorum duorum quolibet ſcripta ſunt quatuor elementa, alii verò tres circuli in iſta figura ordinantur, qui ſunt ſupra hos duos, in quorum unoquoque ſcriptæ ſunt ipſæ eſſentiæ & proprietates elementorum per has ſedecim res vel principia, quæ ſunt hæc: ſcilicet, *Igneïtas*, *Aëreïtas*, *Aqueïtas*, *terreïtas*, *eſſe*, *forma*, *materia*, *ſimplicitas*, *compoſitio*, *ſubſtantia*, *accidens*, *virtus*, *operatio*, *interioritas*, *exterioritas*, atque *motus*.

Per hanc deſcriptionem intrant hæc principia elementorum alphabetum ſcilicet B. C. D. &c. in communi figura, *quibus ſcilicet elementis aſſimilatur* S. *in ſua deſcriptione in parte*, *quia per ſedecim res eſſentiæ ſpirituales deſcribuntur*, *quemadmodum ipſa elementa per ſedecim res eſſentias corporales.* Hæc autem figura debet fieri ſicut cæteræ cum ſuis circulis volubilibus ad formandum quamvis cameram ipſius figuræ.

Dum igitur ſenſitivum & imaginativum hoc prædicto modo miſcentur intellectivo, imaginativum & intellectivum relinquunt ſenſitivum, & aſcendunt imaginante imaginativo & intelligente intellectivo figuram univerſalem elementalis figuræ ſcilicet quatuor res ſive proprietates vel eſſentias, hoc eſt *igneïtatem*, *aëreïtatem*, *aqueïtatem* & *terreïtatem* eſſe unamquamque ipſarum habentem naturam activam & paſſivam, ipſis quatuor conſtituentibus ſimul unum *corpus confuſum* habens *formam univerſalem & materiam*, in quo corpore ſunt cætera corpora elementata velut piſcis in aqua vel avis in aëre.

Ex iſto communi corpore, in quo eſt *mixtio & digeſtio univerſalis*; quod etiam corpus implet totum illud ſpatium, quod ſub globo lunari conſiſtit, influuntur quatuor potentiæ, ſcilicet quatuor elementa retinentia eſſentiam communis corporis exiſtentis ex quatuor prædictis rebus ſeu proprietatibus vel eſſentiis, quæ quatuor potentiæ ſcilicet quatuor elementa producunt ſuppoſita ſub ſpeciebus, quæ realiter exiſtunt in univerſali natura, in qua ſunt formæ naturales.

Itaque imaginativum & intellectivum per ſenſitivum diſcurrentia deſcribunt univerſaliter elementalem figuram cum ſedecim principiis ſupradictis; imaginativum in parte deficit ad imaginandum, ſed intellectivum aſcendit intelligendo quatuor elementa per formam & materiam inſenſibilia, & intelligendo ignem intra ſubſtantiam dare & recipere, & ſic de aliis elementis, & hoc producendo filium ſcilicet ignem compoſitum ſenſibilem & apparentem in figura; illud autem, quod de ſuo homogenio non poteſt in ipſo filio recipi, remanet extra, & eſt ignis ſimplex, & hoc idem ſequitur de cæteris elementis.

Dum verò intellectivum iſto modo intelligit, tunc format in intelligere ſuo univerſale elementalis figuræ, ût prædictum eſt; deinde deſcendit ad particularia, ſecundùm quod illud univerſale de pluribus particularibus compoſitum eſt, prædicto corpore communi exiſtente actu quatuor prædictarum eſſentiarum ipſum corpus conſtituentium & componentium de ſe ipſis, & quatuor elementis exiſtentibus potentiis ſive actibus hujus corporis, habentibus ſcilicet quatuor elementis ſuos actus in ſuppoſitis, quos per modum generationis & corruptionis producunt de ſe ipſis, quorum actus ſunt quatuor elementa compoſita,

Hâc ſubjacente figurâ in intellectivo diſpoſitâ, ſicut prædictum eſt, tunc intellectivum inveſtigat & judicat mediantibus ſuis

ſuis propoſitionibus & propoſitionibus elementalis figuræ, conſervando in ſe & in ſenſitivo & imaginativo figuram univerſalem, & illa particularia, de quibus conſtituta eſt ipſa figura contradicens omnibus illis particularibus, quæ contraria ſunt vel repugnantia illi diſpoſitioni & ſubjacentiæ, quas ipſa figura habet univerſaliter & particulariter in ſenſitivo imaginativo & intellectivo.

Sicut prædictum eſt, intellectivum à ſenſitivo & imaginativo aſſumit ſibi elementalem figuram cum deſcriptione & propoſitionibus ejus; *ideo non ſolùm cognoſcit opera naturæ ſciens de quovis particulari in univerſalibus naturæ reſpondere*, *& per hoc ſolvere quæſtiones & argumenta in naturis*, *imò ſcit iſtam figuram aliis figuris conjungere*, *faciendo de natura elementorum aliis figuris comparationes & metaphoras ad ſolvendum vel arguendum in hac arte*, *in qua valde utilis eſt ipſa figura elementalis.*

DECIMA PARS
De Figura Communi.

DIſpoſitio figuræ communis, ſicut cæterarum figurarum, in ſenſitivo & intellectivo jacet; univerſale per deſcriptionem ejus in prima pagina demonſtratur, &, ſicut cæteræ figuræ, debet hæc figura de electro vel de cupro vel de quavis materia fieri, habens *ſex circulos* volubiles contrà concurrentes, in quorum unoquoque ſunt omnes literæ, quæ in alphabeto ſunt inter A. & S., hoc autem eſt ideo, ut per uniuscujusque circuli volubilitatem poſſint formari quævis cameræ ad inquirendum omne particulare & ad ſolvendum omnes quæſtiones & argumenta T. mediante, & hoc, quia unumquodque alphabetum prædictorum circulorum ſignificat & repræſentat omnia alphabeta figurarum, ſcilicet illud, quod eſt in A., & illud, quod eſt in S., & hoc idem ſequitur in V., in X., in Theologia, in Philoſophia, in Jure, & in figura elementali, prout deſcriptum eſt in prima pagina hujus libri.

Et ſciendum eſt, quòd in uno latere hujus figuræ communis ſituantur ſex prædicti circuli, qui, ût jam dictum eſt, prædictarum figurarum alphabeta continent & demonſtrant, ſed in alio latere ipſius figuræ ſituantur in medio duo circuli elementorum, & deſuper alii tres circuli, quorum unusquisque quindecim literarum alphabetum continet repræſentans quindecim principia T., omnes autem dictiones ſeu principia prædictarum figurarum ſcilicet ipſius T. & aliarum debent ſciri cordetenus, & intellectu fortiter habituari, & attribui unaquæque dictio cujuslibet figuræ ſuæ determinatæ literæ, ita quòd in unaquaque prædictarum figurarum prima litera alphabeti ſcilicet B. primam dictionem & ſecunda ſecundam, & tertia tertiam per ordinem repræſentet, ita quòd neceſſarium eſt hunc modum ſciri cordetenus, & vehementer habituari, quot & quas dictiones habet quælibet litera repræſentare.

In hoc igitur modo præhabito apparet evidenter, quomodo imaginatur & intelligitur hæc figura communis, & quomodo omnes aliæ figuræ in ea comprehenduntur ad formandum cameras, ut in ſuo univerſali quodlibet particulare inveſtigetur, *in qua figura eſt univerſalitas ſuper omnes alias univerſalitates aliarum figurarum*, *quia ipſa eſt in ratione quoddam ens ex cæteris figuris aggregatum per modum concordantiæ ſive contrarietatis*, & quemadmodum ipſa eſt cæteris univerſalior, ita propoſitiones ejus & quæſtiones ſunt univerſaliores propoſitionibus & quæſtionibus cæterarum figurarum.



INCIPIT

INCIPIT SECUNDA DISTINCTIO. QUÆ EST DE Intentione.

ARtifex hujus artis in inventione ipſius artis intentionem & ſpectum habuit ad cognoſcendum & diligendum Cauſam causarum ſcilicet Dominum Deum rerum omnium Conditorem, & ad dirigendum ad ejusdem Domini ſervitium & amorem errantes nec non infideles in tramitem veritatis intuitu charitatis, eò quòd in unaquaque re ſive ſcientia hujus artis indagatione veritatem invenire docet, ad quam inveniendum ſemper intentionem habuit, *& ad reducendum cæteras ſcientias ad neceſſaria principia*, & ad ſolvendum quæſtiones & argumenta in quacunque ſcientia allegando artificialiter neceſſarias propoſitiones, quæ ſunt via ducens indagatorem particularis ad terminum veritatis, ad cujus ſcilicet particularis indagationem & inventionem in hoc libro intentionem habuit compilator hujus operis; unde videndum eſt in hac ſecunda diſtinctione declarando intentionem Auctoris, quæ eſt intentio, quare quælibet figura poſita eſt in hac arte.

De T.

FInalis intentio, quare neceſſarium eſt T. eſſe in hac arte, eſt, ut ipſum propter univerſalitatem ſuorum principiorum ſit ſubjectum & inſtrumentum omnibus ſcientiis, quia per ipſum habent in eis ſolvere omnes quæſtiones & argumenta, & invenire particulare in ſuo univerſali miſcendo ejus triangulos, formando ſuas cameras, & allegando propoſitiones, quæ ipſis cameris ſubjacent, ad quas cameras & propoſitiones omnes cameræ & propoſitiones aliarum figurarum reducuntur T. diſcurrente per eas, aliter nunquam poſſet particulare inveniri, nec aliqua quæſtio ſolvi, nec argumentum, cùm ipſum T. ſit ens ex univerſalibus principiis aggregatum.

De A.

QUoniam dignitates A. in ſe ipſis ſunt inceſſantes, & in creaturas ſuas ſimilitudines influunt, poſitum eſt ipſum A. in hac arte, ut à ſuis creaturis cognoſcatur & ametur, inveſtigando particulare, & formando univerſale in ipſo A.; quocirca factæ ſunt & regulatæ propoſitiones ejus iſto modo, ſcilicet, quòd ſint conditiones & regulæ ſcilicet forma & exemplar omnibus aliis propoſitionibus hujus artis, ut inveniatur particulare in ſuo univerſali, habendo reſpectum ad illam beatiſſimam operationem, quam prædictæ dignitates habent intrinſecam per modum eſſentiæ, & ad illam operationem, quam habent extrinſecam per modum influendi in creaturas.

De S.

S. eſt ſpeculum receptivum ſimilitudinum dignitatum A. per modum creationis, quod eſt, quia bonitas A. creat S. bonum, & quia magnitudo ipſius A. magnificat ipſum S., quod per ipſam magnitudinem ipſius A. magnum eſt in ſubſtantia & virtute, & quia æternitas ipſum creat immortale, & quia etiam poteſtas ipſius A. dat ei poteſtatem memorandi intelligendi & volendi, & ſic de aliis dignitatibus ipſius A.; idcirco S. poſitum eſt in hac arte, ut per illam influentiam, quam S. ab A. recipit, ſcilicet ipſius A. ſimilitudines inveſtiget, & inveniatur particulare, quod quæritur, & hoc tamen mediantibus propoſitionibus ipſius S., quæ poſitæ ſunt & ordinatæ ad hoc, quod dictum eſt.

De V.

POſitum eſt V. in hac arte, ut per ipſum inquiratur particulare, & de ipſo particulari judicetur ſecundùm S. habito reſpectu ad A.; hoc enim eſt, quia idem eſt V. lividum, quod illæ ſimilitudines, quas S. ad ſe attrahit ſumptas ex illis, quas A. de ſe ipſo influit in ipſum S.; quemadmodum ſol ſuum ſplendorem in ignem influit, & ignis ipſum fulgorem recipiens in ſuam lucem influit ipſam ſuam lucem & caliditatem, ita S. utens illis ſimilitudinibus, quas A. in ipſum influit, producit V. lividum; dum autem eis uti negligit, ſed potiùs utitur in contrarium, tunc producit V. rubeum; & quoniam A. eſt ab S. amabile & intelligibile per V. lividum, non autem odibile nec ignorabile per V. rubeum, ideo eſt S. ſalvabile vel damnabile, ſi in contrarium ſe pervertit. Unde per hæc, quæ de S. jam dicta ſunt, propoſitiones ipſius V. in hac arte regulatæ ſunt, ut per ipſas inveſtigetur particulare, & formetur univerſale.

De X.

X. in hac arte ſumitur, ut in omni ſcientia per ipſum inquiratur particulare in *propoſito* vel *oppoſito mediatè* vel *immediatè*; hoc enim eſt, quia ipſum X. eſt figura ex oppoſitis aggregata ad recipiendum ſimilitudines vel diſſimilitudines A., & etiam ſimilitudines vel diſſimilitudines in omni re vel in omni ſcientia & in omni eo, quod humanus intellectus poteſt apprehendere; quemadmodum rectum ſpeculum recto modo rectas figuras faciei repræſentat, & ſpeculum obliquum eas obliquè repræſentat, cùm obliquè eas in ſe recipiat. Unde ſecundùm hæc, quæ jam dicta ſunt, fuit intentio artificis hujus artis propoſitiones ipſius X. ad hæc, quæ dicta ſunt, ordinare.

De Theologia.

FIgura Theologiæ in hac arte poſita eſt & ordinata, quia Theologia lumen eſt & via, per quam S. tendit ad A., & quia per ipſam de A. loquimur, & in ipſa recipit S. benedictionem, & influit in ſe ipſum V. lividum contra V. rubeum; idcirco ſecundùm hanc intentionem formatæ ſunt in hoc libro propoſitiones Theologiæ ad inveſtigandum particulare, & formandum univerſale ſecundùm ordinationem ipſarum propoſitionum.

De Philoſophia.

FIgura Philoſophiæ in hac arte poſita eſt & ordinata, ut, cùm ipſa ſit Theologiæ ſpeculum, potentia intellectiva per eam inveſtigare & judicare valeat de particulari in ſuo univerſali ſumendo ſpecies creaturarum & ſimilitudines, quas A. in eas influit, & quas ipſæ creaturæ per ſuos actus producunt, velut intelligentia in creaturis, quæ eſt ſimilitudo ipſius A., in quantum eſt ipſa intelligentia, & in quantum intelligit, ſed in quantum nequit intelligere, producit diſſimilitudinem ipſius A. & ſui ipſius. Unde ad hæc, quæ jam dicta ſunt, formatæ & ordinatæ ſunt in hoc libro propoſitiones Philoſophiæ ad inveſtigandum particulare, & ad judicandum de eo in ſuo univerſali, nec non ut ipſa Philoſophia ſit impreſſio Theologiæ.

De Jure.

NUlla creatura odibilis eſt; hoc enim eſt, quia A. influit & producit ſecundùm magis & minùs ſimilitudinem ſuam in omnes creaturas, propter quod omnis creatura diligibilis eſt, ſed in quantum S. producit V. rubeum, tantum eſt odibile mediante V. rubeo, ſicut diligibile eſt mediante V. livido. Ideo Jus ab antiquis ſapientibus Principibus fuit conſtitutum, ut per modum juſtitiæ agnoſceretur, quòd S. eſſet mediante V. livido diligibile, & quòd S. eſſet mediante V. rubeo odibile; ſed quoniam ad particularia Juris nimis declinaverunt omittentes univerſalia, ideo confuſè Juris ſcientiam ediderunt, ex confuſa multitudine particularium diverſa & confuſa volumina compilantes. Quocirca hæc figura Juris in hac arte poſita eſt & ordinata, continens univerſalia principia Juris, quibus reducuntur omnia particularia Juris ad hoc, ut per compendium quodlibet particulare Juris inveniatur in ſuo univerſali ad cognoſcendum, per quem modum juſtitiæ S. amabile ſit vel odibile, ad quem modum diriguntur propoſitiones Juris in hoc volumine compilatæ, ut ex ipſo S. ſit juſtum judicium.

De Figura Elementali.

ELementalis Figura in hac arte poſita eſt & ordinata, *ut per eam intellectus videat opera naturæ & ejusdem ſecreta*, intelligendo principium medium & finem naturæ, quibus viſis inveſtigari valeat particulare in ea mediantibus propoſitionibus & quæſtionibus ipſius figuræ elementalis, quæ in hoc volumine continentur; & quoniam ele-

elementa ſunt ſpeculum S. [*nam quemadmodum ordinantur elementa in natura, ſic ordinantur potentiæ in S.*] *& S. eſt ſpeculum A.*, ideo poſita eſt ſimiliter elementalis figura in hac arte, ut metaphoricè S. videat in ſe A., & ut ſimiliter ſemet videat in ipſa figura, ſecundùm quòd elementa producunt ſuppoſita & ſimilitudines, ut mediantibus illis ſimilitudinibus habeat ſuî ipſius cognitionem. Unde ad hæc, quæ jam dicta ſunt, ordinantur propoſitiones hujus elementalis figuræ, quæ in hoc volumine continentur, ſcilicet ad inveſtigandum particularia naturæ, & ut metaphoricè aliarum figurarum principia ſignificentur.

De Figura Communi.

QUoniam autem valde utile eſt ſufficiens compendium in omni ſcientia, ideo poſita eſt & ordinata figura communis in hac arte, ut ſit ſufficiens compendium aliarum figurarum, reducens cæteras figuras hujus artis ad ſe ipſam, ut volvendo circulos in ea contentos inveniatur omne particulare in ſuo univerſali, unam cameram cum alia concordando in revolutione circulorum, ad cujus figuræ quantitatem, ut hæc ars ſit meliùs portabilis, hoc volumen eſt compilatum.

INCIPIT TERTIA DISTINCTIO, QUÆ EST DE Modo Diſcurrendi Hujus Artis.

MOdus diſcurrendi hujus artis, ut ſecundùm hujus operis compilationem inveniatur particulare in univerſali, traditur in hac tertia diſtinctione; ſed quoniam in hoc diſcurſu inveſtigationis particularis, ut ipſum poſſit inveniri, multa requiruntur, ideo dividitur hæc præſens diſtinctio in *ſex partes*, quarum *prima* eſt de inveſtigatione univerſalis, *ſecunda* eſt de inveſtigatione particularis, *tertia* eſt de formatione cameratum, *quarta* eſt de compoſitione figurarum, *quinta* eſt de judicio, *ſexta* verò & ultima continet modum diſputandi.

PRIMA PARS
De Inveſtigatione Univerſalis.

AD inveſtigandum & formandum quodlibet univerſale in hac arte, ut exinde fiat deſcenſus ad omne particulare, quod quæritur; oportet ſenſitivum primò diſcurrere per figuras, & per earum propoſitiones, ut imaginativum inde illud univerſale, quod neceſſarium eſt, imaginetur, memorante memorativo dictiones ſeu terminos ipſarum figurarum & earum propoſitionum, & deſiderante volitivo communem utilitatem diligendo veritatem, & odiendo falſitatem: dum igitur ſenſitivum imaginativum memorativum & volitivum iſto modo diſcurrunt, tunc intellectivum ad univerſale aſcendit, & diſcurrens invenit ipſum eſſe medium, per quod eſt facta commixtio quandoque propoſitionum ipſius T. tantùm, vel quandoque T. & A. ſimul, vel quandoque de pluribus, ſecundùm quod requiritur, & hoc idem ſequitur de S. V. &c. *ſemper cum T., quia ſinè T. nihil ex eis ſequeretur.*

Itaque invenit intellectivum ipſum univerſale, quia ipſum exiſtens medium tali conditione reſultat, *quòd nulla propoſitio ipſius T. nec ipſius A. nec cæterarum figurarum perit aut fruſtranea eſt*; ipſum autem univerſale ſemper habet conſtitui & dirigi per mixtionem & conjunctionem terminorum figurarum, ſcilicet ipſius T. & cæterarum figurarum, & per concordantiam propoſitionum & quæſtionum earum, & ſemper habet exerceri quandoque per T. tantùm, quandoque per T. & A. ſimul, & quandoque per T. & A. & S. vel per plures figuras, & quandoque per T. S. vel per plures, & ſic de aliis.

Hoc

Hoc autem ita habet eſſe per plures vel pauciores figuras ſecundùm quantitatem compoſitionis figurarum, quam requirit formatio ipſius univerſalis, & ſecundùm concordantiam, quam illud particulare, quod in ipſo univerſali quæritur, habet cum principiis vel cameris figurarum. Exemplum autem, quod oſtendit & declarat modum & doctrinam inveſtigandi & formandi univerſale, ſicut dictum eſt, apparet in *quarta diſtinctione*, in qua ſub quibusdam cameris, cùm ſint univerſales, ſolvuntur diverſæ quæſtiones, quæ ſunt particulares.

SECUNDA PARS
De Inveſtigatione Particularis.

SIcut ſenſitivum imaginativum memorativum & volitivum neceſſaria ſunt aſcenſui intellectivi ad univerſale, ſicut prædictum eſt, ita ſunt ſimiliter neceſſaria ad inveſtigandum omne particulare, quod in ſuo univerſali quæritur, deſcendente intellectivo ſecundùm ſenſitivum imaginativum memorativum & volitivum particulariter per terminos figurarum, & per propoſitiones ipſorum terminorum illo modo, quòd univerſale illius particularis, quod quæritur, nullatenus deſtruatur, neque termini figurarum, neque eorum propoſitiones, ſed potiùs conſerventur.

Omnis inveſtigatio particularis in ſuo univerſali quandoque habet fieri per T. tantùm, quandoque per T. A. ſimul, vel per plures, quandoque per T. S. vel per plures, & ſic de aliis, ſemper T. mediante, quia aliter nihil ex eis ſequeretur; hoc autem habet fieri quandoque per plures, quandoque per pauciores figuras ſecundùm genus & ſpeciem illius particularis, quod indagatur, cujus inventio eſt in aliquo membro univerſali exiſtente in concordantia cum aliis membris ſub ſuo univerſali, ipſo concordante cum illo ſuo particulari, quod quæritur, quod illius particularis oppoſito contradicit.

Sicut Bonitas A. ſuam ſimilitudinem influit in magnitudinem, & magnitudo ipſius ſuam ſimilitudinem in bonitatem, per quam ſimilitudinem bonificatum in magnitudine & magnificatum in bonitate producitur in Divinis; ita ſimili modo influente intellectivo ſuam ſimilitudinem in volitivum, memorativum, imaginativum & ſenſitivum & è converſo, & hoc per angulos & cameras T. atque per cameras A. S. V. &c., etiam per propoſitiones ipſius T. & cæterarum figurarum inveſtigatur particulare, & invenitur per prædictam ſimilitudinem & influentiam, concordando aliam ſimilitudinem cum alia, & aliam influentiam cum alia iſto modo, ſcilicet, quòd nec univerſale nec partes ejus deſtruantur, ſed habeant omnes partes ipſius concordantiam ad conſervandum ipſum univerſale in illo particulari, quod in eo inveniendum eſt.

Sciendum eſt etiam, quòd ſimiliter ad faciendam inveſtigationem particularis, ut ſequatur inventio ipſius, oportet quandoque intellectivum ab univerſalibus propoſitionibus ad particulares deſcendere, & iterum ad univerſales propoſitiones aſcendere, invenitque concordantiam, quæ inter univerſales propoſitiones & particulares exiſtit abſque contrarietate per modum affirmationis vel negationis. Et de hoc atque de his, quæ prædicta ſunt, ad faciendam inveſtigationem particularis panditur exemplum in *quarta diſtinctione*, ſcilicet in quæſtionibus, ſicut dictum eſt in præcedenti capitulo de inveſtigatione & formatione univerſalis.

TERTIA PARS
De Formatione Camerarum.

AD formandum cameras, ut inveſtigetur particulare, & per conſequens inveniatur, neceſſarium eſt adeſſe ſenſitivum imaginativum memorativum volitivum & intellectivum ſimiliter ſicut in duabus præhabitis partibus, judicante intellectivo in principio inveſtigationis illam ſimplicem cameram in T., vel in A. vel in aliis figuris, quæ meliùs inveſtigationi particularis, quod quæritur, convenit, ut ejus inventio conſequatur, volitivo ipſam cameram eligente. Deinde conjungenda eſt illi cameræ alia camerarum, quæ meliùs illi convenit ad inveſtigationem & proprietatem particularis, quod quæritur, ſimiliter additur illis tertia camera, quæ meliùs inter cæteras ad hoc neceſſaria eſt.

Habitis autem his tribus ſimplicibus cameris in una recta linea in aliqua figurarum ex volubilibus circulis compoſita-

rum reſultat ex iſtis tribus ſimplicibus cameris una camera compoſita, habente quolibet circulorum ſuam ſimplicem cameram in illa, quæ compoſita eſt.

Præterea ſciendum eſt, quòd, ſicut quædam camera compoſita habet formari in uno latere communis figuræ, ita ſimiliter habet formari alia camera compoſita in alio latere ipſius figuræ, ad hoc, ut fiat diſcurſus ipſius T. per A. vel per S. vel per A. S. vel per S. V. vel per plures, & ſic de aliis figuris ſecundùm quod quæſtio particularis plures vel pauciores figuras expoſtulat; tunc verò ſenſitivum & imaginativum per ambas figuras diſcurrunt in utroque latere, memorante memorativo propoſitiones earum, ut intellectivum invenire & volitivum eligere valeat finale judicium.

Et ſciendum eſt, quòd ad formandum duas prædictas cameras ex ſex circulis compoſitas oportet ſenſitivum & imaginativum diſcurrere per omnes alias cameras, ut illæ duæ per eas fortificentur, memorante memorativo propoſitiones earum, & volente volitivo concordantiam eſſe inter omnes cameras, ut intellectivum valeat aſcendere ad univerſale, & exinde ad particulare deſcendere, ſinè eorum contrarietate, ſcilicet univerſalis & particularis.

Unde per hæc, quæ dicta ſunt de formatione camerarum in ſex circulis, intelligendum eſt, dictum eſſe de formatione camerarum alterius lateris in duobus circulis continentibus elementa & in tribus ipſius T. & hoc ſecundùm genus & ſpeciem illius particularis, quod per elementa vel per T. convenit indagari.

QUARTA PARS
De Compoſitione Figurarum.

AD componendum figuras ſcilicet aliam cum alia oportet memorativum memorare quæſtionem, & volitivum ſecundùm illam memorationem conjungere figuras aliam cum alia, ut, ſi quæſtio fiat de figuris vel de aliqua figurarum, intellectivum judicet de ea per propoſitiones, quæ illis figuris ſeu figuræ ſunt ſubjacentes; ſiverò fiat compoſitio de T. A. vel de T. A. S. ſive de pluribus, vel de T. S. vel de T. S. V. vel de pluribus, & ſic de omnibus figuris, tunc exiſtit illud univerſale particularis medium, in quo participant & concordant propoſitiones illarum figurarum, quæ compoſitæ ſunt, aſcendente univerſali ad majoritatem in multiplicatione compoſitionis figurarum, atque deſcendente univerſali ad minoritatem in diminutione compoſitionis figurarum vel in ſeparando vel ſubtrahendo aliam figuram ab alia.

QUINTA PARS.
De Judicio.

IN Judicio debet adeſſe ſenſitivum imaginativum memorativum & volitivum ſub intellectivo; cùm veritas ſit ejus objectum.

Secundùm diſpoſitionem triangulorum T. oportet intellectivum in judicio diſtinguere per A. S. V. X. &c. ob hoc intellectivum accipiendo ſuas ſimilitudines in ſe in ſenſitivo in imaginativo in memorativo & volitivo diſtinguit in judicio tali modo, quòd ipſæ ſimilitudines non deſtruantur, & quòd inter univerſale & ſuum particulare exiſtat concordantia in cameris & propoſitionibus univerſalibus aut partibus figurarum.

In hac arte judicia quandoque habent fieri per E., quandoque per I., quandoque per N., & quandoque per R., & quandoque per duo vel plura ipſorum; judicia tamen ipſorum N. R. confuſa ſunt & circa dubitationem vel ſuppoſitionem. Judiciorum in hac arte aliud eſt per ſimilitudinem, & aliud per diſſimilitudinem, aliud per propoſitum & aliud per oppoſitum, aliud per realitatem & aliud per rationem, & ſic de aliis. *Sed generalis regula hujus artis eſt, ut omne judicium, de quacunque ſpecie ſive de quocunque ſit, ſemper concordet cum principiis hujus artis & propoſitionibus eorum*; unde, ſi contingat intellectivum non poſſe judicare per poſſibile, oportet ipſum judicare per impoſſibile, & ſi non poteſt per conveniens, oportet ipſum per inconveniens judicare.

Præterea artifex hujus artis vult & innuit in ipſa arte, ſi intellectivum judicare poteſt accipiendo concordantiam inter illas ſimilitudines, quas recipit de ſenſitivo imaginativo &c., quòd judicet; ſi verò judicare nequiverit, quòd vertat judicium in contrarium, vel accipiat illas ſimilitudines, quæ meliùs conveniunt in majoritate concordantiæ realitatis & ſubſtantiæ ſive accidentium, & quæ ſimiliter meliùs con-

veniunt in majori concordantia camerarum & propoſitionum, quas figuræ hujus artis continent.

SEXTA PARS
De Modo Diſputandi.

MOdus diſputandi in hac arte eſt allegare per argumentationes propoſitiones ſubjacentes cameris, quas formari oportet, ut inveniatur in eis per indagationem diſputantium illud particulare, ſuper quod fit diſputatio.

In principio autem diſputationis oportet, ut unusquisque duorum diſputantium habeat veram intentionem ad inveſtigandum particulare, ſuper quod habent diſputare, concordando & concedendo veritatem, ipſis ambobus conſervantibus regulas & ordinem hujus artis, & reducentibus propoſitiones & dicta aliarum ſcientiarum ad propoſitiones & principia hujus artis; cùm per univerſalitatem hujus artis in omnibus ſcientiis veritas diſcernatur ſecundùm directionem & ordinationem principiorum hujus artis.

Si verò aliquis diſputator per ſophiſticationes fortè incederet ſeminans genera fallaciarum, deſtruendæ ſunt ejus fallaciæ per principia & propoſitiones hujus artis; cùm nullæ fallaciæ eis reſiſtere poſſint, & tunc violenter compellitur concedere veritatem: ſi verò rebellis fuerit, vel ignorantiam patiatur repugnans veritati, talis igitur concludendus eſt in ſuis oppoſitionibus per principia & propoſitiones hujus artis, deducendo ipſum ad inconveniens & ad deſtructionem univerſalis hujus artis & propoſitionum ejus & principiorum, quæ ſunt ejus membra, quorum deſtructio impoſſibilis eſt & abſurda. Si etiam contingat, ipſum eſſe ita rebellem, quòd viſo prædicto inconveniente & prædicto impoſſibili nolit concedere veritatem, talis tanquam inſcius dimittendus eſt, qui, ſi fuerit intelligens, cum conſcientia læſa remanebit, per quam læſionem poſſibile eſt ipſum in alio tempore concedere veritatem.

INCIPIT
QUARTA DISTINCTIO.
QUÆ EST DE
Practica Hujus Artis.

OMnis ſcientia in Theoricam & Practicam dividitur, & quoniam in præhabitis diſtinctionibus hujus voluminis de Theorica hujus artis ſecundùm compendium operis valde ſufficienter dictum eſt, idcirco in hac quarta & ultima diſtinctione iſtius voluminis de Practica ipſius artis ſecundùm compilationem hujus operis tractandum eſt, quæ diſtinctio in *decem partes* dividitur, videlicet in *decem figuras* hujus artis cum *decem modis* propoſitionum & ſuarum quæſtionum, quolibet modo ſuæ determinatæ figuræ ſubjacente, quarum etiam partium quælibet in *duas partes* dividitur, quarum *prima* cujuslibet eſt de *propoſitionibus* ſecundùm ſuum modum contentis ſub eis; *ſecunda* verò eſt *de quæſtionibus*. Unde primò de prima parte dicendum eſt & in principio de prima figura tractandum eſt ſervando conſtitutionem ordinis figurarum.

INCIPIT
PRIMA PARS
DISTINCTIONIS IV.
IN QUA TRACTATUR
De Propoſitionibus
FIGURA I.
De Propoſitionibus T.

AD majorem evidentiam & ordinationem propoſitionum T. ſciendum eſt, quòd, ſicut T. in ſuos quinque triangulos diviſum eſt, & unusquisque angulus in tres terminos, ita dividuntur & diſtinguuntur ejus propoſitiones; quia unicuique principio cujuslibet anguli *tres propoſitiones* ſubjacent, & quoniam unumquodque ipſorum

rum principiorum in alios tres terminos dividitur, ita *tres propoſitiones* unicuique termino ſubjacent: itaque continet unusquisque angulus *duodecim propoſitiones* ſcilicet quater tres, & per conſequens unusquisque triangulus continet in ſe ipſo *triginta ſex*, & quia quinque trianguli totum T. ædificant, idcirco ſub eo *centum & octoginta propoſitiones* continentur. Unde, quia in hac parte de ipſis propoſitionibus tractandum eſt, idcirco priùs de propoſitionibus prioris & nobilioris principii dicendum eſt, deinde per ordinem de cæteris conſequenter.

De Deo A.

1. DEus eſt Ens inceſſans habens omnia, quæcunque vult.
2. Quia Deus eſt, habet omne aliquid concordantiam cum majoritate, & nihil cum minoritate.
3. Quia Deus eſt, eſt, quidquid eſt, & nullum peccatum eſt aliquid.
4. Quia unus Deus eſt, infinitum eſſe eſt.
5. Quia infinitas & æternitas eſſentiæ eſt, ſufficit eſſe unum Deum tantùm.
6. Quia Deus eſt unus, nullum unum deſiderat non eſſe unum.
7. Omne, quod eſt in eſſentia Dei, eſt Deus.
8. Inter eſſentiam Dei & ſuum eſſe nulla eſt differentia.
9. Quidquid eſt de eſſentia Dei, eſt immenſum & æternum.
10. Nulla dignitas Dei eſt ſinè actu.
11. Omnes dignitates Dei ſuos actus producunt alia in alia.
12. Divinæ dignitates, quia alia eſt in alia, ſunt Deus.

De Creatura B.

1. QUia Deus eſt ſimilabilis, creavit creaturam.
2. Sinè eſſe & nihilo impoſſibile eſt creare.
3. Omnis creatura eſt ſpeculum Dei, in quo ſunt ſimilitudines & diſſimilitudines Dei.
4. Omnis creatura ſenſibilis eſt ſub fine intellectivi.
5. Eſſentia totius creaturæ ſenſibilis eſt ſenſibilitas.
6. Omnis creatura corporalis priùs eſt in corporeitate, quàm in corpore.
7. Quia Deus eſt volibilis & intelligibilis, producitur in creatura potentia volitiva & intellectiva.
8. Nullum intellectivum ſinè volitivo creatum eſt.
9. Intellectivum & volitivum ſe habent diverſimodè in omni creatura.
10. Sub forma & materia creata eſt omnis animalitas, & omne animatum ſub animalitate.
11. Niſi ſpecies fuiſſet creata, nullum animal eſſet ſpecificativum.
12. Omnia entia animalium ſunt creaturæ.

De Operatione C.

1. QUia in Deo eſt operatio intrinſeca, omnis operatio intrinſeca nobilior eſt quàm extrinſeca.
2. Omnis operatio ſe habet ad aliquem finem.
3. Omnis extrinſeca operatio ab intrinſeca operatione influitur.
4. Operatio ita eſt bonificabilis & volibilis, ſicut intelligibilis.
5. Omne Intellectivum operando producit de objectis ſuam ſimilitudinem.
6. Intellectivum ſuam ſimilitudinem influit per lumen in volitivum, velut volitivum in intellectivum per charitatem.
7. Nulla naturalis operatio eſt contra ſe.
8. Omnis operatio naturalis eſt in ſubſtantia, & influit in accidentia.
9. Omnis operatio naturalis eſt contigua de univerſali ad particulare.
10. Omne, quod Deus agit extra ſe, agit artificialiter.
11. Deus creat operationem artificialiter, homo autem ipsâ utitur.
12. Impoſſibile eſt, quòd homo producat formam artificialem ex nihilo.

De Differentia D.

1. QUia differentia eſt realiter univerſale in natura, eſt in particularibus,
2. Quia aliqua differentia eſt in concordantia omni contrarietate carens, major eſt differentia in magnitudine, quàm contrarietas.
3. De majori differentia poteſt ſequi major concordantia, quàm de minori.
4. In ſenſitivo ſunt ita propè differentia & ſpecies, quòd inſimul diverſificant & ſpecificant illud.
5. Quia Deus eſt intelligibilis & volibilis, major eſt differentia inter intellectivum & volitivum, quàm inter ſenſitivum & ſenſitivum.
6. Differentia eſt elementorum potentia,

tia, per quam producunt ſuas ſimilitudines.
7. Nullum intellectivum differt à ſenſitivo ſinè ſimilitudine & diſſimilitudine.
8. Quia anima plùs eſt ſpecificativa corpore, plùs eſt differentiæ in ipſa, quàm in ipſo.
9. Animal rationale eſt magnum ſpeculum, in quo apparet magna differentia ſpiritualis & corporalis.
10. Omne intellectivum differt à volitivo & è converſo in intelligere & velle, quia differunt in eſſentia.
11. Major differentia eſt inter intelligere & velle, ſi diverſificent intellectum & volitum, quàm ſi non diverſificent ipſa.
12. Sinè differentia intellectûs & voluntatis impoſſibile eſt eſſe vitam in homine,

De Concordantia E.

1. OMnis Concordantia plùs appetibilis eſt in magnitudine, quàm in parvitate.
2. Omnis Concordantia plùs poteſt diſtare à contrarietate in majori differentia, quàm in minori.
3. Impoſſibile eſt inveniri concordantiam ſinè diſtinctione.
4. Omnis concordantia, quæ eſt inter ſenſitivum & ſenſitivum, eſt per ſimilitudinem.
5. Sinè uno vel pluribus nulla eſt concordantia in natura.
6. Inter ſenſitivum & ſenſitivum nulla eſt concordantia ſinè contrarietate.
7. Quia in Deo eſt concordantia, major eſt concordantia inter intellectivum & ſenſitivum, quàm inter ſenſitivum & ſenſitivum.
8. Sub una concordantia univerſali naturæ ſunt omnes concordantiæ particulares naturæ.
9. Ex maxima concordantia, quæ in homine efficitur inter aliam & aliam ſubſtantiam, producitur alia ſubſtantia,
10. Absque eſſentiali concordantia nullum eſſe intellectivum eſt actus eſſentiæ.
11. Omnis concordantia, quæ eſt inter animam & potentias ejus, eſt ſubſtantialis, & omnis concordantia, quæ eſt inter potentias, eſt accidentalis.
12. In omni intellectivo eſt æqualiter concordantia inter eſſentiam & eſſe.

De Contrarietate F.

1. NUllum contrarium eſt infinitum.
2. In omni actu contrarietatis eſt privatio.
3. Nulla contrarietas eſt ſinè accidentibus.
4. Omnis abſentia concordantiæ eſt contrarietas.
5. Omnis contrarietas aut eſt extrinſeca, aut intrinſeca.
6. Quia inter aliud & aliud ſenſitivum ſunt ſimilitudines, impoſſibile eſt in eis inveniri contrarietatem absque concordantia.
7. Inter ſenſitivum & intellectivum eſt concordantia priùs in natura, quàm contrarietas.
8. Senſitivum repugnat intellectivo cum minoritate, & è converſo cum majoritate.
9. Omne ſenſitivum contradicens intellectivo contradicit ſibi ipſi, & non è converſo.
10. Omnis veritas plùs contrariatur falſitati, quàm è converſo.
11. Nullum intellectivum poteſt tantùm contradicere alteri, ſicut ſibi ipſi.
12. Plùs poteſt omnis anima contradicere Deo, quàm alteri.

De Principio G.

1. NUllum Principium majus eſt illo, quod eſt æquale ſuo fini.
2. Sub principiis univerſalibus naturæ ſunt omnia principia particularia naturæ.
3. Nullum principium poteſt eſſe ſinè fine.
4. Absque nihilo impoſſibile eſt tempus eſſe principiatum.
5. Nullum tempus eſt principiatum in ſe ipſo.
6. Omne principium, in quo tempus eſt, eſt juxta nihilum.
7. In diverſificatione univerſalis quantitatis ſunt multa principia
8. Omne principium eſt nobilius in quantitate formæ, quàm in quantitate materiæ.
9. Omne naturale principium priùs eſt in univerſali, quàm in particulari.
10. Omne principium diſtat minùs à cauſa, quàm ab effectu.
11. Omne principium naturale ſimplex eſt per formam, compoſitum verò per materiam.
12. Omnia principia ſunt ſub uno fine,

De Medio H.

1. NUllum medium eſt ſinè principio & fine.
2. Omnis magnitudo medii eſt in magnitudine principii & finis.
3. Nullus finis contradicit ſuo medio.

4. In

4. In diverſificatione ſuorum extremorum diverſificatur omne medium.
5. Inter realitatem & rationem intellectus eſt medium.
6. Inter univerſale & particulare ſunt multa media.
7. Omnis motus eſt medium extremorum.
8. Habitus eſt medium inter potentiam & actum.
9. Inter prædeſtinationem & liberum arbitrium ſapientia & Juſtitia Dei ſunt æquale medium.
10. Omne medium eſt perfectum, quod conjungit principium & finem.
11. Homo eſt medium inter animam & corpus.
12. Omne medium efficitur ſimplicius ex partibus eſſentialibus quàm integralibus.

De Fine I.

1. ILle eſt ſummus finis, quem omnes fines appetunt.
2. In Deo tantùm eſt finis in ſe ipſo.
3. Nullus finis eſt perfectus in ſe, qui ſit propter alium finem.
4. Omnis finis & omne principium ſe habent realiter.
5. Finis eſt objectum omnium moventiũ.
6. Quia omnis finis materiæ eſt paſſio, omnis materia eſt ſub alio.
7. Inter cauſam & effectum eſt omnis terminatio finîs.
8. Sub ſummo fine ſunt omnes fines in termino.
9. Omnis exterior finis terminatur in interiori fine.
10. Quia finis eſt amabilis, ejus privatio eſt odibilis.
11. In obliquitate medii eſt privatio finîs.
12. Omnis finis, qui major eſt, plùs diſtat à privatione, quàm qui minor eſt.

De Majoritate K.

1. QUoniam Deus eſt magnus in bonitate, omnis majoritas plùs eſt amabilis in magnitudine, quàm in parvitate.
2. Omnis actio magis deſiderabilis eſt in majoritate, quàm in minoritate.
3. Illa eſt ſumma majoritas, quæ eſt ſinè minoritate.
4. Omnis majoritas major eſt in univerſali, quàm in particulari.
5. Omnis ſubſtantia plùs diſtat à privatione per majorem actum, quàm per minorem.
6. Omnis ſubſtantia major eſt per formam, quàm per materiam.
7. Omnis majoritas eſt major per ſubſtantiam, quàm per accidens.
8. Quia majoritas convenit cum eſſe & minoritas cum non eſſe, majoritas eſt in ſubſtantia & minoritas in accidente.
9. Priùs eſt majoritas in ſubſtantia, quàm minoritas in accidentibus.
10. Majoritas eſt major in concordantia accidentium, quàm in eorum contrarietate.
11. Nulla quantitas corporalis eſt major, quàm quantitas virtualis.
12. Omne accidens, quod propinquius eſt ſubſtantiæ, majus eſt aliis accidentibus.

De Æqualitate L.

1. QUia in Deo eſt æqualitas & non majoritas, major eſt poſſibilitas per æqualitatem, quàm per majoritatem.
2. Quia relatio nequit eſſe in majoritate ſinè minoritate, poteſt poteſtas plùs poſſificare in æqualitate, quàm in majoritate.
3. Quia Deus eſt bonus, omnis coæquatio bona convenit cum eſſe; ejus autem oppoſitum cum non eſſe.
4. Illa eſt ſumma æqualitas, quæ producta eſt de eſſentia in eſſentia ſinè accidentibus.
5. Nulla ſubſtantia eſt inæqualis alteri ſubſtantiæ ſinè accidentibus.
6. Omnes ſubſtantiæ coæquantur per concordantiam, & inæquantur per contrarietatem.
7. In ſubſtantia humana eſt major coæquatio mediante corpore & animâ, quàm mediantibus accidentibus.
8. Omnis coæquatio, quæ de ſubſtantiis in ſubſtantiam producta eſt, major eſt, quàm illa, quæ de accidentibus in ſubſtantiam producta eſt.
9. Quia æqualitas convenit cum eſſe & inæqualitas cum non eſſe, major eſt æqualitas in ſubſtantia, quàm in accidentibus.
10. Impoſſibile eſt inveniri tam magnam æqualitatem inter formas accidentales, ſicut inter formas ſubſtantiales.
11. In omnibus accidentibus non poteſt eſſe tam magna æqualitas, quanta eſt in relatione.
12. Quia accidentia æqualitatem appetunt, conſtituitur ſubſtantia.

De Minoritate M.

1. OMnis minoritas univerſalis contradicit eſſe.

2. Omnis

2. Omnis minoritas, quæ de alia minoritate in aliam producta eſt, major eſt cæteris.
3. Quò major eſt omnis minoritas, eò magis diſtat à compoſitione.
4. Omnis minor ſubſtantia ſubdita eſt majori ſubſtantiæ.
5. Illa ſubſtantia, quam intellectus producit in univerſale rationabile, minor eſt, quàm illa, quam natura producit in univerſale reale.
6. In minoritate virtutis eſt minoritas ſubſtantiæ.
7. Impoſſibile eſt minoritatem inveniri inter ſubſtantiam & accidentia ſinè imperfectione.
8. Nulla minoritas eſt priùs in ſubſtantia, quàm in accidentibus.
9. De accidentibus in ſubſtantiam transfertur minoritas in majoritatem.
10. Omne accidens eſt minus aliis, quod plùs diſtat à ſuo fine.
11. In illo accidente eſt major minoritas, in quo ſubſtantia minùs virtutis influit.
12. In omni minoritate actûs producitur minoritas accidentium.

De Affirmatione N.

1. QUia Deus eſt, affirmatio convenit cum majoritate, negatio verò cum minoritate.
2. Objectum affirmationis eſt veritas, objectum verò negationis eſt falſitas.
3. Affirmatio & velle conveniunt, negatio verò & nolle.
4. Nullum ens affirmabilius eſt Deo.
5. Quia Deus eſt, affirmatio & eſſe conveniunt, negatio verò & non eſſe.
6. Quanto omne ens eſt nobilius, tantò eſt affirmabilius.
7. Omnis affirmatio contradicit non enti cum negatione.
8. Affirmatio & non ens conveniunt per accidens.
9. Affirmatio & lumen intellectûs contradicunt non enti.
10. Objectum affirmationis eſt poſſibilitas.
11. Mediante poſſibilitate diſconveniunt affirmatio & negatio.
12. Affirmatio & negatio ſunt concordantes vel oppoſitæ mediante poſſibilitate vel impoſſibilitate.

De Dubitatione O.

1. DUbitatio & ſuppoſitio ſunt principia inveſtigationis.
2. Omnis dubitatio eſt, ut ſit affirmatio vel negatio.
3. De majori dubitatione ſequitur major affirmatio vel negatio.
4. Omnis dubitatio participat inter ens & non ens.
5. In dubitatione incipit intellectus producere ſuam ſimilitudinem de non ente in ens.
6. Omnis dubitatio eſt ens aggregatum de intelligere & ignorare.
7. Non ens producit ſuas ſimilitudines in dubitationem.
8. Quia dubitatio & non ens conveniunt, incipit dubitatio in privatione, & conſummatur in ente.
9. Quia dubitatio eſt inclinatio actûs intellectûs ad eſſe & non eſſe, ipſa eſt medium, per quod affirmatio & negatio contrariantur.
10. Nulla dubitatio exiſtit æqualiter inter ens & non ens.
11. Impoſſibile eſt tam vehementer deſtruere dubitationem per fidem, ſicut per demonſtrationem.
12. Impoſſibile eſt dubitationem eſſe ſinè paſſione.

De Negatione P.

1. IN negare Deum eſſe nulla ſequitur utilitas.
2. Omne inconveniens eſt objectum negationis.
3. De majori negatione ſequitur major affirmatio, & è converſo.
4. Si nulla eſt affirmatio, nulla eſt negatio.
5. Omnis negatio tendit ad eſſe per accidens.
6. Omnis negatio, quæ eſt contra eſſe, deſtructibilis eſt.
7. Major negatio poteſt fieri de Deo, quàm de nihilo.
8. Omnis negatio ſpeculum eſt, in quo ſimilitudines non entis apparent.
9. Quia non ens eſt enti ſubditum, omnis negatio affirmationi ſubdita eſt.
10. Ordinatio negationis eſt incipere ab impoſſibilitate.
11. Impoſſibile eſt veritatem ſinè medio eſſe objectum negationis.
12. Negatio & impoſſibilitas abſolutè contrariantur affirmationi & poſſibilitati.

FIGURA II.

De Propoſitionibus A.

A. eſt ſummum ens entium habens dignitates ineffabiles, ſed quoniam intellectus per modum realitatis nequaquam poteſt intelligere totaliter, ſed ſolùm intelligit per gratiam & influentiam ipſius A. ſedecim dignitates in ipſo A., & non, quòd ſint niſi ſedecim tantùm; cùm ipſæ ſint innumerabiles una eadem eſſentia, ſed quia ipſi intellectui ſufficit ſumere ſedecim divinas dignitates ſecundùm hanc artem ad reſpondendum omnibus quæſtionibus, quæ de A. fieri poſſunt, idcirco cuilibet ipſarum ſedecim aſſignatæ ſunt *ſex propoſitiones*, quibus ad omnia, quæ de A. quæruntur, reſpondendum eſt T. mediante, & ideo ſunt *nonaginta & ſex propoſitiones*; cùm ſedecies ſex æquipolleant nonaginta ſex. Unde de bonitate primò dicendum eſt, non quia ſit prior & nobilior aliis, cùm in Deum non cadat majus & minus; ſed quia ſecundùm ordinationem hujus artis taliter ordinantur.

De Bonitate B.

1. BOnitas Dei ita eſt in ſe, quòd alicujus extra ſe non indiget.
2. Bonitas Dei bonificando in ſe ipſa exiſtit in ſe ipſa & in magnitudine &c.
3. Bonitas Dei bonificando extra ſe exiſtit in omnibus creaturis & actibus earum.
4. Omne bonum creatum eſt ſpeculum boni increati.
5. Nullum bonum poteſt eſſe in magnitudine ſinè bonificato.
6. Nullum bonum reſiſtit ſuæ magnitudini.

De Magnitudine C.

1. IMpoſſibile eſt magnitudinem Dei eſſe in ſe ipſa & in alio ſinè magnificare.
2. Magnitudo Dei major eſt in ſe ipſa, quàm in alio.
3. Magnitudo eſt tam magna in ſua bonitate, æternitate, poteſtate &c., ſicut in ſe ipſa.
4. Omne magnum bonum eſt amabile.
5. Nullum magnum ſibi ipſi contradicit.
6. Omne magnum magnificando contradicit minori.

De Æternitate D.

1. ACtus æternitatis eſt æternificare.
2. Omnis duratio eſt aliqua ſimilitudo æternitatis.
3. In æternitate eſt tam velociter immenſificare, ſicut æternificare.
4. Impoſſibile eſt æternitatem eſſe per aliud.
5. Major concordantia eſt inter æternitatem & æternificare, quàm inter Creatorem & creare.
6. Impoſſibile eſt augmentationem eſſe in æternitate.

De Poteſtate E.

1. OMne licitum eſt fieri à poteſtate Dei, niſi inconveniens.
2. Quidquid contradicit vel repugnat poſſificare, contradicit ſeu repugnat poteſtati.
3. In divina poteſtate quælibet dignitas producit ſuam ſimilitudinem.
4. Quia poteſtas & voluntas in Deo ſunt idem, ipſe Deus poteſt omnia, quæcunque vult.
5. Niſi in poteſtate Dei eſſet poſſificare, impoſſibile eſſet creare.
6. Omnis poteſtas eſt à poteſtate Dei.

De Sapientia F.

1. IN ſapientia Dei eſt æqualitas eſſendi & ſciendi.
2. In divina ſapientia ſunt æqualiter omnes actus divinarum dignitatum.
3. Scientia Dei in ſe & in alio infuſa eſt.
4. Scientia Dei eſt univerſaliter in omnibus particularibus.
5. Quia in Deo eſt ſcientia, omnis ignorantia eſt odibilis.
6. Omnis ſcientia à ſcientia Dei influitur.

De Voluntate G.

1. QUia in eſſentia Dei non differunt velle & nolle, nulla voluntas ſinè velle & nolle eſt in magnitudine.
2. Voluntas Dei non vult, quòd ſua poteſtas producat extra ſe, quidquid producere poteſt.
3. In immenſa velocitate magnitudine & æternitate ſunt in Deo velle & nolle.
4. Quia Deus habet omnia, quæcunque vult, non habet ea, quæ non vult.

5. Omnis

5. Omnis voluntas eſt nobilior, quæ vult in ſe ſuum ſimile, quàm quæ non vult ſuum ſimile.
6. Divina voluntas vult in ſe omne illud, per quod creatura eſſet Deus.

De Virtute H.

1. VIrtus Dei æqualis eſt ſuæ ſubſtantiæ.
2. Impoſſibile eſt divinam virtutem eſſe otioſam.
3. Divina virtus ſemper eſt cum ſuo fine.
4. Omnis virtus major eſt influendo in ſe, quàm in alium.
5. Nulla virtus poteſt agere ſinè ſpecificatione.
6. Nulla virtus eſt contra magnitudinem ſui actûs.

De Veritate I.

1. PLùs poteſt Deus verificare in ſe, quàm in alio.
2. Veritas verificando producit ſuam ſimilitudinem, & contrariatur falſitati.
3. Magnitudo veritatis eſt verificare in magnitudine.
4. Omnis veritas major eſt in re, quàm in intellectu creato.
5. Quia veritas eſt intelligibilis, ipſa eſt objectum intellectûs.
6. Niſi eſſet lumen veritatis, non eſſet ipſa veritas objectum intellectûs.

De Gloria K.

1. NUlla gloria ſumma eſt, niſi ſit in ſe ipſa.
2. Major eſt gloria extrinſeca in Deo, quàm intrinſeca in creaturis.
3. Gloria Dei inceſſanter eſt ſinè imperfectione.
4. Major eſt gloria intrinſeca, quàm extrinſeca.
5. Nulla gloria eſt intelligibilis & amabilis ſinè ſpecificatione.
6. Quia in Deo eſt gloria cum juſtitia, ipſa gloria plùs eſt deſiderabilis in æqualitate, quàm in majoritate.

De Perfectione L.

1. ILla perfectio, quæ per ſe eſt in ſe, eſt ſinè alio.
2. Quia perficere eſt actus perfectionis, omne perficere eſt deſiderabile.
3. Impoſſibile eſt non eſſe perficere in perfectione immenſitatis & æternitatis.
4. Si Deus nihil eſt, impoſſibile eſt perfectionem eſſe ſinè imperfectione.
5. Si in Deo non eſt perficere, omne perfectum priùs fuit in imperfectione, quàm in perfectione.
6. Quia perfectio Dei eſt intrinſeca, ideò eſt in ſe, & influit perfectionem neceſſariam extra ſe, & perficit eam in ſe.

De Juſtitia M.

1. NUlla juſtitia repugnat magnitudini bonitatis æternitatis poteſtatis &c.
2. Nulla juſtitia poteſt eſſe de ſe & in ſe & ad ſe, niſi Juſtitia Dei tantùm.
3. Actus juſtitiæ Dei tam magnus eſt, quòd omnes actus divinarum dignitatum juſtificat in ſe ipſis, & extra ſe ipſos.
4. Niſi eſſet juſtificare in juſtitia, poſſibile eſſet injuriare in ea.
5. Quidquid contradicit vel contrariatur magnitudini juſtificandi, contradicit vel contrariatur magnitudini juſtitiæ.
6. Juſtitia in ſe juſtificando contrariatur in ſe & extra ſe injuriæ.

De Largitate N.

1. FRuſtra eſſet omnis largitas ſinè largiri.
2. Deus in ſe largificat eſſendo, & extra ſe influendo.
3. Quia in Deo eſt largitas in magnitudine, majus donum eſt appetibilius, quàm minus.
4. Nulla largitas eſt major illâ, quæ de ſe tota largificat totum largitum.
5. Omnis largitas plùs contradicit avaritiæ in magnitudine, quàm in parvitate.
6. Divina largitas plùs dat homini dando ei eſſe, quàm dando ei proſperitates.

De Simplicitate O.

1. SInè ſimplificare impoſſibile eſt unire in aliqua unitate.
2. Si unio eſſet ſinè ſimplificare, eſſet ſinè componere.
3. Quia in Deo eſt ſimplicitas ſinè compoſitione, ideo omnis ſimplicitas major eſt in unitate, quàm in compoſitione.
4. Si aliqua ſimplicitas eſt ſinè ſimplificare, minor eſt illâ, quæ eſt cum ſimplificare.
5. Nulla ſimplicitas eſt major illâ, quæ eſt in unitate & pluralitate ſinè compoſitione.
6. Omnis ſimplicitas per formam diſtat à compoſitione.

De Nobilitate P.

1. SI nobilitas poteſt plùs nobilificare in ſe, quàm in alio, plùs poteſt magnificare in ſe, quàm in alio.
2. In Deo eſt tanta nobilitas, quantam poteſtas ejus poteſt in ſe poſſificare.
3. Si nobilitas eſſet magna ſinè nobilificare, eſſet vilitas magna ſinè vilificare.
4. Quia in Deo eſt æterna nobilitas, omnis duratio nobilitatis eſt appetibilis.
5. Si nobilitas eſſet contra ſuam magnitudinem, nobilificare & vilificare haberent concordantiam.
6. Quia nobilitas cum eſſe convenit, ipſa magis appetibilis eſt in majoritate, quàm in minoritate.

De Miſericordia Q.

1. SOla ratio differentiam facit inter miſericordiam & juſtitiam.
2. Spes æqualiter creata eſt ad miſericordiam & juſtitiam.
3. Quia miſericordia & juſtitia Dei ſunt unum & idem, æqualiter ſunt timendæ.
4. In Deo eſt miſericordia major nihilo in homine.
5. Nulla miſericordia eſt contra magnitudinem ſpei.
6. Quantò majus eſt parcere, tantò intelligibilior eſt miſericordia.

De Dominio R.

1. QUoniam Deus eſt Dominus, omne dominium eſt appetibile.
2. Nullum dominium ſuæ magnitudini repugnat.
3. Fruſtra eſt omne dominium ſinè dominari.
4. Quia Deus eſt primus Dominus, dominium in re naturæ prius eſt, quàm ſervitus.
5. Dominatio eſt quædam majoritas, in qua ſuſtentatur minoritas.
6. Quia juſtitia Dei eſt, habet omne dominium majorem concordantiam cum juſtitia in majoritate, quàm in minoritate.

FIGURA III.
De Propoſitionibus. S.

ESſentia rationalis animæ, & ejus entitas & natura per deſcriptionem ipſius animæ cognoſcitur, ſcilicet per ſedecim principia, quæ ſunt recolentia, intelligentia &c. quæ anima per ſuas potentias ſuum modum eſſendi ſignificat, & per actus earum ſuum modum operandi. Ideo hæ propoſitiones, quæ ſub figura animæ comprehenduntur, dividuntur in *duas partes*, in quarum *prima* continet unumquodque principium deſcriptionis animæ *tres propoſitiones*, & quia ſunt ſedecim principia in hac arte, idcirco reſultant ex eis *quadraginta octo propoſitiones* in prima parte, in *ſecunda* verò continet quælibet litera alphabeti potentiarum animæ & actûs earum ſimiliter alias *tres propoſitiones*, & quia ipſæ ſunt ſedecim in numero, idcirco componunt alias *quadraginta octo propoſitiones*; unde bis quadraginta octo æquipollent *nonaginta ſex*; ſed de prima parte primitus dicendum eſt, deinde de ſecunda ſimiliter ſuo loco.

De Prima Parte Propoſitionum S.

De Recolentia B.

1. REcolentia eſt eſſentia animæ cum intelligentia & volentia.
2. Finis recolentiæ eſt quoddam eſſe aggregatum de ipſa & de intelligentia & volentia.
3. Recolentia eſt eſſentia recolitiva apprehenſiva in ſuis ſimilitudinibus & diſſimilitudinibus.

De Intelligentia C.

1. INtelligentia, in quantum eſt intellectiva, eſt eſſentia activa, in quantum verò eſt intelligibilis, eſt intelligentia paſſiva.
2. Intelligentia eſt lumen creatum in ſe, & in recolentia, & volentia.
3. Intelligentia eſt lumen agens, in quantum mediante intellectu producit ſuas ſimilitudines in alio, & eſt lumen receptivum, in quantum recipit ſuas ſimilitudines in ſe ipſa.

De Volentia D.

1. VOlentia & nolentia ſunt eſſentia voluntatis ſinè differentia.
2. Volentia, in quantum eſt eſſentia volitiva, continet de forma, ſed in quantum eſt eſſentia volibilis per voluntatem, continet de materia.
3. In radice volentiæ creatum eſt liberum arbitrium mediantibus velle & nolle.

De Eſſe E.

1. ESſe animæ eſt ens aggregatum & illuminatum & productum à recolentia intelligentia & volentia.
2. Eſſe animæ eſt univerſale ſubjectum rationabile, per quod ejus eſſentiæ influunt ſuas potentias.
3. Quia eſſentiæ rationalis animæ ſunt incorruptibiles, ipſa anima eſt incorruptibilis.

De Forma F.

1. FOrma eſt in anima, quia recolentia eſt recolitiva, & intelligentia eſt intellectiva, & volentia volitiva.
2. Forma animæ conſtituta eſt ex recolentia intelligentia & volentia, influens ſemetipſam in memoriam intellectum & voluntatem.
3. Forma rationalis animæ eſt eſſentia eſſentiata ab eſſentia recolentiæ intelligentiæ & volentiæ ſemet eſſentians eſſentiando memoriam intellectum & voluntatem.

De Materia G.

1. MAteria ſpiritualis producta eſt in anima, quia à ſuis partibus eſſentialibus ſuſcipit eſſe.
2. Materia rationalis animæ eſt aggregata à receptione, quæ fit ex recolentia, intelligentia, & volentia.
3. Materia rationalis animæ eſt radix vegetativi & ſenſitivi ſemet influens in materiam memoriæ intellectûs & voluntatis.

De Conjunctione H.

1. INceſſanter conjunguntur recolentia intelligentia & volentia in eſſe animæ attrahendo dando & recipiendo.
2. Id, quod eſt eſſe animæ, eſt conjunctio formæ & materiæ.
3. Eſſe rationalis animæ eſt conjunctio ſuarum eſſentiarum & ſuarum potentiarum influens per accidens conjunctioni in actus ſuarum potentiarum.

De Simplicitate I.

1. IN quantum intelligentia eſt eſſentia intellectiva, eſt forma ſimplex, ſed in quantum eſt eſſentia receptiva in eſſe animæ, eſt materia ſimplex.
2. Forma animæ rationalis eſt una forma ſimplex gratiâ ſimplicitatis formarum, ex quibus producta eſt.
3. Sicut in anima ſub unam communem formam ingrediuntur formæ ſimplices, ita ex una communi forma egrediuntur potentiæ ſimplices.

De Compoſitione K.

1. ANima non eſt compoſita ex ſuis eſſentiis, ſed eſt ens in ſe ex ipſis compoſitum.
2. Quia intelligentia non eſt ens in ſe exiſtens, ſed in anima, eſt compoſita in anima, ſed non in ſe.
3. Omnis compoſitio facta ex forma & materia animæ eſt incorruptibilis, ſed compoſitio facta ex ſecundariis actibus potentiarum animæ eſt corruptibilis.

De Subſtantia L.

1. SUbſtantia animæ rationalis ſubſtat recolentiæ intelligentiæ & volentiæ ſub actibus memoriæ intellectûs & voluntatis.
2. Quidquid eſt eſſentia animæ, exiſtit in ſubſtantia animæ, non autem in ſe.
3. In ſubſtantia animæ ſubſtat ſenſitivum intellectivo, & vegetativum ſenſitivo.

De Accidente M.

1. QUia eſſe rationalis animæ eſt ens ſubſtantiale ſubſtans ſuæ eſſentiæ, ſunt potentiæ ipſius entis per accidens.
2. Potentiæ animæ ſunt formæ ſubſtantiales habito reſpectu ad actus earum, qui ſunt formæ accidentales.
3. In anima rationali eſt forma ſubſtantialis illa, quæ ab ipſa anima producta eſt, forma verò vegetativa & forma ſenſitiva ſunt in ipſa accidentales.

De Virtute N.

1. VIrtus animæ de eſſentia oritur in eſſe, & de eſſe in potentias in actibus potentiarum elucescens.
2. Fides Spes & Charitas ſunt virtutes productæ in actibus potentiarum.
3. Ex virtute eſſentiæ animæ illuminatur virtus ſenſitivi & vegetativi.

De Operatione O.

1. QUia eſſentia animæ eſt recolitiva intellectiva & volitiva, eſt inceſſans eſſentialis operatio in anima.
2. Eſſe animæ eſt operatio eſſentiæ ejus, & potentiæ ſunt operationes ipſius eſſe, ſed recolere intelligere & velle ſive nolle ſunt operationes ipſarum potentiarum.
3. Quia anima eſt agens per formam, & patiens per materiam, potentia liberi arbitrii eſt in medio ſuæ operationis.

De Interioritate P.

1. QUia eſſentiæ animæ rationalis intra ſémet ipſas ſunt operativæ & apprehenſivæ, naturaliter producunt eſſe animæ in ſuam interioritatem.
2. Formificando forma intra ſe & intra materiam non producit eſſe animæ in aliam ſpeciem, ſed in ſémet ipſam.
3. Eſſe animæ in ſémet ipſum & non extra ſe influit ſuas potentias.

De Exterioritate Q.

1. INtellectivum in ſe producit extra ſuam ſpeciem ſenſitivum & vegetativum.
2. Intellectivum de extra ſe producit ſuam ſimilitudinem in ſe.
3. Naturaliter intellectivum inquirit ſuam ſimilitudinem in ſpeciebus extra ſe, ut habeat Deum in ſe.

De Motu R.

1. MOtus animæ eſt illa virtus, per quam anima eſt apprehenſiva & receptiva in ſe & extra ſe.
2. Movendo ſe anima virtualiter movet corpus ad vivendum.
3. Intellectivum lumine intelligentiæ movet voluntatem, volitivum verò lumine volentiæ movet intellectum.

De Secunda Parte Propoſitionum S.

DIcto de propoſitionibus, quæ in prima parte, ſcilicet in deſcriptionibus eſſentiæ animæ continentur, nunc de propoſitionibus ſecundæ partis ſcilicet potentiarum animæ, & actûs earum dicendum eſt; quæ per alphabetum ſcilicet per B. C. D. E. &c. ſignificantur; unde primò de B. dicendum eſt, & ſecundùm ordinem de cæteris conſequenter.

De B.

1. B. eſt quoddam ens univerſale, in quo C. D. congregant plura particularia.
2. B. ad ſe ſuum actum attrahit ex actibus ipſorum C. D.; quia eſt ei ſimile.
3. Quia memorari eſt corruptibile, B. eſt permanens, quia de eſſentia ſua non producit ſuum ſimile.

De C.

1. QUia C. appetit augmentari, producit ſuum ſimile, quod eſt intelligere.
2. C. non producit ſuum ſimile à ſua entitate, imò producit illud ſuo lumine.
3. Ita C. eſt clarificativa potentia, quòd, niſi reſtaret ob impedimentum corporis, inceſſanter ſuum ſimile generaret.

De D.

1. NUlla voluntas in E. N. cogitur, ſed tantùm in I. R.
2. In D. eſt velle per conveniens, & movet H. in nolle per inconveniens.
3. Diligendo D. ſuum ſimile diligit ſémet ipſum, diligendo verò ſémet ipſum producit ſuum ſimile.

De E.

1. E. eſt ens aggregatum de ſimilitudinibus ipſorum B. C. D.
2. Secundùm magnam vel parvam influentiam ipſorum B. C. D. eſt E. in magnitudine vel in parvitate.
3. E. eſt illuminata ſpecies vel figura, in qua anima mediantibus B. C. D. ſuam eſſentiam repræſentat.

De F.

1. MEdiantibus D. H. differunt B. F. ſicut velle & nolle in D. H. differunt.
2. Per licentiam ipſius B. producit F. ſuum ſimile per unum modum in G., ſed per alium in H.
3. Cum juſtitia producit F. in H. ſuam ſimilitudinem, ſed cum injuria ſuam diſſimilitudinem.

De G.

1. CAuſa, quare G. inveſtigans producit ſuum intelligere, eſt, ut C. ſuam ſimilitudinem habeat.
2. Quia G. ſe ipſum nequit eſſentialiter augmentare, appetit augmentari in ſuo ſimili.
3. G. ſuo lumine concordat objecto mediante F., & ſuo lumine repugnat objecto mediante H.

De H.

1. QUia D. cum eſſe convenit, eſt H. inſtrumentum ipſius D. contra non eſſe.
2. Quando D. eſt ipſius H. principium, tunc tendit ipſum H. de non eſſe ad eſſe, ſed quando H. eſt principium ipſius D., tunc tendit ipſum D. de eſſe ad non eſſe.
3. Omne H. & nihil conveniunt in objecto.

De I.

De I.

1. QUia inconveniens eſt, A. creavit I. ad defendendum E., ne ſcilicet ipſum E. inconveniens accipiat.
2. Quandoque I. majus eſt per F., quandoque per G., quandoque per H.
3. Sicut elementa ab alio ſuppoſito ſe transmutant in aliud, ita F. G. H. ab alio I. ſe transmutant in aliud.

De K.

1. REcolentia ſemper influit ſémet ipſam in S., ſed quia B. F. ſe nequeunt eſſentialiter influere, producitur K.
2. K. eſt ceſſatio ſimilitudinum ipſorum B. F. per aliquod impedimentum.
3. Sicut ſimilitudo recolentiæ apparet in B., ita ejus diſſimilitudo apparet in K.

De L.

1. QUia plùs eſt producere ſuum eſſe in alium, quàm ſuum ſimile à non eſſe, eſt L. ipſius C. ceſſatio.
2. Quia intelligentia ſe influit in S., abeſt in eo præſentia ipſius L., quod eſt ipſius C. privatio.
3. L. eſt privatio ſimilitudinum recolentiæ intelligentiæ & volentiæ.

De M.

1. M. eſt ſimilitudo ipſorum D. H. ſinè eorum influentia.
2. M. eſt, ut ſit Fides, & ſuppoſitio eſt, ut ſit transmutatio ex K. in B. vel in F., & ex L. in C. vel in G.
3. Sicut A. ſe ſignificat per ſimilitudinem, ita volentia ſe ſignificat per diſſimilitudinem ipſius M.

De N.

1. N. eſt aggregatio ſimilitudinum eſſendi & non eſſendi.
2. Quia N. mediante K. L. eſt circa nihilum, appetit M. eſſe in E. vel in I.
3. In N. quandoque reſtauratur perditio ipſius B. per K., & ipſius C. per L.

De O.

1. O. eſt quædam confuſio ſimilitudinis & diſſimilitudinis ipſorum B. F.
2. Ex infirmitate & vigore virtutum ipſorum B. F. generatur O.
3. O. quandoque eſt remedium, in quo B. F. præ magno labore quieſcunt.

De P.

1. P. eſt terminus, in quo incipit augmentatio vel diminutio influentiæ ipſorum C. G.
2. Similitudo ipſorum C. G. eſt in P. transmutatio de eſſe in non eſſe, & è converſo.
3. Sicut in malitia eſt minoritas bonitatis, ita in P. eſt ipſorum C. G. minoritas.

De Q.

1. QUia N. ſupplet id, quod in E. I. deficit, eſt Q. majus per M., quàm O. per B. F., & quàm P. per C. G.
2. Impoſſibile eſt in Q. æqualiter eſſe D. H. M.
3. In Q. movetur virtus animæ ad fortunam.

De R.

1. GEneratio & corruptio ſimilitudinum potentiarum animæ ſunt in R.
2. R. eſt quoddam ens confuſum aggregatum ex abſentia & præſentia objectorum.
3. Quia R. eſt, non eſt impoſſibilis transmutatio ex E. in I., & ex I. in N., & è converſo.

FIGURA IV.
De Propoſitionibus V.

SIcut recolentia intelligentia & volentia ſpecificativè producunt ſuas ſimilitudines in B. C. D., ita producunt ſuas ſimilitudines in virtutes; hoc enim eſt, quia ipſæ virtutes creatæ ſunt & diſtinctæ in pluralitatem, & conjunctæ in unitate ſubſtantiæ, & ſicut etiam in virtutes producunt ſuas ſimilitudines, quæ cum eſſe conveniunt, ita producunt in vitia ſuas diſſimilitudines, quæ cum nihilo ſunt concordes. Idcirco hæ propoſitiones, quæ figuræ V. ſubduntur, in hoc præſenti volumine dividuntur in *duas partes*; quoniam harum propoſitionum aliæ ſunt virtutum, aliæ verò vitiorum. Iſtæ virtutes ſunt ſeptem, quarum unaquæque *tres propoſitiones* continet; itaque in prima parte *viginti & una propoſitiones* continentur, & quia prædicta vitia ſunt ſeptem, continente quolibet eorum *tres propoſitiones*, idcirco ſecunda pars totidem propoſitiones continet, quot prima; & bis viginti una quadraginta duabus æquipollent. Tot ſunt propoſitiones in V. ſcilicet *quadraginta duæ*, ſed de prima parte primò dicendum eſt, ut cognoſcatur; quo-

quomodo eſſe animæ in virtutibus ſimilitudinem ſuam acquirit, & poſt eam de ſecunda. Unde de propoſitionibus Fidei dicendum primitus, & de cæteris conſequenter.

De Prima Parte Propoſitionum V.

De Fide B.

1. FIdes eſt virtus, in qua voluntas ſupponit poſſibile vel impoſſibile, ut ſit cauſa exaltationis intellectûs.
2. Fides eſt lumen gratiæ volentiæ, per quam intellectus ſuum lumen recipit ab intelligentia, ut per ſe videat ſuum lumen.
3. Quia intelligentia in intellectum influit, & intellectus in prudentiam ſuam ſimilitudinem per modum acquiſitionis, neceſſe eſt volentiam in fidem influere ſuam ſimilitudinem per infuſionem.

De Spe C.

1. SPes eſt ſimilitudo recolentiæ, quâ mediante Charitas & Juſtitia in virtute Spei ſe figurant.
2. Quia in Deo ſunt Juſtitia & Miſericordia, Spes eſt habitus Charitatis & Timoris.
3. Quia Deus eſt bonificativus magnificativus æternificativus &c., eſt Spes exaltabilis & magnificabilis.

De Charitate D.

1. NUlla Charitas in Prudentia repugnat influentiæ recolentiæ & intelligentiæ.
2. Quia Deus æqualiter eſt intelligibilis & amabilis, creavit æqualitatem inter ſapientiam & Charitatem.
3. Tam magna eſt volentia in lumine intelligentiæ, quòd Charitas in hac via ſemper eſt augmentabilis.

De Juſtitia E.

1. REcolentia intelligentia & volentia per virtutem Juſtitiæ producunt S., ut S. in E. mediantibus B. C. D. producat Juſtitiam.
2. S. in B. C. D. per Juſtitiam influit virtutem juſtificatam in æqualitate, ſed B. C. D. non ſemper in E. coæquantur.
3. Omnis Juſtitia plùs contradicit injuriæ in magnitudine ſapientiæ, quàm in parvitate.

De Prudentia F.

1. IN virtute Prudentiæ intellectus habet ſuum ſimile per modum deliberationis, & voluntas per modum electionis, atque memoria per modum conſervationis.
2. In abſentia Prudentiæ eſt abſentia finîs ipſorum B. C. D. F. G. H.
3. Prudentia nunquam deficit Spei & Charitati.

De Fortitudine G.

1. IN Fortitudine apparet illa poteſtas, cum qua recolentia intelligentia & volentia creantur.
2. Impoſſibile eſt cogi fortitudinem animæ.
3. Deſtructio Fortitudinis eſt in libertate ipſorum B. C. D. E. F. G. H. M.

De Temperantia H.

1. IN Temperantia ſenſuali producitur ſimilitudo illius Temperantiæ ſpiritualis, per quam B. C. D. conſtituunt E.
2. Nulla Temperantia agit ſinè Spe Charitate Juſtitia Prudentia & Fortitudine.
3. In frequentatione Temperantia eſt appetibilis, ut perſeverantia ſit ſimilitudo frequentationis virtutis recolentiæ intelligentiæ & volentiæ.

De Secunda Parte Propoſitionum V.

VItia ſunt oppoſita vel contraria virtutum; unde dicto de propoſitionibus unius contrarii, dicendum eſt de propoſitionibus alterius contrarii, ad quod ſciendum eſt, quòd recolentia intelligentia & volentia producunt in vitia ſuas diſſimilitudines, quæ cum nihilo conveniunt, ût prædictum eſt, & quòd vitiorum propoſitiones ad hoc inductæ ſunt in hac ſecunda parte ipſius V., ut talis operatio ſcilicet recolentiæ intelligentiæ & volentiæ per eas ſignificetur; unde per ordinem de eis dicendum eſt, & primò de Gula.

De Gula I.

1. GUla eſt habitus aggregatus, in quo B. C. D. mediante E. ſimilitudines nihili repræſentant.
2. In Gula nihil eſt aliquid, quia Gula eſt in ſubjecto.
3. Quia Gula & nihil conveniunt, guloſitas eſt peccatum valde ſecretum.

De Luxuria K.

1. LUxuria à pulchritudine incipit, & tendit ad turpitudinem.
2. Propinquior eſt Caſtitas animæ, quàm Luxuria corpori.
3. In homine juſto excitat Luxuria Caſtitatem & orationem.

De Avaritia L.

1. AVaritia per contrarium ſignificat in Deo eſſe Largitatem.
2. In Avaritia exiſtunt principium & medium ſinè fine.
3. Quia in Deo eſt Largitas, nullum peccatum propinquius eſt nihilo, quàm Avaritia.

De Acedia M.

1. ACedia major eſt in nolle, quàm in velle.
2. Acedia eſt habitus vacuus, in quo bonum creatum exiſtit absque bono increato.
3. Nullum peccatum eſt generalius Acediâ.

De Superbia N.

1. APpetitus Superbiæ eſt aſcenſus non eſſendi, & deſcenſus eſſendi.
2. Quantò major eſt Superbia, tantò minùs diſtat à nihilo.
3. Superbia eſt aſcenſus ſecundæ intentionis ſupra primam.

De Invidia O.

1. INvidia Charitati repugnat in communitate.
2. Quia Invidia repugnat Spei Bonitati & Largitati, denudat ſe à ſimilitudine eſſe Dei, exiſtens peccatum.
3. Quia tota Invidia eſt diſſimilitudo Dei, eſt peccatum absque ſimilitudine eſſendi.

De Ira P.

1. QUia Ira repugnat eſſe, ejus magnitudo major eſt in nolle, quàm in velle.
2. Ira pugnat cum velocitate, ſed Fortitudo & Prudentia cum deliberatione.
3. Ira eſt provocatio Patientiæ ad Charitatem Spem & Juſtitiam, in quibus volentia appetit ſuas ſimilitudines.

FIGURA V.

De Propoſitionibus X.

X. eſt figura ex ſedecim oppoſitis compoſita, quorum unumquodque *tres propoſitiones* continet in ſe ipſo, itaque decies ſexies tria *quadraginta octo* æquipollent; tot enim propoſitiones in X. continentur. Unde ſecundùm ordinem de primo primitus dicendum eſt, ſcilicet de Prædeſtinatione, deinde de cæteris, ſicut jacent.

De Prædeſtinatione B.

1. PRædeſtinatio eſt altiſſimus gradus intellectûs ad cognoſcendum Deum.
2. Sola ratio facit contrarietatem inter prædeſtinationem & liberum arbitrium.
3. Omnis affirmatio prædeſtinationis facta ſinè affirmatione juſtitiæ producit falſam negationem contra liberum arbitrium, & è converſo.

De Eſſe C.

1. QUia Deus eſt, omne ens appetit eſſe, & odit non eſſe.
2. Præter divinum eſſe omne eſſe ſe habet ad finem, & ejus eſſentia ad principium.
3. Eſſe naturæ eſt univerſale ſubjectum principiis univerſalibus, à quibus particularia deſcendunt.

De Perfectione D.

1. MAgnitudo perfectionis exiſtit in perficiente in perficere & in perfecto.
2. Si intellectus eſſet perfectio, ita verè eſſet in eo perficere, ſicut eſt in eo intelligere.
3. Omnis pars eſt perfecta, per quam cognoſcitur ſuum totum.

De Merito E.

1. IMpoſſibile eſt divinam magnitudinem eſſe contra magnitudinem meriti.
2. Meritum eſt creatura & opus ejus, ut ſit magnum coram Deo.
3. Quia Deus contradicit culpæ, & meritum eſt creatura, meritum eſt magnificabilius culpâ.

De Suppoſitione F.

1. FInis ſuppoſitionis eſt, ut ſit fides vel demonſtratio.
2. Suppoſitio eſt principium & lumen demonſtrationis.
3. Deficiente demonſtratione neceſſaria eſt ſuppoſitio.

De Immediatè G.

1. NUllum ens præter Deum eſt immediatè per ſe tantùm.
2. Quia Deus eſt bonificabilis, eſt immediatè amabilis.
3. Immediatè & mediatè ſpecificant contradictionem.

De Realitate H.

1. OMne ens majus eſt in realitate, quàm in ratione.
2. Omnis particularis realitas ſubeſt univerſali realitati.
3. Quia ſecundùm naturam nulla eſt particularis realitas ſinè univerſali, nullum eſt eſſe ſinè eſſentia.

De Potentia I.

1. POtentiæ animæ ſunt, ut aſſumentes objecta producant ſimilitudines ſuæ eſſentiæ & ſimilitudines Dei.
2. Sicut potentia eſt in naturalibus, ut producatur eſſe, ita eſt intellectus in anima, ut ab eo ſimilitudines producantur.
3. Potentia meliùs producit ſuum ſimile de ſua ſpecie, quàm de aliena.

De Libero Arbitrio K.

1. DEus ita poſſificat liberâ poteſtate, ſicut diligit liberâ voluntate.
2. Quia in Deo eſt libertas per immenſitatem, æternitatem, poteſtatem &c. patitur nullam indigentiam.
3. Poteſtas libertatis non cogit ſuum ſimile, nec cogitur.

De Privatione L.

1. OMnis privatio eſt aliquid inter eſſe & non eſſe.
2. Nulla privatio eſt aliquid in ſe, ſed eſt aliquid in alio.
3. Omnis privatio, poſtquam fuit, ſemper eſt & erit.

De Imperfectione M.

1. OMnis imperfectio eſt major in contrarietate, quàm in concordantia.
2. Actus imperfectionis eſt inclinare eſſe ad non eſſe.
3. Principium nihili eſt imperfectio.

De Culpa N.

1. NUllum ens eſt contra Deum ſinè culpa.
2. Quia culpa non eſt univerſale in re, ſed in ratione tantùm, nihil eſt in ſe & in alio.
3. Omne meritum & culpa opponuntur in ratione tantùm.

De Demonſtratione O.

1. QUia actus divinarum dignitatum ſe habent per æquiparantiam, demonſtratio potiſſima eſt per æquiparantiam, & potior quàm propter quid.
2. Nulla demonſtratio repugnat veritati.
3. Per demonſtrationem influit intellectus ſuum lumen in velle & nolle.

De Mediatè P.

1. ACtus medii eſt ipſum conjungere diverſos actus ſimilitudinibus ipſorum.
2. Impoſſibile eſt intelligi finem ſinè medio.
3. Omnis concordantia principii & finis exiſtit in medio.

De Ratione Q.

1. RAtio eſt lumen, ut realitas rerum cognoſcatur.
2. Si non eſt ratio, non eſt ſuppoſitio.
3. Quia ratio & realitas differunt, aliud eſt illud univerſale, quod eſt in ratione, & aliud eſt illud univerſale, quod eſt in re naturæ.

De Objecto R.

1. MEdiante velle & nolle omne objectum eſt aſſumibile, & hoc, quia Deus bonus eſt, non autem malus.
2. In nobilitate objectorum poteſt omnis potentia animæ nobilificare vel vilificare ſuos actus.
3. Ob-

3. Objecta ſunt appetibilia, quia potentiæ ab eis ſuas ſimilitudines attrahunt.

FIGURA VI.

De Propoſitionibus Theologiæ.

THeologia eſt ſcientia humanum intellectum & voluntatem præparans ad cognoſcendum & diligendum Deum & Dominum omnipotentem; & quoniam ad hoc creatus eſt omnis homo tanquam ad ſuum finem principaliſſimum, idcirco ſedecim univerſalibus principiis Theologiæ artificialiter in hac arte adductis valde ſufficientibus ad diſcernendum in Theologia veritatem tractandum eſt in hoc præſenti capitulo de propoſitionibus, quæ unicuique ipſorum principiorum ſubjacent, ut ipſa principia manifeſtiùs declarentur, & quia ſunt *ſedecim principia*, & unumquodque eorum *tres propoſitiones* continet, reſultant igitur ex eis in univerſo *quadraginta octo propoſitiones*. Nunc ſecundùm ordinem primitus de primo dicendum eſt.

De Eſſentia B.

1. MAgna eſt omnis eſſentia, quæ magnificabilis eſt in ſe.
2. Impoſſibile eſt eſſentiam Dei eſſe intellectivam & amativam, niſi ſit eſſentiativa.
3. Ita eſt eſſentia in eſſe eſſentiabilis, ſicut intelligibilis & amabilis.

De Vita C.

1. VIta increata ſuam ſimilitudinem producit in vitam creatam.
2. Omne vivere eſt actus vitæ.
3. Omne vivere eſt de eſſentia vitæ.

De Dignitatibus D.

1. ILla dignitas eſt perfecta, quæ ſuum dignum ſpecificat.
2. Omnis actus dignitatis eſt dignificare.
3. Dignitas eſt eſſentia digni eſſendi.

De Actibus E.

1. OMnis actus aut eſt primus, aut eſt ſecundus.
2. Impoſſibile eſt ſecundum actum eſſe abſque ſimilitudine primi.
3. Quia primus actus diligit ſuam ſimilitudinem, producit ſecundum actum.

De Forma F.

1. IMpoſſibile eſt ſummam formam eſſe ſinè formificare.
2. Quia non eſt inconveniens in forma formificare, non eſt inconveniens ſuum eſſe.
3. Quia in eſſentia Dei eſt forma ſinè materia, nobilior eſt omnis forma, quò magis diſtat à materia.

De Relatione G.

1. IN Deo ſe habent relativè bonitas & bonificare, magnitudo & magnificare, & bonitas & magnificare, & è converſo.
2. Omnis relatio major eſt in ſimilitudine ſpecierum, quàm in diſſimilitudine.
3. Major eſt relatio in æquiparantia, quàm in majoritate.

De Ordinatione H.

1. QUia ordinatio & eſſe opponuntur inordinationi & non eſſe, impoſſibile eſt æternitatem eſſe abſque ordinatione.
2. Quia in Deo eſt ordinatio, ordinatum eſt, quidquid eſt.
3. Nullum, quod propter indigentiam ordinatum eſt, perfectum eſt.

De Actione I.

1. NUllum ens actionem habet in nihilum, niſi Deus.
2. Illa eſt ſumma actio, quæ eſt ſinè paſſione.
3. Nulla actio eſt ſinè fine.

De Articulis K.

1. QUia articuli ſunt in re, ideo ſunt in ratione, ut luceant ſimilitudines divinarum dignitatum.
2. In magnitudine articulorum eſt augmentatio credendi & intelligendi.
3. Quia articuli ſunt in magnitudine, admirativa potentia producitur.

De Præceptis L.

1. QUia in Deo ſunt velle & nolle, conſtituta ſunt præcepta inter velle & nolle.
2. Quia Deus eſt bonus, non autem malus, majus præceptum eſt facere bonum, quàm evitare malum.

3. Nullum præceptum eſt majus, quàm dare de Deo notitiam.

De Expoſitione M.

1. COntra divinam veritatem nulla eſt vera expoſitio.
2. Quò altior eſt expoſitio, in eò altiori gradu eſt credere vel intelligere.
3. Omnis expoſitio debet reduci ad neceſſitatem principiorum.

De Prima Intentione N.

1. ILla eſt prima intentio, quæ ſuum finem habet in ſe ipſa.
2. Quidquid eſt in Deo, eſt per primam intentionem.
3. Deus eſt intelligibilis amabilis & honorabilis per primam intentionem tantùm.

De Secunda Intentione O.

1. NUlla ſecunda intentio eſt ſinè prima.
2. Quia finis ſecundæ intentionis exiſtit in prima, movet ſe ſecunda ad primam.
3. Quò major eſt ſecunda intentio, eò meliùs acquiritur prima.

De Gloria P.

1. QUia Deus eſt gloria, gloria eſt amabilis, pœna verò odibilis.
2. Quia magna eſt gloria Dei, plùs appetibilis eſt gloria in magnitudine, quàm in parvitate.
3. Gloria Dei plùs eſt in ſe amabilis, quàm extra ſe glorificativa.

De Pœna Q.

1. NUlla pœna eſt major privatione gloriæ.
2. Omnis homo obſtans ſuo fini dignus eſt pœnè ſinâ fine.
3. Quia Deus eſt glorioſus, major eſt pœna in ſpiritualibus, quàm in corporalibus.

De Ævo R.

1. QUia Deus eſt in ſe amabilis, eſt æternitas, & quia eſt extra ſe amabilis, eſt ævum.
2. Ævum eſt, ut æternitas in ipſum ſuam ſimilitudinem producat.
3. Ævum eſt, ut Deus extra ſe otioſus non exiſtat.

FIGURA VII.

De Propoſitionibus Philoſophiæ.

PHiloſophia eſt amor ſapientiæ, certa cognitio ſecretorum naturæ, Theologiæ imitatrix aptiſſima, nec non ſagaciſſima indagatrix omnium rerum. Unde cùm ejus univerſalia principia in hac arte comprehendantur, plenéque ſufficiant ad reſpondendum ad unumquodque particulare, quod ex Philoſophia quæritur; igitur ad maximam declarationem ipſorum principiorum ſubmittuntur unicuique eorum *tres Propoſitiones*, & ſicut de Theologia dictum eſt, ſimiliter propoſitiones horum *ſedecim* principiorum in univerſo *quadraginta octo* reſultant. Nunc igitur ſecundùm ordinem de primo ſcilicet de prima cauſa tanquam de principaliori dicendum eſt.

De Prima Cauſa B.

1. EX primitivitate primæ cauſæ ſequitur ſecunditas ſecundarum cauſarum.
2. Eſſe primæ cauſæ priùs eſt, quàm cauſalitas & ſecunditas.
3. Prima cauſa habet intra ſe perfectionem per formam, extra ſe verò ſuam ſimilitudinem ſignificat per figuram.

De Motu C.

1. MOtus formæ eſt intra ſubſtantiam influens extra ſe motum in figuram.
2. Quia prima cauſa eſt forma ſinè materia, movetur, quidquid eſt, per formam.
3. Omnis motus aut ſe habet ad finem, aut contra finem.

De Intelligentia D.

1. ESſe Angelorum eſt actus recolentiæ intelligentiæ & volentiæ.
2. Angelus ſe movet ſinè tempore recolendo intelligendo & volendo.
3. Angelus movet formam naturæ, & forma movet figuram & materiam in ſuppoſitis.

De Orbe E.

1. OMnia corpora ſupercœleſtia plùs poſſunt influere, quàm terreſtria recipere.
2. Sol priùs influit ſuam virtutem & lucem in univerſales mixtiones, quàm in particulares.

3. Sol

3. Sol influens ſuam lucem influit ſuam virtutem.

De Forma Univerſali F.

1. ESſentia formæ univerſalis eſt de pluribus ſimplicibus formis.
2. Sub univerſali forma ſunt plures formæ potentiæ ejus.
3. Sub univerſali forma regulantur in natura omnes formæ particulares.

De Materia Prima G.

1. IMpoſſibile eſt, regulam naturæ eſſe in prima materia absque forma univerſali.
2. Eſſentia primæ materiæ eſt aggregatio ſimplicium paſſionum igneïtatis aëreitatis aqueïtatis & terreïtatis.
3. Prima materia eſt aggregatio ſimplicium paſſionum, unde influitur ſecunda materia habens compoſitam paſſionem.

De Natura H.

1. NAtura eſt ens commune ex univerſali forma & prima materia aggregatum, cui ſubſtant multa particularia entia.
2. Natura per formas accidentales influit formas ſubſtantiales, ut ſit ſubſtantia.
3. Impoſſibile eſt naturam agere ſinè univerſali & particulari.

De Elementis I.

1. ELementa ſunt potentiæ ſimplices naturæ, ex quibus in ſuppoſitis compoſitio producitur.
2. Elementa producunt ſuas ſimilitudines in elementata.
3. Elementum ſimplex eſt primus actus, elementum verò compoſitum eſt ſecundus.

De Appetitu K.

1. PRimus appetitus naturæ eſt eſſe, ſecundus verò ſimilitudo eſſendi.
2. Omne eſſe creatum naturaliter appetit mediante ſimilitudine eſſe increatum.
3. Appetitus & indigentia inter ſe ſunt obliqui.

De Potentia L.

1. ALia eſt illa potentia, quæ producit actum, & alia eſt illa, de qua actus producitur.
2. Potentia eſt ens, in quo natura ſuum poſſe conſervat.
3. Quò magis potentia diſtat ab habitu, eò propinquior eſt nihilo.

De Habitu M.

1. MEdiante ratione & realitate diverſificantur habitus.
2. Habitus formæ eſt intra operationem, habitus verò figuræ extra illam.
3. Habitus eſt medium exiſtens inter potentiam & actum.

De Actu N.

1. NUllus primus actus ſuo ſecundo actui repugnat.
2. Alter actus eſt ille, qui eſt intra ſubſtantiam, & alter eſt ille, qui eſt extra.
3. Ille actus, qui eſt intra ſubſtantiam, eſt per formam, ille verò, qui eſt extra, eſt per figuram.

De Mixtione O.

1. ILla eſt univerſalis mixtio, quæ eſt extra individua ſpecierum.
2. Illa mixtio, quæ eſt in ſuppoſitis, eſt per formam, illa verò, quæ eſt extra ſuppoſita, eſt per materiam.
3. Omnis mixtio aut eſt de partibus eſſentialibus, aut integralibus.

De Digeſtione P.

1. DIgeſtio eſt transmutatio virtutis eſſentiæ in eſſe, & de eſſe in potentias, & de potentiis in actus.
2. Omnis digeſtio eſt de partibus eſſentialibus in integrales.
3. Omnis digeſtio eſt in concordantia per formam, & in contrarietate per materiam.

De Compoſitione Q.

1. UNiverſalis compoſitio eſt corpus naturæ, cui ſubſtant multæ compoſitiones particulares.
2. De accidentibus non efficitur compoſitio, ſed operatio.
3. Illa compoſitio eſt major, in qua partium aliæ ſunt in aliis.

De Alteratione R.

1. ALteratio eſt medium inter eſſe & privationem.
2. Alteratio eſt via accidentium, & ſubjectum ejus eſt ſubſtantia.
3. Omnis alteratio eſt inter principium & finem.

FIGURA VIII.

De Propoſitionibus Juris.

JUs eſt actuum Juſtitiæ exercitium, quod ſiquis ſectari voluerit, Deum & proximum non offendet, ad cujus ſcientiæ olim ab antiquis ex multiplicatione caſuum diverſis voluminibus compilatæ prolixitatem evitandam Artifex hujus artis utilitate communi motus ſemper bonum commune deſiderans univerſalia principia ſcientiæ Juris diſcreta ad hanc artem artificioſè reduxit, è quibus quilibet artis peritus ſub compendioſa inveſtigatione omne particulare Juris invenit, quod deſiderat invenire; & ideo ad majorem declarationem ipſorum principiorum editæ ſunt hæ neceſſariæ propoſitiones Juris, quæ in hoc capitulo continentur.

Hæ autem propoſitiones in *duas partes* dividuntur, in quarum *prima* unumquodque prædictorum principiorum *tres propoſitiones* continet, & quia principia ſunt numero *ſedecim*, ob hoc in prima parte *quadraginta octo propoſitiones* continentur, in *ſecunda* verò parte propoſitiones mixtim ex principiis Juris, & ex principiis T. trinæ & trinæ ſub angulis ipſius T. conſequuntur ad explanandum regulam & doctrinam, per quem modum principia Juris ad principia ipſius T. reducuntur, & quoniam unusquisque quindecim angulorum ipſius T. in hac ſecunda parte *tres propoſitiones* continet, ſunt in hac parte *quadraginta quinque*, & *quadraginta octo* in prima, quæ in univerſo *nonaginta tribus* æquipollent. Nunc igitur de prima parte dicendum eſt.

De Prima Parte Propoſitionum Juris.

De Forma B.

1. FOrma Juris eſt actus Juſtitiæ.
2. Omne Jus eſt majus per formam, quàm per materiam.
3. Forma Juris eſt quædam ordinatio aggregata de pluribus formis, ut Juſtitia injuriæ contradicat.

De Materia C.

1. MAteria Juris eſt ordinata paſſio, ex qua Juſtitia producit ſuum ſimile.
2. Tantùm eſt Juris, quantùm ejus materia recipere poteſt.
3. In transmutatione materiæ Juris fit transmutatio formæ.

De Jure D.

1. OMne Jus eſt aggregatio materiæ & formæ in concordantia ſinè contrarietate.
2. Omne Jus ordinatum eſt à Deo in virtutibus animæ.
3. Nullum Jus eſt contra ſuam magnitudinem.

De Jure Communi E.

1. JUs commune eſt univerſalis habitus electus, influens in plura.
2. Jus commune & univerſalia principia ſunt univerſales regulæ, ſub quibus Jura particularia ordinantur.
3. Jus commune conſtitutum eſt, ut omnia ſpecialia Jura ſint in charitate.

De Jure Speciali F.

1. DEfecit charitas & fortitudo in Jure communi, & fuit reſtitutum Juſtitiæ jus ſpeciale.
2. Omne Jus ſpeciale ſubditum eſt Juri communi.
3. Quicunque Juri communi reſiſtit, Juri ſpeciali reſiſtit.

De Jure Naturali G.

1. JUs naturale illi fini ſubſtat, ad quem homo creatus eſt.
2. Natura Juris naturalis eſt recta linea, per quam principium & finis juſtitiæ conveniunt.
3. Jus naturale & humana ſpecies ſimilitudinem habent & concordantiam in communitate & ſpecialitate.

De Jure Poſitivo H.

1. JUs poſitivum eſt lumen volitum ad inveſtigandum lumen Juris naturalis.
2. Impoſſibile eſt Jus poſitivum eſſe actum Juſtitiæ contra Jus naturale.
3. Omne Jus poſitivum reducendum eſt ad Jus naturale.

De Jure Canonico I.

1. JUs canonicum eſt, ut in munditia & honeſtate cum vehementi dilectione Deo ſerviatur.
2. In Jus canonicum plùs influit Deus ſuam ſimilitudinem, quàm in civile.
3. Jus canonicum eſt quædam regula & ordinatio ad recipiendum influentiam Dei.

De Jure Civili K.

1. JUs civile eſt corporis privilegium.
2. Deficiente charitate Jus civile plùs eſt timendum, quàm diligendum.
3. Nullum Jus eſt multiplicabile in univerſale, ſed in particulare.

De Jure Conſuetudinali L.

1. JUs conſuetudinale eſt gratiâ Juſtitiæ propter aliquam indigentiam.
2. Nulla conſuetudo contra Juſtitiam tenenda eſt.
3. Jus conſuetudinale eſt Juris communis ſpecies.

De Jure Theorico M.

1. JUs theoricum eſt forma influens Jus practicum in figuram.
2. In Jure theorico eſt conſcientia lumen Juſtitiæ.
3. Jus theoricum intra animam oritur, Jus verò practicum extra.

De Jure Practico N.

1. IN Jure practico ſignificatur ævum.
2. Plùs diſtat injuria à Juſtitia in Jure theorico, quàm in practico.
3. Jus practicum eſt lumen timoris.

De Jure Nutritivo O.

1. JUs nutritur de actibus virtutum.
2. In mortificatione vitiorum eſt conſervatio Juris.
3. Quicunque nutrit Jus, nutrit Juſtitiæ ſuum ſimile.

De Jure Comparativo P.

1. JUs comparativum eſt lumen electionis productum in Juſtitiam.
2. Quia omnia Jura non ſunt in eodem gradu, ſunt comparabilia.
3. Illud Jus, quod eſt Deo propinquius, eſt eligendum.

De Jure Antiquo Q.

1. QUia Juſtitia & fides conveniunt, Jus antiquum ad concordantiam fidei reducitur.
2. Omne Jus antiquum plùs exiſtit in memoria, quàm in intellectu.
3. In ignorantia intentionis Juris antiqui eſt obſcuritas intellectûs.

De Jure Novo R.

1. QUia Jus antiquum deficit, neceſſarium eſt Jus novum.
2. Quicunque Jus novum invenit, invenit laborem & deſtructionem Juris antiqui.
3. Omnia Jura tam antiqua quàm nova ſubſtant certis univerſalibus principiis.

De Secunda Parte Propoſitionum Juris.

HÆc ſecunda pars in propoſitionibus continet doctrinam & modum, per quem Jura ad principia T. reducuntur; unde de primo principio & principaliori nunc dicendum eſt.

De Deo A.

1. QUoniam Deus eſt Juſtus, omne Jus eſt actus Juſtitiæ.
2. Quicunque Juri contradicit, contradicit Deo.
3. Omnia Jura ſunt ſub Jure Dei.

De Creatura B.

1. AD Deum pertinet creare Jus, & ad hominem pertinet ipſo uti.
2. Omnis exaltatio Juris creatur in exaltatione virtutum.
3. Quia omnis homo per Juſtitiam Dei creatus eſt, omnis homo eſt ſubditus ad honorandum ſimilitudinem Juſtitiæ.

De Operatione C.

1. SInè Operatione impoſſibile eſt Jus contradicere injuriæ.
2. In opere ſpecifico eſt Juris declaratio.
3. Mediante affirmatione & negatione jus oritur.

De Differentia D.

1. IN diverſificatione materiæ & formæ Juris diverſificatur Judicium.
2. Nullus finis diverſus eſt ab alio ſub eodem judicio.
3. Ut concordantia ſit inter Jura, eſt in eis differentia.

De Concordantia E.

1. QUia in Deo eſt Jus & concordantia, omne Jus eſt majus in concordantia, quàm injuria in contrarietate.
2. Illud Jus eſt eligendum, quod concordat meliùs cum ſuo fine.
3. Quia Juſtitia magna eſt, eſt ipſa magnificabilis in concordantia Juris.

De Contrarietate F.

1. OMnis contrarietas inter Jura eſt tantùm in ratione.
2. Impoſſibile eſt abſque Deo Jus contradicere injuriæ.
3. Omne Jus plùs injuriæ contradicit per univerſalia principia, quàm per particularia.

De Principio G.

1. IN nobilitate finîs Juris eſt nobilitas ſui principii.
2. In principiis Juris ſunt luminaria judiciorum.
3. Omnia Jura debent reduci ad certa principia.

De Medio H.

1. MEdium Juris eſt ſpeculum, ut principium & finis Juris videantur.
2. Juſtus & injuſtus ſunt medium, per quod Juſtitia & injuria ſunt in contrario.
3. Impoſſibile eſt ullum medium producere concordantiam inter juſtitiam & injuriam.

De Fine I.

1. QUia finis eſt nobilior principio & medio, judicandum eſt in omni Jure reſpectu finîs.
2. Finis Juris eſt Juſtitia.
3. Ille finis, qui plùs injuriæ reſiſtit, eligendus eſt.

De Majoritate K.

1. QUia ſubſtantia & majoritas conveniunt, Jus ſubſtantiale ſuperat jus accidentale.
2. In majoritate accidentium ſignificatur majoritas Juris.
3. In majori contrarietate ſunt Jus & injuria mediantibus illis virtutibus, quæ in Deo ſunt, quàm illis virtutibus, quæ in Deo non ſunt.

De Æqualitate L.

1. IN æqualitate unius Juris ad aliud obſervatur judicium.
2. In æquiparantia finium æquiparantur Jura.
3. Impoſſibile eſt æquiparantiam Juris & injuriæ inveniri.

De Minoritate M.

1. MInoritas Juris exiſtit in neceſſitate & contingentia.
2. Illud Jus, quod eſt per contingentiam, eſt minus illo, quod eſt per neceſſitatem.
3. In propinquitate Juſtitiæ & injuriæ eſt minoritas Juris.

De Affirmatione N.

1. OMne Jus ſuper cætera Jura eſt affirmabile, à quo procedit majus bonum.
2. Contra Deum nullum Jus eſt affirmabile.
3. Nullum Jus eſt affirmabile, niſi ſuum principium ſuum medium & ſuus finis cognoſcantur,

De Dubitatione O.

1. DUbitatio & quæſtio in jure conveniunt, ut affirmatio & negatio in ipſo Jure conveniant.
2. In Jure non eſt dubitatio ſinè cauſa.
3. In æquiparantia affirmationis & negationis oritur dubitatio Juris.

De Negatione P.

1. QUia Juſtitia & affirmatio conveniunt, omnis injuria eſt negabilis.
2. Negatio Juris plùs propendet ad impoſſibilitatem, quàm ad poſſibilitatem.
3. Nullum principium tantùm poteſt ædificare, quantùm poteſt negatio Juſtitiæ damnificare.

FIGURA IX.
De Propoſitionibus Elementorum.

ELementa ſunt inſtrumenta naturæ, ſinè quibus natura nihil operari poteſt; ſed quoniam ad percipiendum veritatem uniuscujusque rei naturaliter neceſſarium eſt ſcire per diffinitionem vel deſcriptionem ipſius quidditatem & eſſentiam, deinde operationem ejus, cùm nihil fruſtra eſſe habeat in natura, & per conſequens quis eſt ejus modus operandi, ſcilicet per quem principia naturæ operantur, idcirco dividuntur

duntur hæ propoſitiones in *tres partes*, quæ ad hoc determinandum inductæ ſunt; nam in *prima* parte tractatur de eſſentia, entitate, principiis & deſcriptione naturæ: in *ſecunda* verò parte tractatur de potentiis naturæ & earum actibus, ſcilicet de Elementis: ſed *tertia* & ultima eſt de modo applicandi has propoſitiones figuræ elementalis ad principia T.

Prima verò harum partium *ſedecim principia naturæ* continet, per quæ eſſentia ſubſtantia & natura elementalis figuræ deſcribitur, unumquodque eorum continet *tres propoſitiones*; idcirco in hac prima parte *quadraginta octo* continentur.

Secunda pars decem cameras ex elementalis figuræ cameris combinatis continet, quarum unicuique *tres propoſitiones* ſubjacent; idcirco in ipſa ſecunda parte *triginta propoſitiones* continentur, quia decies ter tot æquipollent.

Tertia pars ipſius T. *quindecim angulos continet*, quorum unicuique ſubſtant *tres propoſitiones*; reſultat igitur numerus propoſitionum tertiæ partis *quadraginta & quinque*, & quoniam in prima parte quadraginta octo continentur, in ſecunda verò triginta, & in tertia quadraginta quinque, idcirco concluduntur univerſaliter *centum & viginti tres propoſitiones* in elementali figura; unde de prima parte per ordinem dicendum eſt, & de reliquis conſequenter.

De Prima Parte Propoſitionum Elementorum.

De Igneïtate B.

1. IGneïtas cum aliis eſſentiis eſt prima eſſentia ipſius eſſe naturæ.
2. Igneïtas eſt ens lucificativum & lucificabile, calefactivum & calefactibile.
3. Igneïtas eſt pars eſſentialis univerſalis eſſe, in quo igneïtas eſt pars motificativa & motificabilis.

De Aëreïtate C.

1. AËreïtas eſt eſſentia humefactiva per formam, & humefactibilis per materiam.
2. Quia tota aëreïtas eſt humefactiva & humefactibilis, non poteſt agere nec pati in ſe ſinè medio.
3. Quia aëreïtas eſt calefactibilis ex parte materiæ, humefactivum humefacit humefactibile.

De Aqueïtate D.

1. PRius eſt frigefactivum in natura aqueïtatis, quia eſt frigefactibilis eſſentialiter, quàm in natura terreïtatis, quæ frigefactibilis eſt accidentaliter.
2. Aqueïtas humefactibilis eſt accidentaliter, infrigidans eſſentialiter ſuam materiam.
3. Aëreïtas influendo humiditatem in aqueïtatem implet eam, & aqueïtas infrigidando reſtringit ſuam materiam & materiam terræ.

De Terreïtate E.

1. QUia aqueïtas humiditatem in terreïtatem influit, forma terreïtatis eſt ens evacuativum & deſiccativum, materia verò ejus eſt ens evacuabile & deſiccabile.
2. Quia terra ſicca eſt per ſe, frigida verò per accidens, producitur ex ea ſubſtantia mediante ſiccitate, & producitur in ipſa accidens mediante frigiditate.
3. Calefactibile à deſiccativo ſiccitatem recipit, ut à calefactivo patiatur.

De Eſſe F.

1. QUia forma calefactiva lucificativa non poteſt agere in ſua materia ſinè medio, componit univerſale eſſe naturale cum aëreïtate, aqueïtate, terreïtate.
2. Quia materia igneïtatis eſt paſſiva ſubſtantialiter & accidentaliter, componit eſſe cum aliis materiis.
3. Eſſe univerſale naturale productum eſt de corporeïtate in corpus & de eſſentia in eſſe, ut ſit univerſaliter actus actionis & paſſionis ſubſtantialiter & accidentaliter ſecundùm eas eſſentias, à quibus productum eſt.

De Forma G.

1. IGnificativum, aërificativum, aqueïficativum, & terreïficativum ſunt ſimplices formæ, à quibus una forma univerſalis producitur, quæ eſt univerſalis eſſentia totius naturalis eſſe.
2. Ex univerſali forma procedunt quatuor formæ generales, quæ unà cum ſuis materiis ſunt eſſe univerſalis potentiæ, quæ elementa appellantur.
3. Sub quatuor univerſalibus formis ſunt infinitæ formæ ſecundùm infinita elementa & infinitas formas ſubſtantiales & accidentales.

De Materia H.

1. IGnificabile, aërificabile, aqueïficabile, & terreïficabile ſunt per modum compoſitionis inſimul materia prima ſubſtans univerſali formæ.
2. Sicut materia prima ex quatuor materiis eſſentialibus eſt aggregata, ſic dividitur in quatuor materias potentiales, ut ſint potentiæ.
3. Ex quatuor materiis, in quas diviſa eſt materia prima, deſcendunt infinitæ materiæ in ſuppoſita, quæ ſunt actus elementorum.

De Simplicitate I.

1. PRincipium naturalis ſimplicitatis eſt in forma calefactiva humefactiva &c. & in materia calefactibili humefactibili &c.
2. In illo eſſe, in quo eſt aggregatio naturæ, eſt una ſimplex forma, quæ dicitur univerſalis omnibus formis, & una ſimplex materia ſcilicet prima, ex qua omnes materiæ ſecundariæ oriuntur.
3. Ex ſimplicitate univerſalis formæ & materiæ primæ procedunt quatuor formæ & quatuor materiæ ſimplices, ſcilicet elementa ſimplicia producentia formas & materias ſimplices reſpectu individuorum ſpecierum.

De Compoſitione K.

1. PRincipium compoſitionis eſt in calefactivo & calefactibili, & in alio, ſcilicet in compoſito, ut calefactivum poſſit agere, & calefactibile pati ſinè corruptione ſuæ ſimplicitatis.
2. Illud, per quod calefactivum & calefactibile componuntur, eſt compoſitivum & componibile.
3. Aggregatio compoſitionis eſt in illo eſſe, quod eſt totum corpus naturæ, & de ipſo in recta linea deſcendit compoſitio per elementa compoſita & per ſpecies individuorum earum.

De Subſtantia L.

1. QUia igneïtas aëreïtas aqueïtas & terreïtas ſunt eſſentiæ & formæ ſubſtantiales, ideo ſunt eſſentiæ unius univerſalis ſubſtantiæ compoſitæ ex univerſali forma & materia.
2. Ab univerſali ſubſtantia influuntur quatuor univerſales potentiæ, quæ ſunt eſſentiæ formales & materiales, ex quibus conſtituuntur omnes corporales ſubſtantiæ naturales.
3. Quia ſignificativum & ſignificabile appetunt eſſe per ſe ſubſtantia, nec poſſunt eſſe illa ſinè alio, producunt ſubſtantiam cum alio in aliud, quod non eſt eorum ſubſtantia, quod aliud diverſificatum eſt per individua ſpecierum.

De Accidentibus M.

1. PRincipium accidentium eſt in actione calefactivi & calefactibilis, humefactivi & humefactibilis, & ſic de aliis.
2. Quia calefactivum de calefactibili ſinè medio nequit agere, incipit accidentaliter quantitas ex calefactivo & calefactibili, ex humefactivo & humefactibili, ex frigefactivo & frigefactibili, ex deſiccativo & deſiccabili.
3. Eſſe univerſale aggregatum eſt accidentaliter, in quo incipiunt, & in quo ſunt accidentia, & deſcendunt de ipſo per quatuor elementa & per actus eorum, & hoc ſinè ceſſatione motivi & mobilis.

De Virtute N.

1. IN lucificativo & lucificabili eſt virtus lucis ignîs in potentia, quam intrat virtus lucificabilis aëris, ut amborum virtus procedat in actum.
2. Virtus naturæ aſcendit & deſcendit de eſſentia in eſſe, & de eſſe in potentias, & de potentiis in ſubſtantiam, & de ſubſtantia in operationem.
3. Omnis virtus calefactiva eſt activa per formam, & omnis virtus calefactibilis eſt paſſiva per materiam.

De Operatione O.

1. OPeratio naturæ mediante intelligentiâ & orbe incipit in univerſali eſſe, quod eſt totum motivum & mobile.
2. Operatio naturæ eſt intelligentiam agere in orbem, & orbem in calefactivum, & ſic deſcendendo usque ad ſuppoſita.
3. Quia in natura non eſt operatio ſinè intentione ſive inclinatione appetitivi & appetibilis, natura eſt inceſſans operativa & operabilis.

De Interioritate P.

1. NAturæ interioritas eſt alia eſſentia in alia, & alia pars in alia, & omnes partes in toto, & è converſo.
2. Interioritas naturæ eſt forma in materia, & materia in forma, & eſſentia in eſſe,

eſſe, & accidens in ſubſtantia, & vita in homine.
3. Calefactivum eſt intra calefactibile, & è converſo, & humefactibile habet in ſe calefactivum & calefactibile, & univerſale habet in ſe particulare, & ſpecies hominem.

De Exterioritate Q.

1. SPecies hominis eſt extra hominem genitum, calefactivum extra calefactibile, & univerſale extra particulare.
2. Figura eſt extra formam, & ſuperficies extra materiam, & color extra ſuperficiem.
3. Omnes ſpecies ſuppoſitorum elementatorum ſunt extra elementa, & omne compoſitum extra ſingularem ſimplicitatem.

De Motu R.

1. QUia calefactivum eſt motivum, & calefactibile eſt mobile, ex hoc incipit motus naturæ in compoſitione univerſalis eſſe naturæ mediante intelligentiâ & orbe.
2. Motus naturæ deſcendit per rectam lineam de eſſentia in eſſe, & de eſſe in potentias, & de potentiis in actus.
3. Motus naturæ univerſalia principia conſervat, in quibus non eſt generatio nec corruptio.

De Secunda Parte Propoſitionum Elementorum.

VIſo in propoſitionibus præcedentis partis, quæ ſit eſſentia elementorum & eorum deſcriptio, & quomodo natura per ea tanquam per ſuas potentias operetur, nunc in hac ſecunda parte videndum eſt de ipſis *Elementis ſimplicibus & compoſitis*, ſcilicet *per quem modum Elementa ſimplicia producunt ſua compoſita in ſuppoſitis elementatis*, & ut hoc intellectui per ſenſum clariùs emineat, dividuntur ſimplices cameræ elementorum in *decem cameras compoſitas*, ex quibus una figura componitur, continente qualibet ipſarum decem *tres propoſitiones*; idcirco concluduntur univerſaliter *triginta propoſitiones* in hac parte; unde de prima camera dicendum eſt.

De Igne & Igne.

1. OMnis ignis ſimplex eſt calefaciens per formam, & calefactibilis per materiam.
2. Ignis compoſitus eſt actus ignîs ſimplicis.
3. Ille eſt ignis ſimplex, qui non poteſt intrare in compoſitionem.

De Igne & Aëre.

1. IGnis ſimplex & aër ſimplex participant mediante igne compoſito & aëre compoſitò.
2. Ignis ſimplex aërem calefacit producendo ignem compoſitum in ſe & in aërem.
3. Ignis per ſe calefactibilis eſt, ſed in aëre calefieri non poteſt.

De Igne & Aquâ.

1. IGnis & aqua eſſentialiter & virtualiter opponuntur in ſuppoſitis.
2. Subjectum, in quo ignis & aqua contrariantur, eſt aër & terra.
3. Impoſſibile eſt eſſe contrarietatem inter ignem & aquam ſinè compoſitione.

De Igne & Terrâ.

1. UT Ignis poſſit agere in aëre & in aqua, à terra recipit ſiccitatem.
2. Ignis à terra non recipit ſiccitatem, in quantum eſt deſiccans, ſed in quantum eſt deſiccabilis.
3. Ignis eſt deſiccativa potentia per formam, & deſiccabilis per materiam.

De Aëre & Aëre.

1. QUia aër eſt lucificabilis in materia, eſt lucificativum in forma.
2. Aër ſimplex aërem compoſitum in ſe producit, ut producat ſuum ſimile.
3. Quia aër ſimplex ſe nequit augmentare eſſentialiter, augmentat ſe in ſuo ſimili accidentaliter.

De Aëre & Aquâ.

1. AËr influendo ſe in aquam influit in eam ſuam eſſentiam, ut producat ſuum ſimile & ſimile aquæ.
2. Tantùm influit aër ſuam eſſentiam in aquam, quantùm ipſa recipere poteſt.
3. Aër & aqua multò meliùs conveniunt mediantibus partibus eſſentialibus, quàm integralibus.

De Aëre & Terrâ.

1. IMpoſſibile eſt aërem terræ contrariari ſinè mixtione & digeſtione.
2. In quantum aër poteſt contra terram, eſt ipſe ſimplex potentia, & in quantum agit contra ipſam, eſt actus compoſitus.

3. Aër influendo in aquam influentem in terram ingreditur terram, ut alia pars intret in aliam.

De Aqua & Aqua.

1. QUia multæ partes aquæ ſunt in compoſitione, impoſſibile eſt aquam ſimplicem eſſe corpus.
2. Mediante aquâ ſimplici & mediante aquâ compoſitâ incipit oriri quantitas indifferenter continua & diſcreta.
3. Aqua ſimplex cum compoſita inveſtigat in ſe & in terra ſuum ſimile.

De Aqua & Terra.

1. AQua terram ingrediens incipit locum ſubſtantiæ.
2. Ita conjunguntur aqua & ſua frigiditas, quòd impoſſibile eſt frigiditatem aquæ in terram ingredi ſinè eſſentia aquæ.
3. Quia aqua per accidens infundit in terram aliquas partes aëris, transmutat terra in ſe materiam aëris.

De Terra & Terra.

1. QUælibet partium terræ plùs appetit totam ſphæram terræ, quàm partem ipſius.
2. Illa terra eſt compoſita, quæ de ſimplici terra aſſumpta & transmutata eſt in ignem, & de igne in aërem, & de aëre in aquam.
3. Quia terra compoſita terram ſimplicem appetit, terra ſimplex attrahit ad ſe terram compoſitam cum gravitate.

De Tertia Parte Propoſitionum Elementorum.

IMpoſſibile eſt ſinè T. cognoſcere aliquam naturam & operationes elementorum, idcirco propoſitiones hujus tertiæ partis ad T. diverſimodè reducuntur, quia quandoque ſecundùm primam partem, quandóque ſecundùm ſecundam per principia T. ducuntur: unde de ſecunda parte exemplicari ſufficit, quia per ſecundam ſatis ſufficienter cognoſcetur, quomodo pars prima ſit reducenda ad principia T. & quoniam hæ propoſitiones ternæ & ternæ ſubjacent principiis T., ſicut ſuprà in ultima parte de Jure dictum eſt, ſunt in hac tertia parte *quadraginta quinque propoſitiones*; ſed de propoſitionibus primi & nobiliſſimi principii primitus dicendum eſt.

De Deo A.

1. QUia in Deo eſt magnitudo, omne elementum appetit ſuum ſimile, cùm appetat eſſe magnum.
2. Quia Deus eſt in ſe inceſſans, omne elementum in ſe eſſe appetit inceſſanter.
3. Quia in Deo velle & nolle ſunt bonificantia & bonificabilia, omnia elementa ſunt operantia & operabilia.

De Creatura B.

1. OMne elementum plùs diſtat à non eſſe, in quantum eſt creatura, quàm in quantum eſt actus.
2. Nullus actus elementorum eſt extra creaturam.
3. Quia elementum eſt creatura, producit ſuum ſimile in creatura, quod ſimile eſt elementatum.

De Operatione C.

1. OPeratio elementorum eſt inclinatio de partibus eſſentialibus ad partes integrales.
2. Quia virtus elementorum eſt mobilis, impoſſibile eſt aliquod elementum exiſtere ſinè operatione.
3. Omne elementum ex accidentibus operatur in ſubſtantia & virtute.

De Differentia D.

1. QUia eſſe & eſſentia differunt, eſſentiæ & potentiæ differunt in elementato.
2. In diverſificatione formæ & materiæ diverſificantur eſſentia & eſſe.
3. Nullum ſimplex elementum ſe diverſificat à compoſito abſque diverſificatione ſpeciei.

De Concordantia E.

1. ESſe eſt in natura concordantia eſſentiæ & potentiæ.
2. Concordantia eſt medium, in quo conveniunt forma & figura.
3. Priùs concordant agens & patiens in interioritate, quàm in exterioritate.

De Contrarietate F.

1. UBi minùs eſt digeſtionis, eſt plùs contrarietatis.
2. Velocior eſt corruptio per contrarietatem, quàm generatio per concordantiam.
3. Quia contrarietas eſt in compoſitione, ſimplicitas elementorum non eſt in privatione.

De

De Principio G.

1. PRincipium ſubſtantiæ ſunt plures eſſentiæ, principium verò accidentium ſunt eſſentiæ & ſubſtantia.
2. Forma & materia ſunt principia concordando, privatio verò eſt principium contrariando.
3. Principia elementorum compoſitorum ſunt elementa ſimplicia.

De Medio H.

1. IGnorato principio & fine inconveniens eſt judicari medium.
2. Omne medium naturale propendet plùs ad poſſibilitatem, quàm ad impoſſibilitatem.
3. Omne elementatum eſt medium inter ſimplicia elementa.

De Fine I.

1. FInis naturalis de eſſentia tendit ad eſſe, & de eſſe ad potentias, & de potentiis ad ſimilitudines, & de ſimilitudinibus revertitur ad eſſe.
2. Nulla actio ſinè paſſione eſt ſinè fine.
3. Quia corporeitas eſt eſſentia corporis, elementa ſimplicia appetunt eſſe corpus.

De Majoritate K.

1. SUbſtantia eſt ſubjectum majoritatis, accidentia verò ejus ſunt ſubjectum minoritatis.
2. Quoniam elementum non poteſt ſe majorificare eſſentialiter, majorificat ſe per ſimilitudinem accidentaliter.
3. Omnis origo majoritatis in naturalibus incipit in diverſificatione elementorum ſimplicium & compoſitorum.

De Æqualitate L.

1. NUllum totum exiſtit æqualiter in partibus ſuis.
2. Impoſſibile eſt inveniri æqualitatem in actibus elementorum.
3. Niſi igneitas aëreitas aqueitas & tereitas æqualiter producerent eſſe univerſale, principia univerſalia eſſent corruptibilia.

De Minoritate M.

1. OMnia accidentia ſunt in minoritate, quia per ſe non ſunt in re naturæ.
2. Quia minoritas & non eſſe conveniunt, odit quodlibet elementum ſe diminuere.
3. Transmutatio ex minoritate in majoritatem fit ex figura in formam.

De Affirmatione N.

1. AFfirmatio eſt ſimilitudo appetitûs & intentionis naturæ.
2. Omnis effectus naturalis eſt affirmabilis, per quem natura eſt diſpoſita.
3. Mediantibus poſſibilitate & entitate conveniunt natura & affirmatio in ſimilitudine.

De Dubitatione O.

1. DUbitatio & confuſio naturæ habent aliquam ſimilitudinem.
2. Sicut dubitatio in ratione oritur ex minoritate affirmationis & negationis, ità confuſio naturæ oritur ex minoritate principii & finis.
3. Mediantibus contingentiâ & dubitatione ratio & natura habent aliquam ſimilitudinem in ſuis actibus.

De Negatione P.

1. RAtio & natura metaphoricè habent ſimilitudinem in negatione & corruptione.
2. Negabile eſt, majorem contrarietatem eſſe inter totum & ſuas partes, quàm concordantiam.
3. Negatio & ſecreta naturæ aliquam habent ſimilitudinem.

FIGURA X.

De Propoſitionibus Figuræ Communis.

OMne univerſale unumquodque ſuum particulare revelat per viam concordantiæ vel contrarietatis aliorum univerſalium; ad hoc declarandum inductæ ſunt propoſitiones hujus figuræ communis omnes alias figuras concludentis; *unde ſicut hæc figura ſuper cæteras figuras hujus artis eſt generaliſſima, ità propoſitiones, quæ eidem ſubditæ ſunt, ſuper omnes alias propoſitiones hujus voluminis principatum generalitatis vel univerſalitatis obtinent.*

Dividuntur hæ propoſitiones ſecundùm combinationem figurarum hujus artis *in triginta ſex cameras* ad videndum, quæ concordantia vel contrarietas, & quæ diſtantia vel propinquitas inter aliam figuram & aliam habeatur, ut de unoquoque particulari in ſuo univerſali artificialiter

judicetur: unde quælibet prædictarum triginta ſex camerarum per ſe *tres propoſitiones* continet, idcirco earum numerus *centum & octo* univerſaliter æquivalet. Nunc ergo ſervando ordinem de propoſitionibus primæ cameræ dicendum eſt.

De T. A.

1. INconveniens eſt de A. ſinè T. prædicari.
2. Quoniam A. eſt cognoſcibile & amabile, T. ſignificat A. in bonitate magnitudine &c.
3. Miſcendo T. A. cum eorum propoſitionibus & quæſtionibus, A. in T. repræſentatur.

De T. S.

1. MIſcendo abſque inconveniente triangulos T. & quadrangulos S., eſt T. ſpeculum ipſius S.
2. T. mediante habet S. de ſe & de alio notitiam.
3. Obſcuratio ipſius C. eſt aſſumi objecta ſinè Triangulis T.

De T. V.

1. IN T. repræſentatur ſpecies V.
2. T. eſt inſtrumentum, ut V. lividum ſit amabile, V. verò rubeum odibile.
3. Quicunque T. in V. negligit, virtutes negligit.

De T. X.

1. DIſcurrente T. in X. manifeſtatur X.
2. Si dubitatur in X, recurrendum eſt ad T. cum propoſitionibus eorundem.
3. Ex abſentia T. obſcuratur X. in ratione.

De T. Theologia.

1. CUm T. inveſtigantur & inveniuntur multa altiſſima puncta & principia in Theologia.
2. T. eſt abundantia verborum & exemplorum loquendi de Theologia.
3. Miſcendo T. cum ſuis propoſitionibus in Theologia & in ſuis propoſitionibus gaudet D., & C. fruitur A., & dole H., & aſcendit M.

De T. Philoſophia.

1. MIxtione triangulorum T. per cameras Philoſophiæ producitur Philoſophia in B. C. D.
2. T. & Philoſophia ſunt duo ſpecula, in quibus C. quieſcit.
3. Ex influentia ipſius T. producit C. in D. ſuas ſimilitudines.

De T. Jure.

1. T. cum ſuis terminis eſt teſtimonium Juris.
2. Sinè T. nullum judicium tenendum eſt.
3. Per T. invenit omne Jus ſuum particulare in ſe.

De T. Elementis.

1. PEr T. revelantur ſecreta elementorum.
2. T. & elementa ſunt illuminatio ipſi S.
3. Elementa in T. repræſentant diſpoſitionem corporis humani.

De A. S.

1. QUoniam A. eſt intelligibile, non autem ignorabile, creavit S, ut intelligat ipſum A, & non, ut ignoret ipſum.
2. A. influit ſe in S., ut ſit in D., non autem in H.
3. Quoniam A. diligit in ſe ſuum ſimile, creavit S, ut in ſe diligat ſuum ſimile.

De A. V.

1. V. eſt ſpeculum, in quo A. ſuum ſimile & ſuum diſſimile repræſentat.
2. Quia totum V. lividum eſt ipſius A. creatura, V. rubeum eſt in oppoſito.
3. V. lividum eſt via, per quam venit præſentia A., ſed V. rubeum eſt via, per quam venit abſentia A.

De A. X.

1. QUia X. eſt ſpeculum concordantiæ & contrarietatis, ſignificat in A. concordantiam ſinè contrarietate.
2. In X. ſignificatur, quomodo cameræ A. meliùs conveniunt in ſe, quàm in creaturis.
3. Quia omnia entia non omnimodè cum A. conveniunt, X. eſt compoſitum in hac arte ex concordantia & contrarietate.

De A. Theologia.

1. QUoniam A. eſt prædicabile, eſt Theologia, ut ſit prædicatum.
2. Operatio A. eſt in ſe magis nobilis, quàm in Theologia prædicabilis.
3. Quoniam A. eſt ubique, Theologia per univerſum orbem eſt prædicabilis.

De

De A. Philoſophia.

1. PHiloſophia eſt effectus ipſius A., in quo lumen creatum ſuam cauſam ſignificat, quæ eſt lumen increatum.
2. Quia A. eſt amabile, Philoſophia eſt amabilis.
3. Philoſophari ſinè A. eſt negligere A.

De A. Jure.

1. A. & jus habent aliquam ſimilitudinem in Juſtitia.
2. Quia omne jus ab A. deſcendit, debet omne jus ad A. reduci.
3. Quoniam A. & Jus repugnant injuriæ, injuria fragilis eſt, veruntamen potens eſt in libero arbitrio.

De A. Elementis.

1. ELementa ſunt ſpeculum, in quo appareret illud opus, quod A. habet intra ſe, & illud opus, quod habet extra ſe.
2. Metaphoricè conveniunt cameræ A. & cameræ figuræ elementalis.
3. Tota figura elementalis eſt obediens cameris A.

De S. V.

1. QUia majus eſt D. in V. livido, quàm N. in V. rubeo, majus eſt E., quàm I.
2. Virtus ſubſtantiæ ipſius S. producit ſuum ſimile per unum modum in E. I. & per alium modum in V. lividum, per alium verò modum in V. rubeum.
3. In V. livido eſt ſanctitas animæ, in V. verò rubeo eſt ejus periclitatio.

De S. X.

1. QUoniam X. eſt ex concordantibus & contrariis, inveſtigat S. particulare in X. per conveniens & inconveniens.
2. In mixtione propoſitionum ipſorum S. X. eſt S. contra inconveniens.
3. X. eſt aſcenſus vel deſcenſus ipſius S.

De S. Theologia.

1. THeologia eſt ſpiritualis cibus, ex quo S. vivit in A.
2. Theologia eſt aqua ſacrorum ſermonum, ut mundet S. à peccatis.
3. Theologia eſt lumen, ut S. dirigat infideles in viam veritatis.

De S. Philoſophia.

1. QUoniam in S. eſt diſſimilitudo ipſius A., incipit S. priùs philoſophari extra ſe, quàm intra ſe.
2. Philoſophia eſt ſpeculum ipſius S., ut in ipſa producat ſuas ſimilitudines.
3. Philoſophia eſt exemplum ipſius S., ut ſciat producere E. I. N. R.

De S. Jure.

1. QUoniam A. eſt dominus, Jus eſt ab A., aſſumibile ab E.
2. Jus conſtitutum eſt, ut S. regulariter producat E. I. N. R.
3. Poſſibile eſt S. deficere Juri, ſed non è converſo.

De S. Elementis.

1. IN juſtitia actuum elementorum ſignificatur, quomodo S. objecta debet aſſumere.
3. *Liber de S. eſt in figura elementali*, ut ſciat S. inveſtigare particularia, & de eis judicare.
3. Figura elementalis lucet ſenſualiter, ut videat S. ſpiritualiter.

De V. X.

1. X. eſt experimentum ad ſeparandum V. rubeum ab V. livido.
2. In quantum V. X. compoſita ſunt ex concordantiis & conrrarietatibus, apta ſunt ad concordandum & ad contrariandum.
3. In mixtione ipſorum V. X. vivificatur V. lividum, & mortificatur V. rubeum.

De V. Theologia.

1. THeologia eſt lumen clarificationis V. lividi.
2. Theologia & V. rubeum conveniunt tantùm in camera pœnæ ævi.
3. Impoſſibile eſt V. & Theologiam miſceri ſinè medio.

De V. Philoſophia.

1. PHiloſophia eſt ſcala aſcenſûs & deſcenſûs ipſius V.
2. Secundùm Philoſophiam V. lividum eſt filius legitimus ipſius S.
3. Tota Philoſophia contradicit V. rubeo.

De V. Jure.

1. JUs eſt, ut ſit ſeparatio V. rubei ab V. livido.
2. Inter Jus & V. rubeum eſt nulla ſimilitudo.
3. In regulis Juris regulatur & conditionatur V. lividum.

De

De V. Elementis.

1. INter V. lividum & elementa regulatæ ſunt ſimilitudines contra V. rubeum.
2. Figura elementalis eſt Juſtitia V. lividi, non autem V. rubei.
3. Secundùm quod elementa gradata ſunt, oſtenditur, quomodo V. lividum gradari debet contra V. rubeum.

De X. Theologia.

1. X. eſt aſcenſus ipſius E. ad Theologiam.
2. In expoſitione Theologiæ ſpecificatur X.
3. Mediante X. revelantur ſecreta Theologiæ.

De X. Philoſophia.

1. MEdiante X. acquiritur Phiſoſophia.
2. Philoſophia major eſt in X. mediante realitate, quàm mediante ratione.
3. Inanis eſt Philoſophia, ſi liberum arbitrium eſt tantùm in ratione.

De X. Jure.

1. X. eſt exemplar Juris, ut inveſtigetur ſecundùm diſpoſitionem ipſius X.
2. X. cum privatione culpa & defectu contradicit Juri.
3. In jure revelatur concordantia prædeſtinationis & liberi arbitrii.

De X. Elementis.

1. X. & elementa mediante culpâ & corruptione habent ſimilitudinem.
2. Prædeſtinatio & liberum arbitrium ex libero appetitu elementorum ſignificantur.
3. Sicut ex concordantia & contrarietate producitur ab elementis actus ſecundus realiter, ita ſimiliter in ratione mediante X. producitur actus ſecundus compoſitus ex concordantibus & contrariis.

De Theologia, Philoſophia.

1. THeologia & Philoſophia conveniunt mediante lege ſcriptâ & lege naturali.
2. Quia C. & Philoſophia conveniunt in lumine intelligendi, appetit D. loqui de Theologia mediante Philoſophiâ.
3. In Philoſophia apparet, quomodo de Theologia prædicandum eſt.

De Theologia, Jure.

1. JUs eſt inſtrumentum, ut Theologia ſit objectum ipſi E, injuria verò ipſi I.
2. Scientia Theologiæ eſt primaria intentio, ſcientia verò Juris eſt ſecundaria.
3. Omne Jus Theologiæ ſubditum eſt.

De Theologia, Elementis.

1. LOquendo metaphoricè elementa ſunt exemplar, quomodo Theologia prædicari debet.
2. In realitate elementorum ſignificatur, quomodo Theologia eſt in ratione.
3. Intellectus ex figura Theologiæ attrahit ſimilitudines ſibi ipſi propinquiores, quàm ex elementali figura.

De Philoſophia, Jure.

1. PHiloſophia eſt doctrina & regula, per quas ſcientia Juris diſci debet & inveſtigari.
2. Sicut Philoſophia jacet in re, ita jus debet ingredi rationem.
3. Mediante habitu Philoſophiæ aſcendit intellectus in habitum ſcientiæ Juris.

De Philoſophia, Elementis.

1. PHiloſophia altior eſt in intellectivo, quàm in ſenſitivo, & in ſenſitivo, quàm in imaginativo.
2. Elementa figuraliter ſignificant, quomodo Philoſophandum eſt.
3. Philoſophia habet majorem magnitudinem in interioritate elementorum, quàm in exterioritate.

De Jure, Elementis.

1. IN naturali Juſtitia exiſtente in elementis ſignificatur ſcientia Juris.
2. Sicut omne elementum appetit ſuum ſimile contra ſuum diſſimile, ita & omne Jus.
3. In ſpecificatione elementorum ſignificatur ſpecificatio ſcientiæ Juris.

INCIPIT

SECUNDA PARS *DISTINCTIONIS IV.*

IN QUA TRACTATUR

De Quæſtionibus.

QUoniam modica virtus intellectûs rudium, & eorum quandoque, quorum ingenium fœcunda peritia præmunivit, deficit in pluribus locis hujus voluminis ſubtilitatem & altitudinem quorundam prædictorum apprehendere, neceſſarium eſt in his & multùm utile ignorantiæ nubilum

bilum expelli per exempli gratiam, ne fortè in alienas opiniones incidant; idcirco hujus operis compilator non ignorans hoc periculum imminere, ſubjunxit in hac ſecunda parte hujus ultimæ diſtinctionis exemplum omnium, quæ prædixit, ad faciendam inveſtigationem cujuslibet particularis in univerſalibus, ut ipſius inventio conſequatur.

Dividitur autem hæc pars in *decem partes*, ſcilicet in *decem generales figuras hujus artis*; & ſciendum eſt, ordinationem eſſe hujus partis, quòd unicuique principio omnium prædictarum figurarum *duæ quæſtiones* ſubjacent ſolutæ eisdem cameris *ad denotandum illas cameras cum ſuis propoſitionibus eſſe univerſale, in quo particulare quæſitum invenitur*, prout *in diſtinctione tertia* jam dictum eſt.

Ad quòd ſciendum eſt, quòd *prima camera* ſolutionis quæſtionum eſt *antecedens*, cæteræ verò ſunt *conſequentes* ad primam cameram fortificandam, & quia duæ quæſtiones unicuique principio ſubjacent, cùm numerus eorum omnium ſit *ducentum quadraginta quinque*, duplicato igitur numero æquipollet quæſtionum numerus *quadringentis & nonaginta*.

Præterea ſciendum eſt, quia cameræ figurarum hujus artis ſuis quæſtionibus ſunt univerſaliores, & quia de univerſalibus eſt omnis ars & ſcientia, non autem de particularibus, niſi per confuſionem nimiam & defectum, ſi fortè contingat quæſtiones hujus voluminis ad aliquod particulare quæſitum non ſufficere, fiant propoſitiones ſecundùm regulam & doctrinam præcedentium propoſitionum, quæ de cameris figurarum producantur ad faciendam inveſtigationem ipſius; *nam principia figurarum ob eorum maximam univerſalitatem ſunt valde ſufficientia ad reſpondendum infinitis quæſtionibus.*

Nunc igitur ad propoſitum hujus partis accedendum eſt, & quia figura T. in hoc volumine præ aliis ordinatur, idcirco conſervato ordine de quæſtionibus principiorum ſeu camerarum ipſius primitus dicendum eſt.

FIGURA I.

De Quæſtionibus T.

QUia T. in *quinque* triangulos diviſum eſt, quorum unusquisque angulus *quatuor* principia continet, ſubmittuntur unicuique ipſorum angulorum *octo quæſtiones*, duabus quæſtionibus unicuique ipſorum principiorum ſubjacentibus, ût dictum eſt: itaque continet unusquisque triangulus ipſius T. *viginti quatuor quæſtiones*; collatis igitur omnibus triangulis ipſius T. *centum & viginti quæſtiones* in eo concluduntur, quia quinquies viginti quatuor totidem æquipollent.

Nunc ergo de quæſtionibus ipſius T. per ordinem ſecundùm ſua principia dicendum eſt: Sed quia Deus eſt prius & nobilius principium in T., hinc de quæſtionibus ipſius primitus tractandum eſt.

Ad ſolvendum ſequentes duas quæſtiones oportet ad propoſitiones camerarum recurrere, & eas ad invicem concordare, formando tres primas cameras in tribus ſuperioribus circulis, & duas ſubſequentes in duobus inferioribus circulis, qui in medio revolvuntur, & hoc tamen concordante ſolutione quæſtionum cum omnibus cameris figuræ communis. *Hæc regula toti huic arti dicitur generalis, quia nunquam in illa deficit.*

De Deo A.

1. *Quæſtio.* Utrùm Deus ſit?
2. *Quæſtio.* Quid ſit Deus?
   Solutio. [Deus, creatura, finis.] [Ignis, ignis.]
3. *Quæſtio.* Utrùm ſit unus Deus?
4. *Quæſtio.* Utrùm ſufficiat eſſe unum Deum?
   Solutio. [Deus, operatio, finis.] [Ignis, ignis.]
5. *Quæſtio.* Utrùm eſſentia Dei ſit Deus?
6. *Quæſtio.* Utrùm divina eſſentia ſit infinita?
   Solutio. [Deus, majoritas, affirmatio.]
7. *Quæſtio.* Utrùm in Deo ſint dignitates?
8. *Quæſtio.* Utrùm quælibet dignitas ſit in ſe?
   Solutio. [Deus, operatio, finis.]

De Creatura B.

1. *Quæſtio.* Utrùm mundus ſit creatura?
2. *Quæſtio.* Utrùm Deus poſſit creare infinita ſæcula?
   Solutio. [Creatura, operatio, finis.]
3. *Quæſtio.* Utrùm creatura poſſit creare?
4. *Quæſtio.* Utrùm creatura ſit creata ad ſuum finem, vel ad alium?
   Solutio. [Creatura, Deus, finis.]

5. *Quæſtio.* Utrùm creatura ſenſualis ſit infinita?
6. *Quæſtio.* Utrùm potentiæ animæ ſint æqualiter creatæ in quantitate?
Solutio. [Creatura, Deus, operatio.]
7. *Quæſtio.* Utrùm homo creatus fuit intentioni hujus mundi?
8. *Quæſtio.* Utrùm omnia entia, quæ ſunt in homine, ſint creata?
Solutio. [Creatura, finis, majoritas.]

De Operatione C.

1. *Quæſtio.* Utrùm operatio Dei ſit infinita?
2. *Quæſtio.* Utrùm operatio Dei poſſit eſſe infinita & æterna in velocitate?
Solutio. [Operatio, Deus, finis.] [Ignis, terra.]
3. *Quæſtio.* Utrùm intellectus operari poſſit de ſua eſſentia aliud ſuppoſitum?
4. *Quæſtio.* Utrùm operatio intellectualis ſit tantùm difficilis, ſicut ſenſualis?
Solutio. [Operatio, Deus, majoritas.] [Ignis, aqua.]
5. *Quæſtio.* Utrùm omnes operationes naturales particulares ſubjiciantur uni operationi naturali univerſali?
6. *Quæſtio.* Utrùm ex operatione naturali & artificiali poſſit fieri major operatio, quàm ex naturali vel artificiali tantùm?
Solutio. [Operatio, Deus, majoritas.] [Ignis, aër.]
7. *Quæſtio.* Utrùm operatio artificialis meliùs concordet cum figura, quàm cum forma?
8. *Quæſtio.* Utrùm operatio ſit major in ſimilitudine, quàm in diſſimilitudine?
Solutio. [Operatio, Deus, finis.] [Ignis, ignis.]

De Differentia D.

1. *Quæſtio.* Utrùm differentia ſit realiter potentia?
2. *Quæſtio.* Utrùm aliqua differentia ſit ſinè contrarietate?
Solutio. [Differentia, concordantia, contrarietas.]
3. *Quæſtio.* Utrùm differentia ſit inter ſubſtantiam & ſubſtantiam?
4. *Quæſtio.* Utrùm differentia univerſalis ſit agens vel patiens?
Solutio. [Differentia, principium, medium.] [Ignis, ignis.]
5. *Quæſtio.* Utrùm ſit major differentia inter intellectivum & ſenſitivum, quàm inter ſenſitivum & vegetativum?
6. *Quæſtio.* Utrùm differentia ſit ita magna per contrarietatem, ſicut per concordantiam?
Solutio. [Differentia, majoritas, contrarietas.]
7. *Quæſtio.* Utrùm differentia ſit in forma?
8. *Quæſtio.* Utrùm differentia ſit ſenſibilis, aut imaginabilis, vel intelligibilis?
Solutio. [Differentia operatio, finis.] [Ignis, ignis.]

De Concordantia E.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſinè differentia poſſit eſſe concordantia?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſit aliqua concordantia ſinè contrarietate?
Solutio. [Concordantia, majoritas, æqualitas.]
3. *Quæſtio.* Utrùm ſit major concordantia inter partes eſſentiales, quàm integrales?
4. *Quæſtio.* Utrùm concordantia ſit incorruptibilis?
Solutio. [Concordantia, Deus, differentia.]
5. *Quæſtio.* Utrùm illa concordantia, quæ eſt inter corpus & animam, ſit agens vel patiens?
6. *Quæſtio.* Utrùm concordantia particularis, quæ eſt inter corpus & animam, ſit ſub concordantia univerſali, quæ eſt in re naturæ?
Solutio. [Concordantia, differentia, finis.] [Aër, aër.]
7. *Quæſtio.* Utrùm concordantia priùs ſit in eſſentia, quàm in actibus eſſentiæ?
8. *Quæſtio.* Utrùm concordantia, quæ eſt inter potentiam intellectivam & potentiam volitivam, ſit ſub univerſali concordantia exiſtente in re naturæ ſpiritualis?
Solutio. [Concordantia, creatura, operatio.]

De Contrarietate F.

1. *Quæſtio.* Utrùm contrarietas ſit realiter aliquod ens univerſale?
2. *Quæſtio.* Utrùm omnis contrarietas concordet cum non eſſe?
Solutio. [Contrarietas, principium, finis.]
3. *Quæſtio.* Utrùm contrarietas naturalis ſit priùs in corporeïtate, quàm in corpore?
4. *Quæſtio.* Utrùm contrarietas per ſe ſit appetibilis?
Solutio. [Contrarietas, concordantia, finis.] [Aqua, aqua.]

5. *Quæ-*

5. *Quæſtio.* Utrùm rationalis anima contradicat corpori naturaliter, aut accidentaliter?
6. *Quæſtio.* Utrùm illa contrarietas, quæ eſt inter animam & corpus, ſit creatura?
Solutio. [Contrarietas, differentia, concordantia.]
7. *Quæſtio.* Utrùm in eſſentia angelorum ſit contrarietas?
8. *Quæſtio.* Utrùm dæmones contrarientur potentiis animæ, vel actibus earum?
Solutio. [Contrarietas, operatio, finis.] [Ignis, ignis.]

De Principio G.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſit principium ſinè motu?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſit aliquod principium in ſe ſinè effectu?
Solutio. [Principium, Deus, finis.]
3. *Quæſtio.* Utrùm principiatum poſſit eſſe ſinè tempore?
4. *Quæſtio.* Utrùm tempus particulare de entitate ſua habeat univerſale principium?
Solutio. [Principium, concordantia, finis.] [Ignis, ignis.]
5. *Quæſtio.* Utrùm univerſalis quantitas ſit omnibus quantitatibus principium?
6. *Quæſtio.* Utrùm ſit aliquod principiatum ſinè quantitate?
Solutio. [Principium, Deus, finis.]
7. *Quæſtio.* Utrùm finis poſſit eſſe principium & principiatum?
8. *Quæſtio.* Utrùm omne principium formæ indigeat materiâ?
Solutio. [Principium, affirmatio, negatio.]

De Medio H.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſit medium inter eſſentiam & eſſe, & an ſit medium inter eſſe & non eſſe?
2. *Quæſtio.* Utrùm medium poſſit eſſe in ſe ipſo, & an ſuppoſitum ſit medium extremorum?
Solutio. [Medium, principium, finis.]
3. *Quæſtio.* Utrùm ſpecies ſit medium exiſtens inter animam & corpus?
4. *Quæſtio.* Utrùm medium particulare habeat medium univerſale in re naturæ?
Solutio. [Medium, concordantia, majoritas.]
5. *Quæſtio.* Utrùm conjunctio & medium differant?
6. *Quæſtio.* Utrùm omne medium ſit propinquius fini, quàm principio?
Solutio. [Medium, differentia, concordantia.]
7. *Quæſtio.* Utrùm in transmutatione ſit æqualitas mediorum?
8. *Quæſtio.* Utrùm malum ſit medium inter bonum & bonum?
Solutio. [Medium, Deus, finis.]

De Fine I.

1. *Quæſtio.* Utrùm intentio naturæ ſit finis univerſalis & realis?
2. *Quæſtio.* Utrùm finis priùs ſit in ſe, quàm in principio?
Solutio. [Finis, Deus, operatio.] [Ignis, ignis.]
3. *Quæſtio.* Utrùm aliquis finis ſit infinitus?
4. *Quæſtio.* Utrùm poſſit eſſe finis ſinè operatione?
Solutio. [Finis, Deus, operatio.]
5. *Quæſtio.* Utrùm homo ſit finis corporis & animæ?
6. *Quæſtio.* Utrùm omnis finis creatus ſit major in Deo, quàm in ſe ipſo?
Solutio. [Finis, Deus, principium.]
7. *Quæſtio.* Utrùm homo ſit finis reſurrectionis?
8. *Quæſtio.* Utrùm operatio naturæ finem habeat?
Solutio. [Finis, Deus, majoritas.]

De Majoritate K.

1. *Quæſtio.* Utrùm in Deo ſit majoritas?
2. *Quæſtio.* Utrùm operatio ſit major in majoritate, quàm in æqualitate?
Solutio. [Majoritas, Deus, æqualitas.]
3. *Quæſtio.* Utrùm majoritas ſit aliqua forma univerſalis in ſubſtantia univerſali?
4. *Quæſtio.* Utrùm ſubſtantia ſit major mediante formâ, quàm mediante materiâ?
Solutio. [Majoritas, Deus, minoritas.]
5. *Quæſtio.* Utrùm majoritas ſit in una ſubſtantia naturali & univerſali, à qua deſcendant omnes ſubſtantiæ particulares, in quibus ſit majoritas?
6. *Quæſtio.* Utrùm ſint accidentia univerſalia in majoritate ſubſtantiæ univerſalis, à quibus deſcendant in majoritatem omnia naturalia accidentia particularia?
Solutio. [Majoritas, principium, finis.]
7. *Quæſtio.* Utrùm ex materia & forma oriatur majoritas in ſubſtantiam?

8. *Quæſtio.* Utrùm majoritas in ſubſtantia ſit de entitate ſubſtantiæ?
Solutio. [Majoritas, æqualitas, minoritas.]

De Æqualitate L.

1. *Quæſtio.* Utrùm diverſæ eſſentiæ in producendo unum eſſe producant æqualitatem in ipſo eſſe?
2. *Quæſtio.* Utrùm æqualitas ſit de entitate ſubſtantiæ?
Solutio. [Æqualitas, majoritas, minoritas.]
3. *Quæſtio.* Utrùm æqualitas ſit priùs in natura, quàm inæqualitas?
4. *Quæſtio.* Utrùm ſit plùs æqualitatis, quàm inæqualitatis?
Solutio. [Æqualitas, principium, finis.]
5. *Quæſtio.* Utrùm quantitas oriatur de æqualibus partibus eſſentialibus conſtituentibus ſubſtantiam?
6. *Quæſtio.* Utrùm æqualitas ſit univerſale reale in re naturæ?
Solutio. [Æqualitas, operatio, finis.]
7. *Quæſtio.* Utrùm æqualitas poſſit eſſe ſinè operatione?
8. *Quæſtio.* Utrùm æqualitas poſſit eſſe major in concordantia, quàm in contrarietate?
Solutio. [Æqualitas, operatio, finis.]

De Minoritate M.

1. *Quæſtio.* Utrùm omnis minoritas ſit creatura?
2. *Quæſtio.* Utrùm minoritas ſit major in majoritate, quàm in ſe?
Solutio. [Minoritas, creatura, majoritas.]
3. *Quæſtio.* Utrùm minoritas ſit major inter animam & corpus, quàm inter aliud corpus & aliud?
4. *Quæſtio.* Utrùm ſit major minoritas in anima, quàm in corpore?
Solutio. [Minoritas, majoritas, concordantia.]
5. *Quæſtio.* Utrùm minoritas ſit major in ſubſtantia, quàm in accidentibus?
6. *Quæſtio.* Utrùm minoritas ſit major in univerſali, quàm in particulari?
Solutio. [Minoritas, principium, finis.]
7. *Quæſtio.* Utrùm minoritas ſit major in realitate, quàm in quantitate?
8. *Quæſtio.* Utrùm minoritas ſit major in puncto mathematico, quàm in peccato?
Solutio. [Minoritas, creatura, finis.]

De Affirmatione N.

1. *Quæſtio,* Utrùm voluntas poſſit tam citò appropinquare ad finem affirmando, ſicut negando?
2. *Quæſtio.* Utrùm principium ſit tam magnum in negatione, ſicut in affirmatione?
Solutio. [Affirmatio, Deus, majoritas.]
3. *Quæſtio.* Utrùm ſit major poſſibilitas in affirmatione, quàm in negatione?
4. *Quæſtio.* Quare affirmatio abſolutè convenit cum eſſe, negatio verò cum non eſſe?
Solutio. [Affirmatio, principium, majoritas.]
5. *Quæſtio.* Utrùm veritas plùs diſtet à falſitate per affirmationem, quàm per negationem?
6. *Quæſtio.* Utrùm ſit tanta impoſſibilitas in affirmatione, quanta eſt in negatione?
Solutio. [Affirmatio, Deus, æqualitas.]
7. *Quæſtio.* Utrùm plura ſint affirmabilia, quàm negabilia?
8. *Quæſtio.* Utrùm liberum arbitrium ſit æqualiter inter affirmationem & negationem?
Solutio. [Affirmatio, æqualitas, medium.]

De Dubitatione O.

1. *Quæſtio.* Utrùm dubitatio ſit æqualiter inter affirmationem & negationem?
2. *Quæſtio.* Utrùm dubitatio ſit actus naturæ?
Solutio. [Dubitatio, affirmatio, negatio.]
3. *Quæſtio.* Utrùm dubitatio ſit priùs in habitu potentiæ intellectivæ, quàm in potentia volitiva?
4. *Quæſtio.* Utrùm dubitatio excuſet hominem à peccato?
Solutio. [Dubitatio, finis, æqualitas.]
5. *Quæſtio.* Utrùm finis dubitationis ſit ſuppoſitio vel demonſtratio?
6. *Quæſtio.* Utrùm dubitatio ſit priùs mediante poſſibilitate, quàm impoſſibilitate?
Solutio. [Dubitatio, Deus, operatio.]
7. *Quæſtio.* Utrùm in dubitatione ſit plùs de paſſione, quàm de actione?
8. *Quæſtio.* Utrùm dubitatio ſit licita?
Solutio. [Dubitatio, contrarietas, finis.]

De Negatione P.

1. *Quæſtio.* Utrùm per inconveniens debet eſſe tanta negatio, quanta per conveniens eſt affirmatio?

2. *Quæ-*

2. *Quæſtio.* Utrùm negatio meliùs conveniat cum eſſe, quàm cum non eſſe?
Solutio. [Negatio, Deus, contrarietas.]
3. *Quæſtio.* Utrùm negatio ſit tantùm calumniabilis, quantùm affirmatio?
4. *Quæſtio.* Utrùm negatio meliùs conveniat cum triſtitia, quàm cum lætitia?
Solutio. [Negatio, Deus, finis.]
5. *Quæſtio.* Utrùm negatio ſit ſinè paſſione?
6. *Quæſtio.* Utrùm negatio meliùs conveniat cum nolle, quàm cum velle?
Solutio. [Negatio, Deus, affirmatio.]
7. *Quæſtio.* Utrùm negatio ſit major in contrarietate, quàm in concordantia?
8. *Quæſtio.* Utrùm finis negationis ſit concordantia vel contrarietas?
Solutio. [Negatio, Deus, finis.]

FIGURA II.

De Quæſtionibus A.

QUæſtiones, quæ ad principia A. in hoc volumine reducuntur, in tot partes dividuntur, quot ſunt principia in A., quarum ſolutio reſtat in cameris ipſorum principiorum, quarum unaquæque continet duplicem quæſtionem, quæ cameræ ſunt certa ſigna recurrendi ad propoſitiones, quæ ſub eis continentur, & ſtatim panditur ſolutio uniuscujusque quæſtionis. Nunc autem de quæſtionibus, quæ bonitati ſubjacent, dicendum eſt, & de aliis conſequenter.

De Bonitate B.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina bonitas producat bonum in ſe & in aliud?
2. *Quæſtio.* Utrùm divina bonitas producat ſuum ſimile in ſe & in aliud?
Solutio. [Bonitas, magnitudo, poteſtas.] [Deus, finis, æqualitas.]

De Magnitudine C.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo Dei ſit omnimodè infinita?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo Dei poteſtatem habeat agendi in ſe ipſa?
Solutio. [Magnitudo, bonitas, poteſtas.] [Deus, majoritas, affirmatio.] [Ignis, ignis.]

De Æternitate D.

1. *Quæſtio.* Utrùm æternitati meliùs conveniat æternificare, quàm creare?
2. *Quæſtio.* Utrùm in æternitate ſit æternificans in immenſa velocitate?
Solutio. [Æternitas, magnitudo, juſtitia.] [Deus, majoritas, affirmatio.]

De Poteſtate E.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina poteſtas ſit tam magna in voluntate nolendo, ſicut volendo?
2. *Quæſtio.* Utrùm divina poteſtas poſſit poſſificare hoc, quod voluntas Dei non vult?
Solutio. [Poteſtas, perfectio, juſtitia.] [Deus, concordantia, finis.]

De Sapientia F.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina ſapientia tantùm intelligat intelligendo id, quod ipſa eſt, quantùm intelligendo id, quod ipſa non eſt?
2. *Quæſtio.* Utrùm divina ſcientia ſciat in ſe modum, per quem intelligit, ſe intelligere ſinè materia & accidentibus?
Solutio. [Sapientia, voluntas, virtus.] [Deus, operatio, finis.] [Ignis, ignis.]

De Voluntate G.

1. *Quæſtio.* Utrùm in Deo ſit aliquid potens reſiſtere voluntati ejus?
2. *Quæſtio.* Utrùm in voluntate Dei ſit æqualiter velle & nolle?
Solutio. [Voluntas, gloria, ſimplicitas.] [Deus, finis, æqualitas.]

De Virtute H.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina virtus ſit ſpecificativa in immenſitate, æternitate & velocitate?
2. *Quæſtio.* Utrùm divina virtus ſit ita ſpecificabilis in largitate & ſimplicitate, ſicut in ſapientia & voluntate?
Solutio. [Virtus, poteſtas, perfectio.] [Deus, operatio, æqualitas.]

De Veritate I.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina veritas ſit tam magna verificando, ſicut eſſendo?
2. *Quæſtio.* Utrùm, quidquid eſt verum, ſit effectus veritatis Dei?
Solutio. [Veritas, juſtitia, ſimplicitas.] [Deus, operatio, finis.]

De Gloria K.

1. *Quæſtio.* Utrùm gloria poſſit eſſe in magnitudine perfectionis absque glorificante & glorificato?
2. *Quæſtio.* Utrùm Beati habeant majorem gloriam in interioritate Dei, quàm in exterioritate ejusdem?
Solutio. [Gloria, magnitudo, poteſtas.] [Deus, operatio, finis.]

De Perfectione L.

1. *Quæſtio.* Utrùm perficere ſit inconveniens in eſſentia Dei?
2. *Quæſtio.* Utrùm eſſet perfectio, niſi eſſet perficiens, perficere & perfectus?

Solutio. [Perfectio, voluntas, virtus.] [Deus, operatio, majoritas.]

De Juſtitia M.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina juſtitia ſuum poſſe juſtificet in immenſitate, æternitate, & velocitate bonitatis?
2. *Quæſtio.* Utrùm divina juſtitia ſe juſtificet ſinè alio?

Solutio. [Juſtitia, magnitudo, æternitas.] [Deus, majoritas, æqualitas.]

De Largitate N.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina largitas ſit tam potens in magnitudine Dei, ſicut in divina ſapientia & voluntate?
2. *Quæſtio* Utrùm divina largitas alicui creaturæ dederit, quidquid ei dare potuit?

Solutio. [Largitas, magnitudo, voluntas.] [Deus, concordantia, majoritas.]

De Simplicitate O.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina ſimplicitas eſſet tam magna in poteſtate ſinè ſimplificato, ſicut eſt cum ſimplificato?
2. *Quæſtio.* Utrùm divina ſimplicitas ſit tam magna in poteſtate uniendi, ſicut eſt in ſeipſa?

Solutio. [Simplicitas, bonitas, virtus.] [Deus, operatio, finis.]

De Nobilitate P.

1. *Quæſtio.* Utrùm divina nobilitas ſit major in realitate, quàm in ratione?
2. *Quæſtio.* Utrùm in divina nobilitate ſit forma ſinè actione?

Solutio. [Nobilitas, voluntas, largitas.] [Deus, creatura, operatio.]

De Miſericordia Q.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſit quantitas inter divinam juſtitiam & divinam miſericordiam?
2. *Quæſtio.* Utrùm divina voluntas habeat majorem poteſtatem in magnitudine immenſitatis, æternitatis & velocitatis, quàm miſericordia?

Solutio. [Miſericordia, magnitudo, æternitas.] [Deus, finis, æqualitas.]

De Dominio R.

1. *Quæſtio.* Utrùm in Deo ſit dominium per accidens?
2. *Quæſtio.* Quare dominium eſt appetibile, cùm omnis homo ſit productus ex nihilo?

Solutio. [Dominium, magnitudo, juſtitia.] [Deus, principium, finis.]

FIGURA III.

De Quæſtionibus S.

SIcut propoſitiones S. in duas partes dividuntur, quia quædam earum propoſitionum, ſicut ſupradictum eſt, ad deſcriptionem S. vel ad ejus principia ſive eſſentiam reducuntur, quibus ſubjacent, quædam verò ad potentias S. & actus earum, ita ſimiliter quæſtiones ipſius S. in *duas partes* dividuntur; nam in *prima* parte tractatur de quæſtionibus, quæ ad eſſentiam & diſpoſitionem S. pertinent, in *ſecunda* verò de potentiis & actibus earum. Unde primò de prima parte & de primo principio dicendum eſt.

De Quæſtionibus Primæ Partis S.

De Recolentia B.

1. *Quæſtio.* Utrùm recolentia ſit eſſentia vel potentia animæ?
2. *Quæſtio.* Utrùm in recolentia ſit differentia?

Solutio. [Recolentia, intelligentia, eſſe.] [Operatio, concordantia, finis.]

De Intelligentia C.

1. *Quæſtio.* Utrùm intelligentia ſit tantùm creata in ſe, vel in ſe & in alio?
2. *Quæſtio.* Utrùm lumen intelligentiæ ſit inceſſans in ſe & in recolentia & in volentia?

Solutio. [Intelligentia, volentia, forma.] [Concordantia, majoritas, æqualitas.]

De Volentia D.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſit differentia inter volentiam & voluntatem?
2. *Quæſtio.* Utrùm liberum arbitrium exiſtat in volentia, vel in voluntate?

Solutio. [Volentia, recolentia, operatio.] [Differentia, principium, finis.]

De

De Eſſe E.

1. *Quæſtio.* Utrùm eſſe animæ ſit formabile, vel materiabile?
2. *Quæſtio.* Utrùm eſſe animæ ſit poſſificativum producendo potentias poſt ſeparationem ſuî à corpore?

Solutio. [Eſſe, forma, materia.] [Operatio, principium, finis.]

De Forma F.

1. *Quæſtio.* Utrùm in anima rationali forma ſit producta de pluribus formis ſimplicibus producens plures formas potentiales & accidentales?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſit differentia inter formam ſubſtantialem & formam potentialem?

Solutio. [Forma, intelligentia, ſimplicitas.] [Finis, majoritas, minoritas.]

De Materia G.

1. *Quæſtio.* Utrùm anima poſſit eſſe ſubſtantia ſinè materia?
2. *Quæſtio.* Utrùm materia ſit materiabilis?

Solutio. [Materia, forma, eſſe.] [Differentia, concordantia, majoritas.]

De Conjunctione H.

1. *Quæſtio.* Utrùm conjunctio animæ ſit ex partibus eſſentialibus vel integralibus?
2. *Quæſtio.* Utrùm conjunctio animæ ſit de contrariis?

Solutio. [Conjunctio, eſſe, operatio.] [Principium, concordantia, finis.]

De Simplicitate I.

1. *Quæſtio.* Utrùm eſſentia animæ ſit ſimplex?
2. *Quæſtio.* Utrùm eſſe animæ ſit ſimplificabile?

Solutio. [Simplicitas, recolentia, eſſe.] [Concordantia, finis, majoritas.]

De Compoſitione K.

1. *Quæſtio.* Utrùm intelligentia ſit compoſita, in quantum eſt intellectiva & intelligibilis?
2. *Quæſtio.* Utrùm anima ſit compoſita ex memoria intellectu & voluntate?

Solutio. [Compoſitio, ſimplicitas, virtus.] [Principium, medium, finis.]

De Subſtantia L.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſit differentia inter eſſe animæ & ſubſtantiam ejus?
2. *Quæſtio.* Utrùm in ſubſtantia animæ ſit major differentia, quàm in accidentibus?

Solutio. [Subſtantia, eſſe, accidens.] [Differentia, principium, medium.]

De Accidente M.

1. *Quæſtio.* Utrùm quantitas ſit in anima ſubſtantialiter & virtualiter?
2. *Quæſtio.* Utrùm accidentia animæ ſint de partibus eſſentiæ ejus?

Solutio. [Accidens, potentia, ſubſtantia.] [Operatio, differentia, majoritas.]

De Virtute N.

1. *Quæſtio.* Utrùm virtus animæ ſit ſpecificativa & ſpecificabilis?
2. *Quæſtio.* Utrùm virtus animæ moveatur producendo ſuum ſimile?

Solutio. [Virtus, ſubſtantia, operatio.] [Principium, medium, finis.]

De Operatione O.

1. *Quæſtio.* Quæ eſt differentia inter intelligentiam & intellectum?
2. *Quæſtio.* Utrùm operatio intellectûs ſit major in re, quàm in ratione?

Solutio. [Operatio, intelligentia, interioritas.] [Principium, finis, majoritas.]

De Interioritate P.

1. *Quæſtio.* Utrùm virtûs animæ priùs ſpecificet ſuum ſimile intra ſe, quàm extra ſe?
2. *Quæſtio.* Per quem modum anima eſt in ſe & extra ſe mediante eſſe & ſuis potentiis?

Solutio. [Interioritas, exterioritas, operatio.] [Principium, finis, æqualitas.]

De Exterioritate Q.

1. *Quæſtio.* Utrùm anima ſuum finem appetat in ſe vel extra ſe?
2. *Quæſtio.* Utrùm voluntas plùs appetat ſuum ſimile, quàm ſimile intellectûs?

Solutio. [Exterioritas, intelligentia, volentia.] [Deus, principium, finis.]

De Motu R.

1. *Quæſtio.* Utrùm motus animæ incipiat in ſua eſſentia, aut in ſuis potentiis?
2. *Quæſtio.* Utrùm motus ſit in potentiis animæ vel in actibus earum?

Solutio. [Motus, interioritas, exterioritas.] [Differentia, principium, finis.]

De

De Quæſtionibus Secundæ Partis S.

Dicto de quæſtionibus primæ partis S. nunc de ſecunda ipſius dicendum eſt, *in qua exemplificatur, quomodo multiplicantur cameræ, multiplicando univerſale in compoſitione figurarum*, & ideo quandoque accipitur de cameris A., quandoque de cameris V., & ſic de aliis, prout diſpoſitio quæſtionum & ſolutionum exigit; hoc idem fit, & poteſt fieri de aliis, ut omne particulare quæſitum magis expreſsè valeat inveniri. Nunc autem de ipſa parte tractandum eſt, & primò de B.

De B.

1. Q*uæſtio.* Utrùm ſit differentia inter B. C.?
2. *Quæſtio.* Utrùm B. producat in E. tantùm ſuum ſimile, quantùm C?

Solutio. [B. C. D.] [Differentia, concordantia, contrarietas.] [Fides, ſpes, charitas.]

De C.

1. Q*uæſtio.* Utrùm majoritas ſit in appetitu ipſius C. ex parte actionis vel paſſionis?
2. *Quæſtio.* Utrùm C. ex parte formæ influat, & ex parte materiæ indigeat?

Solutio. [C. B. E.] [Deus, differentia, majoritas.] [Intelligentia, forma, materia.]

De D.

1. Q*uæſtio.* Utrùm nolentia ſit univerſale nolendi, ſicut volentia volendi?
2. *Quæſtio.* Utrùm voluntas & noluntas ſint eadem potentia ſinè differentia eſſentiæ?

Solutio. [D. E. I.] [Deus, concordantia, majoritas.] [Nolentia, eſſe, virtus.]

De E.

1. Q*uæſtio.* Utrùm E. poſt mortem ſit incorruptibile in numero?
2. *Quæſtio.* Utrùm E. poſt ſeparationem corporis ſit in potentiis vel in eſſe animæ?

Solutio. [E. I. R.] [Principium, finis, majoritas.] [Simplicitas, operatio, motus.]

De F.

1. Q*uæſtio.* Utrùm F. diſcurrere poſſit inquirendo particulare ſinè H.?
2. *Quæſtio.* Utrùm F. poſſit eſſe ſinè B.?

Solutio. [F. B. O.] [Contrarietas, principium, finis.] [Aqua, aqua.]

De G.

1. Q*uæſtio.* Utrùm ſit differentia inter eſſentiam G. & eſſentiam C.?
2. *Quæſtio.* Utrùm lumen G. & lumen C. differant?

Solutio. [G. D. H.] [Differentia, concordantia, contrarietas.] [Aër, aqua.]

De H.

1. Q*uæſtio.* Utrùm per accidens conveniat majoritas cum D., minoritas verò cum H.?
2. *Quæſtio.* Utrùm H. tam nobile principium habeat, ſicut D.?

Solutio. [H. D. I.] [Deus, creatura, differentia.] [Ignis, aqua.] Ignis, ignis.]

De I.

1. Q*uæſtio.* Utrùm I. ſit creatum causâ neceſſitatis vel gratiæ?
2. *Quæſtio.* Utrùm puer priùs incipiat uti de I., quàm de E.?

Solutio. [I. E. R.] [Contrarietas, principium, finis.] [Interioritas, exterioritas, motus.]

De K.

1. Q*uæſtio.* Utrùm K. ſit aliquod ens reſiſtens ipſis B. F.?
2. *Quæſtio.* Utrùm K. ex aliquo vel ex nihilo producatur?

Solutio. [K. L. N.] [Affirmatio, dubitatio, negatio.] [Eſſe, privatio, defectus.]

De L.

1. Q*uæſtio.* Utrùm L. ſit creatura?
2. *Quæſtio.* Utrùm L. in intelligentia vel intellectu incipiat?

Solutio. [L. C. R.] [Principium, finis, majoritas.] [Intelligentia, ſubſtantia, accidens.]

De M.

1. Q*uæſtio.* Utrùm M. tantùm indigeat objectis, ſicut D. H. indigent?
2. *Quæſtio.* Utrùm M. poſſit tantùm ſuum lumen influere in ſuum ſimile, ſicut D. H. influunt?

Solutio. [M. D. H.] [Deus, majoritas, minoritas.] [Eſſe, ſubſtantia, accidens.]

De N.

1. Q*uæſtio.* Utrùm in N. eſſe & perfectio ſint in majori participatione, quàm non eſſe & imperfectio?

2. *Quæ-*

2. *Quæſtio.* Utrùm N. ſit magis appetibile in majoritate, quàm in minoritate?

Solutio. [N. P. Q.] [Deus, differentia, finis.] [Eſſe, perfectio, imperfectio.]

De O.

1. Q*uæſtio.* Utrùm in O. ſit plùs de ſimilitudine eſſendi, quàm non eſſendi?
2. *Quæſtio.* Utrùm O. ſit neceſſarium in natura animæ?

Solutio. [O. P. R.] [Affirmatio, dubitatio, negatio.] [Fides, ſpes, charitas.]

De P.

1. Q*uæſtio.* Utrùm in P. ſit majoritas in concordantia vel in contrarietate?
2. *Quæſtio.* Utrùm P. ſit ſubjectum eſſe & non eſſe?

Solutio. [P. D. H.] [Contrarietas, majoritas, minoritas.] [Potentia, imperfectio, objectum.]

De Q.

1. Q*uæſtio.* Utrùm Q. reverti poſſit idem numero?
2. *Quæſtio.* Utrùm Q. ſit plùs amabile, quàm O. P.

Solutio. [Q. O. P.] [Deus, creatura, operatio.] [Subſtantia, accidens, virtus.]

De R.

1. Q*uæſtio.* Utrùm in mixtione R. miſceantur B. C. D.?
2. *Quæſtio.* Utrùm R. ſit corruptio ipſorum B. C. D.?

Solutio. [R. E. N.] [Principium, finis, dubitatio.] [Recolentia, intelligentia, virtus.]

FIGURA IV.

De Quæſtionibus V.

Veluti propoſitiones V. in duas partes ſunt diviſæ, eodem modo dividuntur quæſtiones ipſius in *duas partes*, quarum *prima* eſt de quæſtionibus virtutum, *ſecunda* verò & ultima eſt de quæſtionibus vitiorum. Unde de prima parte per ordinem primò dicendum eſt, & primò de Fide, deinde de cæteris conſequenter.

De Quæſtionibus Primæ Partis Virtutum.

De Fide B.

1. Q*uæſtio.* Utrùm in fide voluntas & intellectus ſint in majori concordantia, quàm contrarietate?

2. *Quæſtio.* Utrùm in fide ſit lumen compoſitum ex materia & forma?

Solutio. [Fides, charitas, juſtitia.] [Principium, concordantia, contrarietas.] [Intelligentia, volentia, materia.]

De Spe C.

1. Q*uæſtio.* Utrùm in ſpe ſit aliqua ſimilitudo Dei?
2. *Quæſtio.* Utrùm majoritas ſpei ſit in charitate vel in fortitudine?

Solutio. [Spes, charitas, fortitudo.] [Majoritas, æqualitas, affirmatio.] [Bonitas, poteſtas, juſtitia.]

De Charitate D.

1. Q*uæſtio.* Utrùm charitas ſit major in velle, quàm in nolle?
2. *Quæſtio.* Utrùm principium differentiæ charitatis ſit in eſſentia animæ vel in potentiis ejus?

Solutio. [Charitas, juſtitia, prudentia.] [Principium, concordantia, majoritas.] [Volentia, ſubſtantia, accidens.]

De Juſtitia E.

1. Q*uæſtio.* Utrùm transmutatio juſtitiæ in injuriam, & è converſo, ſit in potentiis animæ, vel in eſſentia ejus?
2. *Quæſtio* Utrùm illa juſtitia, per quam eſſentiæ animæ producunt eſſe, influat illam juſtitiam, per quam acquiritur meritum?

[*Solutio.* [Juſtitia, charitas, prudentia.] [Operatio, principium, finis.] [Volentia, virtus, motus.]

De Prudentia F.

1. Q*uæſtio.* Utrùm lumen prudentiæ ſit majus in ſe, quàm in lumine fidei?
2. *Quæſtio.* Utrùm libertas ſit tam magna in prudentia, ſicut in fortitudine?

Solutio. [Prudentia, fides, fortitudo.] [Deus, majoritas, finis.] [C. D. H.]

De Fortitudine G.

1. Q*uæſtio.* Utrùm deſtructo habitu fortitudinis deſtruatur eſſentia ejus?
2. *Quæſtio.* Utrùm fortitudo ſit tam magna ex parte intellectûs, ſicut ex parte voluntatis?

Solutio. [Fortitudo, prudentia, temperantia.] [Principium, medium, finis.] [E. I. N.]

De Temperantia H.

1. *Quæſtio.* Utrùm ex temperantia recolentiæ intelligentiæ & volentiæ producatur temperantia, quam habent B. C. D. in E.?
2. *Quæſtio.* Utrùm temperantia ſit forma ſive figura?

Solutio. [Temperantia, juſtitia, prudentia.] [Principium, æqualitas, affirmatio.] [Eſſe, operatio, virtus.]

De Quæſtionibus Secundæ Partis Vitiorum.

De Gula I.

1. *Quæſtio.* Utrùm gula ſit ſimilitudo & figura nihili?
2. *Quæſtio.* Utrùm guloſitas ſit major ex parte voluntatis, quàm ex parte intellectûs?

Solutio. [Gula, avaritia, temperantia.] [Principium, finis, contrarietas.] [C. D. H.]

De Luxuria K.

1. *Quæſtio.* Utrùm principium luxuriæ ſit in ſenſitivo aut in intellectivo?
2. *Quæſtio.* Utrùm luxuria priùs incipiat in potentia intellectiva, quàm in volitiva?

Solutio. [Luxuria, avaritia, acedia.] [Deus, concordantia, contrarietas.] [Ignis, aqua.]

De Avaritia L.

1. *Quæſtio.* Utrùm avaritia incipiat in volentia, vel in voluntate?
2. *Quæſtio.* Utrùm avaritia ſit major in contrarietate, quàm in concordantia?

Solutio. [Avaritia, acedia, prudentia.] [Deus, concordantia, contrarietas.] [Volentia, ſubſtantia, accidens.]

De Acedia M.

1. *Quæſtio.* Utrùm acedia plùs repugnet charitati, quàm humilitas ſuperbiæ?
2. *Quæſtio.* Utrùm acedia ſit major in nolle, quàm in velle?

Solutio. [Acedia, luxuria, ſuperbia.] [Majoritas, minoritas, affirmatio.] [Bonitas, voluntas, largitas.]

De Superbia N.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſuperbia incipiat in eſſe animæ vel in potentiis ejus?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo ſit major in ſuperbia, quàm in avaritia?

Solutio. [Superbia, avaritia, acedia.] [Operatio, principium, finis.] [Virtus, operatio, motus.]

De Invidiâ O.

1. *Quæſtio.* Utrùm invidia ſit major in nihilo, quàm in eſſe?
2. *Quæſtio.* Utrùm mortificatio invidiæ ſit major mediante charitate, quàm mediante juſtitiâ.

Solutio. [Invidia, gula, ſuperbia.] [Majoritas, æqualitas, negatio.]

De Ira P.

1. *Quæſtio.* Utrùm ira ſit propinquior eſſe animæ, quàm potentiis ejus.?
2. *Quæſtio.* Utrùm ira plùs repugnet charitati, quàm fortitudini?

Solutio. [Ira, acedia, invidia.] [Creatura, operatio, principium.] [Eſſe, forma, virtus.]

FIGURA V.

De Quæſtionibus X.

Sicut de quæſtionibus prædictarum figurarum dictum eſt, ſimiliter de propoſitionibus figuræ oppoſitorum, quæ eſt X., nunc dicendum eſt, quæ in tot partes dividuntur, quot in ipſo X. ſunt principia continentia unumquodque per ſe *duas quæſtiones*. Unde de propoſitionibus primi principii, & ſic per conſequens, dicendum eſt.

De Prædeſtinatione B.

1. *Quæſtio.* Utrùm contrarietas prædeſtinationis & liberi arbitrii ſit in realitate, vel in ratione tantùm?
2. *Quæſtio.* Utrùm ex influentia prædeſtinationis influatur tam magna negatio, quàm affirmatio?

Solutio. [Prædeſtinatio, liberum arbitrium, realitas.] [Contrarietas, affirmatio, negatio.]

De Eſſe C.

1. *Quæſtio.* Utrùm intentione naturæ ſit priùs eſſe, quàm eſſentia ejus?
2. *Quæſtio.* Utrùm transmutatio eſſendi eodem numero ſit appetibilis?

Solutio. [Eſſe, perfectio, realitas.] [Principium, finis, affirmatio.] [Ignis, ignis.]

De Perfectione D.

1. *Quæſtio.* Utrùm perficere ſit majus in eſſentia animæ, quàm in potentiis ejus.?

2. *Quæ-*

2. *Quæſtio.* Utrùm perfectio poſſit eſſe in magnitudine ſinè perfecto & perficere.?

Solutio. [Perfectio, realitas, potentia.] [Deus, principium, finis.] [Perfectio, juſtitia, largitas.]

De Merito E.

1. *Quæſtio.* Utrùm actus intellectûs & voluntatis plùs habeant majoritatem in concordantia, quàm in contrarietate.?
2. *Quæſtio.* Utrùm meritum poſſit eſſe majus in concordantia, quàm culpa in contrarietate.?

Solutio. [Meritum, perfectio, imperfectio.] [Principium, finis, majoritas.]

De Suppoſitione. F.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſuppoſitio ſit æqualis actus intellectûs & voluntatis.?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſuppoſitio incipiat in eſſentia animæ vel in potentiis ejus.?

Solutio. [Suppoſitio, eſſe, perfectio.] [Principium, finis, dubitatiò.]

De Immediatè. G.

1. *Quæſtio.* Utrùm homo ſit perſona exiſtens immediatè inter formam & materiam.?
2. *Quæſtio.* Utrùm eſſentia univerſalis & eſſentia particularis ejus ſint idem immediatè.?

Solutio. [Immediatè, realitas, ratio.] [Operatio, principium, finis.]

De Realitate H.

1. *Quæſtio.* Utrùm univerſale ſit majus in realitate, quàm in ratione.?
2. *Quæſtio.* Utrùm prædeſtinatio ſit major in realitate, quàm liberum arbitrium in ratione.?

Solutio. [Realitas, prædeſtinatio, liberum arbitrium.] [Principium, finis, majoritas.]

De Potentia I.

1. *Quæſtio.* Utrùm potentiæ animæ rationalis poſt mortem ſint aliquid, vel utrùm virtus ejus remaneat in eſſe animæ.?
2. *Quæſtio.* Utrùm potentiæ animæ ſint paſſivæ ex parte eſſentiæ animæ, vel ex parte virtutis objectorum.?

Solutio. [Potentia, meritum, objectum.] [Operatio, finis, majoritas.]

De Libero Arbitrio K.

1. *Quæſtio.* Utrùm liberum arbitrium ſit tam magnum in ratione, ſicut in realitate.?
2. *Quæſtio.* Utrùm libertas ſit tam magna in nolle, ſicut in velle.?

Solutio. [Liberum arbitrium, meritum, culpa.] [Creatura, operatio, affirmatio.]

De Privatione L.

1. *Quæſtio.* Utrùm privatio ſit ens reale.?
2. *Quæſtio.* Utrùm privatio ſit magìs contraria medio vel fini ipſius compoſiti?

Solutio. [Privatio, eſſe, realitas.] [Contrarietas, medium, finis.]

De Imperfectione M.

1. *Quæſtio.* Utrùm imperfectio ſit major in differentia contrarietatis, quàm in differentia concordantiæ?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſit major magnitudo in perfectione, quàm in imperfectione?

Solutio. [Imperfectio, mediatè, objecta.] [Deus, finis, majoritas.]

De Culpa N.

1. *Quæſtio.* Utrùm culpa ſit in realitate, vel in ratione?
2. *Quæſtio.* Utrùm culpa incipiat in natura animæ, vel in ratione?

Solutio. [Culpa, realitas, ratio.] [Principium, majoritas, minoritas.]

De Demonſtratione O.

1. *Quæſtio.* Utrùm demonſtratio ſit major mediante æqualitate, quàm mediante majoritate?
2. *Quæſtio.* Utrùm major demonſtratio poſſit fieri de rebus ſpiritualibus, quàm de rebus ſenſualibus?

Solutio. [Demonſtratio, prædeſtinatio, ſuppoſitio.] [Deus, principium, concordantia.]

De Mediatè P.

1. *Quæſtio.* Utrùm cum medio poſſit diverſificari omnis reſponſio?
2. *Quæſtio.* Utrùm medium poſſit eſſe ſinè fine?

Solutio. [Mediatè, immediatè, imperfectio.] [Affirmatio, dubitatio, negatio.]

De Ratione Q.

1. *Quæſtio.* Utrùm ratio realis, & ratio objectiva differant in eſſentia?
2. *Quæſtio.* Utrùm ratio ſit major in eſſentia animæ, quàm in ſuis potentiis?

Solutio. [Ratio, eſſe, realitas.] [Creatura, operatio, principium.]

De Objecto R.

1. *Quæſtio.* Utrùm objecta ſint tantùm aſſumibilia nolendo ſicut volendo, aut volendo ſicut objectando?
2. *Quæſtio.* Utrùm objecta poſſint cogere libertatem in potentiis animæ?

Solutio. [Objecta, realitas, liberum arbitrium.] [Deus, operatio, principium.]

FIGURA VI.

De Quæſtionibus Theologiæ.

Dicto de quæſtionibus figurarum, quæ in corpore artis comprehenduntur, nunc ſequitur de quæſtionibus figurarum, ad quas ſcientia Theologiæ, Philoſophiæ & Juris ordinatis principiis reducuntur, & primò de quæſtionibus, quæ principiis Theologiæ ſubjacent, dicendum eſt, & primò de eſſentia.

De Eſſentia B.

1. *Quæſtio.* Utrùm in hac vita intelligentia appetat videre eſſentiam Dei?
2. *Quæſtio.* Utrùm divina eſſentia ſit intelligibilior in ſua operatione intrinſeca, quàm extrinſeca?

Solutio. [Eſſentia, vita, dignitates.] [Deus, operatio, finis.]

De Vita C.

1. *Quæſtio.* Utrùm vivere ſit actus vitæ ſinè ſpecificatione?
2. *Quæſtio.* Utrùm vivere ſit actus inceſſans in eſſentia animæ, aut in potentiis ejus?

Solutio. [Vita, eſſentia, actus.] [Principium, finis, majoritas.]

De Dignitatibus D.

1. *Quæſtio.* Utrùm omnes dignitates Dei ſint unum dignum?
2. *Quæſtio.* Utrùm in divina eſſentia unaquæque dignitatum ſpecificet ſuum dignum?

Solutio. [Dignitates, forma, relatio.] [Deus, operatio, finis.]

De Actibus E.

1. *Quæſtio.* Utrùm in Deo ſint primus & ſecundus actus?
2. *Quæſtio.* Utrùm primus actus ſit inceſſans?

Solutio. [Actus, vita, forma.] [Deus, operatio, principium.]

De Forma F.

1. *Quæſtio.* Utrùm eadem forma poſſit eſſe formificativa, & formificabilis?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſimilitudo formæ ſit forma?

Solutio. [Forma, dignitates, actus.] [Deus, concordantia, majoritas.]

De Relatione G.

1. *Quæſtio.* Utrùm in Deo ſit relatio realiter?
2. *Quæſtio.* Utrùm relatio ſit ſinè diſtinctione?

Solutio. [Relatio, dignitates, actus.] [Deus, operatio, finis.]

De Ordinatione H.

1. *Quæſtio.* Utrùm ordinatio ſit in eſſentia Dei?
2. *Quæſtio.* Utrùm ordinatio ſit priùs in natura, quàm ordinatum?

Solutio. [Ordinatio, actus, relatio.] [Deus, operatio, finis.]

De Actione I.

1. *Quæſtio.* Utrùm Deus habeat actionem in nihil?
2. *Quæſtio.* Utrùm nihil actionem habeat in eſſe?

Solutio. [Actio, dignitates, actus.] [Deus, operatio, finis.]

De Articulis K.

1. *Quæſtio.* Utrùm articuli ſint plùs amabiles, quàm intelligibiles?
2. *Quæſtio.* Utrùm articuli ſint demonſtrabiles?

Solutio. [Articuli, præcepta, prima intentio.] [Principium, finis, majoritas.]

De Præceptis L.

1. *Quæſtio.* Utrùm præcepta ſint majora in velle, quàm in nolle?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſit majus, nobilius & homini magis neceſſarium præceptum cognoſcere Deum, quàm ei obedire?

Solutio. [Præceptum, actio, prima intentio.] [Deus, operatio, æqualitas.]

De Expoſitione M.

1. *Quæſtio.* Utrùm expoſitio ſit major in demonſtratione, quàm in ſuppoſitione?
2. *Quæſtio.* Utrùm in expoſitione magnitudo ſit in majori concordantia, quàm in differentia?

Solutio.

Solutio. [Expoſitio, dignitates, relatio.] [Affirmatio, dubitatio, negatio.]

De Prima Intentione N.

1. *Quæſtio.* Utrùm in Deo ſit prima intentio ſinè ſecunda?
2. *Quæſtio.* Utrùm Deus creare poſſit primam intentionem ſinè ſecunda?

Solutio. [Prima intentio, forma, ordinatio.] [Deus, operatio, finis.]

De Secunda Intentione O.

1. *Quæſtio.* Utrùm prima intentio ſit agens in ſecunda & è converſo?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſecunda intentio meliùs conveniat cum materia, quàm cum forma?

Solutio. [Secunda intentio, prima intentio, gloria.] [Principium, medium, finis.]

De Gloria P.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo gloriæ ſit major in interioritate, quàm in exterioritate?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo gloriæ ſit major in æternitate, quàm in voluntate?

Solutio. [Gloria, dignitates, actus.] [Deus, majoritas, æqualitas.]

De Pœna Q.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo pœnæ ſit major in eſſentia animæ, quàm in potentiis ejus?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo pœnæ ſit major in intellectu, quàm in voluntate?

Solutio. [Pœna, gloria, ævum.] [Majoritas, æqualitas, minoritas.]

De Ævo R.

1. *Quæſtio.* Utrùm in ævo ſit tempus?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo ævi ſit major in differentia, quàm in concordantia?

Solutio. [Ævum, relatio, gloria.] [Deus, majoritas, æqualitas.]

FIGURA VII.

De Quæſtionibus Philoſophiæ.

Sequitur de quæſtionibus Philoſophiæ eodem modo, ſicut de quæſtionibus Theologiæ & de cæteris dictum eſt, dando unicuique principio *duas propoſitiones*; unde de prima cauſa dicendum eſt, & de cæteris conſequenter.

De Prima Cauſa B.

1. *Quæſtio.* Utrùm prima cauſa ſit per eſſentiam & virtutem extra ſuum effectum?
2. *Quæſtio.* Utrùm prima cauſa poſſit eſſe ſinè effectu?

Solutio. [Prima cauſa, motus, orbis.] [Deus, operatio, finis.]

De Motu C.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo motûs ſit major in potentia motiva, quàm in potentia mobili?
2. *Quæſtio.* Utrùm finis motûs ſit major in velocitate, quàm in mobilitate?

Solutio. [Motus, prima cauſa, orbis.] [Operatio, finis, majoritas.]

De Intelligentia D.

1. *Quæſtio.* Utrùm eſſentia Angelorum ſit inceſſans in ſuo eſſe?
2. *Quæſtio.* Utrùm eſſe angelicum ſit ex recolentia, intelligentia, volentia, in quo non ſint potentiæ, quia non eſt conjunctum corpori?

Solutio. [Intelligentia, orbis, forma.] [Operatio, principium, finis.]

De Orbe E.

1. *Quæſtio.* Utrùm orbis ſuam eſſentiam, vel ſuam virtutem influat in elementa?
2. *Quæſtio.* Utrùm corpora ſupercœleſtia intenſionem influant in naturam?

Solutio. [Orbis, motus, natura.] [Principium, æqualitas, affirmatio.] [Ignis, ignis.]

De Forma Univerſali F.

1. *Quæſtio.* Utrùm forma univerſalis mediantibus ſuis principiis & ſuis ſubditis ſit cauſa individuationis materiæ?
2. *Quæſtio.* Utrùm mediante congregatione ex pluribus formis ſubſtantialibus & accidentalibus producatur ſubſtantia individuationis materiæ?

Solutio. [Forma, materia, natura.] [Operatio, principium, finis.]

De Materia Prima G.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſubſtantia producatur ex eſſentia formæ & materiæ, & accidentia ejus ex virtute formæ & materiæ?
2. *Quæſtio.* Utrùm prima materia ſit ſub pluribus eſſentiis, ex quibus producta eſt?

Solutio. [Materia, forma, natura.] [Principium, medium, finis.] [Igneïtas, eſſe, ſimplicitas.]

De Natura H.

1. *Quæſtio.* Utrùm natura mediantibus ſuis univerſalibus & particularibus ſit agens per ſe & patiens in ſe?
2. *Quæſtio.* Utrùm natura ſit ens aggregatum ex formis ſubſtantialibus & accidentalibus & ex individuis paſſionibus?

Solutio. [Natura, forma, materia.] [Creatura, operatio, finis.] [Compoſitio, ſubſtantia, accidens.]

De Elementis I.

1. *Quæſtio.* Utrùm elementa ſimplicia ſint eſſentia elementorum compoſitorum?
2. *Quæſtio.* Utrùm elementa compoſita ſint eſſentiæ vegetabilium?

Solutio. [Elementa, forma, natura.] [Principium, medium, finis.] [Igneïtas, aëreitas, eſſe.]

De Appetitu K.

1. *Quæſtio.* Utrùm naturalis appetitus ſit univerſalis potentia?
2. *Quæſtio.* Utrùm appetitus habeat virtutem motivam?

Solutio. [Appetitus, motus, natura.] [Principium, medium, finis.]

De Potentia L.

1. *Quæſtio.* Utrùm in univerſalibus naturalibus ſit potentia activa & paſſiva?
2. *Quæſtio.* Utrùm potentias animæ rationalis oporteat eſſe per accidens, quia oportet, quòd anima ſuam virtutem influat in corpus?

Solutio. [Potentia, elementa, appetitus.] [Deus, finis, principium.]

De Habitu M.

1. *Quæſtio.* Utrùm unus habitus univerſalis poſſit ſimul habituari de pluribus habitibus particularibus?
2. *Quæſtio.* Utrùm ex habitu univerſali & particulari poſſit fieri medium?

Solutio. [Habitus, natura, compoſitio.] [Medium, majoritas, æqualitas.]

De Actu N.

1. *Quæſtio.* Utrùm primus actus ſit tam propinquus fini, ſicut ſecundus?
2. *Quæſtio.* Utrùm primus actus ſuam eſſentiam influat in ſecundum?

Solutio. [Actus, forma, materia.] [Differentia, concordantia, contrarietas.]

De Mixtione O.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſub una univerſali mixtione regulentur omnes particulares mixtiones?
2. *Quæſtio.* Utrùm mixtio ſit potentia activa & paſſiva?

Solutio. [Mixtio, digeſtio, compoſitio.] [Operatio, principium, finis.]

De Digeſtione P.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo digeſtionis ſit major in forma, quàm in materia?
2. *Quæſtio.* Utrùm digeſtio ſit ubique ſub globo lunari?

Solutio. [Digeſtio, natura, mixtio.] [Concordantia, majoritas, contrarietas.]

De Compoſitione Q.

1. *Quæſtio.* Utrùm compoſitio ſit univerſalis potentia?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo compoſitionis ſit ex parte majoritatis, vel ex parte pluralitatis?

Solutio. [Compoſitio, forma, materia.] [Principium, finis, majoritas.]

De Alteratione R.

1. *Quæſtio.* Utrùm alteratio incipiat intra vel extra ſubſtantiam?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo alterationis ſit major in forma, quàm in materia?

Solutio. [Alteratio, forma, materia.] [Principium, finis, majoritas.]

FIGURA VIII.

De Quæſtionibus Juris

SEquitur de quæſtionibus Juris eodem modo, ſicut de quæſtionibus Theologiæ & Philoſophiæ dictum eſt; unde de primo principio dicendum eſt.

De Forma B.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo Juris ſit major per formam, quàm per materiam?
2. *Quæſtio.* Utrùm juſtitia priùs jus producat in ſe, quàm in hominem?

Solutio. [Forma, materia, jus.] [Principium, medium, finis.]

De Materia C.

1. *Quæſtio.* Utrùm corruptio Juris ſit ex parte materiæ, vel ex parte formæ?

2. *Quæſtio.*

2. *Quæſtio.* Utrùm Jus ſit magìs formale vel materiale ex parte voluntatis, vel ex parte intellectûs?

Solutio. [Materia, forma, jus.] [Deus, principium, æqualitas.]

De Jure D.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus ſit in ratione tantùm?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus meliùs cognoſcatur per concordantiam, quàm per contrarietatem?

Solutio. [Jus, nutritivum, comparativum.] [Differentia, finis, majoritas.]

De Jure Communi E.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo Juris communis ſit major in differentia, quàm in concordantia?
2. *Quæſtio.* Utrùm contrarietas poſſit eſſe inter Jus commune & Jus ſpeciale?

Solutio. [Commune, ſpeciale, naturale.] [Differentia, contrarietas, principium.]

De Jure Speciali F.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus ſpeciale tantum appareat, ſicut Jus commune?
2. *Quæſtio.* Utrùm deſtruendo Jus ſpeciale deſtruatur Jus commune?

Solutio. [Speciale, commune, jus:] [Concordantia, majoritas, minoritas.]

De Jure Naturali G.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus naturale ſit creatura?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus naturale ſit potentia activa & paſſiva in natura?

Solutio. [Naturale, jus, poſitivum.] [Deus, operatio, finis.]

De Jure Poſitivo H.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus poſitivum plùs luceat in intellectu, quàm in voluntate?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo Juris poſitivi ſit major in materia, quàm in forma?

Solutio. [Poſitivum, formale, materiale.] [Deus, principium, finis.

De Jure Canonico I.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo Juris canonici ſit major in jure naturali, quàm in poſitivo?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus canonicum ſit plùs timendum, quàm Jus civile?

Solutio. [Canonicum, naturale, poſitivum.] [Deus, operatio, majoritas.]

De Jure Civili K.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus civile ſit plùs timendum, quàm diligendum?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus civile ſit plùs variabile causâ neceſſitatis, quàm causâ contingentiæ?

Solutio. [Civile, conſuetudinale, nutritivum.] [Concordantia, principium, contrarietas.]

De Jure Conſuetudinali L.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus conſuetudinale poſſit eſſe tam magnum in Jure civili, ſicut in jure canonico?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus conſuetudinale ſit majus in neceſſitate, quàm in ratione?

Solutio. [Conſuetudinale, canonicum, naturale.] [Contrarietas, principium, finis.]

De Jure Theorico M.

1. *Quæſtio* Utrùm Jus theoricum ſit, formale & Jus practicum figurale?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus practicum tantùm luceat in figura, quantùm Jus theoricum in forma?

Solutio. [Theoricum, practicum, comparativum.] [Majoritas, æqualitas, minoritas.]

De Jure Practico N.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus practicum ſit actus Juris theorici contra ipſum theoricum?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus practicum ſit plùs timendum, quàm theoricum?

Solutio. [Practicum, theoricum, nutritivum.] [Concordantia, principium, finis.]

De Jure Nutritivo O.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus nutriatur ex virtute animæ aut ex virtutibus acquiſitis?
2. *Quæſtio.* Utrùm nutrimentum Juris magìs conſiſtat in producendo virtutes, quàm in mortificando vitia?

Solutio. [Nutritivum, practicum, theoricum.] [Principium, medium, majoritas.]

De Jure Comparativo P.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo comparationis Juris ſit major inter formam & materiam, quàm inter formam ſubſtantialem & formam accidentalem?
2. *Quæſtio.* Utrùm comparatio Juris ſit major in velle, quàm in nolle?

Solutio. [Comparativum, formale, naturale.] [Operatio, principium, majoritas.]

De

De Jure Antiquo Q.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo Juris antiqui ſit major in jure naturali, quàm in poſitivo?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus antiquum ſit plùs diligibile, quàm intelligibile?

Solutio. [Antiquum, comparativum, novum.] [Principium, finis, majoritas.]

De Jure Novo R.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus novum Juri antiquo ſit ſubditum?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus novum ſemper ſit inventibile?

Solutio. [Novum, nutritivum, antiquum.] [Principium, medium, finis.]

FIGURA IX.
De Quæſtionibus Elementorum.

QUæſtiones, quæ ſub elementali figura continentur, diviſæ ſunt in *duas partes*, quemadmodum earum propoſitiones dividuntur, quarum *prima* eſt de corpore naturæ & entibus ejus & de deſcriptione, per quam natura cognoſcitur; *ſecunda* verò eſt de potentiis naturæ, ſcilicet de elementis & actibus eorum: unde de prima parte primitus dicendum eſt.

De Quæſtionibus Primæ Partis Elementorum.

De Igneïtate B.

1. *Quæſtio.* Utrùm materia ignîs ſit ignibilis & forma ignîs ignitiva?
2. *Quæſtio.* Utrùm materia ignîs poſſit pati ſub forma ignîs ſinè medio?

Solutio. [Igneïtas, aëreïtas, terreïtas.] [Concordantia, principium, medium.]

De Aëreïtate C.

1. *Quæſtio.* Utrùm materia ignîs ſit calefactibilior, quàm materia aëris?
2. *Quæſtio.* Utrùm forma aëris ſit humefactiva & materia ejus humefactibilis?

Solutio. [Aëreïtas, igneïtas, eſſe.] [Differentia, concordantia, majoritas.]

De Aqueïtate D.

1. *Quæſtio.* Utrùm forma aquæ ſit diverſificativa, concordativa, contrariativa in ſua materia?
2. *Quæſtio.* Utrùm materia aquæ ſimpliciter ſinè mixtione poſſit eſſe diverſificabilis, concordabilis, contrariabilis?

Solutio. [Aqueïtas, ſimplicitas, compoſitio.] [Differentia, concordantia, contrarietas.]

De Terreïtate E.

1. *Quæſtio.* Utrùm terra ſit frigida per ſe vel per accidens?
2. *Quæſtio.* Utrùm materia terræ ſit plùs ignibilis, quàm materia aëris?

Solutio. [Terreïtas, aqueïtas, compoſitio.] [Principium, medium, finis.]

De Eſſe F.

1. *Quæſtio.* Utrùm eſſe naturæ ſit compoſitum ex ſubſtantia & accidentibus?
2. *Quæſtio.* Utrùm principium eſſendi ſit eſſentia, & principia accidentium ſint potentiæ eſſendi?

Solutio. [Eſſe, ſubſtantia, accidens.] [Principium, finis, majoritas.]

De Forma G.

1. *Quæſtio.* Utrùm ex majoritate formæ & materiæ producatur ſubſtantia, & ex minoritate ejus producatur accidens?
2. *Quæſtio.* Utrùm in regula & in intentione naturæ poſſint eſſe formæ particulares ſinè forma univerſali?

Solutio. [Forma, ſubſtantia, accidens.] [Concordantia, finis, majoritas.]

De Materia H.

1. *Quæſtio.* Utrùm in materia ignîs ſint eadem eſſentia calefactibile, lucibile & ignibile?
2. *Quæſtio.* Utrùm forma ignîs calefaciat & lucificet totam materiam ignîs ſinè ceſſatione?

Solutio. [Materia, forma, ſimplicitas.] [Operatio, principium, finis.]

De Simplicitate I.

1. *Quæſtio.* Utrùm in ſimplicitate naturæ ſit ſimplificare?
2. *Quæſtio.* Utrùm forma ignîs ſit ſimplificativa, ejus verò materia ſimplificabilis?

Solutio. [Simplicitas, igneïtas, virtus.] [Operatio, concordantia, majoritas.]

De Compoſitione K.

1. *Quæſtio.* Utrùm ignis ſit potentia producta in compoſitione, cùm forma ejus ſit ignitiva, ejus verò materia ignibilis?

2. *Quæ-*

2. *Quæſtio.* Utrùm natura ſit compoſita ex univerſalibus & particularibus?

Solutio. [Compoſitio, eſſe, natura.] [Concordantia, principium, finis.]

De Subſtantia L.

1. *Quæſtio.* Utrùm una ſubſtantiarum producat aliam, vel utrùm producantur ab illo individuo, quod eſt ſubſtantia?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſubſtantia ſit magis indiviſibilis in partes eſſentiales, quàm in partes integrales?

Solutio. [Subſtantia, virtus, operatio.] [Differentia, concordantia, majoritas.]

De Accidente M.

1. *Quæſtio.* Utrùm accidentia ſint de eſſentia ſubſtantiæ vel de virtute ejus?
2. *Quæſtio.* Utrùm accidens ſit quædam univerſalis potentia, ſub qua ſint plura accidentia particularia?

Solutio. [Accidens, ſubſtantia, virtus.] Principium, medium, finis.]

De Virtute N.

1. *Quæſtio.* Utrùm virtus ſubſtantiæ & virtus accidentium ſit individuativa & individuabilis?
2. *Quæſtio.* Utrùm in ſubſtantia virtus formæ & virtus materiæ ſint eadem eſſentia, & homogeneum?

Solutio. [Virtus, ſubſtantia, operatio.] [Differentia, principium, finis.]

De Operatione O.

1. *Quæſtio.* Utrùm operatio univerſalium ſit cauſa individuationis in particularibus?
2. *Quæſtio.* Utrùm operatio naturæ ſit ex eſſentiis ſubſtantiarum & accidentium?

Solutio. [Operatio, virtus, motus.] [Principium, finis, majoritas.]

De Interioritate P.

1. *Quæſtio.* Quare interioritas naturæ eſt ex parte formæ, & exterioritas ex parte figuræ?
2. *Quæſtio.* Utrùm homo ſit intra vel extra naturam?

Solutio. [Interioritas, forma, exterioritas.] [Operatio, principium, finis.]

De Exterioritate Q.

1. *Quæſtio.* Utrùm Deus ſit extra mundum?
2. *Quæſtio.* Utrùm locus ſit extra collocatum?

Solutio. [Exterioritas, interioritas, motus.] [Deus, operatio, finis.]

De Motu R.

1. *Quæſtio.* Utrùm motus naturæ incipiat in ſubſtantia vel in accidentibus?
2. *Quæſtio.* Utrùm potentia motiva ſit compoſita ex virtute ſubſtantiæ vel ex accidentibus?

Solutio. [Motus, ſubſtantia, virtus.] [Operatio, principium, finis.]

De Quæſtionibus Secundæ Partis Elementorum.

POſtquam de quæſtionibus primæ partis, quæ elementali figuræ ſubjacent, tractatum eſt, nunc in hac ſecunda parte ſequitur de quæſtionibus, quæ ex elementorum combinatione reſultant, & primò.

De Igne, Igne.

1. *Quæſtio.* Utrùm ignis ſimplex & compoſitus differant in eſſentia?
2. *Quæſtio.* Utrùm ignis ſimplex ſit corpus?

Solutio. [Ignis, ignis.] [Aër, aër.] [Differentia, finis, majoritas.] [Eſſe, ſimplicitas, compoſitio.]

De Igne, Aëre.

1. *Quæſtio.* Utrùm ignis ſuam eſſentiam & virtutem attribuat aëri?
2. *Quæſtio.* Utrùm aër ſit diverſificabilis ex parte ignîs ſimplicis vel compoſiti?

Solutio. [Ignis, aër.] [Aër, aqua.] [Operatio, concordantia, principium.] [Igneïtas, aëreïtas, motus.]

De Igne, Aqua.

1. *Quæſtio.* Utrùm ignis ſit frigefactivus, & frigefactibilis?
2. *Quæſtio.* Utrùm aqua ſit calefactibilis in eſſentia, vel virtute?

Solutio. [Ignis, aqua.] [Aër, terra.] [Contrarietas, principium, finis.] [Igneïtas, forma, materia.]

De Igne, Terra.

1. *Quæſtio.* Utrùm ignis ſit deſiccativus per ſe vel per accidens, cùm ſit deſiccabilis?
2. *Quæſtio.* Utrùm in eſſentia ignîs deſiccabile materialiter convertatur in deſiccativum formaliter, cùm ignis deſiccat aërem?

Solutio. [Ignis, terra.] [Terra, aqua.] [Differentia, concordantia, contrarietas.] [Forma, materia, interioritas.]

De Aëre, Aëre.

1. *Quæſtio.* Utrùm aër ſimplex producat ſuum ſimile in eſſentia & virtute?
2. *Quæſtio.* Utrùm aër intret in mixtionem digeſtionem & compoſitionem cum partibus eſſentialibus vel integralibus?

Solutio. [Aër, aër.] [Aqua, aqua.] [Concordantia, finis, majoritas.] [Aëreïtas, eſſe, compoſitio.]

De Aëre, Aqua.

1. *Quæſtio.* Utrùm aër calefaciat materiam & formam aquæ?
2. *Quæſtio.* Cùm aqua ſit calefactibilis, utrùm calefaciat terram?

Solutio. [Aër, aqua.] [Aqua, terra.] [Principium, medium, finis.] [Aëreïtas, aqueïtas, eſſe.]

De Aëre, Terra.

1. *Quæſtio.* Utrùm aër in terra ſit humefactivus & humefactibilis?
2. *Quæſtio.* Quomodo partes elementorum intrent alia in aliam?

Solutio. [Aër, terra.] [Terra, ignis.] [Differentia, contrarietas, majoritas.]

De Aqua, Aqua.

1. *Quæſtio.* Utrùm aqua ſit potentia reſtrictiva & reſtringibilis, ut ignis in eam non ingrediatur?
2. *Quæſtio.* Utrùm ignis in aqua ſit potentia extenſiva per ſe, vel per accidens?

Solutio. [Aqua, aqua.] [Ignis, ignis.] [Principium, medium, finis.] [Simplicitas, compoſitio, virtus.]

De Aqua, Terra.

1. *Quæſtio.* Utrùm aqua ſit potentia impletiva per ſe vel per accidens mediante aëre?
2. *Quæſtio.* Utrùm terra ſit potentia evacuativa & evacuabilis?

Solutio. [Aqua, terra.] [Terra, ignis.] [Differentia, concordantia, contrarietas.] [Aqueïtas, eſſe, motus.]

De Terra, Terra.

1. *Quæſtio.* Utrùm gravitas terræ ſuſtentari poſſet, niſi terra per ſe & per accidens eſſet evacuativa & evacuabilis?
2. *Quæſtio.* Utrùm terra ſit in tanta quantitate, ſicut cætera elementa?

Solutio. [Terra, terra.] [Aqua, aqua.] [Operatio, finis, æqualitas.] [Terreïtas, eſſe, virtus.]

FIGURA X.
De Quæſtionibus Figuræ Communis.

CUm per præcedentes quæſtiones ſufficienter exempli gratia detur in propoſitionibus principiorum uniuscujusque figuræ, nunc de quæſtionibus, quæ decimæ figuræ ſubjacent, ſecundùm combinationem figurarum in ea contentarum dicendum eſt, ut, ſicut ad inveſtigandum particulare in principio cujuslibet figuræ exemplum datum eſt, eodem modo per has quæſtiones emineat, quomodo ad magis univerſale aſcendendum eſt, ut minùs univerſale ſciatur eligi, ut inde valeat enucleari omne particulare, quod quæritur; unde de combinatione T. cum qualibet aliarum figurarum dicendum eſt, & primò.

De T. A.

1. *Quæſtio.* Utrùm T. ſit perfectum objectum, in quo A. valeat demonſtrari?
2. *Quæſtio.* Utrùm A. mediante T. ſit tantùm credibile, quantùm demonſtrabile?

Solutio. [Deus, creatura, operatio.] [Bonitas, magnitudo, æternitas.]

De T. S.

1. *Quæſtio.* Utrùm S. poſſit tantum in T. per E., quantum per I., vel per N.?
2. *Quæſtio.* Utrùm S. potiùs debeat diſcurrere per N., quàm per E, vel per I.?

Solutio. [Principium, finis, majoritas.] [E. I. N.]

De

De T. V.

1. *Quæſtio.* Utrùm V. lividum poſſit eſſe perfectum in T. ſinè V. rubeo?
2. *Quæſtio.* Utrùm V. lividum habeat majus poſſe in T., quàm V. rubeum?

Solutio. [Deus, creatura, operatio.] [Fides, ſpes, charitas.]

De T. X.

1. *Quæſtio.* Utrùm partes T. X. poſſint meliùs convenire in re, quàm in ratione?
2. *Quæſtio.* Utrùm X. meliùs intelligatur per affirmationem, quàm per negationem?

Solutio. [Majoritas, affirmatio, negatio.] [Prædeſtinatio, eſſe, liberum arbitrium.]

De T. Theologia.

1. *Quæſtio.* Utrùm Theologia priùs incipiat in majoritate, quàm in minoritate?
2. *Quæſtio.* Utrùm Theologia meliùs inveſtigari & inveniri valeat per unum angulum T., quàm per alium?

Solutio. [Principium, finis, majoritas.] [Eſſentia, dignitates, actus.]

De T. Philoſophia.

1. *Quæſtio.* Utrùm Philoſophia ſit tanta in triangulo livido, quanta in omnibus aliis triangulis T.?
2. *Quæſtio.* Per quem triangulum T. Philoſophia priùs debeat indagari?

Solutio. [Deus, operatio, finis.] [Prima cauſa, forma, appetitus.]

De T. Jure.

1. *Quæſtio.* Per quem triangulum T. jus valeat meliùs inveniri?
2. *Quæſtio.* In quo triangulo T. jus ſit magis neceſſarium?

Solutio. [Deus, finis, majoritas.] [Forma, materia, naturale.]

De T. Elementis.

1. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo elementalis figuræ ſit major in triangulo viridi, quàm rubeo?
2. *Quæſtio.* Utrùm magnitudo elementalis figuræ ſit major in angulo creaturæ, quàm operationis?

Solutio. [Differentia, concordantia, finis.] [Igneïtas, eſſe, forma.]

De A. S.

1. *Quæſtio.* Utrùm A. poſſit perficere S. in hoc mundo?
2. *Quæſtio.* Utrùm A. ſit nobilius ipſi S. naturaliter, quàm accidentaliter?

Solutio. [Bonitas, poteſtas, voluntas.] [Recolentia, intelligentia, volentia.]

De A. V.

1. *Quæſtio.* Utrùm V. ſit plùs ſimile, quàm diſſimile ipſi A.?
2. *Quæſtio.* Utrùm A. ſit tam diligibile per V. lividum, quàm odibile per V. rubeum?

Solutio. [Magnitudo, æternitas, voluntas.] [Fides, charitas, ſuperbia.]

De A. X.

1. *Quæſtio.* Utrùm omnes cameræ A. habeant æqualem poteſtatem per omnes cameras X.?
2. *Quæſtio.* Utrùm A. per X. poſſit demonſtrari?

Solutio. [Magnitudo, poteſtas, perfectio.] [Eſſe, immediatè, privatio.]

De A. Theologia.

1. *Quæſtio.* Utrùm in Theologia poſſit de A. tantùm prædicari per poteſtatem, quantùm per voluntatem?
2. *Quæſtio.* Utrùm de A. poſſit prædicari tantùm per affirmationem, quantùm per negationem?

Solutio. [Poteſtas, voluntas, juſtitia.] [Eſſentia, dignitates, relatio.]

De A. Philoſophia.

1. *Quæſtio.* Utrùm in Philoſophia priùs debeat A. inveſtigari per cauſam, quàm per effectum?
2. *Quæſtio.* Utrùm Philoſophia plùs debeat diligi propter A., quàm propter ſe ipſam?

Solutio. [Bonitas, magnitudo, æternitas.] [Forma, appetitus, actus.]

De A. Jure.

1. *Quæſtio.* Utrùm omne jus ad A. reduci debeat?

2. *Quæſtio.* Quare jus plùs reducitur ad juſtitiam, quàm ad alias cameras A.?
Solutio. [Bonitas, juſtitia, nobilitas.] [Charitas, juſtitia, prudentia.]

De A. Elementis.

1. *Quæſtio.* Utrùm elementa recipiant majorem influentiam ab A. ex operatione intrinſeca, quàm extrinſeca?
2. *Quæſtio.* Utrùm inter A. & elementa ſit major ſimilitudo in concordantia, quàm diſſimilitudo in contrarietate?
Solutio. [Voluntas, virtus, gloria.] [Ignis, aër.]

De S. V.

1. *Quæſtio.* Utrùm virtus ſubſtantiæ S. ſit major in B. C. D., quàm virtus B. C. D. in V. livido?
2. *Quæſtio.* Utrùm S. producat majorem ſimilitudinem de ſe in V. livido, quàm diſſimilitudinem in V. rubeo?
Solutio. [Eſſe, ſubſtantia, accidens.] [Fides, charitas, juſtitia.]

De S. X.

1. *Quæſtio.* Utrùm S. poſſit in X. tantum per ſuppoſitionem, quantum per demonſtrationem?
2. *Quæſtio.* Utrùm S. tantùm poſſit aſcendere in X. per E., quantùm deſcendere per N.?
Solutio. [E. I. N.] [Suppoſitio, demonſtratio, objecta.]

De S. Theologia.

1. *Quæſtio.* Utrùm S. habeat tantam poteſtatem in Theologia per N., quantam per E.?
2. *Quæſtio.* Utrùm S. habeat tantam virtutem in Theologia per triangulum rubeum, quantam per croceum?
Solutio. [E. I. N.] [Articuli, præcepta, prima intentio.]

De S. Philoſophia.

1. *Quæſtio.* Utrùm Philoſophia ſit major in S. mediante triangulo viridi, quàm rubeo?
2. *Quæſtio.* Utrùm S. tantum poſſit habere de Philoſophia cognoſcendo ſe, quantum cognoſcendo aliud?
Solutio. [E. I. N.] [Prima cauſa, motus, intelligentia.]

De S. Jure.

1. *Quæſtio.* Utrùm S. habeat majorem concordantiam cum jure in E., quàm in I.?
2. *Quæſtio.* Utrùm S. plùs debeat diligere jus in ſe, quàm in corpore?
Solutio. [C. D. H.] [Forma, materia, nutritivum.]

De S. Elementis.

1. *Quæſtio.* Utrùm S. poſſit tantum in ſe cognoſcere, quantum in elementis?
2. *Quæſtio.* Utrùm S. & elementa habeant majorem ſimilitudinem, quàm diſſimilitudinem?
Solutio. [Intelligentia, volentia, eſſe.] [Igneitas, aëreitas, eſſe.]

De V. X.

1. *Quæſtio.* Utrùm X. habeat majorem concordantiam cum V. livido, quàm contrarietatem cum V. rubeo?
2. *Quæſtio.* Utrùm V. lividum ſit majus in realitate, quàm V. rubeum in ratione?
Solutio. [Charitas, juſtitia, fortitudo.] [Eſſe, perfectio, meritum.]

De V. Theologia.

1. *Quæſtio.* Utrùm ſit major concordantia inter V. lividum & Theologiam, quàm contrarietas inter V. rubeum & Theologiam?
2. *Quæſtio.* Utrùm Theologia ſit plùs credibilis, quàm charitabilis?
Solutio. [Charitas, juſtitia, fortitudo.] [Eſſe, perfectio, meritum.]

De V. Philoſophia.

1. *Quæſtio.* Utrùm Philoſophia ſit plùs philoſophicabilis in tribus virtutibus theologicis, quàm in quatuor moralibus?
2. *Quæſtio.* Utrùm V. lividum plùs poſſit contra V. rubeum mediante Philoſophiâ ſpirituali, quàm ſenſuali?

Solu-

Solutio. [Fides, prudentia, temperantia.] [Prima cauſa, forma, materia.]

De V. Jure.

1. *Quæſtio.* Utrùm jus ſit majus concordando cum V. livido, quàm contrariando ipſi V. rubeo?
2. *Quæſtio.* Utrùm jus ſit juſtificabilius in virtutibus cardinalibus, quàm theologicis?
Solutio. [Forma, materia, poſitivum.] [Spes, charitas, avaritia.]

De V. Elementis.

1. *Quæſtio.* Utrùm elementa naturaliter repugnent V. rubeo?
2. *Quæſtio.* Utrùm operatio elementorum indicet, quomodo V. lividum fortificari debeat, & V. rubeum mortificari?
Solutio. [Charitas, fortitudo, acedia.] [Ignis, aqua.]

De X. Theologia.

1. *Quæſtio.* Utrùm eſſentia & prædeſtinatio habeant majorem concordantiam, quàm eſſe & liberum arbitrium?
2. *Quæſtio* Utrùm perfectio plùs contradicat imperfectioni per realitatem, quàm per rationem?
Solutio. [Prædeſtinatio, eſſe, liberum arbitrium.] [Eſſentia, dignitates, relatio.]

De X. Philoſophia.

1. *Quæſtio.* Utrùm liberum arbitrium poſſit contradicere effectui primæ cauſæ?
2. *Quæſtio.* Utrùm immobile ſit ita objectivè mobile, ſicut motus?
Solutio. [Eſſe, perfectio, mediatè.] [Appetitus, potentia, habitus.]

De X. Jure.

1. *Quæſtio.* Utrùm jus tam bene poſſit convenire in X. remunerando pro merito, ſicut puniendo pro culpa?
2. *Quæſtio.* Utrùm Jus ſit majus in eſſe, quàm culpa in privatione?
Solutio. [Meritum, liberum arbitrium, culpa.] [Juſtitia, fortitudo, ſuperbia.]

De X. Elementis.

1. *Quæſtio.* Quodnam plùs indigeat T. in hac arte, vel X., vel figura elementalis?
2. *Quæſtio.* Utrùm actus camerarum A. plùs cognoſcantur per X., quàm per figuram elementalem?
Solutio. [Prædeſtinatio, eſſe, liberum arbitrium.] [Ignis, terra.]

De Theologia, Philoſophia.

1. *Quæſtio.* Utrùm S. poſſit meliùs ſcire Theologiam per Philoſophiam, quàm è converſo?
2. *Quæſtio.* Quare antiqui Philoſophi ſine Theologia fuerunt philoſophantes?
Solutio. [Dignitates, actus, relatio.] [Intelligentia, orbis, elementa.]

De Theologia, Jure.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus ſit majus in actibus dignitatum Dei, quàm in ratione?
2. *Quæſtio.* Utrùm Theologus & Juriſta debeant meliùs convenire, quàm Canoniſta & Legiſta.
Solutio. [Eſſentia, dignitates, articuli.] [Forma, materia, commune.]

De Theologia, Elementis.

1. *Quæſtio.* Utrùm metaphorizare ſit neceſſarium ad theologizandum?
2. *Quæſtio.* Utrùm elementa meliùs ſignificent in Deo operationem intrinſecam, quàm extrinſecam?
Solutio. [Forma, relatio, articuli.] [Eſſe, interioritas, exterioritas.]

De Philoſophia, Jure.

1. *Quæſtio.* Utrùm Jus per Philoſophiam debeat inveſtigari?
2. *Quæſtio.* Utrùm ſcientia Philoſophiæ ſit magis neceſſaria, quàm ſcientia Juris?
Solutio. [Prima cauſa, motus, intelligentia.] [Forma, materia, Jus.]

De Philoſophia, Elementis.

1. *Quæſtio.* Utrùm ignis ſit ſiccus de ſe, & aër calidus de ſe?
2. *Quæſtio.* Utrùm Philoſophia plùs procedat de univerſalibus, quàm de particularibus?
Solutio. [Prima cauſa, motus, appetitus.] [Igneitas, eſſe, virtus.]

De Jure, Elementis.

1. *Quæſtio.* Utrùm operatio elementorum ſit lumen Juriſtæ?

2. *Quæſtio.* Quis plùs indiget ſcire naturalia vel Medicus vel Juriſta?

Solutio. [Forma, materia, nutritivum.] [Eſſe, ſubſtantia, accidens.]

In bonitate, largitate, gratia, & benedictione illius, à quo emanant ſingulæ bonitates, largitates, gratiæ & benedictiones, explicit *ars propoſitionum breve compendium inventionis omnium particularium in omni ſcientia, Theologis breve auxilium, directio Philoſophantium, nec non in omni caſu Juriſtis revelans verum judicium ſecundùm ordinem veritatis.*

Hæc Ars eſt aptiſſima translationi in diverſa idiomata ad convertendum infideles in ſemitam veritatis, ut cognoſcant & diligant illum, qui regnat & imperat altiſſimus & omnipotens verax Deus.

Amen!



Errata in Tomo III. inventa.

In Arte Demonſtrativa.

Pag. 23. num. 4. lin. 8. alicujus, *alterius.* Pag. 45. 7. 4. ingrediendum, *inquirendum.* 5. Y. C., *C. Y* 6. autem, *autem C.* 7. ca, *R.* 8. R. propter, *E. per.* §. Qui. 11. temperantiam, *temperamentum.* col. 2. 3. atque quartam, *deleatur.* §. Gam. l. 12. ſpecies, *ſpecies ſub una ſpecie.* 14. negat, ex, *nequit. de.* 15. N. ſequitur, *M. ſuper.* 21. Y. H., *Y.* 26. intelligere, *& intelligere.* 27. transformabit &c., *transmutabitur ſuum N. in E.; & ſi non, fortificabitur ſuum N. in regularitate pradictarum camerarum.* Pag. 46. col. 1. l. 5. ſuper, *ſuperet.* 23. quæ contradicere, *quod convenire.* 25. opponunt, *apponunt.* col. 2. l. 8. derivantur, *determinantur* 12. deſtinata, *determinata.* n. 2. l. 20. affirmationem ſive negationem, *affirmationi ſive negationi.* n. 3. l. 9. non, *niſi.* Pag. 47. §. 4. l. 3. X., *A.* 2. 10. terribilis, adde: *nec avarus.* 3. 10. cameraum, *camerarum &.* 4 l. ult. memoriæ, *miſericordia.* 5. 3. pietatem, *poteſtatem.* Pag. 48. col. 1. §. 6. l. 4. convertere, *convenire.* n. 1. l. 3. XY. XZ., *AY. AZ.* col. 2. l. 2. opus, *in A. opus.* 8. memoriæ, *materia.* §. ad l. 7. aliquis, *nullus.* dele. *non.* Pag. 49. n. 2. l. 1. hoc, *hic.* 5. hujus, *principia hujus.* n. 1. l. 11. recurrendum, *respondendum.* 2. 11. ſolvere &c., *ſine libro & figura Authoru imaginando &c.* n. 3. l. 3. dictorum, *Decretorum.* 5. cameras, *regulas.* Pag. 50. n. 1. l. 7. dicuttere, *diſcere.* 2. 7. medulliter, *medullitus.* 2. 9. quæſtiones, *diſtinctiones.* 19. dicitur, *diſcitur.* 8 quæſtiones, *converſionem.* Pag. 51. §. 3. l. 9. denuntiari, *determinari.* n 1. l. 7. quæ, adde: *contra quartam; ſcilicet quòd, quò frequentius & diutius E. G. diſcurrunt per primam cameram, eò plus ipſa E. l. N. recuperent ſuas partes de R.; & quò magis R. deſtruitur, eò magis augmententur E. l N.; per quorum augmentationem augmentantur ſecunda & tertia camera, quæ.* n. 1. l. 8. perſeverantis, *perſeverantia.* 8. quidquid, *quisquis.* 12. cognoſcere, *conjuejcere.* Pag. 53. col. 1. §. 1. l. 2. compoſitum, *compoſitionem.* l. elem. compoſitum, *compoſitionem.* l. tum. quod, *elementatum quod.* 2. 6. §., *G.* col. 2. l. 4. etiam, *accidentia.* 5. ideoque, *ideo.* 3. 4. aqua terra, *aer terra.* 4. 2. an. *vel an in compoſito* Pag. 54. col 1. n. 5. l. 6. §., *E.* 7. 12. & humiditate, *in humilitatem.* col. 2. l. 9. utitur, *veritur.* n. 9. l. 2. perfectionem, *potentiam.* Pag. 55. col. 1. l. 13. elementatum, *alteratum.* n. 11. l. 3. EVY. IVZ., [*SV*] [*YZ*] 11. 23. VZ., Z. col. 2. l. 3. contrariantes. *conſequentes.* 5. A perfectionem, *A operationem.* n. 13. l. 7. pietas, *poteſtas.* 11. quia, *quòd.* 14. 6. *bis* bonitas, *magnitudo.* magnitudo, *virtus.* 11. patitur. *poteſt.* Pag. 56. col. 1. lin. 15. poſſunt, *poſſent.* num. 15. lin. 5. IAVY., *RAVYZ.* 10. ellent, *eſſet.* 16. 17. & tertia, *in tertia.* 17. 9. conveniat, *convenit.* 10. quia cum, *quia.* 14. A., *A.* & *M per ſecundam.* 18. 2. virtus, *veritas.* poſſibiles, *potentia.* 5. XY., XX. 9. ſignificatur, *ſignificantur.* 12. poſſibiles, *potentia.* 14 & eſſet, *& in eſſe.* 19. 9. XX., *AA.* Pag. 57. col. 1. l. 5. quantum, *quoniam.* num. 22. lin. 4. MYZ., adde; *RYZ.* col. 2. lin 1. commiſceri, adde: *in elementato.* num. 23. lin. & ſubjecta, *qua ſunt in Z. ſubjecta.* Pag. 58. n. 26 lin. 2. principium, adde: *aut per medium.* 27. 3. IAY, *IAZ.* 11. & ut, *ut.* 30. 6 convenientes, *conſequentes.* 32. 6. ſignificat, *ſpecificat.* 8. ſolutionem, *ſpecificant ſolutionem.* 9. deficit, *fallit.* Pag. 59. col. 1. lin. 2. movent, *moventur.* num. 33. lin. 15. oditet, adde: *& amaret.* 18. non tamen, *& non.* 33. quæ huic, dele. *huic.* num. 34. lin. 2 propter, *per.* 4 Y., *Z.* 9. exiſtere, *exiſtens.* 9. influentiæ, *influere.* Pag. 60. num. 37 l. 3. IVZ., adde: [*EVZ.*] §. Omnes lin. 3. cameræ, adde: *& quæſtiones.* Pag. 61. num. 8. l 3. AT., [*AY*] [*AT*] 10 5. SS. XX., [*SX.*] 11. 3. pietas, *poteſtas.* 12. 2. idem, *inde.* 5. pietas, *poteſtas.* 14. 5. XY., *AY.* 9 3 pietas, *poteſtas.* Pag. 62. §. 11. lin. 2. impedire, *dare.* 12. 5. poteſtas, *voluntas.* 13. 4. forma, adde: [*EA*] 14. 4. IAVY., *IVZ.* n 2. l. 5. AY., *AX* 7. 3. in, *&.* 8. 2. nequaquam imperfectio, *contra imperfectionem.* n. 1. l. 1. ſit, *poſſit.* 6. IAVY., [*IA*] [*YZ.*] Pag. 63. num. 3. lin. 3. ad infiniti, *aliquid infinite* 6. 2. id, *aliquid.* 12. 2. propter, *per.* propter, *per.* 13. 1. poſſit, *poſſet.* n. 5 4. forma, *potentia.* pag. 64. num. 7. l 3. magnificum, *magnitudinem.* 10. 2. ſua, *ſecunda* 12. 1. poſſit, *poſſet.* 1. 4. AA. adde: *SS.* 11. 1. oportet, *conveniat.* 1. 2. *bis* in diligendo, bis *intelligendo.* Pag. 65. num. 3. lin. 1. Quid, *Qua.* 4. 6. IA., *IZ.* 2. 3. EVY., *EAVY.* 5. perfectio, adde: *ſimplicitas nobilitas.* 8 5. AA., *AX.* Pag. 66. num. 8. l. 2. Deus, *Dominus.* 2. 5. liberum arbitrium, *libertas.* 4. 4. veritas. *unitas.* Pag. 67. num. 2. l. 4. veritas, *unitas.* 5. AA., *XX.* 4. 4. veritas, *unitas.* n. 3. l. 4. veritas, *unitas.* 4. 5 veritas, *unitas.* 3. 2. non, *niſi.* 1. 5. veritas, *unitas.* 2. 6. magnitudo, *æternitas.* Pag. 68. num. 2. l. 1. animæ chriſtianæ, dele: *chriſtiana.* 3. 2. poteſtates, *potentias.* 12. 5. AX., *XX.* 15. 5. Z., *Y.* 16. 1. potentiis, *potentiarum.* Pag. 69. num. 8. lin. 1. Utrùm, *Quare.* 5. EX., *EA.* 13. 4. SA., *SX.* 14. 2. aut, *&.* 15. 1. Utrùm, *Quare.* 2. 2. ſint perfecti, *ſit cauſa.* 11. 2. createtur, *creetur.* Pag. 70. num. 11. lin. 2. propriè, *propinqua.* 12. 2. propriè, *propinqua,* 4. ſint propriè, *ſunt propinqua.* 1. 5. dele. *ignis terra.* 3. 2. operationem & extenſionem, *opinionem & æſtimationem.* Pag. 71. num. 9. lin. 5. AX., XX. 11. 1. anima, *virtus anima.* 12. 4. SA., *SX.* 5. 4. ignis. adde: *ignis aër.* 1. 4. l. V., *IY.* 4. 3. ſit, *ſit.* Pag. 72. n. 1. l. 1. naturalis, *rationalis.* 3. 1. faſtidiatur, *faſtidiat.* 7. 4. SA., *SX.* 8. 3. SA., *SX.* Pag. 73. num. 3. l. 2. intelligere, *per intelligere.* 2. aſſimiletur, adde: *& per ignorare ei diſſimiletur.* 4. 1. intelligendo, adde; *& amando.* de N. lin. 11. Utrum, *Quare.* Pag. 74. num. 11. lin. 5. perfectio, *privatio. EA.* 13. 2. ut ſupponatur, *cùm ſupponitur.* Pag. 75. num. 2. l. 4. IYZ., *IVZ.* 3. 2. eſt, contrariet. *eſt ens, continet.* 8. 2. ad, adde; *laudandum.* 11. 4. EIA., *IA.* Pag. 76. n. 8. l. 5. S. E. 11. 6. S., *E.* 4. 1. diverſificare, *diverſificari.* 11. 1. crearetur, *cauſetur.* Pag. 78. num. 3. lin. 3. finis, adde: *differentia concordantia, prima intentio ſecunda intentio, ignis ignis.* 5. 1. medium, *principium.* 6. 4. SA., *EA.* 9. 2. intra ſe, *intrà.* 2. 1. aliquod, *per aliquod.* 8. 2. cùm neget, *quando negat.* ex, *de.* Pag. 79. num. 4. l. 4. CA., *EA.* 2. 4. EIA., *IA.* 1. 1. eſſe diſtinctum, *deſtrui.* Pag. 80. num. 7. l. 5. AB., *AV.* Pag. 81. num. 6. l. 5. AA., XX. 7. 3. memoria, *miſericordia.* 11. 3. EAVZ., *EAVY.* VZ., *IVZ.* Pag. 82. num. 4. l. 1. in, *inter.* pet, *&.* 10. 2. animæ, adde: *potentiis.* 3. 2. veluti, adde: *omnia.* Pag 83. num. 1. l. 2. detimentum, *decrementum.* 5. 2. abundantiam, *temperantiam.* 8. 5. ignis, adde; *ignis aër.* Pag. 84. num. 4. l. 2. luxuriam, *ſuperbiam.* 1. 1. quo, *quo.* 4. 1. Quare, *Utrùm.* col. 2. l. 1. non, *an.* n. 5. l. 1. avaratia, *avaritia.* 1. 2. humilitati, *humilitas.* 3. 2. & una, *& non una.* 1. 1. ens, adde; *vel non ens.* Pag. 85. n. 1. l. 5. veritas, *unitas.* 7. 4. magnitudinem, adde: *poteſtatis.* 11. 3. cauſa eſſendi, *quia eſt.* 14. 4. AA. XX. Pag. 86. n. 2. l. 2. ipſa, *ſapientia.* 4. 2. virtute, *veritate.* 5. 1. differentia poteſtatis, *divina poteſtas.* 2. poſſe, adde: *facere.* 10. 1. In quo, *Per quid.* 1. 3. homo poſſit &c., *poſſint ſupra hoc, quod potentia intellectiva videtur eſſe &c.* 2. 3. IA., *AA.* Pag. 87. num. 8. l. 2. propter, *per.* num. 9. Aliud Exemplar loco 9. quæſtionis habet hanc: *Utrùm Deus habeat poteſtatem creandi perfectionem ſine imperfectione? Solutio: Perfectio imperfectio, eſſe privatio, prima intentio ſecunda intentio, ignis aër, ignis terra.* n. 1. l. 4. oporteat, *oportet.* 2. 2. totum, *tantum.* 5. NN., *NA.* 3. 4. ETA., *EA.* 11. 5. IA. VV., *IAVY.* Pag. 88. n. 1. l. 2. ſuppoſibiles, *ſupponibiles.* 8. 1. dominii operis intrinſecè propter, *operis intrinſecus per* 4. intrinſeco operepræcidto, *extrinſeco opere.* 9. 4. V., *N.* IE, IZ. 3 1. quinque, adde: *ſenſibus.* 7. 4. ignis terra, *aer terra.* Pag. 89. num. 10. l. 3. liberum, *realitas liberum.* 3. 2. an, *& non.* 6. 5. VZ Y. Z. Pag. 90. n. 8. l. ign. aqua, adde; *ignis terra.* 9. 5. S.][6. 1. eſſe, *& eſſe.* 7. 2. objectum, *actum.* 3. 2. demonſtraretur, *demonſtretur.* Pag. 91. num. 6. l. 5. EA., EI. 5. 3. quam, adde: *culpa.* 1. 2. ſit, aggregat, *ſit aggregatus.* 3. realitas potentia, *eſſe realitas.* objectum actus, *potentia objectum.* De obj. l. 2. neceſſaria tantùm, *tam neceſſaria.* Pag. 92. num. 1 EC., *EA.* 2. 3. veritas, *unitas.* num. 6. lin. 1. Aliud Exemplar loco 6. quæſtionis habet hanc: *Utrùm in eſſentia poſſit eſſe concordantia æqualitatis ſinè differentia? Solutio. Eſſentia relatio, magnitudo poteſtas, æternitas perfectio, juſtitia largitas, ignis ignis,* 7. 4. privatio, *perfectio.* 9. 4. VA. *N. A.* 14. 2. diſconveniant, *diſconveniat.* contrariat, *conveniat.* 3. 2. ſapientia, *ſapientia &.* Pag. 93. num. 7. l. 1. absque actione &, *actio abſque.* 11. 4. XX, *AX.* 14. 2. &, *in.* 2. 1. dignitates, adde; *Dei.* 9. 2. recolere, *relatione.* 10. 1. virtutem, *dignitates.* Pag. 94. num. 11 l. 2. ſuam, *ſecundam.* 3. 1. veritas, *unitas.* 6. 1. intelligentiæ, *intellectiva.* 10. 1. alius, *aliquis* 13. 1. bonitas, *poteſtas.* Pag. 95. num. 3. lin. 4. regula, *relatio.* 4 5. E A., adde: *ignis ignis.* 6. 4. YVZ., *IVZ.* 7. 3. veritas, *virtus.* 3. 4. nolente & nolito, *volente & volito.* 6. 2. conv niat, *convenit.* 7. 2. contradicere, *concordare.* 10. 2. poſſit, *poſſet.* Pag. 96. num. 5. minorem, *majorem.* 6. 4. operatio, adde; *EA.* 4. 2. ſcire, *ſcientia.* 1. 4. Y., adde; Z. Pag. 97. num. 2. lin. 1. verum, *prohibitum* Pag. 98. col. 1. lin. 3. EVZ., *IVZ* num. 5. l. 1. eſſet, *creet.* 2. 2. ſe, adde: *cognoſcendo ſe ipſam, quàm.* 4. 3. cum ævo, *in ævo.* Pag. 99. num. 4. l. 1. in Deo, *Deo.* 8. 3. producetur, *producatur.* 10. 2. creatura, *creatus.* 1. 3. AA. adde; *AS.* Pag. 100. num. 11. l. 6. Z., *Y.* 5. 1 prudentiam, *providentiam.* Pag. 101. num. 4. lin. 2. poſſint, *poſſent.* 3. ignis ignis, *ignis aër.* 7. 2. &, *in.* 11. 1. ſi digeſtio fieri poſſit in luna maximam, *digeſtio fieri poſſet, niſi luna magnam.* 12. 2. ſuſcipit. *recipit.* magnitudinis in influentia, *magna influentia.* 13. 4. compoſitis, *contrapoſitis.* 3. 4. mixtio, adde; *ignis aër.* Pag. 102. num. 11. l. 3. eſſent elementorum, *erant corpora.* 12. 2. vel ſint, *vel ſint de.* col. 2. l. 1 pxima. *prima.* Pag. 103. col. 1. l. 2. principia, *potentia.* num. 2. l. 1. compoſuerint, *compoſuerunt.* 3. 5. aqua, adde: *ignis terra.* 5. 1. influat, *refluat.* 6. 4. V K., *RR.* 8. 1. ſi non calefaciat, non, *calefaceret ſi non.* 10. 4. habitus habitus, *actus habitus.* 2. 2. vel extra naturam corpoream, *vel de natura corporea,* Pag. 104 num. 4. l. 2. ferro, & jaſpis ſanguini in fluere. *partui, & jaſpis fluxui ſanguinis.* 4. 4. appetitus, *habitus.* 2. 2. ſit, *ſit in.* 5. 4. ſenſitivam, adde: *& vegetativam.* 1. 2. orbis, *caloris,* 4. 5. actus, adde: *potentia compoſitio.* Pag. 105. num. 1. l. 2. elementum, *elementatum.* 2. 1. objectum, *ſubjectum.* Pag. 106. num. 1. lin. 1. materia, adde: *D. H.* 4. 4. minoritas, *majoritas.* 5. 2. tamùm, *tam.* 9 1. Jure civili, *Jure.* 3. in divino, *cum Dominio.* 16. 1. quod, *quo.* 4. D. liberum, *perfectio liberum.* 5. 2. ſit plus tenenda, *magis obliget.* Pag. 107. num. 13. l. 4. EVZ., *EVY.* 15. 2. in ortu per ceſſionem & conſervationem, *in generatione, proceſſione & conſervatione.* 10. 2. ante quàm, *contra.* 3. NVY. EVZ. IVY., *NYZ. EVY IVZ.* 13. 3. Y., adde: *IVZ.* Pag. 108. num. 2. lin. 3. principia, *potentia.* 8. 2. ſit, *debeat eſſe.* 9. 1. Utrum, adde; *pro.* Pag. 109. num. 12. lin. 1. homo ſit in teſtimonio acceptabilior, *vir ſit magis recipiendus ad teſti-*

testimonium. 3. 6. Y. Z. §. 3. meritum, *medium.* 3. 1. advocato, adde: *magis.* 7. 3. per, *propter.* Pag. 110. n. 9. l. 1. copula, *vinculum.* tanta, *tantum.* 3. 2 diversificatur. *diversificantur.* 3. 1. punienda. *punitiva.* 4. 4 E l., *immediatè mediatè E I.* 5. AA., *A X.* 5. 1. Clericus, *hæreticus.* 6. 1. peccatis parcere, *peccata remittere.* Pag. 111. n. 5. l. 4. EAV., adde: Y. 6. 3. æqualitatem, *qualitatem.* 4. 5. aër, adde: *ignis terra, ignis aqua.* 5. 2. intellectui, aliter: *Judici.* voluntati, aliter: *advocato.* Pag. 112. num. 2. lin. 2. mutare, *nutrire.*

In Lectura super Figuras Artis Demonstrativæ.

Pag. 2. num. 3. lin. 6. totam illam, *totâ illâ.* 4. 1. simpliciter, *similiter.* Pag. 3. col. 1. lin. 7. deleatur: *dignitatis.* Pag. 4. num. 1. lin. 4. militia, *malitia.* 2. 7. ipso esse & ipsius, *in ipsa essentia.* essentia, & *ipsius essentia.* 3. 5. secundariæ, *servandò.* Pag. 5. num. 1. lin. 8. imment atem, *immensitatem.* §. Præt. l. 1. bonificativus unificativus, productivus, *unificativus bonificativum & productivum.* 2. 5. privificativo & privificabili, aliter: *parvificativo & parvificabili.* 3. 1. principium est, *est principium.* 5. l. tion. vel fi, *sed si.* Pag. 6. num. 3. Principium, *Principium.* 4. 16. intelligit, *quod intelligat.* col. 2. l. 1. magnificativa, *magnificativo.* concordet, *concordat.* 1. 8. parvificales, *parvificabiles.* 20. sui ipsius, *ipsius.* 24. &c., &. Pag. 7. n. 4. l. 8. æqualificabilis, *æqualificabilem.* 5 16. muldtudinem, *multitudinem.* Pag. 8. n. 1. l. 8. similiter, de, *similiter de.* 28. illæ, *illius.* Pag. 9. n. 3. lin. quem. aqua, ab, *aqua ab.* 1. 3. potentiæ, *potentiat.* 2. 12. libilis, de, *libilis de.* Pag. 10. num. 3. l. 10. & objecta, *& alia objecta.* 18. recobile, *recolibile.* 5. 7. particulariter, *partialiter.* 3. lin. ang. angelis, *angulis.* Pag. 11, cam. BL. lin. 6. C., per, C. per. Pag. 12. § Sicut. l. 4. ,primæ, *prima,.* col. 2. l. 1. Triargulo, *Triangulo.* Pag. 13. num. 3. lin 7. occupatio, *impedimentum.* 4. 14. facilè, *falsè.* 6. 5. negabile, *in negabile &.* 2. 13. essentificativus, adde: *& essentificativus.* Pag. 14. num. 4. lin. 8. Deo esse, *Deo.* col. 2. l. 7. A. B. C., *A. S. T.* num. 3. lin. 5. quæ, *quas.* Pag. 15. col. 1. l. 8 speciebus, *specierum.* §. Propt. Propterea, *Præterea.* Pag. 16. col. 1. lin. 17. ex, *extra.* §. Præt. lin. 3. quam, *quod.* 21. conditione, *conjunctione.* Pag. 17. num. 1. lin. 8. ad A., *ab A.* 15, E., *&.* col. 2. lin. 6. E., *&.* Pag. 18. num. 13. lin. 4. &, *& E.* Pag. 19. col. 1. l. 7. ipsum, *ipsi.* num. 5. l. 8. possibile vel impossibile, *possibili vel impossibili.* 5. 1. terminum, *trinum.* 5. terminum, *trinum.* 3. 6. privatur in, *principiatur in.* Pag. 34. num 3. lin. 7. C. G., C. D. Pag. 35. num. 8. lin. 14. & G., *& H.* Pag. 37. lit p. lin. 8. ipsius, A., *ipsius A.* Pag. 38. lit. d. lin. 8. Spititus, *Spiritus.* Pag. 39. lit. n. lin. 10. sequitur, de, *sequitur de.* Pag. 40. col. 1, lin. 2. negabile, ipsius, *negabile ipsius.* lit. 2. l. 4. ineſt, *idem est.* Pag. 41. lit. o. lin. 3. quàm. adde. *in se ipso & ipsum S. esse majus in se, quàm.* lit. q. lin. 3. &, *intelligentia &.* lit. r. lin. 2. majoritate & minoritate, *majoritatem & minoritatem.* Pag. 42. lit. s. lin. 1. vis, *videlicet.* lit. c. lin. 6. licèt una, *licèt ipsa.* lit. d. 5. ,immensi, dele. *comma.* Pag. 43. lit. g. 3. converso, adde: *& Filius alio modo ossendi à Sancto Spiritu, & è converso.* Pag. 44. num. 10. l. 8. Y., Z. Pag. 48. col. 1. lin. 15. AAE. AVY, *AA. EAVT.* Pag. 49. col. 2. l. 4. YZ., *VZ.* Pag. 50. num. 5. lin. 1. quitem. *quidem.* Pag. 51. §. Aux. lin. 4. adoptatum, *optatum.*

In Libro Chäos.

Pag. 2. col. 2. l. 17. mixta, *mixta.* Pag. 4. num. 11. l. 3. dimittere, *permittere.* 1. 1. gradus, chaos, dele. *comma.* Pag. 5. num. 4. lin 9. primum, *proprium.* Pag. 7. col. 2. lin. 9. substantiali, *substantialiter.* num. 10. lin. 7. seu, *&.* 1. 8. aggregatis, *aggregata.* Pag. 12. num. 1. lin. 1. ignificabili, *ignei-tate.* Pag. 14. num. 4. l. 5. prutis, *brutis.* Pag. 17. col. 2. l. 4. instuuntur, *instuuntur.* Pag. 18. in tit. l. 1. Universali, *Universali.* num. 2. l. 1. gradus, adde: *chaos.* Pag. 21. num. 7. l. 3. enim, *cùm.* 11. 8. sive, *sinè.* Pag. 22. num. 5. l. 8. ex, *de.* Pag. 24. num. 16. lin. 6. vivendi, *videndi.* Pag. 26. num. 2. l. 4. priusquam, *postquam.* Pag. 28. n. 5. l. 8. calliditatis, adde: *lucidi-tatis.* Pag. 35. n. 6. l. 2. cordæ, *chordæ.* 3. corda, *chorda.* Pag. 37. col. 1. lin. 17. superficie, *superficie.* Pag. 38. n 5. lin. 16. gradus, adde: *chaos.* Pag. 39. num. 2. lin. ult. impossibilis, *impassibilis.* Pag. 41. num. 8. l. 8. quum, *quantum.* 9. 9. directè, *rectè.* Pag. 42. num. 12. lin. 13. scilitet, *scilicet.* Pag. 43. lit. d. lin. 9. non, *nihil.* 3. 14. formam, dele: *comma.* Pag. 44. n. 11. l. 9. usque, *usquequo.* 12. 15. demonstrationis, *demonstrationes.*

In Commento Artis Demonstrativæ.

Pag. 24. col. 1. lin. 23. & semper, *ut semper.* Pag. 56. n. 15. l. 7. utriusque, *utrisque.* Pag 66. col. 2. l. 5. lucidiate, *luciditate.* Pag. 89. in fronte XXVII, *XXXVI.* num. 1. lin. dum. tantus existendo quantus agendo, *tantus agendo quantus existendo.* Pag. 102. col. 2. 6. non realem, *non realitatem.* Pag. 127. n. 2. l. 11. figuram, *figurarum.*

In Libro Propositionum Artis Demonstrativæ.

Pag. 20. in fine. à recolentia, *ex recolentia.* Pag. 22. col. 2. l. 4. restaret, *obstaret.* Pag. 28. de Q. num. 2. pœnè sinà. *pœnâ sinè.* Pag. 18. De Theol. num. 3. dole., *dolet.* Pag. 39. de *S. V.* num. 1. quàm N. *quàm H.* Pag. 44. de Minor. num. 7. realitate, *qualitate.*

Monitum ad Lectorem.

Ne mireris L. B., tot Errata huic Tomo Tertio irrepsisse, nam potiores tractatus illius jam ante aliquot annos & ante impressionem primi & secundi Tomi typo sunt editi in absentia Editoris, qui aliis negotiis implicatus, correctionem aliis committere debuit; accessit insuper usus quorundam MStorum multis mendis scatentium; quæ ab inopiam meliorum & plurium tum temporis typo subdere necessitas compulit: Unde non sinè maximo damno integros quosdam tractatus hujus Tertii Tomi reimprimi curavimus, ne notabilem deformitatem tam præstanti operi hoc uno Tomo inferemus.

Nota insuper circa figuras, plurimas illarum in absentia nostra fuisse impressas, quas facilè discernes à posterioribus per nos inventis & formatis, non sinè magnis sumptibus: tempus, labor, experimentum, errores, damna nos multa docuerunt: ne igitur pretium horum librorum nimium judices, si similia non es expertus.

Nota denique, Figuram T. quandoque incipere à litera A. ût in *Introduct.* & in Lib. *Propos.* quandoque à B., quam ultimam posuimus, ne figuras frustra multiplicaremus.

666